J. Ignatz Dürk
1824.

P. TERENTII AFRI

# COMOEDIAE

AD CODICES MSS. ET OPTIMAS
EDITIONES RECOGNOVIT
VARIETATE LECTIONIS COMMENTARIO
PERPETUO ET INDICE VERBORUM
INSTRUXIT

FRIDER. CHRIST. GOTTL. PERLET

---

ACCEDUNT VARIAE LECTIONES TRIUM CODICUM
GUELFERBYTANORUM NUNC PRIMUM
COLLATORUM EXCERPTAE.



---

LIPSIAE
SUMTIBUS LIBRARIAE HAHNIANAE
MDCCCXXI.

VIRO

ILLUSTRISSIMO AC GENEROSISSIMO

LIBERO BARONI

# CAROLO WILHELMO DE FRITSCH

SERENISS. MAGNI DUCIS SAX. VIMAR. ISENAC.
CONSILIARIO INTIMO

IN GUBERNANDA SUMMA REPUBL.

ADMINISTRO PRIMARIO

CANCELLARIO ORDINIS ALBI FALCONIS
INSTAURATI VIMARIENSIS

PLURIUMQUE ORDINUM INCLYTORUM
MAJORI CRUCE

EQUITI ORNATISSIMO

D. D. D.

FRIDERICUS CHRISTIANUS GOTTLIEB
PERLET.

# PRAEFATIO.

De adornanda hacce Editione quod consilium ceperim, aut qua ratione id fuerim exsecutus, jam in limine ejusdem rationem reddere par est. Jam puer ego, fateor, Terentii studio sum adeo adductus, ut lectione ejus, prae ceteris fabulis comicorum, ob elegantiam orationis ac morum probitatem, omni modo delectarer. Inde ad hoc opus instituendum nequaquam ita imperite aut illotis manibus accedebam, praesertim cum ante hos quindecim annos Andriam Nostri, qualicunque opera mea explicatam, in lucem protuli.

Praeterea si quid ultra opus esset, quod dicerem, cur ego idem Poetam nunc denuo, quam maxime possem, emendare conarer, non ultro humeros meos obtuli ad subeundum tam grave onus dif-

ficillimumque. Enimvero occasionem, quae extra me data esset, operis aggrediendi nactus minime quaesivi, sed oblatam tantum accepi. Ac proinde, si refert dixisse, non infitior, rogatum me esse, et quidem a viris peritis, ut Terentii Editionem curandam eam susciperem, qua ita, si qui essent, magistrorum, ut juventutis studium ac desiderium magis faciliusque juvarem expediremve. Id volui quidem, sed quo successu, alius judicabit.

Primum omnium textum recognovi Bentlejanum, quem vero ad libros et manuscriptos et editos, quorum copia mihi daretur, conferendum et excutiendum putabam. Hic autem licebat videre, quoties mihi, ubi magnus ille vir libertati conjecturandi nimis indulserit, ab eo recedendum; quoties, ubi tam saepe neglexerit auctoritatem codicum, refugiendum esset ad illos. Ac sane incertus sum de Bentlejo, utrum in mutando audacior mihi visus fuerit, an sagacior in perscrutando vero; id tantum cognovi illum modo versui suo fingendo ultra modum concessisse, modo Terentium magis ex ingenio suo quam ex fide librorum ipsimet consonum, insuper eundem Plauti similem redditum voluisse. Attamen quis est qui homini, de Poeta meritissimo, palmam eripiat?

Nonnunquam ipse ego amplexus sum, si quae meliores viderentur, Bentlejanas mutationes. Veruntamen ne soli Bentlejo adhaererem, alios circumspexi editores; utque basin lectionis mihi substernerem poneremve, codicibus ex parte usus sum tam aliena, quam mea ipsius opera collatis. Collatos enim excerptosque consului, quatenus varietatem lectionis investigarem, msstos Italicos ab Faërno, Anglicanos a Bentlejo; qui in Gallia essent, a Mureto. Neque omittam Palatinos a Pareo recensitos et comparatos; aut Westerhovii Belgicos, inter quos Leidenses eminent; Editionem saepius ei laudatam de anno 1469; aut denique, si qui fuerint, Germanicos, a G. et Fr. Fabriciis aliisque consultos. At quos ipse adii codices atque inspexi, Gothani sunt duo, unus membraneus, chartaceus alter; quorum utrumque accepi beneficio Ukerti humanissimi viri ex thesauris librariis Sereniss. Ducis ultro mihi oblatos.

Accedunt Guelferbytani quatuor, de quibus infra.

His addo lectiones e codice Jenensi, Romano ac Veneto desumtas, quas variantes Bachius familiaris benigne mecum communicavit.

Sed redeo ad Fäernum, qui textui suo comparando librum substruxit antiquissimum, praeter quem adhibuit etiam Basilicanum, Vaticanum atque Bembinum. De Bembino autem libro, cuius tanta et apud Bentlejum est auctoritas, notavimus in Catalogo Editionum, ubi videatur. Gabr. Fäerni Editionem deinde Pareus sequebatur ita, ut ab ea minimum discedere sibi fere duceret religioni. Bentlejus in usu habebat Anglicanos, Regios ac veterrimum, quem codicem aestimat 900 annorum. Muretus inter suos msstos Venetum maxime laudat. Verum a Pareo Palatini numeris 1, 2, 3, 4, 5. singuli recensentur, quorum lectiones non semper optimae notae apparent. His tamen viliores offendi, quas idem in margine Editionis suae pro variis apposuit e codice Parisiensi desumtas. Cuius enim codicis variantes lectiones saepe non pluris quam glossae existimari merentur. Quoad ceterorum lectiones, modo magis placuerunt, modo minus.

Venio nunc ad Gothanos codices ambo explicitius indicandos. Membraneus videtur antiquior esse chartaceo. Scriptus est continuis lineis, nec versibus distinctus. Habet notulas partim in margine appositas, partim interlineares. Verum acci-

dit haud raro, ut quod in margine sit adscriptum, in dubium veniat, utrum pro parte contextus habeatur, an pro glossa. Ceterum quae nos puncta, sic dicta, ponere solemus, illae virgulae sunt, ut sit e. c. *incipiam*, quod idem hodie repraesentamus, *incipiam*. Contra chartaceus puncta exhibet, uti libri nostrates. Chartacei codicis, quamvis recentioris, scriptura tamen aliquanto difficilior est legentibus; ad hoc mira orthographia, ut *therencii* pro *Terentii*. Nomina personarum sunt, ut mos est etiam aliorum, minio exarata vel picta. Leguntur ad calcem haec: *finivit* (librarius) *feliciter therencii* com. *in oppido eslingensi sub anno dm* (domini) *milesimo quadringentesimo septuagesimo 2 do:* Haec conditio codicis horum utriusque exterior. Cum textum eorum considerassem, nil nisi in paucis cum a Bentlejano atque illo, qui Brunsii codicis est Halensis, discrepare expertus sum. Unde facile erit suspicari, hos omnes libros ex uno fonte derivatos manasse.

Sed ante omnes Guelferbytani s. Wolfenbuttelani Codd. quatuor maximo usui mihi contigerunt. Quos quidem ab Langero, bibliothecario meritissimo, quem fato nobis nuper ereptum permulti

mecum dolebunt, venia data ab his, qui ex intimis Sereniss. Ducis Brunswigae florent, ut acciperem impetravisse me ea, qua decet, reverentia nunc palam confiteor atque gratissimo animo testor.

De his codicibus membraneis est unus, quem primum mihi in manum assumsi, forma splendida, in fol. de anno 1433. In eo reperi esse lineas verborum continuas, ut vix ullum vestigium appareret metri distinctionis. Ordo verborum saepe alius est, ac plane a vulgato diversus. Notulae sunt in margine magna ex parte Donati. Menda librariorum pauca tantum offendi, ut Andr. III, 3, 36. *discensio* pro *discessio*; aut Ph. IV, 5, 15. *experire.* Ut alia omittam. Mire legitur in Andr. V, 4, 13. *attentate* pro *attemperate.* Attamen plus minusve egregiae lectiones sunt in Andr. I, 2, 20. ubi addita leguntur: *S. si quaeras, dicam*; ibid. 5, 8. *maximum*; II, 1, 17. *crucem*; itid. Heaut. I, 2, 32. adduntur: *scortari non vult*; ibid. V, 1, 75. *et praeparet se.*

Sed praecipue notetur in Adelph. III, 1, 8. lectio quae est, *Natae tantae* pro *E re nata* vulgari.

Secundus mihi Guelferbytan. codex in 4to est, vix aliqua re praeter formam insignitus. Habet a manu aliena multa passim contextui verborum superscripta, multa inserta, multa addita, multa glossis intermixtis confusa. Quas vero hic lectiones non contemnendas exhibeat, eas Catalogus noster suo quasque loco indicabit.

Transeo ad tertium, qui scriptus est a duabus manibus diversis, quarum alterius sphalmata seu peccata a tertia manu correcta insunt supra lineas. De hoc codice, si quid planius disserendum videatur, in aliud tempus differam. Ultimum commemoro Guelferbyt. librum, quem debeo humanitati Langeri ultro mihi superaddentis. Ille autem liber est collectio scholiorum in alios quoque, praeter Terentium, auctores. Quae quidem scholia inde, quantum per difficultatem scripturae liceret, in commoditatem meam desumsi et adhibui, huiusmodi sunt, ut, etiamsi multo sudore enucleanda essent, operae tamen impensae minime poeniteret.

Tantum de codicibus, quos ipse in promtu habui adeundos. Ex his vero comparatis quantum fructus in studium Terentii evehendum provenerit,

id spero ab aliis quoque, praeter me, gratissime iri animadversum.

Quod interpretationem attinet, commentario perpetuo confeci eam, qua non solum his hominibus, qui plus, sed etiam illis, qui minus desiderarent, consultum putarem. Nam si quid scire opus esset, malebam ejus rei explicatae abundantiam adesse, quam penuriam. Nec sunt, qui nobis adhiberentur loci innumeri, quos parallelos dicunt, ostentationis causa adlati. Nam inde sequitur plano aliud. Primo enim qui Terentii sint ipsius similes accumulati, ostendent satis, quam recte ac bene Poeta sibi ipse comparari soleat ac recognosci ex semet ipso. Qui namque tali modo comparatus fiet, ut equidem opinor, facilior nobis ad ipsum intelligendum. In quo certe consistit illud Wakefieldii apud Britannos primarium praeceptum interpretandi, ut auctorem quemquam cognoscamus maxime ex semet ipso. Deinde si quae dicta similia ex aliis scriptoribus, ut Horatio, Virgilio, Ovidio, Cicerone etc. afferantur petita, non obscurum erit, Nostrum communi aureae aetatis uti sermone. Distinctione verborum usus sum ea, qua hic illic sensus commodissime extricaretur. Enimvero saepe

fit, ut lectio aliqua, quo rectius accuratiusque distinguatur, eo firmius ac certius possit stabiliri. In orthographia, fateor, facilis fui, cum tantopere eam in msstis et Editionibus variare animadvertissem. Neque semper satis constabit, quid verum, quid minus; utrum rectius sit, quod antique, an illud, quod recentius scribatur.

Donatum citavi, utpote a Westerhovio plerumque emendatum atque correctum. Constat enim illum ad nostra usque tempora non integrum pervenisse. Huic vero non nego me plurima debere, quae pertineant ad emendandum vel explicandum illustrandumque Poetam. Dedit autem singularum scenarum argumenta, quae illinc frequenter mutuatus sum in commodum meum translata. Dives est etiam et grammaticarum et rhetoricarum animadversionum. Praeter eum multa mihi explicanti praebuit quoque ac subministravit Westerhovii Editio, quae thesaurum continet ingentis doctrinae. Post Donatum memorandus est Eugraphius, qui sententias Terentii dialectice, more suae aetatis, adumbrat, aut circumscribit iisdem fere verbis, quibus ipse usus fuerat Poëta. Sequitur Calphurnius, qui commentario suo in

Heautontim. operam nostram maximopere allevavit. De ipso fecimus passim pluribus locis mentionem. Muretus edidit argumenta et actuum et scenarum, quo nemo aut latinius aut expressius. Bentlejus nullibi commentatus est quidquam, nisi in his locis, ubi metri sui causa id opus esse judicaret. Contra Lindenbruchius in eo intendebat, ut propter solam explicationem dicta peteret ex iis ipsis auctoribus, qui minus essent vulgares. Idcirco ad Charisium, Priscianum, Asconium, Pedianum, Festum, Zenobium, Diogenem etc. tanquam fontes latentiores usque haustum penetravit. Farnabius notulas raras margini Editionis suae adspersit egregias. Etiam Ruhnkenii observationes, quae cum codice Bruns. edito circumferuntur, lucem afferunt Terentio non exiguam. Addo Pareum, qui in eo praecipuam laudem posuit ac meruit, ut ellipses Terentianas notis marginalibus suis expleret. Cuius vero Editionis, ne id quoque praetermittam, exemplo praesertim gaudebam, ubi notas offenderem, a manu, ut suspicor quidem, I. M. Heusingeri, maximi scholae nostrae quondam ornamenti, adscriptas. Nec facile fieri potuit, ut Dacieriam silentio praeterirem, quae mulier inter Gallos doctissima miro ingenii acumine morem antiquitatis indagaret atque

contingeret. Etiam hoc feci, ut notulas Guelferbytanorum maxime quae placerent, ingererem. Sed ceteros omitto commentatores, quos in subsidium vocatos libellus ipse meus non uno loco ostendet. Ne multa, silvam commentationum observationumque undique comparatam congessi, adeo ut lectoribus, meopte judicio interdum suspenso, libera esset, quid cuique optimum videretur, eligendi potestas.

Indicem adjeci unum, non, ut alii solent, plures inter se separatos. Igitur si quis velit aut nomen aliquod personae, aut rei notitiam, aut vocis significationem inspicere, haec omnia in eodem indice, ut equidem opinor, uno conatu reperiet.

Locos autem, qui citati sunt, ego ipse fere omnes evolvi quam maxime diligenter, siquidem incertos esse cognovimus plerumque indices aliorum.

Quod superest, etiam bibliopolae, Hahnii honestissimi viri commodis volui inservire, cui de mole operis crescente sollicitiori atque, ut chartis parcerem, petenti, quantum possem, obsecutus sum. Itaque non pauca, quae etiam edenda ab

initio mihi viderentur, reliqui; in ceteris, quae in lucem prodierunt, quacunque abbreviandi ratione usus sum.

Postremum peto ab lectore, ut, si utilitatem aliquam ex opella mea ceperit, faveat illi libenter; sin vero offenderit uspiam, id inter humana numeret, et aequo animo ferat.

Scribebam Isenaci, Calend. April. a. c. MDCCCXX.

F. C. G Perlet,
Gymnasii Isenacensis Professor.

# PUBL. TERENTII VITA.

AUCTORE SUETONIO TRANQUILLO, AUT, UT ALIIS VIDETUR, AELIO DONATO.

Publius Terentius Afer, Carthagine natus, servivit Romae Terentio Lucano Senatori: a quo ob ingenium et formam non institutus modo liberaliter, sed et mature manumissus. Quidam captum esse existimant, quod fieri nullo modo potuisse, Fenestella [*] docet: quum in fine secundi belli Punici, et ante initium tertii natus sit, et mortuus: nec, si a Numidis aut Getulis captus sit, ad ducem Romanum pervenire potuisset, nullo commercio inter Italicos et Afros, nisi post deletam Carthaginem, coepto. Hic cum multis nobilibus familiariter vixit, sed maxime cum Scipione et cum Laelio, quibus etiam corporis gratia conciliatus existimatur: quod et ipsum Fenestella arguit: contendens utroque maiorem natu fuisse, quamvis Cornelius Nepos aequales omnes fuisse *tradat*, et Porcius suspicionem de consuetudine per haec faciat:

Dum lasciviam nobilium et fucosas laudes petit;
Dum Africani vocem divinam inhiat avidis auribus;
Dum ad Furium se coenitare, et Laelium pulchrum putat;

[*] Al. leg. *inter finem.*

Dum se amari ab hisce credit, crebro in Albanum rapi,
Ob florem aetatis suae; ad summam inopiam redactus est.
Itaque e conspectu omnium abiit Graeciam in terram ultimam.
Mortuus est in Stymphalo Arcadiae oppido. nil Publius
Scipio profuit, nihil ei Laelius, nil Furius,
Tres per idem tempus qui agitabant nobiles facillime,
Eorum ille opera ne domum quidem habuit conductitiam,
Saltem ut esset, quo referret obitum domini servulus."

Scripsit comoedias sex: ex quibus primam *Andriam*, cum Aedilibus daret, iussus ante Caecilio recitare. Ad coenantem cum venisset, dictus est initium quidem Fabulae, quod erat contemtiore vestitu, subsellio juxta lectulum residens, legisse, post paucos vero versus, invitatus ut accumberet, coenasse una, deinde cetera percurrisse non sine magna Caecilii admiratione. Et hanc autem, et quinque reliquas aequaliter populo probavit. Quamvis Volcatius de enumeratione omnium scribat:

„Sumetur *Hecyra* sexta ex his fabula."

*Eunuchus* quidem bis acta est, meruitque pretium, quantum nulla antea cuiusquam comoedia, id est, octo millia nummûm: propterea summa quoque titulo *) adscribitur. „Nam *Adelphorum* principium Varro etiam praefert principio Menandri. Non obscura fama est, adiutum Terentium in scriptis a Laelio et Scipione, quibuscum familiariter vixit. Eandem ipse auxit; nunquam enim nisi leviter, se tutari conatur, ut in Prologo Adelphorum:

„Nam quod isti dicunt malevoli, homines nobiles,
Hunc adiutare, assidueque una scribere:

---

*) Not. Lindenbr. „*Titulus* h. l. Didascalium significat. Ergo ut hodie editur (cf. Didascal. Eunuchi) mutila est."

Quod illi maledictum vehemens existimant,
Eam laudem hic ducit maximam, cum illis placet,
Qui vobis universis, et populo placent:
Quorum opera in bello, in otio, in negotio,
Suo quisque usus est sine superbia.“

Videtur autem se levius defendisse, quia sciebat, Laelio et Scipioni non ingratam esse hanc opinionem: quae tamen magis et usque ad posteriora tempora valuit. Q. Memmius in Oratione pro se ait: P. Africanus, quia a Terentio personam mutuatus, quae domi luserat ipse, nomine illius in scenam detulit. Nepos auctore certo comperisse se ait, C. Laelium quondam in Puteolano Kalend. Martiis admonitum ab uxore, temporius ut discumberet, petiisse ab ea, ne interpellaretur: serius tandem*) ingressum triclinium, dixisse non saepe in scribendo magis successisse sibi, deinde rogatum, ut scripta illa proferret, pronunciasse versus, qui sunt in *Heautontimorumeno*:

„*Satis pol proterve me Syri promissa huc induxerunt.*

Santra Terentium existimat, si modo in scribendo adjutoribus indiguerit, non tam Scipione et Laelio uti potuisse, qui tunc adulescentuli fuere, quam C. Sulpicio Gallo, homine docto, et qui Consularibus Ludis initium fecerit fabularum dandarum: vel Q. Fabio Labeone, et M. Popillio, Consulari utroque ac poeta: ideo ipsum non juvenes designasse, qui se adjuvisse dicerentur, sed viros, quorum operam et in bello et in otio, et in negotio populus sit expertus. Post editas comoedias nondum quintum atque trigesimum egressus annum, causa evitandae opinionis, quia videbatur aliena pro suis edere, seu percipiendi Graecorum instituta moresque, quos perinde exprimeret in scriptis, egressus urbe est, neque amplius rediit. De morte ejus Volcatius tradit:

---

*) Al. *tamen.*

Sed ut Afer sex populo edidit comoedias,
Iter hinc in Asiam fecit: navim cum semel
Conscendit, visus nunquam est. Sic vita vacat.“

Q. Consetius *) redeuntem e Graecia periisse in mari dicit, cum centum et octo fabulis conversis e Menandro. Ceteri mortuum esse in Arcadiae Stymphalo, sive Leucadia, tradunt: Cn. Cornelio Dolabella, M. Fulvio Nobiliore Coss. morbo implicitum acri, dolore ac taedio amissarum fabularum, quas in navi praemiserat, ac simul fabularum, quas novas fecerat. Fuisse dicitur mediocri statura, gracili corpore, colore fusco. Reliquit filiam, quae post equiti Romano nupsit. Item hortulos XX jugerum, via Appia ad Martis villam. Quo magis miror, Porcium scribere:

nil Publius
Scipio profuit, nihil ei Laelius, nihil Furius,
Tres per idem tempus qui agitabant nobiles faciliime.
Eorum ille opera ne domum quidem habuit conducticiam
Saltem ut esset, quo referret obitum domini servulus.“

Hunc Afranius quidem omnibus Comicis praefert, scribens in Compitalibus:

„Terentio non similem dices quempiam.“

Volcatius autem non solum Naevio, et Plauto et Caecilio, sed Licinio quoque postponit. Cicero in Libone hactenus laudat:

Tu quoque qui solus lecto sermone, *Terenti*,
Conversum expressumque Latina voce *Menandrum*
In medio populi sedatis vocibus effers.
Quicquid come loquens, ac omnia dulcia dicens.“

Item C. Caesar:

Tu quoque, tu in summis, o dimidiate *Menander*

---

*) Al. *Cosconius*.

Poneris, et merito, puri sermonis amator.
Lenibus atque utinam scriptis adjuncta foret vis
Comica! ut aequato virtus polleret honore
Cum Gracis, neque in hac despectus parte jaceres!
Unum hoc maceror, et doleo tibi deesse, Terenti."

Haec Suetonius Tranquillus. Nam duos Terentios poetas fuisse scribit Metius: quorum alter Fregellanus fuerit Terentius Libo, alter Libertinus Terentius Afer patria, de quo nunc loquimur. Scipionis fabulas edidisse Terentium, Valgius in Actaeone ait:

Hae quae vocantur fabulae cujus sunt?
Non has, qui jura populis recensens dabat
Honore summo affectus, fecit fabulas?"

Duae ab Appollodoro translatae esse dicuntur comico, Phormio et Hecyra, quatuor reliquae a Menandro: ex quibus magno successu et pretio stetit Eunuchus. Hecyra saepe exclusa, vix acta est.

# NOTITIAE ANTIQUARIAE

## APUD WESTERHOVIUM ALIOSQUE PASSIM EXCERPTAE.

Inter omnia primum notamus de fabula seu comoedia.

§. 1. „*Fabulae* generale nomen est, tragoediam satyram et comoediam in se complectens. Estque fabula, narratio quaedam conficta, et demissiore plerumque stilo ac versibus conscripta ad oblectationem auditorum. Atque hujusmodi esse putemus Fabulam seu Comoediam Terentii. Talem autem Graeci definiunt ita: *κωμῳδὶα ἐστὶν ἰδιωτικῶν, καὶ πολιτικῶν πραγμάτων ἀκίνδυνος περιοχὴ.* Comoediam esse, Cicero ait, imitationem vitae, speculum consuetudinis, imaginem veritatis. Comoediae vero sunt a more antiquo dictae: quia in vicis hujusmodi carmina initio agebantur apud Graecos: ut in Italia Compitalitiis ludicris, admisto pronuntiationis modulo, quo, dum actus commutantur, populus detinebatur. Aut *ἀπο τῶν κωμῶν*, h. e. ab actu vitae hominum, qui in vicis habitabant, ob mediocritatem fortunarum: non in aulis regiis, ut sunt personae tragicae." Lindenbr.

§. 2. His alia a We. quidem notata adjicio. „Nomen, inquit, *comoedia* habet vel a Como, Deo comessationis, vel ab eo, quod primum Athenienses per vicos adhuc dispersi ex omnibus locis laeti alacresque conveniebant, ibique rudibus et incultis versibus potentiorum aliorumque item hominum vitia nominatim perstringebant. Nomen autem compositum *ἀπὸ τοῦ κωρ-*

*ψάζειν καὶ ἄδειν.*" Porro notat haec: Graeci distinguebant tria genera ac tres aetates *comoediae*, veteris, mediae atque novae. Inter priores fere, quod etiam est animadvertendum, referuntur Menandri fabulae et Aristophanis. Vellej. p. I, 17. Multarum vero deperditarum partim nomina tantum, partim fragmenta Athenaeus servavit, Deipnosophist. lib. 15. Si novum genus comoediae, ad quod Terentii pertinet, a Donato dividitur in quatuor partes, prologum, protasin, epitasin et castastrophen. Prologus gr. *πρόλογος* quid sit, vid. Andr. Prol. 5.

*Πρότασις* est primus actus fabulae, in quo pars argumenti explicatur, pars reticetur, ad populi exspectationem tenendam. *Ἐπίτασις* incrementum est processusque turbarum et involutio argumenti, cujus elegantia connectitur. *Καταστροφὴ* est explicatio fabulae, per quam eventus ejus explicatur atque approbatur." Haec We. Plura vid. ap. Lindbr. His ego haud dissonum putarim adjiciendum, quod *oeconomiae* nomine solet comprehendi. Haec enim in rebus praecipue aut agendis aut moderandis, in temporib. locis personisq. bene inter se divisis maxime consistit. Quod quidem Terentius ita comparavit composuitq. ut omne, quod geratur, suo quodque tempori personaeque aptum, ac veluti ex se natum, non arte laboratum videatur evenire.

§. 3. At enim quo melius et commodius *comoediae*, tragoediae, aut omnino quicunque essent ludi, spectarentur, instituta sunt ab antiquis, quae *theatra* vocabantur, a commode videndo ac prospiciendo sic appellata. Theatra autem erant aedificia, vel apparatus in populi gratiam instructi, ad hemicycli speciem, ad spectandos ludos, unde spectacula latine possumus dicere. Ita enim compositum fuit antiquis theatrum, ut eo conveniens et commode sedens turba e longinquo facile spectare posset, concavo aequalique parietum circumjectu, ut vel leni sono dicta verba ad alterum theatri latus ferrentur facilius. Postea vero excogitatum est

theatrum in rotundam formam exstructum, alio multo excellentius atque capacius, magisque sumtuosum: quod quia veluti ex duobus constaret theatris, rotundamque figuram, non jam amplius hemicyclum referret, ob id *amphitheatrum* dictum est, quale est, quod hodie Romae videtur, aliquando ab Antonino Pio aedificatum et a Gothis devastatum, (Collisaeum vulgus vocat) quod potissimum ad alia spectacula, vulgo proponenda, factum atque inventum fuit; nam ad scenicos ludos prospiciendos magis idoneum erat theatrum, ob quos praecipue inventum fuisse credibile est. Unde facile conjecerim, Terentium, quo tempore primum proposuit suam Hecyram, egisse in amphitheatro, scena per medium ipsius exstructa, et ad unum tantum hemicyclum spectante: nam ab utroque amphitheatri semicirculo spectari non poterant comoediae; quo factum, ut in aliud latus vacuum alia spectacula confestim proponerentur, veluti pugiles, *funambuli*, et hujusmodi cetera: populus ante absolutam comoediam illuc concurrerit, ad loca commodiora occupanda, quemadmodum ipse Poeta conqueritur, neque propter strepitum, et mulierum de loco pugnantium clamorem absolvi potuerit.“ Westerh.

Propter magnitudinem theatri et multitudinem hominum, qua erat illud repletum, *vasa aenea* collocata fuerunt, ita fabricata, ut nullum parietem tangerent. Quo fiebat, ut sonum his repercussum etiam qui longius abessent, satis perciperent auribus. Atque inde magnitudine spatii superata, vox actorum non minus clara auditoribus quam grata reddita est.

§. 4. Ante theatrum, ceu frons quaedam ipsius, *scena* opposita fuit, pro re nata et agenda comoedia aut tragoedia exstructa: uno aut altero tantum die usui futura, nisi fortasse ligneus apparatus in aliquot dies perferretur. Scenarum autem, ait Vitruvius, genera sunt tria, unum quod dicitur tragicum, atque id omnium sumtuosissimum fuit, alterum *comicum*, tertium satyricum. Horum tamen ornatus sunt inter se dissimiles, dispari-

que ratione. Nam scenae tragicae deformantur columnis, fastigiis et signis, reliquisque regalibus rebus; *comico* autem adificiorum privatorum et menianorum habent speciem, prospectusque fenestris dispositos, ad imitationem communium aedificiorum; Satyricae denique ornantur arboribus, speluncis, montibus, reliquisque agrestibus rebus in topiarii operis speciem deformatis. Haec Westerhovius: Sed alio loco idem. „In vicis, ut antiquorum reminiscamur, si fiebat scena, arboribus in se cubantibus ac reflexis componebatur: quasi concamerata quaedam densatio, ut supter positos (actores) tegere posset, unde ab inumbratione dicta. Spectant huc, quae Iuvenalis Sat. lib. 1. dicit, de *herboso theatro*. In theatro autem fiebat scena camerato contextu binis pluribusque contignationibus exstructa. Picta erat undique, suas domunculas habuit, in quas pro ratione actuum alternatim se conferebant actores: Etiam duas *aras* utrinque habebat: dextram Liberi patris, sinistram ejus Dei, in cuius honorem ludi fiebant. Unde illud: *ex ara hinc sume verbenas*. Hic scenae apparatus in theatro.

§. 5. Praeter haec et *scenam* vocant Comici, quicquid duae aut tres personae sermonis integri et absoluti colloquuntur; illicque finit scena, ubi aut aliqua persona introgreditur, aut alia ad forum, aut alia ad vicinam decurrit.

§. 6. Sed plures scenae in uno *actu* continentur. Estque in comoedia actus pars quodammodo absoluta et integra, nondum tamen rem omnem finiens, qui sufficit, ut tam actores quam spectatores respirent; id quod actus mutare dicebant. Interea mimi dicteria et diverbia referebant, et sic quaecunque alia ad oblectationem populi confabulabantur atque miscebant. In comoedia vero plures erant huiusmodi actus, secundum rei gravitatem aut rationem. Comoediarum autem recitatio in scena *actio* dicebatur, unde etiam qui agebant et fabulas pronuntiabant, actores dicti.

§. 7. Transeamus ad *personas*, a quibus interloquentibus singulae scenae agantur. Homines illae quidem sunt, histrionum nomine vel actorum noti, sed proprie etiam larvae ita dicuntur, quas suae quisque faciei praefigebant. Inde tali qui sibi praefixa persona utebatur, *personatus* dictus est; Cic. de Or. 3, 59. Sueton. Nor. 21. Aut ut Lucianum sequar de saltatione cap. 27. dicentem: ἠσκημένος ἄνθρωπος πρόςωπον ὑπὲρ κεφαλῆς ἀνατεινόμενον ἐπι — Add. κείμενος etc. h. e. excultus homo personam impositam gerens, quae ultra caput emineat, et os latissimum hians etc. Vid. Boettig *de personis comicis.* Addo hoc quoque memorandum, personatos *histriones* comoediam agere neque ipsos agnosci. Sed ita compositae et instructae erant personae, ut referrent id ipsum, quod ab histrione vel mimo agebatur, liceretque sub ipsis vocem ejus audire liberam. Quod materiam attinet, e ligno vel cortice personas esse concavatas liquet ex Polluc. 4, iis

§ 8. Nec praetereunda sunt *aulaea*, quae dicuntur apud Romanos. Aulaea enim in scena olim sternebantur, cum primum pictus ille ornatus ex Attalica regia Romam perlatus fuit, velabaturque ipsa scena sipariis, quae posterior aetas proaulaeis sumsit, ut etiam siparia humi sterneret. Erat praeterea *velum* minutum, quod populo obsistebat in scena, dum actus commutabantur. Vid. Zeune in Edit. Terent.

§. 9. De *amictu* histrionum scenicorum alii alia tradiderunt. Nam cum, quae de hac re auctoribus antiquis debeamus, nec certa satis sint, nec larga suppeditentur, a Westerhovio notata transscripsi, quae mihi quidem viderentur veriora. *Senibus* comicis, inquit, candidus vestitus dabatur, qui etiam antiquissimus fuisse dicitur.

*Adolescentes discolori* veste contegebantur.

*Servi* comici amictu vestiebantur *exiguo*, paupertatis antiquae gratia, vel quo expeditius agerent.

*Parasiti* cum *intortis palliis* prodibant.

*Puellae* habitus erat peregrinus.

*Milites chlamide* purpurea utebantur. „Sed hic notare licet, quod praeteriit ille, non gregarios milites purpurea significari indutos, siquidem Thraso tantum, in Eunucho, quippe qui ordine praestaret ac divitiis, purpurea chlamide uti posset.

*Leno* pallio *varii* coloris vestiebatur.

*Meretricibus* dabantur *syrmata*, hoc est, vestes expansae et quae longius trahebantur. Quamquam pro certo habetur, feminas ap. vett. theatro plane prohiberi. His vero si opus esset, personae feminarum maribus ad id doctis solebant demandari agendae. Add. Andr. IV., 3. Do. Ceterum si quando variandum in comoediis erat, vestitusque commutandus pro affetcibus, quos ex comoediae actibus significabant, *laetis* vestitus drbatur candidus, *aerumnosis absoletus*, *diviti purpureus*, phoeniceus pauperi, luteus denique ob avaritiam meretrici.

§. 10. Comici actores, aut comoedi in scenis *soccis* utebantur: quod calceamenti genus optime sub pallio conveniebat. Quemadmodum enim pauperum ac rusticorum vestimentum fuit pallium, ita etiam soccus altum fuit calceamentum rusticis proprium, propter imbres et lutum atque hibernas ruinas. Comoediam autem, quum esset humilis et rusticos proponeret in scena, palliis et soccis commodius erat ornari. Contra tragicos actores cothurnis incedere constat.

§. 11. Nec vero id omittendum est, comoedias Latinas a toga Romanorum *togatas* esse dictas, Graecas vero a pallio Graecorum *palliatas*. Quod quidem dilucidius patet ex Ioan. Lydi loco, quem debeo Osanno hunc: *Ἡμέντοι κωμῳδία τέμνωται εἰς ἑπτά, εἰς παλλιάταν, τογάταν* etc. *καὶ παλλιάτα μέν ἐστιν ἡ Ἑλληνικὴν ὑπόθεσιν ἔχουσα κωμῳδία, τογάτα δὲ ἡ Ῥωμοϊκὴν ἀρχαίαν.* Etsi verum est, Terentianam, mores Graecorum maxime ex-

primentem, magis palliatam, quam togatam dici posse comoediam.

§. 12. His omnibus etiam hoc addo, appellari comoedias aut motorias, aut statarias, aut mistas: motorias scilicet turbulentas, statarias quietiores, mistas denique ex utroq. genere compositas.

# DE METRIS TERENTIANIS.

## DUCE PRAESERTIM BENTLEIO.

§. 1. Iambicus versus senorum pedum Latinis veteribus *senarius* vocabatur, a pedum et ictuum numero; v. Horatius A. P. v. 251. seqq. Sex enim secundum illum habet ictus versus senarius; et tamen *trimetrus* sive *ternarius* Graecis vocatur, quasi tres tantum ictus redderet ob pedis celeritatem, praesertim cum totus *jambis* puris decurrit. Latini igitur per *μονοποδίαν*, *singulos* pedes, hos versus dividebant; Graeci per *διποδίαν*, seu *geminatos*. Inde qui Graecis est tetrametrus, Varroni a pedum numero est octonarius. Et omnino jambicum *binis* pedibus scandi, vetus institutum est.

§. 2. *Ictus*, percussio dicitur: quia *tibicen*, dum rhythmum et tempus moderabatur, ter in trimetro, quatuor in tetrametro, solum pede feriebat sic: *In hác habitasse plátea dictum 'st Chrýsidem; et, Animo nunc jam ótioso esse ímpero Ch. hem Davúm tibi.* Ictui consimilis est arsis sic dicta et thesis.

§. 2 *Arsis*, gr. *ἄρσις* sive elevatio appellatur, quod in iisd. Syllabis, quibus tibicen *pedem* accomodabat, actor vocem acuebat ac tollebat. In *thesi* autem, quae graeca est vox *θέσις*, sunt ceterae syllabae, quae ictu destitutae minus idcirco audiuntur! Quam vero modulationem per arsin et thesin esse Mortianus ostendit. Attamen si, quod supra dictum est, senarii versus distinctionem Graecorum respiciamus, ter *ictu* percussum

habebimus eum hoc modo, *Poéta cum primum ánimum ad scribendum áppulit.*

Romani contra senos voluerunt in quoque trimetro esse ictus, qui sic exprimi possint, *Poèta cúm primum ánimum ad scríbendum áppulít.* Sic item in *tetrametris* quaterni Graecis sunt ictus, octoni Romanis. Verum quia in paribus locis, 2, 4, 6, minus plerumque elevantur et feriuntur, quam in imparibus, 1, 3, 5; idcirco hos more Graecorum hic placuit omittere.

§. 4. Ex accentibus Bentlejus sibi notatis docet facile apparere, qui jambicus sit versus, qui trochaicus. Si enim accentus in prima versus syllaba sit, trochaicum esse, sin minus, jambicum. Trochaicos autem Terentius admiserit versibus suis non paucos Verum utrique, exeuntes praesertim, nullo negotio cognoscuntur, jambici ictu in antepenultima posito, ut, *ócius; óbsecro; nón facis:* trochici fines, *crédas, éstis, áddo, èrgo*, penultima acuta.

§. 5. Omne versuum genus suam habet *censuram* sive incisionem, qua verbum terminatur, et vox in decursu paulum interquiescit. Ita fere caesura Romanis placuit, quae in priore tertii pedis syllaba sit, ut in Heroico:

*Arma virumque cano,* | *Trojae qui primus ab oris*
*Italiam fato* | *profugus.* etc.

At non Epici solum poetae, sed etiam Comici hanc caesurae sedem in trimetris servant, ut Noster:

*Ne cúi sit vestrum* | *mírum, cur partés seni*
*Poéta, dederit* | *quáe sunt adolescéntium.*

§. 6. Quinctilianus Instit. Orat. x, r. „In Comoedia, inquit, maxime claudicamus, licet Terentii scripta ad Scipionem Africanum referantur: quae tamen in hoc genere sunt elegantissima, et plus adhuc habiturae gratiae, si intra versus *trimetros* stetissent.“ Quae vero Quinctiliani quasi minus in hac re periti adserta Bentlejus multis disputatis refellit, qui bonum esse arbitratus atque necesse, res varias describendas versuum quo-

que varietate, seu diversa *ἤϑη καὶ πάϑη* diverso carmine adiuvari. „Illud tamen, ait, prius admonendum, Nostrum sicut a *trimetris* suas fabulas, rebus sedatioribus, inchoasse, íta semper tetrametris finivisse, quippe quod fabulae catastrophe, cum res turbulentae paulatim et aegre consilescerent, hoc carminis genus magno spiritu effundendum postularet. Prae omnibus tamen trochaici pleni firmum actoris latus requirebant, qui nunquam scilicet nisi in maximo affectum tumore veniunt."

§. 7. „Porro super hos jambicos trochaicosque etiam *creticis*, bachiacis, choriambicisque versibus, sed semel tantum singulis utitur Terentius, eisque in monodia duntaxat, nunquam in diverbio."

§. 8 Trimetros vero versus jambicos Terentii et Plauti et ceterorum Comicorum et Tragicorum M. Tullius senarios dicit et nominat." Quinctilianus etiam trimetros senarios nominavit. Et. Flavius Caper in artibus suis trimetros versus jambicos Terentii senarios appellavit.

§. 9 De *clausulis* T. Varro L. L. VII. dicit: Clausulas primum appellatas dicunt, quod clauderent sententiam, ut apud Accium, *An hac jam obliti sunt Phryges?* apud Terentium, *Discrucior animi.*" Huic addatur, *Occidi.* Talem habet etiam Virgilius, Aen. X., 728. „Ora cruor." Ceterum de clausulis hoc uno verbo dixisse sufficiat: Si ab eis initium sit; liberae sunt et nullius metri legibus adstrictae: *Si sententiam claudunt*, a praecedentibus legem accipiunt.

§. 10. Nec desunt *catalectici* et *acatalectici* versus, de quibus Priscianum ac Diomed. vide. catalecticus autem versus dicitur, cui syllaba deest, cujusmodi inter alios Eun. II, 2, 56. qui, si Faërno auctore *curset* legatur pro *cursitet*, sit catalecticus. Acatalecticus nominatur versus, cui nihil deest in fine; v. Priscian.

§. 11. „De *licentia* Romanorum, Tragicorum, Comicorumque paulo inclementius loquitur Horatius, A.

P. 255 — 274. Candide magis de iis iudicat Terentianus Maurus:

Culpatur autem versus in tragoediis,
Et rarus intrat ex jambis omnibus:
Ut ille contra, qui secundo et talibus
Spondeon aut quem comparem receperit.
Sed qui pedestres fabulas *socco* premunt,
Ut *quae loquuntur sumta de vita* putes,
Vitiant jambon tractibus spondaïcis,
Et in secundo et ceteris aeque locis:
Fidemque fictis dum procurant fabulis,
In metra peccant, arte, non inscitia:
Ne sint honora verba consuetudinis,
Paulumque rursus a solutis differant.
Magis illa Nostri: nam fere Graecis tenax
Cura est jambi, vel novellis Comicis,
Vel qui vetusta praelucent comoedia."

§. 12 Quod igitur in Graecis et Latinis Flaccus vituperat, et in Comicis excusat Maurus, id Anglus studet, quo facilius teneatur, illustrare: hoc modo Graeci scilicet ad hanc formam in jambicis,

⏑ – ⏑ – ⏑ –
*Vi commodavi | commodavi, commoda* —

Latini ad istam, non semper, sed quotiescunque vellent,

– – – –
Vi commendavi | commendavi | commoda .

§. 13. Ubi nempe illos videbis puris fere jambicis commode progredi, hos vero, spondaico pede inserto, impeditius. Etsi non desunt multa, quibus maxime, si quis sit tardiusculus gradus Latinorum, excusetur. Nam Bentlejum audiamus, qui dicit: „Profecto Terentius noster, si quisquam alius, in artis leges arte peccavit; studio, non ignorantia, necessitate vel saltem commoditate inductus, et, qualecunque illud delicti est, magnis virtutibus redemturus.

§. 14. Sermo enim ea de caussa propius apud No-

strum ad consuetudinem accedit, quam apud Menandrum. Oratio apud unum de medio sumta deque vita honestiorum civium; versus minime cavi, sed verbis sensibusque spissi: apud alterum, dum metro servire coactus est, stilus paulo elatior, et sententiae dilatiores. Adde huc, consonantes in lingua Latina pro vocalium numero frequentiores esse, quam in Attica: adde omnia apud Latinos vocabula, monosyllabis duntaxat exceptis, esse barytona; „ita ut nullum vocabulum latinum, praeter monosyllaba, habeat in ultima syllaba accentum. Inde minoris esse facile judices operae atque artis, ad Menandri normam graece scribere, quam latine ad Terentii.“ Haec autem disserenti Bentlejo Rufinum adiunxerim, qui eadem de re dicit: Veteres, usi ipsi quoque metris negligentius jambici versus duntaxat in secundo et quarto loco; tamen a Terentio vincuntur resolutione hujus metri, quantum potest, comminuti ad imaginem prosae orationis.“

§. 15. Praeterea notandum est, ut a Graecis Comicis descivisse Latinos, pro brevibus syllabis tardas infulciendo, ita eosdem vitio prorsus contrario peccasse, corripiendo scilicet ejusmodi syllabas, quae in Latino sermone sint longae. Priorem syllabam in *ille* et *esse* constanter producebant Epici, Noster interdum corripit, saepius producit. *Propter* apud Epicos semper priore longa est; Noster semel corripit, And. II, 6, 8; contra ibid. v. 17. iterum producit. „Eadem reliquorum ratio est, quibus venia quidem, praesertim hodie, lingua jamdudum emortua, facile conceditur: nisi culpam quis defendendo fecerit majorem.“ His ego addo Rufinum, de metris Terentii ac Pluati ceterorumque comicorum dicentem sic: Quantum autem ad versum comicum spectat — scio plurimos affirmare, Terentianas vel maxime fabulas metrum ad disciplinam graecarum comoediarum non custodisse, id est, quas Menander, Philemo, Diphilus et ceteri ediderunt.

§. 16. Etiam videbimus, quid de *crasi* censendum,

qua duae vocales, quarum una brevis, in unam contrahuntur: ut *diu, deum, deorum, meum, meorum etc.* Haec et si qua alia hujusmodi, jure, quoties vellent, contrahebant Comici; quod idem Epicis jus erat. Durius quidem Nostratibus sonant *hujus*, *cujus*, *ejus*, *novo*, *levi* in unam syllabam contracta.

§ 17. Vix inter licentias numeres, cum Comicis finale in syllaba brevi, sequente tamen consonante, nonnunquam abjiciunt, ut *tristi'*, *famelicu'*; siquidem idem facit passim Lucretius. Similiter Catullus in epico carm. CXV. lit. s ex v. *dabis* absorbere jubet pronuntiantem. Saepissime ab *est* vocalis resecatur, ut *consimilist, palamst* pro consimili est, palam est.

§. 18. „Quin et ubi *synaloephae* vis cessat, et vel vocalis quaepiam vel, m, finales non eliduntur, altera vocali eas excipiente, ne hoc quidem in licentiis ponas: qualia plura apud Nostrum: *Omnes qúi amant, Mé et aetate, Quáe erat mortua Dúm id efficias Quicum uno rém habebam.* Hoc modo et Epici, Lucretius, Virgilius, Horatius in hexametris.

In his autem aliisque similibus observandum est, nunquam hoc fieri, nisi in verbo monosyllabo, quod verbum si in vocalem exit, oportet syllaba esse longa.

§. 19. Maxime vero id Latinis Comicis, qui fabulas suas populo placere cuperent, ante omnia cavendum erat, ne contra linguae genium ictus seu *accentus* in quoque versu syllabas verborum ultimas occuparent. Id in omni metro, quoad licuit, observatur, ut in his,

A'rma virúmque cáno, Trojáe qui prímus ab óris
Itáliam fáto prófugus Lavínaque vénit
Lítora etc.

Qui perite et modulate hos versus leget, hic eos, ut hic accentibus notantur, pronuntiabit; non, ut pueri in scholis, ad singulorum pedum initia, I tali | ám fa | tó profu | gús La | vínaque | vénit. Recordemur autem et Priscianum ita scandere versum, ut Anglus pueros solere redarguit. Sed grammaticus

ille de metro agit, hic de accentu, quem ultimae syllabae latine nullum esse recte monet.

§. 20. Priscianus de versibus comicis narrat, *fuisse quosdam qui abnegarent, ulla esse in Terentii Comoediis metra; vel ea, quasi arcana quaedam et ab omnibus doctis semota, sibi solis esse cognita confirmarent. Idem paulo post omnes quidem Comicos, crebris synaloephis et episynaloephis et collisionibus et abjectionibus s literae, fuisse usos scandendo versus suos, Terentium autem plus omnibus.* „Verum profecto hoc est, et caussa unica, cur magistelli isti vel negarent metra esse apud Nostrum, vel ut arcana quaedam venditarent. Quod vero hic queritur et criminatur magnus Grammaticus, non vitium est, sed virtus Terentii prima: qui synaloephas illas data opera consectatus est, quo syllabae ultimae liquescerent coalescerentque cum sequentibus, eoque vetiti ac vitiosi in ultimis ictus artificiose effugerentur." Haec eadem fuit Erasmi metrum Terentianum curantis sententia. Atque Rufinus comminutum esse opinatur metrum Terentii ad imaginem prosae orationis. En vero haec Bentleji in perscrutanda Terentiana metrica et comica arte sane expertissimi atque ingeniosissimi viri iudicia, quae hactenus in arctum coacta sumus prosecuti.

§. 21. Praeterea, quod equidem adjungo, verisimile est, metro usum esse Terentium ad sermonem quotidianum ac diverbia variorum hominum ac rerum accomodato. Proinde Priscianus sic ait: Terentius trochaico mixto vel confuso cum jambico utitur in sermone personarum, quibus maxime imperitior hic convenit, quem puto, ut imitetur hanc confusionem rhythmorum, facere. Sunt autem trimetri ac plus minusque et habent penultimam versus syllabam in quibusdam longam et in quibusdam brevem, ut in Andria,

⏑ – – – – ⏑ – ⏑ – –
„Adhuc Archillis quae assolent, quáeque oportent
– – – ⏑ – – – ⏑ ⏑ ⏑
Signa esse ad salutem omnia huic esse video."

v. Priscian. de. metr. comic.

§. 22. Nec omittendum est, quod Schmiederus ausus est affirmare, Terentii Editiones antiquissimas e codicibus absque versuum distinctione in lucem prodiisse, ab anno demum 1487. versibus distinctas, quorum dimetiendorum Angelus Politianus primus periculum fecisse dicatur. Postea deinceps de metris Terentianis aliorum hominum doctorum, quos non otium est nominare, alia ac diversa iudicia innotuerunt.

§. 23. Quod vero metrum attinet observandum alicuius poetae, aures Romanorum difficiles satis fuisse, Cicero testatur dicens: „In versu quidem theatra tota exclamant, si fuerit una syllaba brevior aut longior." Orat. §. 173.

§. 24. Veruntamen Terentio nostro suam metri licentiam minus difficile ab iisdem theatris esse condonatam, id ex causis supra dictis palam fieri videtur. Sed his adiicere liceat, quae Rufinus monet. „Nostri enim, inquit, in modulandis rhythmis seu metris, veteris comoediae scriptores sequi maluerunt, id est, Eupolim, Cratinum, Aristophanem. Prologos itaque et primarum scenarum actus trimetris comprehenderunt: deinde longissimos, id est, tetrametros subdiderunt, qui appellantur *quadrati:* postea in sequentibus variaverunt: modo enim trimetros, modo addito quadrante vel semisse posuerunt, id est, semipede adiecto, vel integro pede jambo vel sesquipede. Haec per medios actus, varie rursus in exitu fabularum quadratos, duales diximus, in secunda scena locaverunt. Sed iidem quod rati legitimi, cum 16. syllabis, iuxta ius proprium constare debeant, plerumque inveniuntur 20 aut amplius syllabarum. Hinc existimantur metrum non tenuisse, nec sua lege composuisse." Haec usque de metris Terentianis.

Prima aetas, qua coeptus est edi Terentius, ab an. 1469 usque ad 1500 archetypa sive Editiones primarias exhibet, quae pares codicibus scriptis merito habentur. Sed ante Editiones notandas commentatores antiquiorum temporum praemittimus, Ael. Donatum grammaticum eruditissimum ingeniosissimumque, Hieronymi praeceptorem; Eugraphium, qui circa a. Chr. 998 vixit; Sulpic. Apollinarem, periocharum in Terentii fabulas auctorem, et Io. Calphurnium Brixiensem, cujus commentarium in Terent. Heautontim. pro Donati desiderato magnifaciamus. Editio prima est incerti anni cum commentario Donati. Quae vero creditur quidem esse anni 1469, sed nota haec anni impressa sit, an manu adscripta non constat. Hanc ipsam tamen Editionem Westerhovius saepissime laudat.

De anno 1470 Ed. Mediolan. I cum Donato in Ter. per Ant. Zarotum, impendio Io. Legnani. fol.

1471. Veneta I. per Io. de Coloina.

1472. Romae Donati comment. sine textu.

1476. Mediolan. Petrarchae, c. vita Terentii.

Aetas II. anno 1500 — 1532 ectyparum, quae praesertim nobis sunt Ascensianae, Iuntinae, Aldinae, R. Stephani et Gryphianae.

An. 1500. Parisina I cum nott. Iod. Badii Ascensii fol.

1503. Paris. Ascens. II. 4.

— — Argentoratensis 4.

1504. Paris. Ascensii, III. 4.

1505. Iuntina I. Florent. 8.

1509. Iunt. II. Florent. 8.

1517. Aldina I. in aedibus Aldi, Venet. 8.

1519. Rob. Stephani I. Paris. fol.

1529. R. Steph: II. Paris. c. Do. et Calph. com. fol.

1532. Lugdun. Gryphii c. schol. Melanchth. 8.

Haec aetas, quam Bipontini memorant 46. Editiones prodidisse, commentatoribus fuit foecundior.

Aetas tertia ann. 1532 — 1565, quam criticae nascentis dicere possumus, ab Erasmo elucet, duce criticorum, qui metrum quoque Terentii curavit. Eum secuti sunt Io. Rivius, R. Stephanus, Ant. Goveanus, Glareanus, Georg. et Franc. Fabricii, I. C. Scaliger, I. Fabrius, P. Antesignanus et inter omnes, multa ausus qui maxime consuluit Terentio, M. Ant. Muretus.

1532. Basiliensis Frobeniana, ex recens. Erasmi, c. schol. ex Don. Aspero et Cornuto, fol. Editio hujus aetatis princeps.

1533. Paris. Robert. Steph. sine comm. 8.

1534. Colon. c. nott. Erasmi Roterod. Io. Rivii, Petr. Bembi, P. Marsi, Ph. Melancht. Chr. Hegendorphini, P. Mallati et Barth. Latomi. 8.

1536. Paris. R. Steph. fol. In marg. metra passim offendi notata. Etymologice singula verba singulari studio explicantur.

1538. Ed. ex Erasmica principe (1532) repetita; Bas. Froben. fol.

Eod. an. R. Steph. Paris. Andria. 4.

— — — ibid. Eunuch. et Adelph. 4.

1539. ibid. Phormio et Hecyra. 4.

1541. Terent. ab Ant. Goveano integritati suae restitutus, Lugd. ap. Gryph. 4.

1543. Veneta, Henr. Loritii Glareani iudicio illustrata, ap. Mich. Sessam. 8.

1548. Basil. c. comm. Don. Calph. Erasm. Melancht. Fr. Fabricii, Marcodurani et Theod. Pulmanni. 8.

1555. Aldina (Mureti I) cura M. A. Mureti, ap. P. Manutium, Venet. 8.

1556. Pet. Antesignani, Lugdun. 8. Duae eiusd. secutae sunt 1560. 4. Editiones hujus aetatis notae sunt 74.

Aetas IV. criticae artis, Gabriel Faërno duce excultior, ab an. circiter 1565 usque ad 1615. Post Faernum Scaliger, Riccius, Colerus, praesertim Lindenbrog. de Nostro bene meriti sunt.

Faërnus usus est aliquot bonae notae codicibus, inter quos vetustissimo illo Petri Bembi a Politiano tractato, dein a Fulvio Ursino pluris auro aestimato, quem is postea bibliothecae Vatic. legavit. Notatus est sexcenties hic codex a nobis in notis criticis sub nomine libri Bembini.

1565. Faërnianam Editionem post mortem auctoris P. Victorius absolvit. In qua vero Editione sua componenda Faërnus usus erat codice antiquo, unde tamen frequenter discessit. Atque hunc codicem ego quidem, quotiescunque opus esset, nomine libri antiqui notatum citavi. Id quod certe praemonitum volueram; ne quis notantem ita me ignoraret.

1567. Bas. auctore anonymo; qua ipse usus sum subsidiis munita satis atque referta.

1572. Faërni, Iuntina II. Florent 8 e. prima 1565. repetita.

1587. Iuntina III. Florent. ex emend. Faërni et Ed. Victor. Faërniana IV.

1590. Aldina (septima) Mureti. Ven. 8.

1602. Fr. Lindenbruchii Ter. Com. c. Ael. Donati et Eugraphii vett. schol. integr. comm. ad mss. codd. recensitis, additis propriis et Gab. Faërni etc. Paris. 4.

Aetas haec tulit 69. Editt. quas novimus.

Aetas V. ann. 1615. — 1700 studii firmionis auctorem habuit Dan. Heinsium, qui textum Terentii tam acuto ingenio exploravit atque digessit, ut Faërniano fere praeferretur. Hac aetate eminent quoque Pareus et Boeclerus summa ingenii cura Poetam amplectentes. His adiungo Franc. Guyetum, qui tamen praecidendo resecandoque plusculos vel integros versus satis comminutum sibi fecit Terentium. Etiam Gallus alter, Tanaq. Faber, eadem fere usus est libertate in illum. Quamquam non infitiandum est, ambos eundem magna sua opera illustrasse. At plus illis profuit Terentio Fabri filia, Anna Daciera, et versione sua et notulis ad-

spersis. Quae mulier etsi nonnunquam doctrina et acumine ingenii viris praestaret, tamen non semper adyta poetae penetravit. Praeter illos alii fuerunt, qui in alienis collectis gloriam invenisse sibi putarent, alii contra, inter quos Farnabius, Casaubonus, Minellius, suis animadversionibus iuventuti pro virili parte consuluere.

1615. Dan. Heinsii I. prodiit. Lugd. B. 12. Praemissa est dissertat. de Plauto et Terentio.

1618. Heins. II. Amstel. 12. Editio perrara.

1619. Phil. Parei I. Neap. Nemet. 4.

Eod. an. Heins. III. Amst. 12.

1623. Fr. Lindenbruchii altera auctior et emendatior.

1635. Lugd. B. Heinsiana, typis Elzevir. 12.

Th. Farnabii Editt. deinceps secutae sunt 1651. Lond. et Amst. 12.

1658. Amst. ap. Ians. 12. 1661. Amst. c. n. Heinsii. 12.

1662. ibid. 1669. ibid. ex recens. Heinsiana. 12.

1657. Argentor. I. II. Boecleri c. ann. et Chrestomath. Ter.

1670. Minelliana Roterod. 12. Ead. 1672. 1680. 1690. 1699. repetita.

Aetas haec 70 Editiones tulit.

Aetas VI. a. 1701 — 1767. Per hanc aetatem tres ex Anglis, Iohn Leng, Franc. Hare et Rich. Bentleius Terentii lectionem post Faërnum emendandam suscepere. Sed priores duos Bentleius critica arte antecessit. Quartum se adiunxit Arn. Henr. Westerhovius, Batavus, Perizonii discipulus, qui quamvis multos codd. mss. ac praestantissimos contulisset, minus tamen ingenio suo, quam apparatu interpretum congesto fisus est. Metra partim veluti vana derisit, partim neglexit. Omnino autem, dum literis Terentii non pauca extraneorum ingenia operam darent egregiam, sane poenitet fateri, Germanos quasi propria Minerva destitutos hoc satis habuisse, Minellii Editiones, id quod in lu-

dicrum proverbium vulgaretur, ad modum Minellii, repetere, repetitas germanicis notulis effarcire atque complere.

1701. Catabrig. curante Iohn Leng. c. var. lect. typis maioribus Acad. fol. min.

1724. Amst. c. vers. et notis Dacieriae ap. R. et G. Wetsten. 3. voll. 8. Edit. praestans.

1726. Rich. Bentleii, qui innumeris locis mutavit textum, adiecit emendationes Faërni, una cum Phaedr. fabulis et P. Syri aliorumque vett. sententiis, Cantabr. et Lond. 4. Metris Terentianis lucem attulit.

Eodem an. Arn. Henr. Westerhovii cum commentariis Donati, Eugraphii et Calphurnii, ipsiusque commentario suo perpetuo. Additae sunt observatt. Fr. Lindenbruch. in Ter. et Do. etiam indices locupletissimi. Hag. Comit. 4. Splendida Edit. et copiosissima.

1727. Amstel. Bentleii altera, denuo recensita, indice ampl. rer. et verbb. tam in text. quam in notas aucta, cur. Westerhov. 4. ap. Wetsten. Quas utrasq. Editt. sedulo adhibui in consilium.

1738. Lips. ad modum Minellii. 12.

1762. Francof. c. n. germ. Sinceri. 8. Haec quoque non parum mihi profuit.

1767. Rom. ex recens. Heinsii, collata ad antiquiss. codd. mss. Vatic. Car. Coquelin. 2 tom. fol. Edit. cara.

Aetas VII. 1767 — 1781. Ab hac novissima demum aetate infit Germanorum studium doctrinae ejusque externae coacervandae prius, dein domesticae colendae.

1774. Lips. ex recens. Lindenbr. c. ejusd. mss. lectt. et obss. atque Do. Eugraph. et Calph. comm. integris. Accedunt Bentleji ac Faërn. lect. conjecturae omnes, sed in compend. redactae, it. Westerhov. in scholiast. lect. et conjecturae, quib. et suas adspersit M. I. Zeune etc. 2. voll. 8.

1779. Bipontina c. select. variet. lect. et perpet. annot. Acced. ind. latin. c. interpretat. 2 tom. 8.

1787. Zeun. altera.

1791. Lips. Rich. Bentlej. altera repetita. 8. De qua id notandum putabam, versum 34. in And. II, 2. typothetae vitio plane esse omissum. Etiam index verbor. incertus est atque corruptus.

1794. Halensis cur. M. Benjam. Fr. Schmidero c. perpet. annot. et latinit. ind. 8.

1806. Berolin. curante Fr. Henr. Bothe. Acced. icon Comici in aes incisa. 8.

1811. Halae, Brunsio auctore, qui codicem primus Halensem edidit, var. lect. editt. et scholia ex eod. cod. descripsit, etiam Ruhnkenii dictata in Ter. adjec. 8. Hic cod. est idem, quem ego in farragine lectionum variarum modo Bru. c. e. modo c. Hal. signatum posui semper et commemoravi. Atque eundem expertus sum cum codd. duob. Gothanis praesertim in glossis maxime convenire. Glossas autem ipsas edidi nomine veteris interpretis (V. I.) signatas.

## EMENDANDA ET CORRIGENDA.

Pag. XXII. lege κωμάζειν — p. XXIII. lin. 8. post v. *pertinet* inserend. *spectaveris*, — p. XXIX. med. lege *quater* pro *quatuor* — p. XXX. § 5. lege *caesuram* pro *cens.* — p. XXX. lin. ult. lege *arbitratur* pro *arbitratus* — p. XXXI. § 7. scribe *bacch.* — p. 25. not. 34 lege *Huc respic. infer.* pro *Resp. sup.* — p. 26. v. 2. notand. — *nuptiis.* — p. 32. not. 23. distingu. *Subaudi*, — p. 40. not. h) dele *non* — p. 47. not. a) lege *me* pro *ne* — p. 55. not. 18. lege *consilia* — p. 60. not. 23. lege ὀλιγ. — p. 60. not. 24. lege *praeven.* — p. 62. not. o) lege *in* pro *tu* — p. 63. not. 10. lege *et* pro *te* — p. 67. not. 14. lege *e tranq.* — p. 90. not. 9. lege *neg.* pro *neq.* — p. 92. not. 23. lege *Utcunq.* pro *Utrumq.* — p. 92. not. 27. lege *clamorem.* — p. 93. v. 4. notand. *Glycerium est?* — p. 93. not. 5. lege *quae* pro *que* — p. 110. lin. prim. lege *de* pro *an* — p. 110. lin. 2. lege *confidam*, — p. 125. not. 62. lege *consolatur* — p. 127. not. 92. lege *quum* pro *quam.* — p. 131. not. 12. lege *intra* pro *infra* — p. 146. not. *n*) lege *memini.* — p. 153. not. 41. notand. *perditus*, est. — p. 177. not. 18. notand. ac distinguend. *Absque ironia*, — p. 181. not. e) lege *quam* pro *sed* — p. 201. not. 64. distingu. *genere*; — p. 205. v. 22. Quae inserta sunt verba, necesse est, ut anteponantur versui 21. — p. 217. v. 24. lege *quid* pro *quis* — p. 220. not. 7) lege *dicit*, — p. 222. not. l) pone ω. pro *w.* — p. 244. v. 118. lege *domi* — p. 272. not. 52. lege *Atqui* pro *Praeterea* — p. 272. lin. 3. lege *parcere* pro *parcae* — p. 273. v. 49. lege *vini* pro *veni* — p. 273. not. 50. dele *praebit.* — *appos.* — p. 275. v. lege *periclo* pro *perr.* — p. 283. not. 12. emenda sic: *quae alioqui magis libere*, *ut fert libido*, — p. 295. not. 1. 2. lege. *major* — p. 295. in extrem. lege *quid.* pro *quis.* — p. 312. v. 12. lege *me* pro *te* — p. 316. not. o) lege *quo* non *pro* — p. 318. not. 35. lege *ut* pro *et* — p. 326. not. y) post *spe situs* inserend. *Fa.* — p. 518. not. r) lege *incommode* pro *com.* — p. 385. not. t) lege *Ceterum* pro *Ceteram* — p. 418. not. g) lege *ut* pro *tu* — p. 430. v. 8. notand. *redi.* — p. 431. not. 26. lege *conserves*, — p. 433. not. 40. dele verba: *sed contra- alteri idem*; — p. 461. not. c) lege *est*, pro *es*, — p. 462. not. 7. lege *desertam* pro *dis.* — p. 465. not. n) ante *quod* ingere *studium*, — p. 465. not. 31. 32. lege *spectacula* pro *spectaculum* — p. 485. not. 45. lege *quarum* pro *quor.* — p. 487. not. 5. lege *ego* non *pro* — p. 488. not. o) corrige *restituendum putat* pro *restituit.* — p. 494. v. 30. lege *levibus* — p. 506. not. 1. lege *sic* pro *sit* — p. 507. not. 17. lege ἀκρόπολ. — p. 518. not. 30. lege *Laches* pro *id.* — p. 519. not. y) lege *Phidippo.* pro *Phidippus.* — p. 519. not. 39. 40. lege *occep.* pro *accep.* — p. 519 not. 41. lege *quia* pro *qui* — p. 521. not. p) pone *n*, pro *v*, — p. 522. not. a) lege *Dac.* pro *Dec.* — p. 523. not. 11. lege et distingue: *ne*, *pater inimicus*, *dicat* — p. 531. not. r) lege *ubique* pro *ubi* — p. 532. not. x) lege plenius *explicationem.* — p. 533. not. 72. lege *impeditorem*; — p. 534. not. n) praemittend. *Sic* — p. 535. not. 95. explica: *primitivi verbi* — p. 539. not. 24. 25. distingu. *Sanctius*, religiosius, firmius. — p. 540. not. x) lege *Tanaq.* — p. 542. not. 9. lege *obnoxiae* — p. 543. not. 9. lege *genero* — p. 545. not. 1. lege *perpenderit.* — p. 546. not.

xxx. x-1v

i) notand. *Id.* non *Id* — p. 549. not. 39. lin. 2. lege *illo* — p. 553. v. 27. lege *fuerat* — p. 553. v. 30. lege *dixit*, pro *dixti* — p. 565. not. r) lege *msptis* pro *nostis* — p. 569. not. g) lege *infantem instruere*; — p. 572. not. 20. lege *je* pro *se* — p. 576. v. 71. post *faceret* pone punctum. — p. 580. not. h) lege *Paris.* pro *Pares.* — p. 583. not. p) lege *vulgatam* — p. 584. not. 8. lege *affect.* pro *eff.* — p. 585. not. 18. lege *siquis* non *signis* — p. 586. not. 24. lege *sine* pro *scire* — p. 589. v. 48. post *optumam* pone sign.? — p. 589. not. 51. corrige *A.* (Aeneid.) *V*, pro *et V*, — p. 590. v. 4. lege *reperient?* — p. 595. v. 51. lege *ille* pro *illi* — p. 598. not. i) lege *de Antiphone* pro *Antipho* — p. 598. not. 80. pone comma post *cogitat*; it. post *senex* — p. 601. not. 14. lege *Quoquo modo* — p. 602. not. 27. lege *conviviis*, — p. 604. med. post *illum* dele *non* — p. 606. not. 18. lege *Conductum* — p. 611. not. 66. lege *At* pro *Ad* — p. 612. not. 79. lege *morereris* — p. 613. ad not. 92. erratum est. Est enim *Dicam* minime verbum sed nomen; cf. Phorm. 1, 2, 77, not. Ergo delenda est sinistra explicatio haec: *Est autem Dicam etc.* — p. 615. not. 13. post *sed* pone punctum. — p. 618. v. 14. lege *Eu* pro *En* — p. 618. not. 11. lege *tuum* pro *tuam* — p. 619. not. 19. dele *se* posterius. — p. 621. not. 8. scribend. *Non.* cum puncto. — p. 621. not. 10. post *hoc*. inserend. *v.* (vers.) — p. 624. not. 32. lege *adolescenti* pro *adolescentis* — p. 628. v. 12. pone punctum post *dicit.* — p. 631. v. 32. pone punctum post *lubens.* — p. 633. not. 17. lege *familiaritas* pro *familiaritatis* — p. 635. not. 10. lege *ult.* pro *alt.* — p. 636. ab ultim. lege *adaucto* pro *aduucto* — p. 637. not. 6. lege *quae* pro *qua* — p. 640. not. 38. post *audientis* dele sing. interrog. quod ponend. est post *Quid* — p. 641. not. 40. lege *dotis* pro *potis* — p. 642. v. 58. praefigend. lit. *G.* — p. 645. v. 4. lege *narrem?* — p. 646. v. 16. lege *narrando* — p. 646. not. 15. dele verba: Sed nihil est Cic. Parad. I. — p. 646. not. 20. 21. lege *Haec* pro *Hac* — 648. not. n) lege *ms.* pro *mss.* — p. 648. not. 1. lege *duit* pro *duct.* — p. 649. not. 6. ante *cesso* ponend. *non* — p. 650. not. p) post *antiq.* ponend. *hoc.* — p. 650. not. 14. corrige *similo* in *simile* — p. 651. not. c) post *Sed nos* adde *unacum* — p. 653. not. 18. loco citato: *Eo vehem.* praemitte: Cic. de Inv. 1, 4. — p. 656. not. 37. lege *poscit* pro *possit* — p. 656. not. 1. dele *sunt ea* — p. 657. v. 10. praefigend. *D.* — p. 658. not. 12. lege *ista* non *isto* — p. 659. not. 1. post *ducat* interpunge commate. — p. 660. not. l) dele *Itid.* — p. 661. v. 14. lege *video* — p. 661. not. 10. *menagez* — p. 663. v. 30. praefigend. *Ch.* — p. 665. not. 2. lege *meretricii* — p. 669. not. 9. praefig. *G.* pro *Ph.* — p. 669. not. h) lege *remansero.* — p. 672. not. d) *cod.* pro *Bod.* — p. 674. not. b) lege *hiis.* — p. 676. v. 5. post *auferamus* distinguend. puncto non commate. — p. 679. not. 33. lege *dicat* pro *dicam:* — p. 680. not. 48. pone punctum post *Nausistratam.* — p. 683. not. p) scribe *sat.* h. e. *satis.* — p. 683. not. n) lege *novo* pro *novi* — p. 684. not. 91. corrige: *XII Tabb.* — p. 687. not. 12. lege *narret?* — p. 687. in nott. crit. extrem. add. lit. i) ut sit: i) L. antq. *ais.* — p. 688. not. 9) lege *Haeccine* pro *Haecine.* Itid. paulo post. — p. 691. incipiatur v. 44. per diction. *Tecum.* v. 45. per *Verum* — p. 691. not. 39. notand. *syntax.* — p. 702. sub voce *fatuus* lege: Sic in Petron. carm. 59. v. 8. — p. 703. post v. *Hegio* lege Ad. III. 4.

# A N D R I A.

---

# ANDRIA TERENTII.

Acta Ludis Megalensibus, M. Fulvio et M. Glabrione Aedilibus Curulibus. Egerunt L. Ambivius Turpio et L. Atilius Praenestinus. Modos fecit Flaccus Claudii *) filius, tibiis paribus, dextris et sinistris. Et est tota Graeca. Edita M. Marcello et C. Sulpicio Consulibus.

---

*) In mss. plerisque *Claudi*, cf. Prol. 2. not

*Andria Terentii.* Dacieria ingeniose animadvertit, nomen fabulae, cum poeta ignobilis sit, anteponi; cum vero hic majore fama fruatur, ejus nomen fabulam praecedere.

*Acta.* Subaudi: *Andria* comoedia. *Agi* autem dicitur comoedia in Eun. Prol. v. 19. Et primam sex Comoediarum, quae supersint Terentii, Andriam esse Donatus praefatione sua testatur. „Haec enim, inquit, prima *acta* est Ludis Megalensibus."

*Ludis Megalens.* Hi ludi constituti sunt in honorem Cybeles, quae graece μεγαλη μητηρ, latine Magna Dea vocabatur. Plura de hac vid. ap. Ovid. Fast. IV. 193. seqq. Ac de huiusmodi ludorum origine cf. Liv. 29, 14. Qui dicuntur a voce μεγαλη, μεγαλενσια, vel detrita lit. ν, μεγαλεσια, quod utrumque scribunt promiscue.

*Aedilib. Curulibus*, cf. Eun. Prol. v. 20. not. et Cic. de Leg. III. 3. „Suntoque aediles coeratores (curatores) urbis, annonae ludorumque solemnium.

*Egerunt L. Ambivius etc.* *Agere* fabulam comoedi dicuntur; cf. Eun. Prol. 22. De comoedis autem insignioribus quibusdam mentio fit Cic. Fam. VII. 1., Ac-

sopo scilicet, et ibid. IX. 22. de Roscio; de nostro tamen *Ambivio* Symmach. Epp. I. 31., ubi vide. Ceterum *Ambivius* videtur unus fuisse de his, qui more antiquo ab Aedilibus fabulas locarint gregi suo agendas, si Plutarcho confidamus hac de re disserenti. Sed Cicero quoque commemorat haud dubie eundem, Cat. 14. „Ut Turpione Ambivio magis delectatur, qui in prima cavea spectat etc.“

*L. Atilius Praenestin.* Quis hic fuerit, parum constat. Id certe hic titulus docet, actorem eum cum Ambivio in Andria primarum et secundarum partium fuisse.

*Modos fecit.* H. e. leges musicas praescripsit, quas tibicen in cantando, actor in agendo observaret. Verum ipsi modi qui fuerint, cf. Cic. de. Or. III. 26. Id. Tusc. Q. I. 44. „pressi et flebiles *modi*.“ Ad haec Westerh.: „Constat enim, inquit, diverbia ab histrionibus pronuntiari, sicut cantica temperari *modis*, non a poeta, sed a perito artis musicae factis. Neque tamen omnia iisdem modis in uno cantico agebantur, sed saepe mutatis.“ Hoc ita esse eo declaratur, quod inscribitur, modo paribus aut imparibus, modo dextris et sinistris, aut dextris vel sinistris. Qui vero cantici *modos faciebant*, nomen in principio fabulae et scriptoris et actoris superponebant. Huiusmodi adeo carmina ad tibias fiebant, ut his auditis multi ex populo ante discerent, quam fabulam acturi scenici essent, quam omnino spectatoribus ipsis antecedens titulus pronuntiaretur.“ Huc refer. Liv. VII. 2. „descripto jam (Livii Andronici tempore) ad tibicinem cantu.“

*Flaccus Claudii filius.* Notum est, hunc cantorem tibiis paribus et dextris et sinistris cecinisse. Nam alius est actor, qui recitet pronuntietve diverbia, alius cantor, qui modos faciat canticorum. Hoc etiam extra comoedias in neniis s. lugubribus cantibus Romanor. fiebat; quod quidem patet ex Cic. de Leg. II. 24. „Honoratorum virorum, inquit, laudes in concione memorantur, easque etiam *cantus* ad tibicinem prosequitur. Simili modo Liv. VII. 2. „puerum ad canendum ante tibicinem quum statuisset (Livius poeta) canticum egisse etc.“ Ceterum de *Flacco* notat Mu.: „Hunc *Flaccum*, quisquis est, civem romanum natum fuisse non est credibile, cum ignominiosa esset apud Romanos scenicorum artificiorum tota fere tractatio.“

*Tibiis parib. dextr. et sinistris.* De his tibiis non pauci disseruerunt. Westerhovius autem haec: „Licet multa sint genera *tibiarum,* tamen duo potissimum frequentabant, videlicet Phrygiae: quarum nonnullae modo dextrae modo sinistae ponebantur. *Dextrae*, quae foramen unicum haberent; *sinistrae,* quae duobus essent foraminibus distinctae. Quippe Servius Varronem secutus, duas impares cavernas huiuscemodi tibiis fuisse testatur ac foramina totidem. Unde Virgilius earum biforem cantum Aen. IX. 617. appellat, propterea quod graves et acutas emitterent pro tibicinis arbitrio voculationes.“ Huc usq. We. Sed Montfauconius in Antiqq. Graec. et Rom. *tibiarum* tria genera fuisse narrat, quarum unum tantum notamus. „Quae tibiae, inquit ille, dicebantur, inde nomen accepisse dicuntur, quod olim ex crure seu tibia cuiusdam animalis, equi, canis, gruis etc. concinnatae fuerant. Tibiarum tamen, quas in

monumentis veterum observamus, plurimae ex ligno confectae videntur. In sacrificiis et Bacchanalibus saepe tibicines conspicimus duplicem tibiam inflantes. Forma tibiarum ab hodiernis parum diversa; illarumque plurimae ad lineam rectam fuere directae; aliae vero ab altera parte recurvatae."

*Dextris et sinistris. Dextrae* enim tibiae sunt, quae a dextro latere ori tibicinis applicantur; quae ab altero, *sinistrae.*

*Et est tota Graeca.* „Quamvis fabula scripta sit latine, tamen expressit mores Graecorum." Ru. Aut secundum Lindenbr.: „Palliata scilicet. In his enim, etiamsi Latinae sint, Graeca omnia servantur."

*Edita.* Scilicet ab Aedilibus Curulibus. Hi magistratus enim ludos et scenicos et gladiatorios *edere* dicuntur. Liv. 28. 21. Tacit. An. I. 15. Sueton. Galb. 6. Praeterea Liv. 34. 44. memorat, Ludis Romanis Consules Aedilibus Curulibus imperasse, ut loca senatoria secernerent a populo."

*M. Marcello et C. Sulp. Consulib.* Anno nimirum ab u. c. 587. Hunc quidem annum Pighius calculo subducto esse invenit.

## FABULAE INTERLOCUTORES.

*Simo*, senex.

*Pamphilus*, adolescens, filius Simonis.

*Davus*, servus.

*Dromo*, servus lorarius.

*Sosia*, libertus Simonis.

*Charinus*, adolescens.

*Byrrhia*, servus Charini.

*Crito*, hospes, judex, arbiter.

*Chremes*, senex, pater Philumenae.

*Glycerium*, quae et Pasibula, filia Chremetis.

*Mysis*, ancilla Glycerii.

*Lesbia*, obstetrix Glycerii.

## PERSONAE MUTAE.

*Archylis*, ancilla.

*Chrysis*, meretrix.

# C. SULPITII APOLLINARIS
# PERIOCHA
# IN TERENTII ANDRIAM.

Sororem falso creditam meretriculae,
Genere Andriae, Glycerium vitiat Pamphilus;
Gravidaque facta, dat fidem, uxorem sibi
Fore hanc: nam aliam pater ei desponderat,
Gnatam Chremetis, atque, ut amorem comperit,
Simulat futuras nuptias, cupiens, suus
Quid haberet animi filius, cognoscere.
Davi suasu non repugnat Pamphilus.
Sed ex Glycerio natum ut vidit puerulum
Chremes, recusat nuptias, generum abdicat.
Mox filiam Glycerium insperato agnitam
Hanc Pamphilo dat, aliam Charino conjugem.

# PROLOGUS.

Pŏētă cūm prīmum ănĭmum ăd scrībēndum āppŭlit,
Id sĭbĭ nĕgōtī crēdĭdīt sōlūm dări,
Pŏpŭlo ŭt plăcērēnt, quās fēcīssēt făbŭlās [a]).
Verum aliter evenire multo intelligit.
Nam in prologis scribundis operam [b]) abutitur,

a) Hoc metrum ex Prisciano notatum habemus, qui contendit, similiter Terentium in quoque prologo et in quaque prima scena trimetris esse usum. b) Sic vulg.; at Par. ex Mss. Pall. *opera*.

1. *Poeta* sc. Terentius. *anim. ad scrib. app.* „Metaphora est, ab iis desumta, qui ex pelago ad littus accesserunt." Do. Cf. infra II, 6, 15. Id. verb. proprie et improprie simul; v. Cic. de Or. II, 37. „tanquam ad aliquem libidinis scopulum, sic tuam *mentem* ad philosophiam *appulisti*.

2. *negoti.* Ita veteres, Be. monente, non per duo i, ut *negotii*. Hic quoque mos contrahendi in versu obtinet Epicorum; cf. Hor. Od. II, 18, 9. „ingeni" pro ingenii.

3. *fabulas.* Per attractionem graece pro *fabulae*. Eun. IV, 3, 11.

4. *alit. mu.* Colloca: *multo aliter*.

5. *in prolog.* Quae explicata in cod. Goth. membr. invenio, haec sunt: „*prologus* est praefatio ante coeptam narrationem operis ab auctore praemissa, ab alio vicem ejus obsequente, aut exigente ad aemulorum confusionem et captationem benevolentiae auditorum dicta." Quod vero Terentius *prologis*, non prologo, dixit, inde We. conjicit, plures illum ante Andriam prologos scripsisse atque adeo plures etiam fabulas. *oper. abut.* „Id vult, se opera et studio largiter esse usum in refutando vetere poeta." We. Ceterum verba uti, *abuti*, frui, etiam cum accusativo junguntur. Sanct. Min. III, 3. Sic it. Plaut. Men. IV, 1, 2.

Non qui argumentum narret, sed qui malevoli
Veteris poetae [c]) maledictis respondeat.
Nunc quam rem vitio dent, quaeso animum advortite.
Menander fecit Andriam et Perinthiam.
Qui utramvis recte norit, ambas noverit.
Non ita dissimili sunt argumento, et [d]) tamen
Dissimili oratione sunt factae ac stilo.
Quae convenere, in Andriam ex Perinthia hic
Fatetur transtulisse, atque usum pro suis.
Id isti vituperant factum; atque in eo disputant,
Contaminari non decere fabulas.
Faciunt, nae, intelligendo, ut nihil intelligant.
Qui cum hunc accusant, Naevium, Plautum, Ennium
Accusant, quos hic noster auctores habet:
Quorum aemulari exoptat negligentiam,

c) V. I. *Lucius Lanuvinus hic erat.* d) Ita Be. eleganter; cf. IV, 1, 9. Quam lect. *et* postea se ap. Eugraph. reperisse idem affirmat. Al. *sed.*

6. *sed qui malevoli etc.* Cf. Cic. Fam. XI, 27. „*malevolentia* autem hominum (facit), ut nonnulla durius, quam a te facta sint, proferantur."

9. *Menander.* Comicus fuit celeberrimus Graecorum, natus circa an. ante Chr. 340, quem maxime secutus est Noster. Ex illius autem perditis fabulis seu comoediis nil nisi fragmenta nobis supersunt. Vellej. Pat. I, 17. *Andriam.* „Omnino *Andria* comoedia, cum palliata sit, de loco nomen accepit, a Menandro prius, et nunc ab ipso Terentio: qui cum de Chryside loqueretur, sic ait: *Hei vereor, ne quid Andria apportet mali.* Et hoc commune vocabulum est et in graeca et in latina lingua." We. Add. Cic. de Fin. I, 2.

*Perinth.* „Sic dicta a muliere, quae ex *Perintho* Thraciae urbe venerat Athenas. Uti mulier ex Andro insula Andriae nomen fecit." We.

12. *oratione ac stilo.* Donatus *orationem* in sensu ponit, *stilum* in verbis. Et Graeci illam διάνοιαν vocant, hunc λέξιν.

13. 14. *in Andr. — transtulisse.* Cf. Eun. Prol. 31.

15. *isti.* Hoc pronomen per contemtum usurpatur. Eun. I, 2, 112. Contra *ille* in laudem dicitur, Ad. I, 1, 18.

16. *Contaminari*, misceri, confundi. *fabulas* i. e. comoedias.

17. *Fac. nae etc.* Sensus: Profecto dum valde intelligentes et sapientes videri volunt, ostendunt, se nihil intelligere.

18. *Naev. Plaut. En.* De his vid. Cic. Qu. Tusc. I, 1. De *Naev.* praesertim cf. Cic. de Or. II, 63; itid. Brut. 15, 8.

19. *auct. hab.* „i. e. ita sibi praeeuntes, ut eorum vestigiis tuto insistere queat." We. Hor. Serm. I, 4, 121.

20. *exopt.* h. e. eligit. *neglig.* Negligere et *negligentia* non semper sunt vitiosa. H. l. denotatur *negligentia* illius legis, quam ferre videbatur vetus poeta, quasi non deceat contaminare fabulas aliorum scribendo novas. Cui vero respondere poterat Te-

Potius quam istorum obscuram diligentiam.
Dehinc ut quiescant porro, moneo, et desinant
Maledicere; malefacta ne noscant sua.
Favete, adeste aequo animo, et rem cognoscite,
Ut pernoscatis [e]), ecquid [f]) spei sit reliquum,
Posthac quas faciet de integro comoedias,
Spectandae an exigendae [g]) sint vobis prius.

e) Par. divisim, *pernoscat is*, sc. Poeta. f) Vulg. *et quid*. Sed pro *et quid*, *et quem* Be. ed. ubique *ecquid*, *ecquem*. g) C. G. m. suprascript. *foras mittendae*.

rentius: unde sua hauserint et ipse Naevius, Plautus etc., id nostram aetatem fugit.

21. *dilig.* Cui opponitur, quod supra est, *negligentiam*.

22. *quiescant*, nullas turbas moveant. Liv. 4. 49. ubi Drakenb. *et des. maledicere etc.* Cf. Lucian. D. D. XIII. Ibi Hercules cum Aesculapio rixans: *εἰ μὴ πάνσῃ*, inquit, *λοιδορούμενός μοι, αὐτίκα μάλα εἴσῃ* etc. Infra V, 4, 17. *porro*, *αὐξητική*, particula. Eun. III., 3, 22. pro valde.

24. *Favete.* „Benevolentiae signum in sacris signum erat silentii, inde veteres *favere* pro silere dixerunt." Ru. *adeste.* Et causarum patroni et arbitri *adesse* dicuntur, quibus operam dant. *aequo animo*, non studentes partibus. Heaut. Prol. 35. *rem cognosc.* Hec. III, 1, 11. not. Ex hoc versu et sequentibus facile cognoscitur, primam *Andriam* reliquis praecessisse comoediis, quod etiam Suetonius Tranq. testatur in vita Terentii. Scripsit comoedias, inquit, sex, ex quibus *primam Andriam* cum Aedilibus daret etc.

26. *quas fac. comoed.* Syllepsis, ut v. 3. Ad verbum enim *faciet* declinavit, non ad *spectandae - sint.* Alioquin dixisset, *quas faciet* comoediae.

# ACTUS I. SCENA 1.

## SIMO. SOSIA.

*Si.* Vōs īstaec īntro aūfērte; ăbītĕ. Sōsĭa,
Ădēsdūm: paūcīs tē vŏlō. *So.* dīctūm puta:
Nempe ut curentur recte haec. *Si.* immo aliud. *So.* quid est,
Quod tibi mea ars efficere hoc possit amplius?

Argumentum. „Simo narrat liberto primum honestam filii vitam; deinde amatoriam: ad postremum etiam aperit, quo consilio se daturum illi uxorem simulare statuerit." Mu.

*Simo.* Hujus personae nomine Erasmus monet introduci senem, pium in filium, sed natura vehementiori natum; nomen ipsum a specie ductum, quod *simi* fere sint iracundi. Scimus autem Lucianum ingenia hominum ludere animalibus assimilando.

*Sosia*, „a σώζεσθαι, servari, quod servatus in bello." Far. Hoc nomen, sicut *Clinia*, *Geta*, *Chaerea* et id genus alia graeca Terentius aliique more veterum absque s finali proferre solebant; quod quidem animadvertit Priscianus, lib. 6.

1. *istaec.* „Opsonia, olera, pisciculos intelligi per *isthaec*, vetus opinio est." We. Scilicet quae servi de foro venientes emta apportaverant, ad nuptias simulatas forsitan parandas. Patet id ex verbo *curare* v. 3. culinae proprio. Plaut. Merc. III, 3, 21. *auferte*, s. inferte, in domum meam importate. *abite.* Dicit cunctantibus, qui cupidi sint pro genere servili audiendi, quid cum Sosia agat secreto. Hec. III, 2, 24.

2. *Adesd.* Signific. *adesse* paratum esse ad preces audiendas. Sic Petron. 133, 3. *pauc. te v.* Supple: verbis adloqui. Huiusmodi vero ellipses Comici sunt quotidiano sermoni familiares. Verb. *volo* saepe habet vim alacritatis. Cf. Catull. carm. 6. *dict.* Adde: mihi satis.

4. *ars*, h. l. coquinaria. Denotat alias id quod est omnis peritia aut calliditas. Sic ambigere scite Simo videtur v. 5.

*Si.* Nihil istac opus est arte ad hanc rem [a]), quam paro;
Sed iis, quas semper in te intellexi sitas,
Fide et taciturnitate. *So.* exspecto quid velis.
*Si.* Ego postquam te emi, a parvulo ut semper tibi
Apud me justa et clemens fuerit servitus,
Scis, feci ex servo ut esses libertus mihi,
Propterea quod serviebas [b]) liberaliter.
Quod habui summum pretium, persolvi tibi.
*So.* In memoria habeo. *Si.* haud muto factum. *So.* gaudeo.
Si tibi quid feci, aut facio, quod placeat, Simo,
Et id gratum fuisse advorsum te, habeo gratiam.
Sed hoc mihi molestum est: nam istaec commemoratio
Quasi exprobratio est immemoris [c]) beneficii.
Quin tu uno verbo dic, quid est, quod me velis.
*Si.* Ita faciam. hoc primum in hac re praedico tibi:
Quas credis esse has, non sunt verae nuptiae.
*So.* Cur simulas igitur? *Si.* rem omnem a principio audies.
Eo pacto et gnati vitam et consilium meum
Cognosces, et quid facere in hac re te velim.

a) C. G. m. gl. interlin. *nuptias.* b) Gu. praefert *servibat.* c) Gu. Be. *immemori.*

8. *Ego postq. te etc.* Hoc videtur initium esse gravioris orationis, qualis in Hec. IV, 4, 13.

9. *justa*, tolerabilis, non dura. Contra Virg. Eclog. III, 33. „*injusta* noverca."

10. *feci - mihi.* Haec sunt ex Menandro: *ἐγὼ σὲ δοῦλον ὄντ' ἔθηκ' ἐλεύθερον.*

12. *sum. pret.* h. e. quae servis solet esse libertas.

13. *haud muto fact.* Poterat vero *mutare factum* Simo, si servus in memoria non habuisset tantum beneficium. Nam jure Attico licebat, in servitutem retrahere ingratos.

15. *advors. te*, pro tibi.

16. 17. Sententia similis cf. Liv. 5, 44. „nec enim *exprobranda* (beneficia) apud memores sunt." *immemoris.* Hic non praetereunda est illa Crusii interpretatio *immemori* legentis. Dandi enim casum *immemori* putat pendere ab *exprobratio*, nomine quod dicunt verbali. Atque hoc modo diceretur, *exprobratio immemori* pro exprobratur *immemori.* Placuit tamen persistere in recepta lectione *immemoris.* Quoad sententiam cf. Cic. Lael. XX, 71.

18. *velis* sc. facere. Sic Plaut. Aul. II, 2, 32. „si quid *me vi*."

20. *has*, per syllepsin pro hae, uti Prol. v. 26.

22. 23. Haec ead. laudata vid. ap. Cic. Juv. 1, 23. *gnati*, alias *nati* per aphaeresin.

Nam is postquam excessit ex ephebis, Sosia,
Liberius vivendi fuit potestas. nam antea
Qui scire posses, aut ingenium noscere,
Dum aetas, metus, magister prohibebant? *So.* ita est.
*Si.* Quod plerique omnes faciunt adolescentuli,
Ut animum ad aliquod studium adjungant, aut equos
Alere, aut canes ad venandum, aut ad philosophos:
Horum ille nihil egregie praeter cetera [d])
Studebat; et tamen omnia haec mediocriter.
Gaudebam. *So.* non injuria: nam id arbitror
Adprime in vita esse utile, ut ne quid nimis.
*Si.* Sic vita erat: facile omnes perferre ac pati;

d) V. I. scilicet *studia.*

24. *express. ex epheb.* Idem est Graecorum, ἐξελθεῖν ἐξ ἐφήβων. Hunc vers. Cicero laudat de Juv. 1, 19. Id. p. Arch. 3. „ut primum ex pueris excessit.“ Sed Ruhnkenius explicatiora haec notat: „*excessit* annum vicesimum, quod intelligendum ex moribus Atheniensium, apud quos *ephebi* erant adolescentes octodecim annorum, qui referebantur inter circuitores vel eos, qui regionem Atticam circumirent; ubi biennium inter circuitores fuissent, *excedebant ex ephebis*, et extra Atticam militabant.“ .

25. *Liber. viv.* h. e. licenter ac dissolute. Corn. Themist. 1. „Qui quum minus esset probatus parentibus, quod et *liberius vivebat*, et rem familiarem negligebat etc.“

27. *aet. met. magist. prohib.* „Eleganter pro aetate puerili magistrum s. paedagogum metuente.“ We. *Prohibere*-est verb. disciplinae, qua adolescentes continentur. Burm. ad Calpurn. Ecl. IV., 20. Et Hor. A. P. 161. „tand. *custode* remoto.“

29. *studium.* „*Studia* dicuntur omnia, in quibus versamur, et quibus delectamur.“ Ru.

30. *Alere*, graeco more, pro alendi sc. studium. *canes ad ven.* i. e. canes venaticos. Sic Curt. IX, 1, 31. „nobiles *ad venandum canes.*“ Ead. syntax. Catull. Epigr. 10. „ad lecticam homines,“ i. e. lecticarii. *ad philosoph.* Intellige, audiendos; et huc refer, *stud. adjungunt*, v. 29.

31. *Horum* sc. studiorum. *nihil* i. e. nullum ex his tribus. *egregie praet. cet.* h. e. plus quam *cetera.* Itid. Cic. ad Q. fratr. lib. 1, ep. 1. „unus *praeter ceteros* adjuvisti.“

32. *Studeb.* Verb. *studere* cum accusativo, Hec. II, 2, 20; item Cic. Phil. 6, 7. *mediocr.* Cicero de offic. 1, 25. „*mediocritatem* dicit eam, quae inter nimium sit et parum.“

34. *Adprime.* „Adjectio est confirmationis.“ Do. *ne quid nim.* Expressit graecum μηδὲν ἀγάν: vid. Erasm. Adag.

35. *perferre ac pati.* Cf. Jul. Caes. B. G. VII, 30. „*patienda et perferenda.*“ Sed inprimis *pati* de eo, qui amat consuetudinem aliorum. Contra Ovid. Met. IV, 260. „Nymphar. impatiens.“ v. Gierig.

Cum quibus erat cunque una, iis sese dedere;
Eorum studiis obsequi; advorsus nemini;
Nunquam praeponens se illis [e]): ita facillime
Sine invidia laudem invenias, et amicos pares.
*So.* Sapienter vitam instituit: namque hoc tempore
Obsequium amicos, veritas odium parit.
*Si.* Interea mulier quaedam abhinc triennium
Ex Andro commigravit huc viciniae,
Inopia et cognatorum negligentia [f])
Coacta, egregia forma atque aetate integra [g]).
*So.* Hei, vereor ne quid Andria adportet mali.
*Si.* Primum haec pudice vitam parce ac duriter
Agebat, lana ac tela victum quaeritans.
Sed postquam amans accessit, pretium pollicens,

e) *advorsus - illis.* Haec verba Be. uncis inclusa pro interpolatis habet. Al. *aliis* pro *illis.* f) Be. *neclegentia*, etymo *nec* indagato, sicut *nec-otium* h. e. negotium. g) V. I. *adulta.*

36. *Cum quib. erat cunq.*, per tmesin pro: *Cum quibuscunque erat.*

37. *Eor. stud. obseq.* Nep. Attic. II, 2. „temp. *studiis obsequendi* suis.

38. *praeponens.* Particip. cum vi verbali, omisso verbo, erat; cf. infra IV, 4, 36. *ut sis sciens.* Ergo conjectura Bi. *praeponere* non opus.

39. *inven.* Verb. *invenire* eleganter pro acquirere, adipisci, ut Graecorum εὑρίσκειν. Heaut. IV, 7, 13. V, 4, 17.

40. *hoc temp.* Cum odio praesentis dicit, veluti antiqui temporis multo melioris memor.

41. *Obseq. amic. verit etc.* Ad hunc. loc. cf. Cic. Lael. 24 et Quinctil. Instit. VIII, 3.

43. *Ex Andro.* *Andrus* insula, una Cycladum, v. Aeschyl. Pers. 849. *huc viciniae* pro in hanc viciniam. Sic Tacit. A. III, 73. „Tacfarinas *huc* arrogantiae venerat."

44. *cognat. neglig.* Respicit ad leges Atticas, quae proximos et ditissimos cognatos jubebant cognatam inopem vel ducere uxorem vel dotare, ut maritum inveniret. Adelph. IV, 5, 16-18.

46. *Hei, vereor ne etc.* In his verbis cardo rei gerendae vertitur, quam ad prosperum exitum perductam videbimus infra V, 4, 3. adventu Critonis.

48. *lana ac tela*, h. e. lanificio ac textura. Utrumq. enim ita occupavit femineum sexum apud Graecos et Romanos, ut nuptae, innuptae, viduae, anus, nobiles quaeque mulieres et ignobiles lanam fecisse ac telas texuisse legantur; v. Casaub ad Sueton. Aug. 24.

49. *pretium*, mercedem stupri, ut Ad. III, 2, 51. Itid. Juvenal. Sat. II, 127. „Excepit blanda intrantes atque *pretium* poposcit."

Unus et item alter, ita ut ingenium est omnium
Hominum ab labore proclive ad libidinem;
Accepit conditionem, dein quaestum occipit.
Qui tum illam amabant, forte, ita ut fit, filium
Perduxere illuc, secum ut una esset, meum.
Egomet continuo mecum: certe captus est [h];
Habet. observabam mane illorum servulos
Venientes aut abeuntes; rogitabam, heus puer,
Dic sodes, quis heri Chrysidem habuit? nam Andriae
Illi id erat nomen. *So.* teneo. *Si.* Phaedrum aut Cliniam
Dicebant [i]), aut Niceratum: nam hi tres simul
Amabant. eho, quid Pamphilus? quid? symbolam [l])
Dedit, coenavit. gaudebam. item alio die
Quaerebam: comperiebam, nihil ad Pamphilum
Quicquam adtinere. enimvero spectatum satis
Putabam, et magnum exemplum continentiae:

h) Cod. Hal. hoc ordine, *capt. est certe,* cum glossa, *amore Chrysidis.* i) Al. *Dicebat,* non inepte, sc. puer. l) Ita Be. ex lib. Vatic. et Basilic. aliisq. Erasm. *symbolum.*

50. *Un. et it. alter.* Hanc locutionem de duobus tantum intelligi vult Do. Falso. Nam infra v. 60. *trium* amatorum mentio fit. Praeterea per diction. *unus et alter* indefinite plures dicuntur quam duo. Sic it. Cicero ad Attic. 14, 18. Qui plura cupiat doceri, eum ablego ad Perizon. Animadverss. p. 291.

52. *condit.* Est *conditio* seu sponsarum s. nuptiarum pactio, cf. Ph. IV, 1, 13, not. h. l. non sponsae, sed meretricis. *quaest.* sc. meretricum, corpore vulgato. Ad. II, 1, 52. 54. *esset.* Erasm. explic. ederet; cf. infra v. 62. *coenavit.* Eun. III, 4, 2.

55. *Egom. c. mecum* sc. coepi cogitare. *capt. est*; *habet.* Utrumque sumtum ab arena gladiatorum. *captus* pro victus. *Habet* sc. vulnus. Desumt. a gladiatore vulnerato, quem vulgus victum exclamat. Adag.

58. *sodes,* si audes; vid. Cic. Orat. 45. *habuit.* Verecunde dicit pro: concubuit cum Chryside. Cic. ad div. IX, 26. Eod. fere sensu Achill. Tat. VII, 9. „ἐρωμένην εἶχεν. Amicam adolescens is habuit.“ *Andriae.* Attico more peregrinae mulieri a patria nomen imposuit.

59. *Illi erat nom.* Ovid. Met. III, 582. „*nomen mihi* Acoetes.“ *teneo,* intelligo, scio. Infra III, 2, 18.

61. *Amab.* Amare est, consuetudine uti meretricis. *symbol.* a συμβάλλειν, conferre sc. pecuniam, quae confertur ad coenam vel compotationem communi sumtu apparandam. Eun. III, 4, 2.

62. *gaudebam.* Hoc interponit dictum ex patris affectu, ut sup. v. 53.

63. 64. *nihil-quicq.* Abundat *quicquam* eleganter, ut in Hec. III, 5, 40. Sic it. Gell. 1, 3. „*nihil* esse *quicquam.*“ Sens. Nihil amoris meretricii esse participem.

65. *exempl. continentiae.* Sic de Phaedria, Eun. II, 1, 21.

Nam qui cum ingeniis conflictatur ejusmodi [m]),
Neque commovetur animus in ea re tamen;
Scias posse jam habere ipsum suae [n]) vitae modum.
Cum id mihi placebat, tum uno ore omnes omnia
Bona dicere [o]), et laudare [p]) fortunas meas,
Qui gnatum haberem tali ingenio praeditum.
Quid verbis opus est? hac fama impulsus Chremes
Ultro ad me venit, unicam gnatam suam
Cum dote summa filio uxorem ut daret.
Placuit; despondi; hic nuptiis dictus est dies.
*So.* Quid igitur [q]) obstat, cur non verae fiant? *Si.* audies.
Fere in diebus paucis, quibus haec acta sunt,
Chrysis vicina haec moritur. *So.* o factum bene!
Beasti: ei metui a Chryside. *Si.* ibi tum filius
Cum illis, qui amarant [r]) Chrysidem, una aderat frequens;

m) Erasm. in marg. „*ejusmodi* trisyllabum est.“ n) *suae* Prisciano monente unica syllaba est, et *Scias posse*, ex ejusd. sententia, spondaeus. o) C. G. m. explic. *dicebant.* p) Id. *laudabant.* q) Erasm. omitt. *igitur*, quo retento putat *verae* expungendum. r) Sic Be. pro *amabant* vulg. Atque it. We. dicit: mallem *amarant*, si per codd. liceret.

66. *cum ingeniis ejusm.* Annuit enim *Phaedrum*, *Cliniam* et *Niceratum* amantes, cf. v. 59. 60. Sed We. mavult intelligi Chrysidem vel *ingenia* meretricum. Equidem prius.

68. *vitae.* Cf. Heaut. III, 1, 70, not. *modum*, „moderationem.“ Do. It. Cic. pro Marcello 1, „rerum omnium *modum.*“

70. *Bona dicere*, εὐφημεῖν, laeta ac fausta praedicare. *Fortunas.* „*Fortunae* hic non de divitiis dicuntur, sed de sorte et conditione.“ Ru.

72. *Chremes.* „Nomen est a χρέμπτεσθαι, quod est, enixe exspuere, senes enim tussi expurgant pectus.“ Hunc senem Terentii respicit Horatius Epod. I, 33.

73. *Ultro ad me venit* etc. Servius ad Virg. A. VII, 268. notat, antiquis morem fuisse generos sibi, quos spectati mores commendarent, legere.

74. *Cum dote summa.* Cf. V, 4, 38.

75. *despondi.* Cf. Hec. I, 2, 49. Do. subtiliter distinguit inter *despondere* et *spondere*, illud de sponsi, hoc de sponsae patre dici affirmando. Cui vero repugnat, quod Liv. est, lib. 1, 26. „quae *desponsa* (a patre) uni ex Curiatiis fuerat.“

78. *o fact. bene.* Formula gaudentis et gratulantis; contra in adversis rebus, ut Catull. III, 16. „*o factum* male.“

79. *Beasti.* *Beare* aliquem i. e. alicui grata sive facere, sive dicere. Eun. II, 2. 48.

80. *Frequens.* „Possumus adesse, et *frequentes* non esse si praesentes non adhaeremus his quibus adsumus.“ Erasm.

Curabat una funus; tristis interim,
Nonnunquam conlacrumabat. placuit tum id mihi.
Sic cogitabam: hic, parvae consuetudinis
Causa, huius mortem tam fert familiariter:
Quid, si ipse amasset? quid mihi hic faciet patri?
Haec ego putabam esse omnia humani ingeni,
Mansuetique animi officia; quid multis moror?
Egomet quoque ejus causa in funus prodeo,
Nihil suspicans etiam mali. *So.* hem [s]), quid id est?
*Si.* scies.
Effertur [t]); imus. interea inter mulieres,
Quae ibi aderant, forte unam adspicio adolescentulam,
Forma... *So.* bona fortasse. *Si.* et voltu, Sosia,
Adeo modesto, adeo venusto, ut nil supra.
Quae cum [u]) mihi lamentari praeter ceteras
Visa est, et quia erat forma praeter ceteras
Honesta et liberali, accedo ad pedissequas [x]):

s) C. G. m. sup. scpt. *indignantis.* t) Ibid. sup. scpt. *funus a domo.* u) Sic Be. elegantius quam vulg. *Quia tum.* x) Ita C. G. m. Al. per unum s, ut olim; dummodo ne Isidorus Orig. 1, 26. fallatur. ,,Veteres enim, inquit, non duplicabant literas, sed supra sicilicos apponebant, qua nota admonebatur lector, geminandam esse literam."

84. *familiariter*, h. e. aeque ac si Chrysidis fuisset familiae. Hunc locum citat Cicero de Orat. I, 40.

86. *humani.* Hinc ultimum officium omnium, quae praestantur alteri, ante omnia *humanitas* dicitur. Justin. XI, 12. ,,Exsequiasq. benigne prosecutum: idque eum non amoris, sed *humanitatis* causa fecisse."

88. *ejus* sc. filii. *in fun. prodeo*, cf. Cic. Attic. XVI, 1. ,,*Venerat* enim in *funus*, cui funeri ego quoque operam dedi."

89. *etiam* pro adhuc.

90. *Effertur.* *Efferri* mortui dicuntur ex aedibus. Sic Liv. 1, 59. ,,*Elatum* domo Lucretiae corpus in forum deferunt." Itid. Aristoph. R. v. 170. ἐκφέρουσι τουτονὶ νεκρὸν. Hanc Terentii narrationem Cicero de Or. II, 80. laudat a brevitate ejus ac venustate. *imus.* Hoc quoque funebre verb. est. Cf. Ph. V, 8, 37.

91. *unam,* quandam, aliquam. Nisi forte abundat, uti Plaut. Truc. II, 1, 39.

92. *Forma.* In gestu plus est senis ipsius libidine gestientis, quam in verbo. *et vultu,* cf. infra V, 1, 20.

93. *venusto.* ,,A Venere dicitur *Χαρίεις*. *Venusti* autem et a forma et a moribus dicuntur, quib. amorem et gratiam sibi conciliant." Fab. Thes.

94. *Quae* sc. Glycerium.

96. *Honesta ac lib.* ,,*Honesta* ad formam, *liberali* ad vultum retulit." Do. *Honesta* i. e. pulchra.

Quae sit, rogo. sororem esse ajunt Chrysidis.
Percussit ilico animum. at at! hoc illud est.
Hinc illae lacrimae [y]), haec illa 'st misericordia.
*So.* Quam timeo! quorsum evadas [z]). *Si.* funus interim
Procedit; sequimur; ad sepulcrum venimus;
In ignem imposita 'st; fletur. interea haec soror,
Quam dixi, ad flammam accessit imprudentius,
Satis cum periclo. ibi tum exanimatus Pamphilus
Bene dissimulatum amorem et celatum indicat;
Adcurrit; mediam mulierem complectitur.
Mea Glycerium, inquit, quid agis? cur te is perditum?
Tum illa, ut consuetum facile amorem cerneres,
Rejecit se in eum flens quam familiariter.
*So.* Quid ais! *Si.* redeo inde iratus, atque aegre ferens.
Nec satis ad objurgandum causae. diceret:
Quid feci? quid commerui aut peccavi, pater?
Quae sese in ignem injicere voluit, prohibui,

y) V. I. *Filii.* z) Priscian. leg. *evadat.*

98. *hoc illud est.* Mimesis eorum quae cogitaverat Simo.

99. *Hinc illae lacr.* „In proverb. abiit, cum causam rei, quae nos diu latuerat, indicamus.“ Erasm. Adag. *lacrimae*, cf. v. 82. Citatur Terentianum hoc Hor. Ep. I, 19, 41. et Cic. in Or. p. Coelio.

100. *evadas.* Recte legitur secunda persona, qua Sosia usus corrigit senem forma puellae ipsum paene correptum, ut eum a digressione facta ad funus quasi reducat. Itaque miratus dixit, *quam timeo* tibi, *quorsum evadas.* Verb. autem *evadere* it. de homine dicitur, non de re. Cf. Ph. IV, 3, 21.

101. *sequimur.* Notandum est, in eo Terentium, quod diceret, *secutum esse* funus Simonem, parum observasse mores Atheniensium. Nam ex lege Solonis viri ante funus ibant, mulieres sequebantur.

*Sepulcrum*, pro busto dicitur vel rogo. Cic. Verr. V, 36. Quoramq. loco corpora fuerant cremata, ibi reliquiae eorum sepeliebantur. Kapp. ad Tac. Germ. XXVII.

105. *Bene,* docte, callide.

106. *mediam complect.* Itid. Curt. „*medium complexi.*“ Idque amoris causa; itid. Ovid. Met. IV, 139.

107. „Apposit. est meretriculae nomen dulcedine dictum Γλυκέριον.“ We.

109. *quam famil.* τὸ *quam* cum positivo, vid. Tursellin. de Partic., significat, valde. Caes. B. G. VI, 26.“ „*quam* late.“

110. *Quid ais.* Admirandi formula est.

112. *commer.* Accipit *commerere* in malam partem; at vero Hec. IV, 4, 9. *promerere* in bonam. Ita Cicero de Or. I, 232. aestimationem poenae *commeruisse.* Omnino autem Terentius verb. simplex et composit. in utramq. partem promiscue usurpat.

Servavi. honesta oratio [a]) est. *So.* recte putas.
Nam si illum objurges, vitae qui auxilium tulit;
Quid facias illi, dederit qui [b]) damnum aut malum?
*Si.* Venit Chremes postridie ad me clamitans:
Indignum facinus! comperisse, Pamphilum
Pro uxore habere hanc peregrinam [c]). ego illud sedulo
Negare [d]) factum. ille instat factum. denique
Ita tum discedo ab illo, ut qui se filiam
Negat daturum. *So.* non tu ibi gnatum? *Si.* ne haec quidem
Satis vehemens causa ad objurgandum. *So.* qui? cedo!
*Si.* Tute ipse his rebus finem praescripsisti, pater.
Prope adest, cum alieno more vivendum est mihi:
Sine nunc meo me vivere interea modo.
*So.* Quis [e]) igitur relictus est objurgandi locus?
*Si.* Si propter amorem uxorem nolet ducere,
Ea primum ab illo animadvertenda injuria 'st.

a) In quibusd. libb. teste. Mu. *ratio*, sed praestat *oratio.* b) Vulg. *qui ded.* Sed Bc. invertit, *ded. qui*, sicut *vitae qui*, vers. super., ,,ne ictus in ultima sit.“ v. de metr. Ter. c) V. I. *sororem Chrysidis Glycerium.* Ceterum Priscian. de metr. Comicor. contendit, veteres, *grinam ego il*, fecisse dactylum. d) V. I. *Negabam.* e) Ms. Par. *Qui.*

116. *Quid fac. i. qui etc.* Lindenbr. ex Gr. *τί ἂν ποιήσοις ἐκείνῳ, ὃς ἄρα δεδωκὼς ἢ ζημίαν ἢ κακόν.* *damnum*, rei est, *malum*, hominis. *dederit*, intulerit.

119. *Pro uxore hab.* Cf. Heaut. I, 1, 46. Ad. I, 1, 25. *peregrinam.* Apud veteres *peregrinae* mulieres fere solebant haberi pro meretricibus. Nam honestae feminae domi plerumque continebantur, inhonestae meretricium quaestum apud alios potius quam ap. suos facere volebant. V. Do. ad h. l.

*sedulo.* Vet. Glossar. *ἀδόλως*, sine dolo, vel ex animo. Supra III, 5, 8.

120. *denique* ,,h. e. ut paucis dicam.“ Ru.

122. *non tu ibi gnat.* ,,Ellipsis propt. aposiopesin. Supple, invasisti, objurgasti.“ Do.

123. *causa ad obj.* Cf. v. 131. *qui, cedo.* Harum utraque vox Comico nostro pro, quomodo, dic, usitatissima est. Observat Priscianus lib. 8. reperiri verba, quae in usu deficiant personis, ut *cedo*, sodes, salve.

124. *Tute ipse etc.* Subaudi, haec *diceret* filius, cf. supra v. 111.

125. *adest* sc. tempus. *alieno more*, alterius arbitrio. Heaut. I, 2, 20. *more*, lege, sc. magistri. Cf. sup. v. 27.

126. *meo m. viv. modo.* Hor. Ep. I, 18, 107. ubi Lambin. ,,ut *meo* arbitratu *vivam.*“

128. *amorem* sc. meretricis.

129. *ab illo* h. e. amore meretricio profecta seu orta *injuria.* Nisi etiam potest, *ab illo*, accipi pro illius. Nam praepositio *ab* haud raro comice inservit genetivo circumscribendo. Hoc modo infra III, 1, 3. *ab Andria ancilla* pro, Andriae ancilla;

Et nunc id operam do, ut per falsas nuptias
Vera objurgandi causa sit, si deneget;
Simul sceleratus Davus, si quid consili
Habet, ut consumat nunc, cum nihil obsint doli.
Quem ego credo manibus pedibusque obnixe omnia
Facturum; magis id adeo, mihi ut incommodet,
Quam ut obsequatur gnato. *So.* quapropter? *Si.* rogas?
Mala mens, malus animus: quem quidem ego si sensero —
Sed quid opus est verbis? sin eveniat, quod volo,
In Pamphilo ut nil sit morae; restat Chremes,
Qui mi exorandus est [f]): et spero confore.
Nunc tuum est officium, has bene ut adsimules nuptias;
Perterrefacias Davum [g]); observes filium,
Quid agat, quid cum illo consili captet. *So.* sat est.
Curabo. eamus jam nunc intro. *Si.* i prae, sequar [h]).

f) V. I. *ut det filio uxorem.* g) C. G. m. gl. *ne persuadeat filio meo.* h) Vict. *sequor.*

item IV, 1, 59. *ostium a Glycerio* pro, *ostium* Glycerii. Non aliter Plautus.

*animadvertenda.* Miror equidem de sensu ambigere interpretes. Supplendum enim mihi videtur, in Pamphilum, cum constat latine, *animadvertere* in aliquem, idem esse quod punire, vindicare: adeo ut sensus sit plenioris locutionis, propter injuriam *ab illo* amore illatam s. factam *animadvertendum est* in eum. Atque posuit Terentius, *animadvertenda injuria est* eod. fere modo, quo Cicero Or. p. Caecin. 12. „res *animadvertenda.*"

130. *id*, h. e. propter id.

132. *Davus.* Daci olim *Davi* dicti, secund. Strab. *Δαοι.* Servis autem nomina a gente, unde oriundi erant, etiam a moribus suis dabantur, v. Scholiast. ad Theocr. et Kapp. ad Tacit. Germ. 1. Add. Hor. Sat. II. 5, 91., ubi Lambin. *Davus etc.* talis esto, qualis inducitur Davus in comoediis, nempe serviliter et timide cum domino loquens, eiq. non nisi ad rogata respondens etc.

134. *manib. pedibusq.* Sic it. infra IV, 1, 52. Idem est Homeri, *χερσίντε ποσίντε.* Cf. Erasm. Adag. Sensus in promtu est, omni conatu.

136. *quapropt.* Simplicis servi, nec dolum sentientis.

137. *mens* i. q. indoles, ingenium: *animus*, consilium, voluntas. Sic Servius ad Virg. A. VI, 11. *si sensero*, minantis. Plenius, *si sensero*, moliri eum aliquid, poenam dabit.

138. *quid op. est verb.* „Hac formula veteres utuntur, cum quod ante dixere, exemplo probant." Supra 1, 72. Eun. III, 5, 20.

140. *confore.* „E sacris petita vox, qua augures extis inspectis rem feliciter successuram pronuntiabant." We.

144. *jam nunc.* Hae particulae saepenumero junguntur, ut Liv. 21, 32. Sic it. ap. Nostr. frequenter.

*i prae.* „Figura *ἀναςροφή*, quod nos *prae i* dicimus." Do. *intro.* Adverbia *intro*, intus, non tam interiora domus significant, ut apud nos, sed ostia potius tria, quae possunt aut a profundo theatro, aut ab utroque latere adiri.

## ACTUS I. SCENA 2.

### SIMO. DAVUS.

*Si.* Non dubium 'st, quin uxorem nolit filius:
Ita Davum modo timere sensi, ubi nuptias
Futuras esse audivit. sed ipse exit foras.
*Da.* (*secum, herum adesse nescius*) Mirabar hoc si sic abiret, et heri semper lenitas [a])
Vĕrēbār quōrsum ēvādĕrĕt.
Quī pōstquām audĭĕrat, nōn dătum īrī fīliŏ ūxōrēm sŭō [b]),
Nunquam cuiquam nostrum verbum fecit, neque id aegre tulit.
*Si.* (*haec minaciter dicens primo secum, dein viso servo e tertia persona transit in secundam*) At nunc faciet; neque, ut opinor, sine tuo magno malo.
*Da.* Id voluit, nos sic nec opinantes duci falso gaudio,

a) Par. conjuncte, *semper-lenitas.* Id. in marg. Sic ὑφ' ἓν legendum. b) Hunc vers. Priscianus tetrametrum, priorem dimetrum, ita ut exhibemus, notavit.

Argumentum. „Filii amorem explorat pater; simulat futuras nuptias, interminatur Davo pistrinum, si quid fallaciae in ipsis conatus fuerit nuptiis.“ Mu.

1. *ux. nol.* Plenius infra III, 5, 6.

4. *Mirab. si.* Ead. syntax. Ph. III, 2, 5. *si sic abiret.* Subaudi impune. Nota formula. Catull. XIV, 16. „non hoc tibi *sic abibit.*“ *semper lenitas.* Graeco more adverbium nomini junctum. Sophocl. Philoct. v. 131. οἱ ἀεὶ λόγοι, ubi Gedike vertit: omnia verba. Inde *semp. lenit.* pro perpetua *lenitas.* Nec opus est *semper* cum Guyeto referre ad *verebar.*

5. *evad.* Cf. supra I, 100.

6. *audierat.* Respiciend. quod supra I, 117.

7. *verb. fec.* stomachatus est. Catull. 75, 6.

9. *duci falso gaud.* Cf. Cic. Fam. 6, 13. „usura *falsi gaudii* frui.“

Sperantes jam, amoto metu, interea oscitantes opprimi,
Ne esset [c]) spatium cogitandi ad disturbandas nuptias.
*(hoc servili vultu)* Astute! *Si.* *(irae impotens vociferatur)* carnifex, quae loquitur? *D.* herus est, neque provideram [d]).
*Si.* Dave. *D.* hem, quid est? *Si.* ehodum ad me. *D.* quid hic volt? *Si.* quid ais [e])? *D.* qua de re? *Si.* rogas?
Meum gnatum [f]) rumor est amare. *D.* *(ad spectatores conservus salse hoc dicit)* id populus curat scilicet.
*Si.* *(iratus)* Hoccine agis? an non? *D.* ego vero istuc. *Si.* *(quietior)* sed nunc ea me exquirere,
Iniqui patris est. nam, quod antehac fecit, nihil ad me adtinet.
Dum tempus ad eam rem tulit, sivi [g]) animum ut expleret suum.
Nunc hic dies aliam vitam adfert, alios mores postulat.

c) C. G. m. add. *nobis.* Hoc id. glossema in cod. Hal. d) L. antiq. *praevid.* e) Par. mss. Pall. al. *agis;* al. cum gl. *dicis.* Sed *ais* et *agis* in Terent. comoedd. centies inter se permutantur. f) *Meum gna,* Erasm. monente, spondaeus est. g) Codd. Lindenbr. *sini* vetusta forma.

10. *oscitantes,* „securos. Est enim *oscitare* signum securitatis.“ Do.

12. *carnifex.* Convicium vulgare in servos.

13. *ehod.* Cf. Heaut. III, 2, 39. *qua de re?* Negantis vim habet haec interrogatio.

14. *id popul. curat scil.* En. ad locum: Haec defensio est contra rumorem. Verisimile enim non esse, omnem populum de nescio cuius adolescentis amore cogitare. Innuitur autem existimatio publica, quae omni cuiq. curae esse debet. *populus.* Quo sensu accipiatur, vid. Didasc. sub voce *Edita. scilicet,* „usum habet praecipuum per amaritudinem quand. cum derisu permixtam.“ L. V.

15. *Hoccine agis.* Ex more est immolandi, quo sacerdos, antequam victima immolaretur, *hoc ago,* monens populum, clamare solebat. Davus igitur attentus esse jubetur ad ea quae dominus dicat. Infra II, 5, 4.

16. *Iniq. patr.* Recte. Nam *iniqui* est patris, si quaerere velit, quod est arbitrii adolescentis.

17. *Dum temp. ad eam rem tul.* Be. jungit *tempus* τῷ *ad eam rem* h. e. amorem meretricis. Non placet. Erasmus subaudit, se; ut sit: *Dum tempus* se praebuit. Mihi quidem *ad* melius valet pro quoad, et *temp. tulit* absolute, quemadmodum *aetas tulit,* infra II, 6, 12. *expleret,* amore se satiaret. Hec. V, 1, 29.

18. *hic dies,* nuptiarum scilicet, cf. I, 1, 75.

Dehinc postulo, sive [h]) aequum est, te oro, Dave, ut redeat jam in viam [i]).
*D.* (*quasi mirabundus*) Hoc quid sit [l])! *Si.* (*interpellans*) omnes qui amant [m]) graviter sibi dari uxorem ferunt.
*D.* Ita ajunt. *Si.* tum si quis magistrum cepit ad eam rem improbum,
Ipsum animum aegrotum ad deteriorem partem plerumque applicat.
*D.* Non hercle intelligo. *Si.* non? hem. *D.* non: Davus sum, non Oedipus.
*Si.* Nempe ergo aperte vis, quae restant, me loqui? *D.* sane quidem.
*Si.* Si sensero hodie quicquam in his te nuptiis
Fallaciae conari, quo fiant minus;
Aut velle in ea re ostendi [n]), quam sis callidus:
Verberibus caesum te in pistrinum, Dave [o]), dedam usque ad necem,

h) L. *et si* pro *sive.* i) V. I. *in rationem.* l) Ms. Mark. ap. We. *Miror hoc quid sit.* m) *qui amant.* Tollitur synaloepha, uti fit interdum ap. Epicos, praecedentib. praesertim monosyllabis, me, te, se, ne, qui etc. Ac Be. accentu superposito notavit, *qui amant.* n) Mu. *ostendere* ex antiq. lib. Sic etiam un. ex codd. Be. o) *Dave* in Be. codd. post *in pistrin.* numerosius: vulgo ante.

19. *sive* pro vel si. Nam iniquum poterat videri, servum orari ab hero. *viam* sc. rectam. Itid. Euripid. Med. v. 770. κ' εἰς ὁδὸν βεβήκαμεν. Et Cic. Phil. 12, 2.

21. *Ita ajunt.* Formula assentientis, sed non ex animo; cf. II, 1, 21. et sic alibi. *magistr.* Cf. Ph. I, 2, 22. *cepit*, accepit. *ad eam rem*, cf. v. 17.

22. *anim. aegrot.* h. e. amore laborantem. Veteres nempe philosophi amorem aliasq. animi affectiones morbos vocabant. Similiter Liv. 1, 55. „consolantur *aegram animi* Lucretiam."

23. *hem*, interjectio irascentis. *Dav. s. non Oedip.* Servus dissimulans se intelligere quod herus dixerat: *Davus*, inquit, *sum, non Oedipus.* Id quod mutato nomine ac re potest ad quemlib. accommodari, e. c. Nicolaus sum, non Hercules. Qui potero laborem tam durum suscipere? Omnino proverbialis figura est, de qua Erasmus vid. in Adagg. Ceterum constat Sphingis aenigma, cui originem debet hoc proverbium, Oedipum solum solvisse.

25. *hodie* non ad tempus, sed ad comminationem refertur.

28. *pistrin.* „*Pistrinum* proprie locus est, ubi farinam in pila h. e. vase concavo pinserent et contunderent. Inde locus plenus defatigationis et negotii operosi viresque conficientis *pistrinum* dicebatur." Par. Lexic. Plaut.

Ea lege atque omine [p]), ut, si te inde exemerim, ego
pro te molam.
Quid? hoc intellextin? an nondum etiam ne hoc quidem? *D.* immo callide:
Ita aperte ipsam rem modo locutus, nil circuitione
usus es.
*Si.* Ubivis facilius passus sim, quam in hac re, me
deludier.
*D.* (*cum gestu joculari*) Bona verba, quaeso. *Si.* irrides [q])? nihil me fallis; sed dico tibi,
Ne temere facias, neque tu hoc [r]) dicas [s]), tibi non
praedictum. cave.

p) V. I. *auspicio.* q) Be. script. *inrid.* C. G. m. *irrid.* r) Al. *haud* pro *hoc.* s) C. G. m. *dices*, et colloc. *hoc tu dices.*

29. *si te inde exem. ego etc.* Formula de re impossibili dicentis. *molam.* Quae ratio molendi fuerit vel molarum, vid. Fab. in Thes. ,,Erant autem, inquit, *molae* duplicis generis, aliae trusatiles, quas jumenta, aliae versatiles, quas homines agitabant."

30. *immo.* Corrigendi particula, quasi respondentis: perbene te intellexi. ,,*Correctio* autem est, quae tollit id, quod dictum est, et pro eo id, quod magis idoneum videtur, reponit." Ad Herenn. IV, 26.

31. *nihil circuit. us. es.* Itid. Cic. ad div. V, 20. ,,qui ambitione *nihil uterer.*"

32. *Ubivis facilius etc.* Similis locutio ejusd. fere sententiae conf. infra 4, 6. *atque illi in aliis potius.*

*deludier.* Infinitiv. cum paragoge *er*, id quod saepe occurrit. Praecipue tamen hac figura Comici, Terentius et Plautus maxime, in fine versus utuntur. Ceterum *deludi* solent senes in comoediis. De qua re Cic. Lael. 26. ex Epiclero: ,,Hodie me ante omnes *comicos stultos senes* versaris, atque luseris lautissime."

33. *Bona verba quaeso*, sc. dic. Euphemismus est in ironia. Nempe in sacris *bona verba dicere*, est verbis, quae malum omen habent, abstinere. Tibull. II., 2, 1. *bona* gr. *ἀγαθὰ* h. e. fausta, benigna. Etiam in mentem venit Aeschyl. Suppl. 486. *εὔφημον εἴη τοὖπος εὐφημουμένη*! Quod vertitur: bonis utatur verbis bonis verbis excepta."

*quaeso.* Saepissime obvenit, instar blandimenti.

*irrides*, verbis scilicet, quae modo antecesserunt, non cachinno. *dico tibi.* Graviter minantis formula. Sic Eun. II, 3, 46 et Phaed. fab. IV, 19, 18. *nihil me fall.* per hellenism. *οὐδὲν με λανθάνοις ἂν.*

34. *neque*, post *Ne* pro: et ne. *praedict.* Respicit superiora III, 2, 15. 16.

# ACTUS I. SCENA 3.

## DAVUS.

Enimvero, Dave, nihil loci 'st segnitiae, neque socordiae,
Quantum intellexi modo senis sententiam de nuptiis.
Quae si non astu providentur, me aut herum pessum dabunt.
Nec, quid agam, certum 'st: Pamphilumne adjutem, an auscultem seni.
Si illum relinquo, ejus vitae timeo; sin opitulor, huius minas;
Cui verba dare difficile est. primum jam de amore hoc comperit;
Me infensus servat, ne quam faciam in nuptiis fallaciam.

„In hac scena deliberat Davus, velitne Pamphilo esse adjutor, an auscultare seni." Mu.

1. *Enimvero.* Haec particula in initio orationis rem gravissime affirmat. v. Liv. 1, 51. ubi Drakenb. *segnitiae - socord.* Utrumq. it. Plautus conjunxit, Asin. II, 1. 16.

3. *herum* i. e. herilem filium. *pess. dab.* Verb. *pessundo*, demergo i. q. gr. *καταβυθίζω. Pessum* supinum esse Ru. existimans, ab antiquo verbo *petior*, subigor, derivat. At Par. Lex. Plaut. *pessum* adverb. esse notat, significans, in locum imum et quasi sub pedes. Hoc ipso tamen verbo non semel utitur Plautus, e. c. Bacch. III, 3, 3. „Perdidit, *pessum dedit* filium."

4. *certum est*, decretum, constitutum. Sic infra II, 1, 11. et alibi. v. Laur. Vall. V, 27. Addo conferend. Heaut. III, 1, 56. 57.

5. *vitae.* „*Vita* ap. Terent. est salus, bona existimatio, et quicquid carum est." Ru.

6. *Cui verba dare.* „*Verba dare* est fallere, decipere; vid. Do. ad Eun. Prol. 24. *primum.* Praeter comicos et alii usurpant *primum*, etiam non sequentibus, ut alias fit, particulis deinde, postea etc. Contra *primum* omittunt, sequentibus illis, vid. Gronov. ad Liv. 34, 19. Non ita Erasmus, cui *primum jam ἀναστροφὴ* est pro, jam pridem.

7. *infens.* sc. de amore filii. *servat* pro observat, cf. supra 1, 142. *observes.*

Si senserit, perii; aut si lubitum fuerit, causam ceperit.
Quo jure, quaque injuria [a]) praecipitem me in pistrinum dabit.
Ad haec mala hoc mihi accedit etiam: haec Andria,
Sive [b]) ista uxor, sive amica 'st, gravida e Pamphilo est,
Audireque eorum est operae pretium audaciam:
Nam inceptio 'st amentium; haud amantium.
Quicquid peperisset, decreverunt tollere.
Et fingunt quandam inter se nunc fallaciam,
Civem Atticam esse hanc. fuit olim hinc [c]) quidam senex,

a) Be. *Qua jure qua me injuria.* Probatur quidem *qua qua* ex Cic. Q. fr. III, 1. Gu. *Qua jure, quaque.* Quod Anglus minus esse censet latine. Cod. Hal. *Quo jure, qua injuria*, omisso *que.* Plautinum enim est *quo qua.* Al. *Quo jure, quave inj.* Sed plurimi codd. habent ut edidi. b) Be. *Si* secund. Jan. Gulielmium, eod. sensu quo *Sive.* c) *hinc* sc. Athenis. Sic recepi a Be. Cf. V, 1, 14. Vulg. *hanc.*

8. *Si sens.* Memor est minantis, supra 2, 25. *causam*, praetextum. Infra IV, 1, 19. Hec. I, 2, 5.

9. *Quo j. q. inj.* quocunq. modo, seu juste seu injuste. „Proverbiale h. e. qualia sunt, fas et nefas, nolis velis." Do. *praecip. in pist. dab.* h. e. cum impetu *in pistr.* conjiciet; cf. sup. 2, 28. Ph. IV, 3, 20. *praecipit. dare* pro detrudere *in pistrinum*, in molam. Itid. Plaut. Poen. V, 5, 52. Ex hac locutione We. conjicit vel suspicatur, *pistrinum* fuisse in inferiore parte domus. Inde autem pistores, Plinio teste, nominabantur, qui far pinsebant, id quod faciendum tempore quodam in servitiis habebatur.

11. *Sive ista ux.* „Et hoc cum quod. taedio et indignatione stomachi interrumpit." Do.

12. *eorum*, Pamphili scilicet et Glycerii. *operae pretium.* Dictio elegans, de qua vid. Par. Lex. Plaut. *audaciam.* Recte quidem, quia Davus jam certe non vera esse putat, quae palam fiunt infra per Critonem.

13. *inceptio.* Valet de consilio temerario. Infra V, 1. Eun. V, 8, 5. *ament. haud amantium.* Solent paragrammate seu paronomasia plerumq. uti etiam in re seria, non tantum in stomacho et irrisione.

14. *Quicq. pep.* „Ita veteres neutro genere loquebantur de partu et futuro et recens nato." Ru. *tollere* h. e. educare, nutrire. Sic Plaut. Amph. I, 3, 3. „Quod erit natum, *tollito.*" Ratio haec loquendi inde coepit: „Cum nasceretur infans, deponebatur in terra. Hunc si probaret et educandum statueret pater, sustollebat sive suscipiebat. Sin nollet educare improbatum, licebat exponere et abjicere, vel ut periret, vel ut ab aliis susciperetur." Fab.

16. *Civ. Attic. esse h.* Ad hoc intelligend. cf. infra IV, 4, 41. *hinc*, Athenis. *fuit olim.* Sic fere solent, qui rem seu veram seu fictam narrare incipiunt. Hoc modo infra V, 4, 20.

Mercator. navem is fregit apud Andrum insulam:
Is obiit mortem. ibi tum hanc ejectam Chrysidis
Patrem recepisse orbam, parvam. fabulae!
Mihi quidem non fit verisimile; at [d]) ipsis commentum placet.
Sed Mysis ab ea egreditur. at ego hinc me ad forum, ut
Conveniam Pamphilum, ne de hac re pater imprudentem opprimat.

d) Hoc *at* Be. bene cum Gu. pro *atque* vulg. Nam particulae *at*, *sed*, de more sequuntur post *quidem*.

18. 19. *eject. recep.* Cf. Virg. A. IV, 374. „*ejectum* littore egentem excepi." *fabulae* h. e. mendacia, commenta. Hor. Od. I, 4, 16. „Et est formula irridentis et spernentis dicta alterius." We.

21. *Sed Mysis etc.* Praeparatur scena sequens. Heaut. IV, 6, 22. *ab ea, δεικτικῶς*; Glycerii nimirum *ab* aedibus. *ego me*, ellipsis. Cf. Eun. V, 2, 5. *ad for.* In *foro* plerumq. otiosi solebant confabulandi vel negotiandi gratia sibi invicem obvenire. Et sic sperabat Davus Pamphilo.

22. *de hac re*, cf. I, 1. fin. ubi Simo Sosiae demandaverat Davum et Pamphilum custodiendos.

---

# ACTUS I. SCENA 4.

## MYSIS.

Audio [a]), Archylis [b]), jamdudum: Lesbiam adduci jubes.

a) Sic Be. pro *Audivi* vulg. „*Audio*, inquit, sc. te saepe vociferantem; non *Audivi*, quasi semel tantum." b) *Archylis* Be. per y. Graece enim est Ἀρχυλίς. Al. *Archilis*; al. *Archillis*.

Arg. „Narrat Mysis, quamobrem a Glycerio exierit: et hic docet Terentius immoderatum vini usum fugiendum esse iis qui seriis praesunt negotiis. Nihil est enim, quod recte agi ab ebrio possit." Mu.

*(secum)* Sane pol illa temulenta 'st mulier et temeraria,
Nec satis digna, cui committas primo partu mulierem:
Tamen eam adducam c). importunitatem spectate aniculae:
Quia compotrix ejus est. Di, date facultatem, obsecro,
Huic pariundi, atque illi in aliis potius peccandi locum.
Sed quidnam d) Pamphilum exanimatum video? vereor, quid siet.
Opperiar, ut sciam nunc, quidnam haec turbae tristitia adferat.

c) Be. praefert *adduci?* ancillae quasi anxie dubitantis. Non recte. Nam vere adductam esse Lesbiam, infra III, 1. videmus. d) C. G. m. in contextu hab. *turbatio;* adscript. *turba.* Al. contra. Sed Be. transmutat, ut opinor, bene terminationes, ut supra; quippe cum vulgata lectio, *turba tristitiae,* parum convenit.

*Mysis,* ancilla Glycerii, callida et herae amans, a patria denominata.

1. *jamdud.* i. q. modo, de temp. vix praeterito. Eun. IV, 6, 5. Notat Erasm. ad hunc locum: „Haec sunt inventiones poeticae, ut ad *οἰκονομίαν* (fabulae) facetiae aliquid addantur. Est autem *οἰκονομία*, ut arcessatur obstetrix, et conveniatur Pamphilus. Facetia scribentis in his verbis est, quod Archillis compotricem potissimum adduci jubere fingitur.“ *Lesb.* Lesbia vina in honore erant, inde convenit patrium nomen mulieri vinosae.

4. *importun.* Ad *Archyl.* referend., non ad *Lesbiam*; quae nunc demum est adducenda. Instat autem illa, ut *Lesbia* adducatur, *quae compotrix ejus est.* Est autem *importunus* i. q. non ferendus. Cic. Catil. II, 6.

5. *Dii date,* cf. III, 1, 15. Ad. III, 4, 31. „Scilicet dii geniales, nuptiales quinque, Jupiter adultus, Hymenaeus, Juno adulta, Venus suadela, Diana Lucina.“ Far.

6. *Huic,* Andriae. *illi,* Lesbiae. *in aliis.* Ellipsis, quam in partu Glycerii.

7. *Sed quidn. Pamph. exanim. vid.* Sic it. Ph. V, 1, 5. *vereor quid sit,* cf. Eun. IV, 3, 2.

8. *Opper.* De hoc verbo v. Perizon. ad Sanct. Min. III, 2. *turbae,* perturbationis. Eun. IV, 4, 58. Hoc loco ostenditur novi cupido mulieris, nec minus omnino generis servilis; cf. supra I, 1, 1.

# ACTUS I. SCENA 5.

## PAMPHILUS. MYSIS.

*Pa.* (*secum loquitur*, *Myside nondum visa*) Hoccine 'st humanum factum aut inceptum [a])? hoccine 'st officium patris?
*My.* Quid illud est? *Pa.* proh Deum [b]) fidem, quid est? si hoc [c]) non contumelia 'st.
Uxorem decrerat [d]) dare sese mi hodie; nonne oportuit
Praescisse me ante? nonne prius communicatum oportuit?
*My.* Miseram me! quod verbum audio?

a) Al. *factu-inceptu* male; cf. IV, 1, 1. b) Vulg. add. *atque hominum.* Abest teste Be. a cod. primariae notae. c) Ita Bc. protulit ex C. s. optimo. Vulg. *haec.* d) Mss. Fa. et Mu. *decrevit.*

„Hic inducitur adolescentis animus circa nuptias, ut ex magnitudine ejus ingens gaudium comparetur in fine fabulae, cognita Glycerio; et simul id agitur, ut magis magisque per Mysidem Pamphilus excitetur ad resistendum patri nuptias indicenti." Do.

*Pamphilus*, est quasi πᾶσι φίλος, omnibus carus.

1. *Hoccine est*, cf. IV, 1, 1. *hum. fact. a. inc.* Notandum est, *humanum* pro praedicato poni, *fact.* et *incept.* nominis loco. *incept.* quasi de re majori, cf. supra I, 3, 13.

*offic. patr.* Quam humani mores inducantur, licet hic videre; cum non de sola potestate patris agitur, sed de *officio* ipso *patris* in filium praestando.

2. *pro Deum fid.* Solet haec exclamatio adhiberi in summa admiratione.

3. *Ux. decrer. dare etc.* Ru. conjunctionem *si* putat addendam. Quod si probatur, placet mea distinctio. Non enim *uxorem decrevisse etc.* filio patrem, contumelia erat, sed quod ille hoc *Praescivisse* filium *ante* non pateretur. *sese* abundat. Itid. Eun. Prol. VI.

4. *Praestiv. ante.* Abundat *ante*, quomodo „*ante* praedic." Liv. II, 20. ubi v. interprett. *communicatum.* „Quia nuptiarum non omnis potestas in patre est." Do.

*Pa.* Quid Chremes? qui denegarat se commissurum mihi
Gnatam suam uxorem. id mutavit, quia me immutatum videt.
Ita obstinate dat operam [e]), ut me a Glycerio miserum abstrahat [f]).
Quod si fit, pereo funditus.
Adeon' hominem esse invenustum aut infelicem quemquam, ut ego sum?
Proh Deum atque hominum fidem [g])!
Nullon' ego Chremetis pacto adfinitatem effugere potero?
Quot modis contemtus? spretus? facta, transacta omnia, hem,
Repudiatus [h]) repetor: quamobrem? nisi si id est, quod suspicor.
Aliquid monstri alunt. ea quoniam nemini obtrudi potest,
Itur ad me. *My.* oratio haec me miseram exanimavit metu.
*Pa.* Nam quid ego dicam nunc de patre? ah,
Tantamne rem tam negligenter agere! praeteriens modo

e) Sic invert. Be. bene pro vulg. *op. dat.* f) Sustulit Be. interrogationem, probatam multis, ut melius procedat sententia. Recte. Hoc loco sequitur ap. Par. v. 11. *Pro Deum etc.* quem is ita collocatum in mss. Pall. reperisse affirmat. g) V. I. *testor.* h) Id. *a Chremete.*

5. *Miseram me.* Haec etiam tragica exclamatio Chori, ὦ ταλαὶ φρων γύναι! Sophocl. Aj. 899.

6. *Quid Chremes?* Formula est pro: *quid* de Chrem. dicam?

7. *mutav. — immutatum.* Hoc παρόμοιον dicitur, quoties verba; παρονομασία, quoties nomina sunt.

9. *pereo funditus.* Par. in marg. „Metaphora ab aedificio cum solo aequatur."

10. *Adeone hom. esse etc.* „Hicce infinitivus nihil habet, a quo pendeat, sed sic veteres infinitivo uti solent in admirationibus et indignationibus, subintelligentes, mirandum, est credibile." Ru. Simul notetur, particulam *adeo* servire interrogationi. Cic. Phil. II, 7. „*Adeone* pudorem cum pudicitia perdidisti, ut hoc in templo dicere sensus sis?"

13. *contemt. spret.* Gradatim dicit; nam plus est *spretus* quam *contemtus*. Broukhus. ad Tibull. I, 4, 77.

*facta, transacta omnia.* Formula ICtorum, qua utebantur in contractibus, significantes omnia, quae ad legitimam pactionem pertinerent, esse praestita. Erasm. in Prov. et Terent. Ad. II, 4, 22.

14. *nisi si*, eleganter pro *nisi.* Cic. Fam. XIV, 2.

15. *Aliq. monst. al.* i. e. occultatur aliquod vitium; quippe cum apud Graecos mulieres in interiori parte aedium tenentur. *monstrum alere*, quid sit, vid. Erasm. Adag. p. 383.

Mi [i]) apud forum, uxor tibi ducenda 'st, Pamphile, hodie, inquit, para;
Abi domum. id mihi visus est dicere: abi cito, et suspende te.
Obstupui. [l]) censen' me verbum potuisse ullum proloqui? aut
Ullam causam, saltem ineptam, falsam, iniquam? obmutui.
Quod si ego scissem id prius... quid facerem, si quis nunc me interroget [m]);
Aliquid facerem, ut hoc ne facerem. sed nunc quid primum exsequar?
Tot me impediunt curae, quae meum animum divorse trahunt:
Amor, misericordia huius, nuptiarum sollicitatio [n]),
Tum patris pudor, qui me tam leni [o]) passus animo est usque adhuc,
Quae meo cunque animo lubitum 'st, facere: ein' ego ut advorser? ei [p]) mihi,
Incertum 'st, quid agam. *My.* misera timeo, incertum hoc quorsum [q]) accidat.
Sed nunc peropust, aut hunc cum ipsa, aut de illa me [r]) adversum hunc loqui.

i) Pro *Mihi* vulg. Be. ubique locorum *Mi*, quod sic est contracte pronuntiandum. l) Ita lib. antiq. At Vatic. *Obstip.* Utrumque enim dicitur, *obstupesco* et *obstipesco.* m) Sic Be. secund. Eu. pro *roget* vulg. n) Al. *sollicitudo*, o) C. G. m. *dulci.* p) Ita est in plurim. mss. pro *hei.* q) Be. ed. *quorsus* pro *quorsum.* Hae ratione etiam prorsum, prorsus; rursum, rursus; adversum, adversus; sursum, sursus, inter se permutantur. r) Vulg. *aliquid* post *me.* Ejicit Be. concinne.

17. *Nam*, eleganter inservit transitioni, ut sup. I, 1, 24.

19. *apud forum*, comice pro, in foro. Itid. infra II, 1, 2. *hodie* i. q. cito, v. 20.

21. *censen'*. Plene Curt. IX, 4. *censesne.*

23. *Quod si ego scissem id prius.* Anacoluthon seipsum interrumpentis. Subaudi id quod pater me nunc facere jubet. *quid fac. si qu. nunc me interrog.* Fingit se a quopiam, *quid*, cognito patris decreto, *faceret, nunc* interrogari.

24. *Aliq. facerem.* Responsio est ad proxime rogatum. Notanda est enim comica verbi *facerem* repetitio. *Aliq. fac.* Ita solent τὸ *aliquid* usurpare, ubi rem incertam relinquunt.

26. *huius*, Glycerii. Sic dubius animus, Ovid. Met. VII, 19. 20. „aliudq. Cupido, Aliud mens suadet."

27. *Tum patr. pud.* Alia est illius amantis contestatio, Propert. VI. 20. „Hic erit et patrio sanguine pluris amor." *leni*, cf. Ph. II, 1, 32.

Dum in dubio est animus, paulo momento huc vel illuc
impellitur.
*Pa.* Quis hic loquitur? Mysis? salve. *My.* o salve, Pamphile. *Pa.* quid agit? *My.* rogas?
Laborat e dolore; atque ex hoc misera sollicita est, diem;
Quia olim in hunc sunt constitutae nuptiae. tum autem
hoc timet,
Ne deseras se. *Pa.* hem, egone istuc conari queam?
Egon' propter me illam decipi miseram sinam?
Quae mihi suum animum atque omnem vitam credidit?
Quam ego animo egregie caram pro uxore habuerim?
Bene et pudice ejus doctum atque eductum sinam
Coactum egestate ingenium immutarier?
Non faciam. *My.* haud verear [s]), si in te sit solo situm;
Sed ut vim queas ferre. *Pa.* adeone me ignavum putas?
Adeon' porro ingratum, inhumanum, ferum [t])?
Ut neque me consuetudo, neque amor, neque pudor
Commoveat, neque commoneat, ut servem fidem?
*My.* Unum hoc scio, hanc meritam esse, ut memor
esses sui.
*Pa.* Memor essem? o Mysis, Mysis, etiam nunc mihi
Scripta illa dicta sunt in animo Chrysidis
De Glycerio. jam ferme moriens me vocat:
Accessi; vos semotae [u]); nos soli; incipit:
Mi Pamphile, huius formam atque aetatem vides;

s) Ita Be. ex codd. s. In l. antiq. *vereor.* t) Vulg. *aut inhum. aut fer.* Be. utrumq. *aut* omittit, ut sint asyndeta. u) V. I. *fuistis.*

31. *paulo mom. huc etc.* „Translatum est a trutina, cuius alteri lanci quid additur, ut superet aut aequet aliud pondus.“ We.

33. *Labor. e dolore.* Intelligit dolorem partus, qui et dolores sic dicuntur, ut gr. ὠδῖναι. Ad. III, 1, 2. et 4, 40.

35. *Ne deser. se.* Ovid. Met. III, 477. 78. „*Nec* me, crudelis, amantem *Desere,* clamavit.“

36. *propt. me,* opera mea. Sic Cic. pr. Mil. 22.
38. *animo caram,* cf. Sallust. Jug. 14. *animo meo carissime.*
40. *Coact. egestate,* cf. Cic. Phil. II. 25. *cogebat egestas.*
41. *haud verear.* Supplendum, ne tu illam deseras, cf. v. 35.
42. *Sed vim* sc. patris.

44. *consuetudo.* Intell. de illicitis et furtivis amoribus; v. Sallust. B. Catil. 23. Ceterum vide quemadmodum singula nomina inverso ordine ad singula sua praecedentia referas praedicata, *consuetudo* ad *ferum, amor* ad *inhumanum, pud.* ad *ingratum.* Sic monet Do. recte.

50. *Accessi, vos semotae etc.* Haec asyndeta animadverte.

Nec clam te est, quam illi utraeque res nunc utiles [x])
Et ad pudicitiam et ad rem tutandam sient.
Quod te ego per dextram hanc oro, et per genium [y]) tuum,
Per tuam fidem, perque huius solitudinem [z]),
Te obtestor, ne abs te hanc segreges, neu deseras:
Si te in germani fratris dilexi loco,
Sive haec te solum semper fecit maximi,
Seu tibi morigera fuit in rebus omnibus.
Te isti virum do, amicum, tutorem, patrem.
Bona nostra haec tibi permitto, et tuae mando fidei.
Hanc mihi in manum dat; mors continuo ipsam occupat.
Accepi: acceptam servabo. *My.* ita spero quidem.
*Pa.* Sed cur tu abis ab illa? *My.* obstetricem arcesso.
*Pa.* propera;
Atque audin'? verbum unum [a]) cave de nuptiis,
Ne ad morbum hoc etiam. *My.* teneo [b]).

x) Sic Do. ironice. Mss. Pall. *inutiles.* Itid. R. y) Al. *ingenium.* z) C. G. m. *sollicitudinem.* Id. in marg. al. *solitudinem.* a) Ita C. G. m. c. gl. *dixeris.* b) V. I. *intelligo* vel *scio.*

omissis scilicet connectendi particulis, ut festinatio et studium exprimatur, de qua arte rhetores agunt.

52. *quam utiles* h. e. parum utiles. Ironia. Itid. infra IV, 5, 16.

54. *per dextr.* „*Dextra* est fidei ac foederis membrum." *genium* i. e. naturam eamq. stabilem constantemque.

55. *solitud.* *Soli* dicuntur, qui cognatis carent atque amicis. Hec. III, 5, 46.

56. *ne abs te etc. neu des.* Conjunctiones *ne, neu,* hoc ordine, quo hic, et alias poni solent; vid. ad Ph. I, 5, 5.

57. *Si*, particula in obtestationibus solemnis. Cic. Fam. X., 9. *germani* pro veri. Itid. Plaut. Most. I, 1, 39.

58. *Sive.* Quoties *sive* iteratur, ab initio ponitur *si.* Sic Plaut. Curc. I, 1, 4.

60. *Te isti virum etc.* Respicit ad haec verba Mysis infra IV, 5, 2-3. *virum,* maritum. Hec. IV, 1, 1.

61. *Bona-tibi permitto* pro, committo. Itid. Liv. VIII, 51. fin. ubi Drakenb.

62. *Hanc mihi in manum dat*, h. e. in potestatem ac fidem meam. Unde in manu viri dicebatur, quae nubebat. *ips. occup.* sc. plura dicere conantem.

64. *arcesso,* ab arceo formatum, ut capesso a capio, facesso a facio. Inde multi vitiose scribere ac pronuntiare solent accesso. Nam etiam ap. Priscian. est *arcesso,* arcessivi. Et sic docuit Gebhard. ad Liv. III, 9.

66. *Ne,* sc. accedat.

# ACTUS II. SCENA 1.

## CHARINUS. BYRRHIA. PAMPHILUS.

*Ch.* Quid ais, Byrrhia? daturne illa Pamphilo hodie nuptum? *B.* Sic est.
*Ch.* Qui scis? *B.* apud forum modo e Davo audivi. *Ch.* vaeh misero mihi!
Ut animus in spe atque in timore usque ante [a]) hac attentus fuit;
Ita, postquam ademta spes est, lassus, cura confectus stupet.
*B.* Quaeso aedepol, Charine, quando [b]) non potest id fieri quod vis,
Id velis quod possit. *Ch.* nihil volo aliud, nisi Philumenam.

a) R. omitt. *ante.* b) L. antiq. *quoniam.*

In hoc colloquio altera pars annectitur fabulae, Charini alterius adolescentis, cum fere tota versatur in Pamphili unius amore. Inter comoedias autem Terentii sola Hecyra circa unum agitur adolescentem; in ceteris obveniunt bini.

*Charinus*, ἀπὸ τῆς χάριτος, adolescens, gratiosum nomen. *Byrrhia*, servus, cuius nomen derivatur ἀπὸ τοῦ πυῤῥὸς h. e. rubens seu rubicundus, mutato π in β.

3. *in spe atq. in timore.* Utramq. hanc animi affectionem veteres saepissime notant atque conjungunt. Inter alios Ovidius Heroid. IX, 42.

5. *aedepol*, cf. supra I, 4, 2. Explicant quidam, *per aedem Pollucis.* Aliter Voss, quem vide. *quando - possit.* Haec sententia est Stoicorum, v. Epictet. Enchir. c. 8. *Μὴ ζήτει τὰ γινόμενα γίνεσθαι ὡς θέλεις, ἀλλὰ θέλε γίνεσθαι τὰ γινόμενα ὡς γίνεται, καὶ εὐροήσεις.* Et cf. infra IV, 5, 10. Hanc certe in ore servi non magis mirabere, quam quod hujusmodi etiam Davus ille ap. Horat. sapiat, Serm. II, 7.

6. *Id vel q. poss.* Secundum proverb.: „invenies aliam Galatheam.“ *aliud.* Enallage generis pro aliam. Sic Apulej. Metam. III. „Adjuro per dulcem etc. me *nullam aliam* mea Fotide malle.“

*B.* Ah, quanto satius est? te id dare operam, qui istum amorem ex animo amoveas[c]) tuo,
Quam id loqui, quo magis lubido frustra incendatur tua.
*Ch.* Facile omnes, cum valemus, recta consilia aegrotis damus.
Tu si hic sis, aliter censeas[d]). *B.* age, age, ut lubet. *Ch.* sed Pamphilum
Video. omnia experiri certum 'st prius quam pereo. *B.* quid hic agit?
*Ch.* Ipsum hunc orabo; huic supplicabo; amorem huic narrabo meum.
Credo[e]), impetrabo, ut aliquot saltem nuptiis prodat dies.
Interea fiet aliquid, spero. *B.* id aliquid nihil est. *Ch.* Byrrhia!
Quid tibi videtur? adeon' ad eum? *B.* quidni? nihil ut impetres,
Ut te arbitretur sibi paratum moechum, si illam duxerit?
*Ch.* Abin' hinc in malam rem cum suspicione istac, scelus?
*P.* Charinum video. salve. *Ch.* o salve, Pamphile.
Ad te advenio[f]), spem, salutem, consilium, auxilium expetens.
*P.* Neque pol consili locum habeo, neque ad auxilium[g]) copiam.
Sed istuc quidnam est? *Ch.* hodie uxorem ducis? *P.* ajunt. *Ch.* Pamphile,

c) Donatus: „legitur et *ex corde ejicias.*" d) Ms. Pal. *sentires.* e) Par. pr. var. *quod imp.* f) Al. *venio.* g) Sic Bc. Vulg. *auxilii.* Cod. Hal. *ad auxiliandum.*

7. *amoveas,* quasi onus.

9. Hic versus prodit Menandri sententiam: *Ὑγιὴς νοσοῦντα ῥᾷστα πᾶς τις νουθετεῖ.*

10. *hic,* adverb. est, non pronomen. Par. explic. „si meo loco fores." *censeas,* cf. Eun. II, 1, 11. *age age.* Sic Noster saepius imitatur Plautum, Caecilium al. formula hac alacritatis eleganti usos. Hoc modo, apage apage, sine sine, dicebant. *Sed Pamph. Video.* Formula scenica, qua quidem, si persona nova accedit, quasi admirantes utuntur. *Pamphil.* sc. venientem.

11. *omnia exp.* Formulae speciem habet pro, nihil intentatum relinquere. Huiusmodi est Eun. IV, 7, 19. Caes. B. G. II, 31. Sic it. Liv. III, 2. „ultima audere et *experiri.*

13. *prodat,* proferat, differat. Sic Liv. 25, 13. „*prodita dies.*"

15. *quidni* pro quidnisi. Aut sensus eruitur hoc modo: *quid? nihil* impetrabis, *nisi ut* etc. Ironice.

16. *moech.* Par. explic. rivalem. *dux.* sc. uxorem.

17. *Abisne hinc in mal. rem.* Haec tota formula Comicis est usitata, qua alicui poenam vel exitium imprecantur. Ph. V, 7, 35.

Si id facis, hodie postremum me vides. *P.* quid ita? *Ch.* hei mihi!
(*submissa voce ad Byrrh.*) Vereor dicere. huic dic, quaeso, Byrrhia [h]). *B.* ego dicam. *P.* quid est?
*B.* Sponsam hic tuam amat. *P.* (*ad Byrrhiam*) nae iste haud mecum sentit. ehodum dic mihi:
Num quidnam amplius tibi cum illa fuit, Charine? *Ch.* ah, Pamphile,
Nil. *P.* quam vellem. *Ch.* nunc te per amicitiam et per amorem obsecro,
Principio ut ne ducas. *P.* dabo equidem operam. *Ch.* sed si id non potes [i]),
Aut tibi [l]) nuptiae hae sunt cordi. *P.* cordi? *Ch.* saltem aliquot dies
Profer, dum proficiscor aliquo, ne videam. *P.* audi nunc jam:
Ego, Charine, neutiquam [m]) officium liberi esse hominis puto,
Cum is nil mereat, postulare id gratiae adponi sibi.
Nuptias effugere ego istas malo, quam tu adipiscier.

h) Al. distingu. *Vereor dicere huic. Dic, quaeso, Byr.* i) Ita l. antiq. Subaudi, Be. monente, facere. Vett. edd. *potest* sc. fieri. l) Ingerit Par. *si* ex mss. s. Al. absque *si.* m) Be. divisim, *ne utiquam.*

21. *ut duc.* Plenius Ph. II, 1, 68. *ux. duc. domum.* Itid. Graeci ἄγειν γυναῖκα vel ἄγειν εἰς οἶκον. We.
*ajunt.* Hac voce non tam respondere, quam seriam responsionem declinare videntur.

22. *Si id facis* i. e. uxorem ducis. „*Facere* verb. generaliter positum pro speciali aliquo negotio." Par. Lexic.

24. *Spons. hic t. amat.* Rem ipsam breviter indicat. Hoc modo Catull. III, 3. „Passer mortuus est meae puellae."

25. *Nam quidnam etc.* Per euphemismum interrogat, anrem habuerit cum Philum. Sic et Eun. I, 2, 63. *rem*, veneream, cf. Eun. I, 2, 39. 58. 100.

26. *quam vellem.* Utique ut haec esset causa recusandi.

28. *Aut t. nupt. h. sunt cordi,*" id est, *nuptiae* jucundae sunt „tibi." L. V. *cordi.* Repetitio ejusd. vocis signum est loquentium indignationis. And. V, 3, 5. Heaut. IV, 6, 11.

29. *Profer.* Idem valet *proferre* quod prodere, cf. v. 13. „Inde res *prolatae* et rerum prolatio pro justitio et vacationibus." We.

31. *Cum is nihil etc.* Sensus: Nolo te mihi gratiam habere, qui nihil praestiterim. *id.* Cum gestu pronuntiandum, valet minimum *gratiae.* Genitivus est *gratiae*; non ut We. putat, dativus.

*Ch.* Reddidisti [n]) animum. *P.* nunc si quid potes aut tute, aut hic Byrrhia,
Facite, fingite, invenite, efficite [o]), qui detur tibi.
Ego id agam, qui mihi ne detur. *Ch.* sat habeo. *P.* Davum optume
Video, cuius [p]) consilio fretus sum. *Ch.* (*ad Byrrhiam conversus*) at tu hercle haud quicquam [q]) mihi,
Nisi ea, quae nihil opus sunt sciri [r]). fugin' hinc? *B.* ego vero ac lubens. (*Byrrhia abit.*)

n) V. I. *reintegrasti.* o) C. I. inger. *ut.* p) Ita Be. Lindenbr. S d We. praefert *Huius*, post *Video* posito puncto. Par. *quojus* antique. q) C. G. ch. *facis.* Glossema olet. r) Ita Be. Bi. At vulg. *scire.* Certe alterutrum, inquit Be., legendum est, aut, *op. est scire*, aut, *opus sunt sciri.* Un. ex Be. codd. *opus est.*

33. *animum.* Quem scilicet desperata salute mea amiseram. *hic Byrrh.* Pronom. *hic* nominib. propriis additum praesentes significat; cf. Ad. III, 4, 33.

34. *Facite etc.* Similia his v. Plaut. Bacch. IV, 4, 42. ,,Compara, fabricare, *finge*, quod lubet conglutina.“ Gradatio est per asyndeton.

35. *qui*, quemadmodum. *ne detur.* Veteres frequenter *ne* pro non dicebant.“ Do. *detur*, sc. Philumena.

36. *at tu hercle etc.* ,,Videtur Byrrhia nescio quas nugas insusurrare hero, quas is graviori cura occupatus audire recusat.“ We. *haud quicq. mihi* sc. ,,consilium das.“ Schol.

37 *nihil.* Bentlejus in limine editionis suae declarat se ubicunque *nihil* monosyllabum pronuntiandum sit, *nil* editurum, ubi *mihi*, mi. Eximenda tamen sunt loca, ubi integra huiusmodi voce opus erit ad versum sustentandum. *vero*, affirmantis. Eun. III, 5, 43.

## ACTUS II. SCENA 2.

### DAVUS. CHARINUS. PAMPHILUS.

*Da.* (*secum.*) Di boni, boni quid porto? Sed ubi inveniam Pamphilum?
Ut metum, in quo [a]) nunc est, adimam, atque expleam animum gaudio.
*Ch.* (*Pamphilo, intuens Davum*) Laetus est, nescio quid. *P.* nihil est. nondum haec [b]) rescivit mala [c]).
*Da.* Quem ego nunc credo, si jam audierit sibi paratas nuptias,
*Ch.* Audin' tu illum? *Da.* toto me oppido exanimatum quaerere.
Sed ubi quaeram? aut quo nunc primum intendam? *Ch.* (*ad Pamphil.*) cessas adloqui?

a) Be. invert. *quo in*, Plautino more. Notat: „In Plauto haec manent; in Terentio puerorum gratia magistri mutabant." b) c) Ab uno Par. cod. abest *haec*, ab altero *mala*.

„Haec scena consilium continet personarum, ad quas maxime pertinet argumentum. Et hic est locus, in quo, ut fieri solet, fortuna mixta rebus dispositis magnas turbas dat." Do.

1. *Dii boni*, Dii immortales, Dii Deaeque, superi inferni, exclamationes sunt admirantibus vel obtestantibus usitatissimae.

3. *nond. h. resc. mala*, sc. Davus nuptias mihi indictas; cf. I, 5, 19.

4. *Quem ego n. credo.* Vulgo supplent, interpretandi causa, „Pamphilum moriturum."

5. *exanim.* cf. supra I, 1, 104. 5, 16. Hec. III, 3, 4. *toto me op. ex a.* Pergit haec Davus, nec viso nec audito Charino.

6. *Sed ubi qu.* „Nunc in omnes se partes versat, quaerens quo dirigat cursum." Do. *intend.* sc. iter, cursum. Itid. absolute Cic. Catil. 1, 12. „quo *intendit*."

*Da.* Habeo [d]). *P.* (*ad abiturum*) Dave, ades! resiste! *Da.* quis homo 'st? qui me [e])! o Pamphile!
Te ipsum quaero. euge, Charine: ambo opportune; vos volo.
*P.* Dave, perii! *Da.* quin tu hoc audi. *Ch.* interii. *Da.* quid timeas, scio.
*Ch.* Mea quidem hercle certe in dubio vita 'st. *Da.* et quid tu, scio.
*P.* Nuptiae [f]) mi. *Da.* et si scio? *P.* hodie. *Da.* obtundis, tametsi intelligo.
Id paves [g]), ne ducas tu illam; tu autem, ut ducas. (*a Pamph. ad Char. conversus.*) *Ch.* rem tenes.
*P.* Istuc ipsum. *Da.* atque istuc ipsum nil pericli [h]) est: me vide.
*P.* Obsecro te, quam primum hoc me libera miserum metu. *Da.* hem,
Libero. uxorem tibi non dat jam Chremes. *P.* qui scis? *Da.* scies [i]).

d) Do. „*Habeo*, per H, inveni. Legitur et *Abeo*.“ V. I. *receda*. Vulg. script. *Abeo*. Sed parum refert, quo modo scribatur. Nam Romani olim adspirare ex usu tantum solebant, figura literae H nondum cognita; cf. Eun. V, 2, 13. e) V. I. *vocat*. f) Mss. Par. add. *parantur*. g) Al. *praecaves*. Al. *cave*. h) Sic contracte, o. mss. Par. ~~non~~ *periculi*. i) Sic Be. recte pro *scio* vulg. Non enim Davus respondet, an sciret? interroganti, sed quomodo sciret? Al. pro glossa *scies*.

7. *Habeo* pro *Abeo*, ut sunt holim pro olim, hostium pro ostium in nonnullis mss. et editt. antiquissimis.

*quis homo.* Abundat *homo*, ut in Hec. III, 4, 17.

8. *ambo*, Charisius et Servius ad Virg. docent, *ambo* aeque ac *ambos* accusativos esse casus.

9. *quin*, immo. Eun. V, 2, 62.

10. *quid hercle certe.* Tres sunt affirmandi particulae, quas Terentius junxit; sic etiam Ph. I, 3, 12. idque more Graecorum. *et quid tu.* Sub. Do. „timeas.“

11. *obtund.* sc. aures, h. e. molestus es, eand. rem iterum atque iterum repetendo. Eun. III, 5, 6. Metaphora a fabrorum repetitis ictibus desumta.

12. *tu autem ut duc.* „Pro ne, non, *ut* posuit. Hoc Charino.“ Do. *ducas* sc. Philumenam uxorem.

13. *me vide.* Formula fidejubendi est, uti, me habe, me respice. Ph. IV, 4, 30.

14. *hem* pro ecce. „Demonstratio est facti.“ Do.

15. *jam.* Do. ita intelligit, quasi ex adverso subaudire queat, postea.

Tuus pater me modo prehendit; ait tibi uxorem dare sese [l])
Hodie; item alia multa, quae nunc non est narrandi locus.
Continuo ad te properans percurro ad forum, ut dicam tibi haec.
Ubi te non invenio, escendo in quendam ibi excelsum locum.
Circumspicio. nusquam es. [m]) ibi forte huius video Byrrhiam.
Rogo; negat vidisse. [n]) mihi molestum. quid agam, cogito,
Redeunti interea ex ipsa re mi incidit suspicio. hem,
Paululum obsoni; ipsus tristis; de improviso nuptiae.
Non cohaerent. *P.* quorsumnam istuc? *Da.* ego me continuo ad Chremem [o]).
Cum illoc [p]) advenio; solitudo ante ostium. jam id gaudeo.
*Ch.* Recte dicis. *P.* perge. *Da.* maneo. interea introire neminem

l) Be. ed. *dari.* Respicit ad sup. I, 2, 20. at ego respicio ad I, 5, 3. Accedit quod o. fere libb. aut *se* habent aut *sese.* m) Be. add. *es*, ut infra IV, 4, 4. quo codicis G. m. glossam tangit, *eras.* Do. *vidi* supplet. n) Par. mss. *se.* o) Ita Be. Erasm. Mu. Lindenbr. al. At Par. *Chremetem;* testans, in nullo mss. s. esse *Chremem.* Contra Erasm. not. haec: *Chremem* et *Chremetem*, ut *Darem* et *Daretem.* V. I. *dirigo.* p) Al. *illo.*

16. *tibi ux. dare sese.* Non tantum soceri, sed et patres dicebantur uxores dare filiis, cf. infra 6, 21. III, 3, 28. Ph. I, 2, 70. Itid. Plaut. Truc. IV, 3, 69.

17. *it. al. multa.* Scilicet minae domini, quas callide tacet; cf. supra I, 2, 25 etc. *non est narr. loc.* „Bene distulit narrationem, ne si audirent Charinus et Byrrhia desinant dolos struere adversus vigilantissimum senem.“ Do.

18. *ad for.* Vera refert, quae vide supra I, 3, 21.

19. *escendo in quend. etc.* Similis locus Virg. A. I, 184. Poterat autem Davus facile reperire *excelsum locum*, quod clivosa esset urbs Athenarum. Ad. IV, 2, 35. 36.

20. *huius*, *δεικτικῶς*, Charini. *Byrrhiam*, servum.

23. *obsoni* h. e. eduliorum, quae cum pane comeduntur. Plutarch. Sympos. IV. It. Cornel. Themist. 10. ubi Fischer. „opsonium, inquit, sensu arctiore, de piscibus est intelligendum.“ Vocem ipsam Kirchmajerus ad Cornel. Agesil. 8. deducend. putat ex *ὄψον* piscis et *ὀνοῦμαι* emo. „*obsonium* est ipse modicus cibus inter paucos.“ Schol. *ipsus* antique pro ipse. Hec. III. 2, 8. Scilicet Simo significatur. Nam servi heros, discipuli magistros vocabant *ipsos*, gr. *αὐτοὺς*. Sic et domina vocatur *ipsa* Plaut. Casin. IV, 2, 11.

24. *ego me continuo* sc. conjicio in pedes, cf. Ph. I, 4, 13.

Video, exire neminem; matronam nullam in aedibus,
Nil ornati, nil tumulti. accessi, intro aspexi [q]). *P.* scio.
Magnum signum. *Da.* num videntur convenire haec [r])
nuptiis?
*P.* Non, opinor, Dave. *Da.* opinor, narras? non
recte accipis.
Certa res est. etiam puerum inde abiens conveni Chremis,
Olera [s]) et pisciculos minutos ferre in coenam obolo seni.
*Ch.* Liberatus sum hodie, Dave, tua opera. *Da.* ac
nullus quidem.
*Ch.* Quid ita? nempe huic prorsus illam non dat. *Da.*
ridiculum caput!
*Ch.* Quasi necesse sit, si huic non dat, te illam uxo-
rem ducere;
Nisi vides, nisi senis amicos oras, ambis. *Ch.* bene mones.
Ibo, etsi hercle saepe jam me spes haec frustrata 'st.
Vale.

q) V. I. *in domum Chremetis.* r) C. G. m. colloc. *haec conv.* s) Mu. *Holera*, cf. v. 7. d).

27. *matron. null.* ,,Intelligi vult pronubas, vicinas, cognatas, quae sponsam ornarent, ornatam deducerent ad aedes mariti, et in thalamo collocarent.“ We.

28. *ornati*, *tumulti*, per archaism. pro *ornatus*, *tumultus*. ,,*Ornabantur* postes et aliae partes aedium florib. et coronis.“ Ru. Per *tumult.* intelligitur turba coquorum, tibicinarum et hymenaeum qui cantaturi erant, discurrentes et perstrepentes *tumultum* excitabant.“ We.

30. *narras*, dicis. *accipis*, intelligis.

31. *puerum*, h. e. servum, παῖδα. Hor. Od. 1, 38.

32. *Olera et pisciculos etc.* Est descriptio frugalitatis senilis. *Olera* certe in cibis vilissimis erant, quae oderunt parasiti, Plaut. Truc. II, 7, 48. Et Hor. Sat. II, 6, 64.

*piscic. minut.* Deminutionem addit minuto, ut vilitas magis appareat. Cic. Verrin. 6, 7. ,,*minutae* fruges.“ Omnino autem pisces Athenis propt. mare propinquum magni non poterant venire. *obolo*, h. e. minimo pretio. Erat autem *obolus*, ὀβολὸς, Graecor. sexta pars drachmae; vid. Priscian. de ponderib. et mensuris. Signific. autem ferre *obolo* i. q. gr. ὀβόλον ἀγοράσαι

33. *nullus* pro non. Eun. II, 1, 10. Hec. I, 2, 4, not.

34. *huic*, Pamphilo *non dat* Chremes. *ridic. caput.* ,,Pro toto homine. Nemo enim, ore contemto, ex aliis membris hominem velit significare; et est συνεκδοχὴ τρόπος.“ Do.

35. *Quasi etc.* Tertium datur, quod absurdus ille non sentit.

36. *vides*, provides; cf. sup. I, 3, 3. et infra 6, 55.

*ambis.* *Ambire* dicuntur qui quid summo studio petunt. Proprie de candidatis, qui populum circumibant, ut sibi suffragia colligerent ad summos magistratus consequendos.

# ACTUS II. SCENA 3.

## PAMPHILUS. DAVUS.

*P.* Quid igitur sibi vult pater? cur simulat? *D.* ego dicam tibi.
Si id succenseat [a]) nunc, quia non det [b]) tibi uxorem Chremes,
Ipsus sibi esse injurius videatur; neque id injuria.
Prius quam tuum, ut sese habeat, animum ad nuptias perspexerit.
Sed si tu negaris ducere, ibi culpam [c]) in te transferet.
Tum illae turbae fient. *P.* quidvis patiar [d]). *D.* pater est, Pamphile.
Difficile 'st. tum haec sola 'st mulier. dictum ac factum invenerit

a) Fa. Be. Par. *suscens.* ex mss. b) Ita Be. et cod. Hal. Vulg. *dat* minus latine. c) C. G. m. *omnem.* d) Distingu. al. *quidvis? patiar?* al. *quid? vis patiar?* Equid. sustuli cum Be. omn. interrogationem.

Haec scena deliberationem continet Davi et Pamphili, qua ille persuadet huic, ut patri dicat, uxorem se ducturum.

1. *cur simulat*, cf. supra I, 1, 130.

2. *Si id succ.* „Fingitur succensens Simo, ob denegatam filio Chremetis filiam, nondum perspecto etiam Pamphili animo de nuptiis, et credens, se vel cum gratia id impetraturum vel certe invitum filium coacturum." We.

4. *ut sese hab.* i. e. qualis sit. Liv. V, 5. „*ut* n. *se* res *habet.*"

5. *ibi* pro tunc. Eun II, 2, 50. *culp. in te transf.* Davus manifestat consilium senis, quod is exseruit Sosiae supra I, 1, 131.

6. *illae turbae etc.* h. e. filii et patris de hac re concepti dolores: filii praesertim, cf. sup. I, 5. *pater est.* „A necessario argumentum."

7. *Difficile est* sc. resistere, contradicere. *sola.* Cf. I, 5, 55. not. *dict. ac fact.* Proverbial. est locutio, ubi quis citra moram id re praestat, quod verbis pollicetur etc. Erasm. Adag.

Aliquam causam, quamobrem eam oppido eiciat [e]). *P.* eiciat? *D.* ac cito.
*P.* Cedo igitur, quid faciam, Dave? *D.* dic te ducturum. *P.* hem! *D.* quid est?
*P.* Egon' dicam? *D.* cur non? *P.* nunquam faciam. *D.* ne nega.
*P.* Suadere noli. *D.* ex ea re quid fiat, vide.
*P.* Ut ab illa excludar, huc [f]) concludar. *D.* non ita'st.
Nempe hoc sic esse opinor, dicturum patrem:
Ducas volo hodie uxorem; tu, ducam, inquies.
Cedo, quid jurgabit tecum? hic [g]) reddes omnia,
Quae nunc sunt certa ei consilia, incerta ut sient,
Sine omni periclo. nam hocce haud dubium 'st, quin Chremes
Tibi non det gnatam; nec tu ea causa minueris
Haec quae facis, ne is [h]) mutet suam sententiam [i]).

e) Sic Bc. ex codd. s. *τρισυλλάβως*. Itid. in C. G. m. inveni. f) Sic Be. Erasm. We. Lindenbr. In C. G. m. et C. Hal. *hac.* g) V. I. *in hoc responso.* h) Id. *Chremes.* i) Id. *quia deliberatum habet tibi non dari Philumenam.*

8. *quamobrem.* Hac utitur locutione frequenter. Alioquin dicend. erat, quam ob *causam*, ut id. nomen repeteretur, quod praecesserit. *oppido eiciat.* „Scilicet per magistratus." We. It. Menandri est, *ἐκβάλλειν τῆς πόλεως*. *ac mem.* Partic. *ac* eod. orationis tenore cf. Eun. V, 3, 6.

9. „*Cedo.* „Pronuncia, dic, quasi rem facilem ac nullius praejudicii." Do.

10. *Egone.* Cum emphasi, h. e. quem dedeceat fallere patrem atque mentiri.

12. *Ut ab illa exclud.* h. e. ut a Glycerii nuptiis repellar. „Amantes enim proprie *excludi* dicebantur, quoties amicarum fores offendebant clausas. „We. Eun. I, 1, 4. Et Tibull. II, 5, 47. 48. „nulla *exclusura* dolentes Janua."

*huc conclud.* h. e. in Philumenae nuptias conjiciar; cf. inf. III, 4, 25. *Concludi* dicuntur ferae bestiae vel caveis vel retibus in venatione. Ph. V, 1, 17. Plaut. Curc. III, v. 79, 80. *huc.* Hoc dicit, domum Chremetis intuens.

14. *Ducas volo etc.* cf. infra 5, 7.

15. 16. *redd. omnia – incerta ut sient.* Terentius hic quoque commiscet duas constructiones diversas pro more suo in una. Nam aut erat ponendum, *reddes incerta*, aut, efficies, *ut incerta sint*, vid. infra III, 2, 23, Eun. III, 5, 62. 65. Huc respexit Horatius, Sat. II, 5, 167. etc. dicens: „si quis — *Reddere certa* sibi."

17. *Sine o. peri.* „H. e. sine ducenda Philumena." Do.

18. *ea causa.* Scilicet quia minime dabit ille filiam. *nec minueris* h. e. *nec* mutaveris. Sic Hec. IV, 5, 10.

19. *Haec quae fac.* „ire ad Glycer." schol. *ne is*, sc. Chremes, *mut. sent. s.*, quando te non ire ad Glyc. videret.

Patri dic velle [l]): ut, cum velit, tibi jure irasci non queat.
Nam quod tu speres, propulsabo facile. uxorem his moribus [m])
Dabit nemo. inveniet inopem potius, quam te corrumpi sinat.
Sed si te aequo animo ferre accipiet, negligentem feceris.
Aliam [n]) otiosus quaeret. interea aliquid acciderit boni.
*P.* Itan' credis? *D.* haud dubium id quidem'st. *P.* vide quo me inducas. *D.* quin taces!
*P.* Dicam. puerum autem ne resciscat mi esse ex illa, cautio est:
Nam pollicitus sum suscepturum [o]). *D.* o facinus audax! *P.* hanc fidem
Sibi me obsecravit, qui se sciret non desertum iri [p]), ut darem.
*D.* Curabitur. sed pater adest. cave, te esse tristem [q]) sentiat.

l) C. G. m. *te* c. gl. *ducere.* m) V. I. *meretricalibus.* n) C. G. m. et C. Hal. *alia* c. glossa utrobiq. ead. *negotia.* o) V. I. *nutriturum.* p) Ita Mu. ex C. vet. Al. *deserturum*, ubi deest *me.* q) Par. un. C. *ne.*

21. *speres.* Sunt qui pro *speres* legere malint *timeas.* Sed iidem non intelligunt, *sperare* saepius poni Latinis pro timere. Exemplorum adfero unum, Cic. p. Rosc. A. 4. „sin a vobis, id quod non *spero,* deserar." Vid. ibid. Doering.

22. *corrumpi*, eod. sensu quo Tacit. G. 19. „nec *corrumpere* et *corrumpi* seculum vocatur." ubi Longol. exemplis allatis rem veneream denotari ostendit.

24. *Aliam otios. quaeret.* Similiter Liv. 1, 40. „rex um, Servio occiso, quemcunq. *alium* generum delegisset."

25. *induc.* verb. venatorium, uti *conclud.* v. 12.

26. *puerum*, cf. infra IV, 3. *cautio*, nom. verbale, pro cavendum. Sanct. Min. I, 15.

27. *susceptur.*; cf. I, 3, 14, not. *hanc fid. Sibi me etc.* Ordo est, *ut hanc fid. sibi darem etc.*

28. *obsecravit* sc. Glycerium. *qui*, cf. infra IV, 4, 52, not. et Horat. A. P. 462. „*Qui* scis, an."

29. *Curabitur.* „Non, curabo, sed impersonaliter, cum difficultate: quod quasi arduum esset, et grave ostendit." Do. *sed*, cf. Eun. II. 1, 11.

## ACTUS II. SCENA 4.

### SIMO. DAVUS. PAMPHILUS.

*Si.* (*secum*) Reviso quid agant, quidve captent consilii.
*D.* Hic nunc non dubitat, quin te ducturum neges.
Venit meditatus alicunde ex solo loco [a]);
Orationem [b]) sperat invenisse se,
Qui differat [c]) te. proin tu fac apud te ut sies [d]).
*P.* Modo ut possim [e]), Dave. *D.* crede, inquam, hoc mihi, Pamphile,
Nunquam hodie tecum commutaturum patrem
Unum esse [f]) verbum, si te dices ducere [g]).

a) V. I. *remoto*, *secreto.* b) Un. ex Par. mss. *rationem.* Cf. I, 1, 114. c) V. I. *dissipet.* d) C. G. m. *sis*, c. var. *sies.* e) C. I. et E. V. *possum*, male. f) Abest *esse* a Par. mss. quarto. g) G. 1. add. Pa. *faciam.* Cf. Hec. V, 1, 41.

,,Haec scena nodum injicit erroris fabulae, et periculum comicum. Facit etiam exsecrationem consiliorum.'' Do.

1. *Reviso quid etc.* cf. I. 1, fin. quae jusserat Simo ad observandum Davum. *capt. consil.* cf. sup. I, 1, 45.

2. *Hic non dub. quin. etc.* Haec opinio inde Davo poterat venire, quod Pamphilus propositione patris obstupuisset, supra I, 5, 21.

3. *meditatus*, sc. secum. Itid. Ph. II, 1, 12.

5. *differ.* h. e. carpat, perstringat. Itid. Plaut. Pseud. I, 3, 124. ,,jam ego te *differam* dictis meis.'' Nisi felicius forte Do. ,,disturbet, in diversum ferat.'' *ap. te ut s.* Non esse apud se h. e. perturbatum esse. Unde, redire ad se, ut And. III, 5, 16. est, colligere se. ,,Quasi abierit animus et rursus redierit.'' Do.

6. *Modo ut* pro, si modo. Ph. I, 2, 9.

7. 8. *tecum commutat. patr. Un. esse verb.* Haec locutio videtur nullibi alias obvenire. Sed credit We. *verba commutare* cum altero, olim simpliciter dictum pro sermones conferre, pro jurgari, mutuisq. verbis et conviciis incessere. Paene idem Germanis est, wortwechseln. Vid. Ph, IV, 3, 33. Nostrum h. locum Drakenb. allegat ad Liv. X, 19. ,,inter paucos certatum fuerat,'' ubi exponit: proprie *verba commutare* est, quod altercari dicimus.''

# ACTUS II. SCENA 5.

## BYRRHIA. SIMO. DAVUS. PAMPHILUS.

*B.* Herus me, relictis rebus, jussit Pamphilum
Hodie observarem [a]), quid ageret de nuptiis.
Scirem id: propterea nunc hunc venientem sequor [b]).
Ipsum adeo praesto video cum Davo. hoc agam.
Utrumque adesse video. *D.* hem, serva. *S.* Pamphile!
*D.* Quasi de improviso respice ad eum. *P.* ehem, pater.
*D.* Probe. *S.* hodie uxorem ducas, ut dixi, volo.

a) Sic Be. pro *observare* vulg. Id. omitt. *ut*, quod proxime vulgo sequitur, quo concinniorem reddat periodum. Atque it. Gesner. construct. hanc, *me jussit observarem*, defendit, quae ead. est Eun. IV, 4, 24. 25. b) Hunc v. Be. ut spurium uncis circumscrib. ob voc. praesertim *venientem*. Et jam ante Be. vidit Westerhovius fieri non potuisse, ut servus *venientem* diceret Pamphilum, qui dudum aderat. Igit. subaud. potius *Simonem*, quod id. glossema est codicis Hal. Distinctio versus mea est.

„Vide quam mire, quam omnes consulto consilio sibi agere videantur, tamen omnes rerum exitu inopinato ludificantur, et Simo et Davus et Pamph. et Charinus et ipse Byrrhia.“ Do.

1. *relict. reb.* Formula festinandi, usitata praet. Terent. aliis.

2. *Hod. observ. quid etc.* Hoc fere id. mutatis personis supra I, 1, 142. 143.

4. *Ipsum*, Pamphilum. *praesto* sc. esse. *hoc agam.* „In gestu est; nam est figura corporis observantis quid agatur.“ Do. Et Far. not. Rituale a sacrific. et auguriis sumtum, in quibus sacerdos aut praeco alta voce exclamabat: *hoc age*: quae vox eos qui interessent monebat, ut ad rem, quae ageretur, tota mente vacarent.“ Huic contrarium est illud Eun. II, 3, 57. *alias res agis.* Lambin. ad Hor. Ep. I, 18, 88. „in hanc curam incumbe.“

5. *serva.* Scilicet illa praecepta, quae modo dederat, 4, 5, ac superiori scena 3.

6. *Quasi de impr.* Nempe ne meditata Simo intelligat te mecum habuisse consilia.

7. *Probe.* Quo dicto Pamphilum bene fecisse, domino non sentiente, significat.

*B.* Nunc nostrae timeo parti, quid hic respondeat.
*P.* Neque istic, neque alibi tibi usquam erit in me mora. *B.* hem.
*D.* Ommutuit [c]). *B.* quid dixit? *S.* facis ut te decet,
Cum istuc, quod postulo, impetro cum gratia.
*D.* (*submissa voce ad Pamph.*) Sum verus? *B.* herus, quantum audio, uxore excidit.
*S.* I nunc jam intro; ne in mora, cum opus sit, sies.
*P.* Eo. *B.* nullane [d]) in re [e]) esse cuiquam [f]) homini fidem?
Verum illud verbum 'st, vulgo quod dici solet,
Omnes sibi esse melius malle [g]), quam alteri.
Ego, cum illam vidi, virginem forma bona
Memini videre: quo [h]) aequior sum Pamphilo,
Si se illam in somnis, quam illum, amplecti maluit.
Renuntiabo [i]), ut [l]) pro hoc malo mihi det malum.

c) Sic script. Be. Par. recte. Cf. Cic. Or. 47. At We. al. *obmut.* V. I. *pater tuus sicut dixi.* d) Par mss. Hal. C. *nullamne.* e) V. I. *sua re.* f) Par. *quoiquam*, cf. II. 1, 36. g) Be. *mavelle* pro *malle*, et pro *melius*, duplici comparativo offensus, *bene* posuit. Male. h) V. I. *in qua re.* i) Id. *hoc domino meo.* l) C. G. m. sup. scrpt. *ne.* Non sensit glossator servi ironiam.

9. *istic*, pro, ista in re.

10. *Ommutuit.* Hoc Davus Pamphilo in aurem insusurrat. Inde Byrrhia interrogationem ad semetipsum, *quid dixit?*

11. *imp. c. grat.* cf. Ph. IV, 3, 16. 17.

12. *Sum verus*, vera dixi; cf. supra 4, 6. etc.

13. *nunc jam.* Itid. Liv. 5, 17. Omnino autem synonyma saepe solent geminari, ut *deinde postea*, Liv. 41, 24. *quoque etiam*, Plaut. Pers. IV, 9.

14. *Nullane in re esse etc.* Cf. supra, I, 5, 10, not. Querimonia fere ead. Catull. 30, 6. „Eheu! quid faciant dehinc homines *quoive habeant fidem?*"

15. *verbum*, proverbium.

16. *Omnes sibi esse etc.* Haec Terentii sententia fere ead. est, quae Euripidis in Medea, ὡς πᾶς τις αὑτὸν τοῦ πέλας μᾶλλον φιλεῖ. *sibi esse melius* i. e. magis beatos ac felices esse. Ad. I, 1, 9. Et Hor. serm. II, 8, 18. „pulchre *fuerit tibi.*" *melius malle.* Itid. duplici comparat. Liv. 22, 54. „qui *magis malit.*"

18. *quo*, quare, quapropter; vid. Sanct. Min. IV, 4.

19. *in somnis*, per noctem.

20. *Renunt. ut p. h. malo.* Ludit servus et jocatur in re seria. *malum* h. e. verbera, poena servorum. Itid. Liv. 4, 49. „sicut servis, *malum* minantem militibus." *malo malum.* Id verb. sensu diverso. *pro h. malo* sc. nuntiato, quo nimirum *excidit uxore* Charinus.

# ACTUS II. SCENA 6.

## DAVUS. SIMO.

*Da.* Hic nunc me credit aliquam sibi fallaciam
Portare, et ea me hic restitisse gratia.
*Si.* Quid, Dave [a]), narrat? *Da.* aeque [b]) quicquam nunc quidem.
*Si.* Nilne? hem. *Da.* nil prorsus. *Si.* atqui exspectabam quidem.
*Da.* Praeter spem evenit: sentio: hoc male habet virum.
*Si* Potin' es mihi verum dicere? *Da.* ego [c])? nil facilius.

a) Sic Be. Omn. codd. *Davus.* At vero praeter Be. in Par. Ed. it. *Dave* pro var. exhibetur. Quod ipsum probo. Nam scena priori v. 14. Pamphilus ibat in domum, Davo comitante, qui tamen extra ostium restitit. Ad hoc igitur refer verba, *et ea me restitisse gratia.* Senex autem h. l. v. 3. Davo instat, ut quid Pamphilum audiverit murmurantem secum communicet. b) Schmieder ex codd. *neque* pro *aeque.* Itid. Par. in marg. c) *Da. ego?* Haec Be. infert, ut metro consulat; quo insuper vivacius reddi videatur diverbium; cf. Eun. I, 2, 21.

„Haec scena dolos continet utriusq. personae, quibus utraque capit, et capitur miro modo.“ Do.

3. *Quid narrat?* Sic solent qui submissius loquentes vix intellexerant. *aeq. quicq. n. q.* h. e. nihil. Paene id. est illud Plaut. Mil. III, 1, 188. „*aequi* istuc facio“ pro, non tantidem, nihil est. Ibid. Taubm. et *aeque* exhib. pro varia lect. Sed in loc. nostr. difficiliorem scholion C. Guelf. hoc est; *aeq. quicq. nunc quid.* est aequiter omnia q. d. nihil narro, et posit. speciale pro generali; aeque narrat omnia qui nihil narrat.

4. *nihil prorsus.* „Dicit hoc in quo nulla est ambiguitas.“ Do.

6. *Potisne.* Hac ratione, *Potis* sum, contracte Possum, vid. Voss. de Analog. *Si. Potin' est* —? *Da. ego?* Cuiusmodi singulorum deinceps interrogata etiam videbis Eun. I, 2, 21.

7. *haec* antique pro *hae.*

*Si.* Num illi molestae quippiam haec [d]) sunt nuptiae,
Propter hospitae huiusce consuetudinem?
*Da.* Nihil hercle; aut, si adeo, bidui est aut tridui
Haec sollicitudo [e]). nosti [f])? deinde desinet.
Etenim ipsus eam rem recta reputavit via.
*Si.* Laudo. *Da.* dum licitum est ei, dumque aetas tulit,
Amavit; tum id clam; cavit, ne unquam infamiae
Ea res sibi esset, ut virum fortem decet.
Nunc uxore opus est. animum ad uxorem appulit.
*Si.* Subtristis visu 'st esse aliquantulum mihi.
*Da.* Nil propter hanc [g]); sed est, quod succenset [h]) tibi.
*Si.* Quidnam 'st? *Da.* puerile 'st. *Si.* quid id [i]) est?
*Da.* nil. *Si.* quin dic, quid est?
*Da.* Ait [l]), nimium parce facere sumtum. *Si.* me-
ne? *Da.* te.
Vix, inquit, drachmis est obsonatum [m]) decem.

d) Al. *hae.* Infra IV, 1, 32. e) V. I. *prioris amatae.* f) Mallem pronuntiatum absque interrogatione, ut Heaut. II, 2, 10. Leg. al. *nostin;* al. *nostine.* g) Vulg. *hanc rem.* Sed Be. omitt. *rem*, subaudiens *hospitam*, sc. Glycerium; cf. v. 8. h) Var. lect. ap. Bi. *succenseat.* i) Be. *id.* l) Mss. Pal. *te.* Sed ea lectio, sicut pleraeq. Palatinorum, glossam sapit. m) Ita Be. e duob. libb. Vulg. *obsonatus est.*

8. *Propt. hosp. consu.*; cf. Hor. Od. III, 7, 9, 10., ubi Lambin. *hospitae*, Chloes, quae tuum virum amat.

9. *si adeo* i. q. ut plurimum, ut maxime. „Bene, *aut si adeo*, ne sic omnino negaret." Do.

11. *via*, via s. ratione.

12. *dum licit. est ei, dumq. aet. tulit.* Verba sunt heri fere ead. supra I, 2, 17 etc., quib. comice utitur servus per imitationem.

13. 14. *cavit, ne unquam infam. Ea res etc.* Id vero studiose atque honeste praecipiebant amantibus; quomodo Plaut. Curc. I, 1, 28. „*ne id quod ames tibi sit probro.*" His ergo veterator quae cordi sunt patri callide morem gerit atque obsequitur.

16. *Subtrist.* pro aliquantulum *tristis*; vid. Fab. de praepositione *sub*, quae minuit significationem. Additur h. l. *aliquantulum* comice, uti supra 2, 32. *piscic. minut.*

17. *quod succens. tibi.* Patet Davum derivare Pamphili tristitiam, quam senex animadverterat, ad aliam qualemcunq. caussam.

18. *puerile est.* Ad puerum ex Pamph. genitum facete alludit; cf. supra 3, 26.

20. *Vix drachmis etc.* Notum est qui *obsonio*, paucis eund. dici esse contentum. Erat enim in proverbio, etiam ap. Graecos: „Si caseum haberem, non desiderarem *obsonium.*" Erasm. *drachm.*

Num filio videtur uxorem dare?
Quem, inquit, vocabo ad coenam meorum aequalium
Potissimum nunc? et, quod dicendum hic siet,
Tu quoque perparce nimium. non laudo. *Si.* tace.
*Da.* (*secum*) Commovi. *Si.* ego istaec recte ut fiant videro.
Quidnam hoc rei est? quid hic volt veterator sibi?
Nam si hic mali est quicquam, hem illic [n]) est huic rei [o]) caput.

n) V. I. *in ipsa domo.* o) Erasm. in marg. *rei* monosyllab. est.

*decem.* *Drachma* est nummus, conveniens fere cum Romanorum denario, quorum unus aureus pro decem argenteis valebat. Sex millibus vero *drachmis* continebatur talentum Atticum.

23, *hic* pro, hac in re, cf. supra 1, 10.

24. *non laudo.* Modeste dicit *non laudo* pro reprehendo.

25. *Commovi*, iratum reddidi sc. herum. *videro*, providero, curavero. Simplex verb. pro composito.

26. *Quidn. h. rei est?* „Verba sunt secum cogitantis, aut de his quae nunc locutus est Davus, aut de adventu mulierum, quae in scenam veniunt.“ Do. *veterator*, est in omni re callidus, sed non semper convicium in servos. Supra ipsum hoc nomen vid. Lindenbr.

27. *huic rei caput.* i. e. huius *rei* auctor. Itid. Ad. IV, 2, 29. Etiam vid. Cic. p. Rosc. A. 27. ubi Doering.

---

# ACTUS III. SCENA 1.

## MYSIS. SIMO. DAVUS. LESBIA. GLYCERIUM.

*My.* Ita pol quidem res est, ut dixti, Lesbia:

„In hac scena novo modo, cessante Davo, fallitur Simo per nimiam sagacitatem suam. Simul in hac scena id agit poeta, ut ad nuptias faciendas magis accendatur Simo. Et quaedam industria, quaed. velut casu eveniunt: ut nunc suspicio senis. In multis enim *οἰκονομία* comicorum poetarum ita se habet, ut casu putet spectator venisse, quod consilio scriptorum factum sit.“ Do.

1. *Lesbia.* Ab insula *Lesbi*, ob vinum famosa. Cf. supra I, 4, 1.

Fidelem haud ferme mulieri invenias virum.
*Si.* Ab Andria 'st ancilla haec. *Da.* a) quid narras?
*Si.* b) ita 'st.
*My.* Sed hic Pamphilus. *Si.* quid dicit? *My.* firmavit fidem. *Si.* hem!
*Da.* Utinam aut hic surdus, aut haec muta facta sit.
*My.* Nam quod peperisset, jussit tolli. *Si.* o Jupiter!
Quid ego audio! actum 'st, siquidem haec vera praedicat.
*L.* Bonum ingenium narras adolescentis. *My.* optumum.
Sed sequere me intro, ne in mora illi sis c). *L.* sequor. (*mulieres eunt intro.*)
*Da.* Quod remedium nunc huic malo inveniam? *Si.* quid hoc?
Adeone est demens? ex peregrina? jam scio, ah!
Vix tandem sensi stolidus. *Da.* (*secum*) quid hic sensisse d) ait?
*Si.* Haec primum adfertur jam mihi ab hoc fallacia.
Hanc simulant parere, quo Chremetem absterreant.

a) b) Sic Be. nomina praefigit. Vulg. Si. *quid narras?* Da. *ita 'st.* c) Par. mss. add. *cum opus sit.* d) Quid. mss. ap. We. *se.*

2. *virum.* Fisch. ad Anacreont. Od. 72. not. „Ὁ ἀνὴρ est amator, ut *vir* ap. Terent. III, 1, 2."

3. *Ab Andria* pro Andriae; cf. sup. I, 3, 21. et infra IV, 4, 17.

4. *dicit.* „Per *dicit* seni mulier intelligitur, mulieri Pamphilus." We.

5. *Ut. aut h. surdus etc.* Huic compar. Tibull. IV, 14. „Nunc ego me *surdis* aurib. esse velim." Ob rumorem sc. de amatae perfidia.

6. *Nam quod peperisset etc.* Cf. I, 3, 14. *tolli*, nutriri.

7. *actum est.* Desperantis formula, quam petit Do. a judiciis.

8. *in nium*, „naturam." Do.

10. *huic malo.* Quod scilicet loquacitas modo effecerat mulieris. *inveni*, gr. εὕρηκα. Supra I, 1, 59.

11. *ex peregr.* Do. suppl. „ut filium suscipiat?" Ex *peregrina* autem qui natus erat, legib. Atheniens. non poterat esse civis. Lex enim est ap. Herodot. lib. 1. Ἢν δὲ ἀνὴρ ἀστὸς γυναῖκα ξένην ἔχῃ, ἄτιμα τὰ τέκνα γίνεται. Ita non mirum est, Simonem iracundum tanta admiratione percussum exclamare: *Adeone est demens? ex peregrina?*

12. *tandem*, cf. Eun. V, 2, 68. h. l. indignantis.
*stolid.* Ex eo jam senex, quod pro nimis acuto *stolidus* apparet, ridiculus fit.

13. *adfertur fallacia*; cf. II, 6, 1.; etiam superiora, I, 2, 25. 26.

14. *Hanc simulant etc.* Haec verba tanq. animi praesagientis ad act. IV, scen. 4. spectant.

*G.* (*haec Glycerii vox a profunda scena auditur*) Juno
Lucina [e]), fer opem! serva me, obsecro.
*Si.* Hui! tam cito? ridiculum! postquam ante ostium
Me audivit stare, adproperat [f]). non sat commode
Divisa sunt temporibus tibi, Dave, haec. *Da.* mihin'?
*Si.* Num immemores discipuli [g])? *Da.* ego quid narres nescio.
Hiccine me si imparatum in veris nuptiis
Adortus esset, quos mihi ludos redderet?
Nunc huius periclo fit, ego in portu [h]) navigo.

e) V. I. *Lucina dicitur eo quod in lucem praeest nascentibus.* f) Id. *partum.* g) Jam inde a Donati aetate lectio est, *immemor es discipuli.* Itid. C. G. m. ubi sup. script. est, *tui*, *filii mei.* h) V. I. *tuto.*

15. *Juno Lucina etc.* Haec vox ab interiore tantum scena auditur, non in media. Inde illud intelligitur Horatii praeceptum, A. P. 182. 183. „nec tam. *intus* Digna geri, promes in scenam.“ *Juno Lucina.* Catull. Carm. XXXIV, 13, 14. et Ovid. Met. V, 304. Ut alios scriptores praeteream hanc Deam commemorantes, Diodorum Sic. satis habeo auctorem, eand. Graecos *εἰλείθυιαν* dicere *λαβεῖν τὴν περὶ τὰς τικτούσας ἐπιμέλειαν*, lib. V, §. 73. Add. Ovid. Met. V, 304. ubi vide Lenz. *serva.* Recte, quia *conservatrix* inter alia Juno cognominabatur.

18. *Divisa sunt temporibus etc.* Locutio ab ipso theatro desumta, ubi omnia actibus, partib. *temporib.* ac personis *divisa* vel distributa dicebantur.

19. *immemor discip.* Non satis tenent praecepta magistri. Dubitat enim Simo, illam vere peperisse. Quo modo Hor. Epod. 5, 5. „si vocata partubus *Lucina* veris affuit.“

20. *in veris.* His *veris nuptiis* compara quae simulatae videbantur supra I, 1, 20.

21. *mihi lud. redd.*; cf. Ph. V, 8, 52, not.

22. *in portu navigo.* Est proverbialiter dictum, quo notatur summa securitas.

# ACTUS III. SCENA 2.

## LESBIA. SIMO. DAVUS.

*L.* Adhuc, Archylis, quae adsolent quaeque oportet [a])
Signa esse ad salutem, omnia huic esse video.
Nunc primum fac istaec lavet: post deinde,
Quod jussi ei dari [b]) bibere, et quantum imperavi,
Date. mox ego huc [c]) revertor.
Per ecastor [d]) scitus puer est natus Pamphilo.
Deos quaeso, ut sit superstes, quandoquidem ipse 'st
ingenio bono;

a) Var. ap. We. *oportent ἀρχαϊκῶς.* Hunc vers. Bacchiacum esse Be. animadvertit, quem distinguit ita: *Adhuc Arch|ylis quae ad|solent quaeque| oportet.* b) Sic Be. Par. ex libb. Al. *dare.* Invenit Fa. *date.* c) R. omitt. *huc.* d) Priscian. *Percastor.* Al. per diphthong. *Per aecast.* Sed plurimi libb. sine diphth., ut anapaestus in prima huius vers. servetur, correpta antepenult. *Per ecast.* V. I. *Per Deum Castorem.*

„In hac scena specta, quam scite expressa sit consuetudo medici vel medicae egredientis ex aegri domo.“ Do.

1. *Adhuc quae adsolent etc.* Addidit Boeclerus ex Ulpiano, quae de obstetricum opera laudantur.

2. *Signa ad salut.* sc. pertinentia, vel spectantia.

3. *istaec. Isthaec* Donato videtur Terentius dixisse, ne pudenda diceret. Alii tamen ea interpretantur esse, quae ex puerperio sorderent. Ab his ego dissentio existimans per *istaec* puerperam ipsam subaudiri propter *lavet* praesertim, cum ap. Menandr. etiam est, *λούσατε αὐτὴν.* *lavet* pro lavetur.

4. *Quod jussi - et q. imp.* Medicorum solemnia verba, vid. Brisson. de Form. *bibere*, infinitiv. pro potum. Sic Plaut. Pers. V, 2, 40. *bibere da.* Etiam Graeci, ut Anacreont. Od. XXI. *δότε μοι πιεῖν.*

6. *scitus*, h. e. elegans puer, quem Graeci *κόσμον* dicunt. Sunt qui diaeresin esse putant, sic ordinantes, *perscitus ecastor.* Magis tamen placet, verba *per ecastor*, utpote ab usu quotidiani sermonis contracta, explicare, *per aedem Castoris.* Juramentum autem, *per Castorem*, mulieribus praecipue solemne esse, de hoc vid. A. Gell. 11, 6.

7. *ut sit superst.* Formula est precandi, ad morem ingeniumq.

Cumque huic est veritus optumae adolescenti facere injuriam.
*Si.* Vel hoc quis non credat, qui norit te, abs te esse ortum? *Da.* quidnam id est?
*Si.* Non [e]) imperabat coram, quid opus facto esset puerperae;
Sed postquam egressa 'st, illis quae sunt intus clamat de via.
O Dave, itan' contemnor abs te? aut itane tandem idoneus
Tibi videor esse, quem tam aperte fallere incipias dolis?
Saltem accurate, ut metui videar certe si resciverim.
*Da.* Certe hercle nunc hic se ipsus fallit, haud ego. *Si.* edixin' tibi?
Interminatus sum, ne faceres. num veritu's [f])? quid retulit?
Credon' tibi hoc nunc, peperisse hanc e Pamphilo?
*Da.* (*secum*) Teneo, quid erret; et quid agam habeo. *Si.* quid taces?
*Da.* Quid credas? quasi non tibi renuntiata sint [g]) haec sic fore.

e) Un. ms. Par. *Non vi parab.* vitiose. f) Sic Be. pro *veritus es*, uti *veritu 'st* pro *veritus est;* licetque hoc intelligere ex accentu. g) Be. mutat, *siet renuntiatum*, sicuti est v. 21. Sed equidem nec mutatis ipsis, nec quibus defendat assentior.

mulierum recens natis benedicendi pulchre accommodata. Simil. Catull. LXI. sub fin. *quand. ipse'st etc.* Per *ipse* a puero transit ad patrem.

11. *illis* sc. ancillulis.

12. *tandem*, in interrogationib. habet vim vehementius instandi. Hec. IV, 4, 61. et Cic. or. Catil. I, 1. „Quousq. *tandem* abutere, Catilina, patientia nostra?"

13. *fallere incip.* pro fallas: „Saepe utriusq. linguae scriptores verbis incipiendi, adgrediendi, conandi, non mollitiem rei, sed rem factam indicant." Ru.

14. *Salt. accurate.* Interpretantur: *Saltem* non ita aperte, sed caute me fefellisse debebas, *ut certe* viderer a te *metui etc.*

15. *Certe.* Comice repetit *certe*, ut dominum eludat; cf. supra II, 6, 24. *hic se ipsus.* Pronomina plura proxime sibi posita etiam Cic. de Offic. III, 15. „*qui sibi ipse.*" *edix.* Est *edicere* palam imperare. Nota autem sunt edicta vel edictiones proprie magistratuum; unde etiam edictum praetoris.

18. *quid erret.* Putabit enim Simo, mulieres consilio finivisse ad disturbandas nuptias. Cui tamen falsae suspicioni Simonis Davus statim constituit assentire, novo invento quidem consilio.

19. *quasi non tibi renuntiata etc.* *Renuntiare* proprie legati dicuntur, qui mitti solent, ut responsa eorum, ad quos missi fuerint, reportent.

*Si.* Mihin' quisquam [h])? *Da.* eho, an tute intellexti hoc assimulari? *Si.* irrideor.
*Da.* Renuntiatum est: nam qui istaec tibi incidit suspicio?
*Si.* Qui? quia te noram. *Da.* quasi tu dicas, factum id consilio meo.
*Si.* Certe enim scio. *Da.* non satis pernosti me etiam, qualis sim, Simo.
*Si.* Ego non te? *Da.* sed, si quid narrare occepi, continuo dari
Tibi verba censes. *Si.* falso [i]). *Da.* itaque hercle nihil jam mutire audeo.
*Si.* Hoc ego scio unum, neminem peperisse hic. *Da.* intellexti;
Sed nihilo secius mox puerum huc deferent ante ostium.
Id ego jam nunc tibi, here, renuntio [l]) futurum, ut sis sciens;
Ne tu hoc mihi posterius dicas, Davi factum consilio aut dolis.

h) Mallem *quicquam* cum Be., si codd. ita haberent. Tunc esset supplend. idque ex structura praecedente, *renuntiatum?* i) *falso.* Hoc videtur Bentlejo quidem multo minus Simoni convenire pronuntiatum, quam Davo. Nos aliter. l) Sic colloc. Be. In l. antiq. *tibi renuntio, ere.*

21. *qui*, unde.

22. *dicas* „pro credas. Non enim dicimus, nisi quod credimus.“ Do.

23. *me*, abundat more Terentii, propt. nominativ. ejusd. personae, quae verbo *sim* exprimitur. Itid. Seneca ep. 80. „si vis totum (hominem) scire, *qualis sit.*“ *Etiam* pro adhuc.

25. *mutire*, cf. Phaedr. III, Epilog. fin. ubi Schwabe: „Qui *mutit*, sonum edere dicitur, qui vix audiatur. Nam Graecis est μῦ sonus canum antequam latrent.“

26. *neminem*, feminino genere. Sic Plaut. Cas. II, 2, 12. vicinam *neminem etc.* Et Terent. Ph. V, 3, 9.

*intellexti* pro intellexisti, quod etiam legitur in aliquib. libb. Pars interpretum per interrogationem effert incommode. Sensus est, rem tenes. Callide enim Davus senem in suspicione confirmat; vid. infra v. 53.

27. *mox puer. def.* Hoc praedicto astute sibi praecavet adversus illa, quae ipse infra IV, 4, perpetrabit.

28. *Id ego j. nunc etc.* Fingit nimirum Davus se prodere quod ipse facturus est. *sis sciens.* Cum emphasi; etsi volunt quidam, veteres more Graecorum dixisse *sciens sum* pro scio.

29. *mihi.* Non ad Dav. referendum est, sed magis inservit elegantiae. Sic Ph. V, 8, 21. *Davi.* Cum invidia *Davi* dicit, non, meo *consilio.*

Prorsus a me opinionem hanc [m]) tuam esse ego amotam volo.
*Si.* Unde id scis [n])? *Da.* audivi et credo. multa [o]) concurrunt simul,
Qui [p]) conjecturam hanc nunc facio. jam primum haec se a Pamphilo
Gravidam dixit esse: inventum est falsum. nunc, postquam videt,
Nuptias domi apparari [q]), missa 'st ancilla ilico
Obstetricem accessitum ad eam, et puerum ut adferret simul.
Hoc nisi fit, puerum ut tu videas; nihil moventur nuptiae.
*Si.* Quid ais? cum intellexeras,
Id consilium [r]) capere, cur non dixti extemplo Pamphilo?
*Da.* Quis igitur eum ab illa abstraxit, nisi ego? nam omnes nos quidem
Scimus, hanc quam misere [s]) amarit; nunc sibi uxorem expetit.
Postremo id da mihi negoti; tu tamen idem has nuptias
Perge facere ita, ut facis; et id spero adjuturos Deos.

m) R. omitt. *hanc.* n) V. I. *de puero quod huc deferrent.* o) *multa etc.* plusculi mss. Simonis personae attribuunt, at We. Par. Be. al. continuatam orationem Davo dant. Probe. p) V. I. ,,vel *quomodo* vel *per quae.*" Inde lectio Jenensis probatur. *Quis* pro *Quibus.* q) C. G. m. post *appart* in marg. *a me.* Quae lectio pars textus an glossa sit nescio. r) In l. antiq. *Id consilii.* Be. ex codd. s. *Id consilium.* s) Sic Be. At vulg. hoc ordine, *quam mis. hanc*, minus eleganter.

30. *tuam*, significantius, i. e. quasi hominis suspiciosi.

33. *invent. est fals.* Errore domini utitur, ut servi solent, ad consilia sua exsequenda.

34. *apparari*, de conviviis lautis vel nuptiis. Heaut. I, 1, 73. Justin. 1, 6. ,,apparatis epulis."

36. *moventur* h. e. mutantur. Cic. Phil. 1, 7. ,,sed *non muto*, non *moveo.*" Sensus: Puero tantum tibi adposito mulieres sperant, confestim moveri vel tolli nuptias; sin aliter, non.

37. 38. *Quid ais? cum etc.* ,,Quaqua se verteret Davus, obvium infestumq. invenit senem; et tamen ita versute it obviam, ut etiam comprehensus elabatur." Do. *extemplo*, continuo. ,,Locutio orta a voce templi, qui proprie est locus, in quo sedebant Deos consulentes per auspicia etc." We.

39. *omnes nos.* Recte; ne Simone quidem excepto; cf. I, 1, 98. 99.

40. *misere*, valde, vehementer. Cic. in Catil. II, 10. ,,isti *miseri*," h. e. misere amantes, ubi interprett.

*Si.* Immo abi intro: ibi me opperire, et quod parato
opus est para. (*Davus abit.*)
Non impulit me, haec nunc omnino ut crederem.
Atque haud scio, an, quae dixit, sint vera omnia;
Sed parvi pendo. illud mihi multo maxumum est,
Quod mihi pollicitu 'st [t]) ipsus gnatus. nunc Chremem
Conveniam; orabo gnato uxorem. id si impetro [u]),
Qui alias malim, quam hodie, has [x]) fieri nuptias?
Nam gnatus quod pollicitu 'st, haud dubium 'st mihi,
Si nolit, quin eum merito possim cogere.
Atque [y]) adeo in ipso tempore eccum ipsum [z]) obviam.

t) Sic script. Be. Par. cf. v. 16. Bi. *pollicitu' est.* Sed elisa litera e synaloepha minuitur. u) Distinctum ita ut supra hunc recepi vers. a Be. Nisi verior est distinctio haec: *Conveniam, orabo. gnato uxorem si impetro.* Lectio *id* Prisciani est ex quatuor codd. x) I. omitt. *has.* y) Mss. Par. *Atqui.* z) V. I. *Chremetem.*

44. *omnino.* Quum dicit *omnino*, ostendit quaedam se credidisse, in quib. jam esse circumventum." Do. Et Poeta Simonem ingenio satis acuto praeditum inducit, quem non tam facile sit fallaciis quibuscunq. occupare. Qui tamen fallitur credens, Glycerium non peperisse.

45. *haud scio an.* Sic Cicero frequenter pro, certo scio.

47. *Quod pollicit. est*, cf. sup. II, 5, 9.

48. *Conven.* h. e. adeam, colloquar. *gnato ux.* sc. ut det.

49. *alias.* Ellips. horas. Acron ad Hor. Sat. I, 4, 64. explicat, alio loco, tempore.

50. 51. *Nam gnat. quod etc.* Construe: *Nam gnat., si nolit quod pollicit. est, haud dub. est quin etc.*

52. *in ipso temp.* „i. e. ipsa opportunitate, in ipso articulo." We. *eccum*, cf. infra 5, fin. not.

## ACTUS III. SCENA 3.

### SIMO. CHREMES.

*Si.* Jubeo Chremetem. *Ch.* o! te ipsum quaerebam. *Si.* et ego te. *Ch.* optato advenis.

„Haec congressio duorum senum ad tale periculum adigit fabulam, ut id non videatur consilio, sed eventu posse vitari: qui

Aliquot me adierunt[a]), ex te auditum qui aibant, hodie filiam
Meam nubere tuo gnato: id viso, tun' an illi insaniant.
*Si.* Ausculta paucis: et[b]) quid te ego velim, et quod tu quaeris scies.
*Ch.* Ausculto. loquere quid velis.
*Si.* Per ego te[c]) Deos oro, et nostram amicitiam, Chreme,
Quae incepta a parvis cum aetate adcrevit simul,
Perque unicam gnatam tuam, et gnatum meum,
Cuius tibi potestas summa servandi datur,
Ut me adjuves in hac re; atque ita uti nuptiae
Fuerant futurae, fiant. *Ch.* (*placabilis et lenis amicus per totam fabulam inducitur Chremes*) ah, ne me obsecra,
Quasi hoc te orando a me impetrare oporteat.
Alium esse censes nunc me atque olim, cum dabam?

a) Sic Be. ex libb. s. In antiq. *adiere.* b) Hac ratione conjung. We. recte. At Be. disjung. *Ausculta*: *paucis etc.* c) Sic in l. antiq. per tmesin. Qua figura sublata Be. Bo. *Per te ego.* Zeune, Par., Lindenbr. non habent *ego.*

eventus est Critonis praesentia. Nam nunc ex falsis verae fiunt nuptiae." Do.

1. *Jubeo Chremet.* sc. salvere; cf. Ad. III, 4, 14. 15., ubi Do. adnotat, *jubere* in hac formula significare, vehementer velle, cupere. Sed equid. nescio an, qui sic salutaret, oscularetur simul. *optato*, adverb. quale est, auspicato. Infra IV, 5, 12.

3. *id viso;* vid. supra I, 1, 121. *id*, ob *id.*

7. *cum aet. adcrev.* Cic. de Senect. 14. „Atq. haec studia etc. *cum aetate crescunt.*"

8. *unicam* sc. Philumenam. Recte *unicam* dicit, quippe quae superstes erat Pasibulae, sub Glycerii nomine latenti; vid. inf. V, 4, 42.

9. *Cuius* sc. gnati, *potest. serv. datur.* Sic Cic. Fam. X, 19. — gloriae, *cuius* max. *facultatem tibi* Dii *dedere.* En vero periodum Terent. orationis, *ego te oro per Deos, per amicit. nostram, per gnatam tuam et gnat. meum, ut me adj. etc.*

10. *in hac re*, cf. infra V, 1, 10. *nuptiae* sc. cum Philomena, quippe quam Chremes, Simone narrante, desponderat filio, supra I, 1, 72 etc.

12. *Quasi*, cf. II, 2, 35. *hoc* sc. quod velis, gnato tuo nubere meam filiam.

13. *Alium esse - atque olim.* Eod. sensu ac syntaxi Cic. Lib. 1, ep. 9. „Non *alius esse atque* nunc sum." Burmann. ad Petron. docet, post *alius* latine sequi *atque* vel ac; minime, quam, *cum dabam.* „Nos dicimus, cum darem, Virgilius, *cum* sceptra *dabas.*" Do. Ego adderem: Non Virgilius solum, sed etiam Cicero non ignorat, ubi conjunctivo modo, ubi indicativo utatur. Nam in certissima re, quam ipsi nos experti sumus, praevalet indicativus. Hec. III, 4, 8.

Si in rem [d]) est utrique ut fiant, arcessi jube.
Sed si ex ea re plus mali 'st, quam commodi
Utrique, id oro te, in commune ut consulas,
Quasi illa tua sit, Pamphilique ego sim pater.
*Si.* Immo ita volo itaque [e]) postulo, ut fiat, Chreme;
Neque postulem abs te, ni ipsa res moneat. *Ch.* quid est?
*Si.* Irae sunt inter Glycerium et gnatum. *Ch.* audio.
*Si.* Ita magnae, ut sperem posse avelli. *Ch.* fabulae!
*Si.* Profecto sic est. *Ch.* sic hercle, ut dicam tibi:
Amantium irae, amoris integratio est.
*Si.* Hem, id te oro, ut ante eamus, dum tempus datur,
Dumque ejus lubido occlusa 'st contumeliis,
Priusquam harum scelera et lacrumae confictae dolis
Reducunt [f]) animum aegrotum ad misericordiam,

d) Do. legisse putatur, *in re.* Sed elegantior putatur Eugraphii lectio, *in rem.* e) C. I. et E. V. *atque* pro *itaque.* f) Sic Be. codd. In l. antiq. *Reducant.*

14. *in rem est*, significat, utile est. Hec. II, 2, 7. Sanct. Min. III, 5. ubi de locutionib. e re, in re, *in rem* videatur. Superadd. Drakenb. ad Liv. 21, 5., ubi lect. var. *in rem* et *in re* eod. utraq. sensu.

*arcessi. Arcessi* dicebatur filia ex aedib. patris in domum sponsi ducenda, vel mariti.

16. *in commune*, in rem communem. Sic Phaedr. V, 6, 5. "*in commune* quodcunq. est lucri. *ut consul.* „Ab utili argumentum. Huc fere transferamus, quod Cicero de Amicit. c. 17. dicit: His igit. finibus utendum arbitror, ut sit int. amicos omn. rerum, *consiliorum*, voluntatum sine ulla exceptione *communitas.*"

18. *itaque*, pro et ita.

19. *Neq. postulo etc.* Hic maxime conferend. mihi videtur Cic. Lael. 10. „magna etiam dissidia et plerumq. justa nasci, cum aliquid ab amicis, quod rectum non esset, *postularetur.*"

20. *audio.* „Formula cum risu respondentium ad ea quae dicuntur." We.

21. *avelli*, cum vi quad., sc. Pamphilum ab Glycerio. Itid. Catull. Epithal. 62. „Qui natum possis complexu *avellere* matris."

*fabulae*, cf. supra I, 3, 19, not. Ph. III, 2, 7.

23. *Amant. irae etc.* Itid. Menander: „Ὀργὴ φιλούντων ὀλίγον ἰσχύει χρόνον."

24. *ante eamus*, praeveniamus. *temp.* h. e. opportunum rei agendae. Graecorum est *εὐκαιρία*; cf. Cic. Offic. 1, 4.

25. *lubido occlusa est cont.*; cf. Eun. IV, 7, 14. Da. vertit: „et que sa passion est rallentie par les mauvais traitemens de ces créatures." De scriptura *lub.* an *libido* nihil interest; v. Heusing. ad Cic. Offic. 1, 17.

26. *harum*, meretricum. Invidiosas enim non sustinet nominare. Eun. II, 3, 91. *lacrumae.* De vi earum Parm. ad Chaer. v. Eun. I, 1, 22.

27. *ad misericord.*. Hac ratione videlicet, qua Mysis modo Pamphilum commoverat amantem; cf. supra I, 5.

Uxorem demus. spero consuetudine et[g])
Conjugio liberali devinctum, Chreme[h]),
Dein facile ex illis sese emersurum malis[i]).
*Ch.* Tibi ita hoc videtur: at ego non posse arbitror
Neque illum hanc perpetuo habere, neque me perpeti[l]).
*Si.* Qui scis ergo istuc, nisi periclum feceris?
*Ch.* At istuc periclum in filia fieri, grave est.
*Si.* Nempe incommoditas denique huc omnis redit,
Si eveniat, quod Di[m]) prohibeant, discessio.
At si corrigitur, quot commoditates! vide.
Principio amico filium restitueris;
Tibi generum firmum, et filiae invenias virum.
*Ch.* Quid istic[n])? si ita istuc animum induxti esse utile,

g) Finit particula *et* Be. versum. Sic it. Mu. Erasm. Bi. Sed incipiunt vulgo ead. sequentem. h) Lindenbr. ms. Reg. *Chremes.* De huiusmodi vocativo v. Voss. i) V. I. *ex amore Glycerii.* l) Id. *sustinere illius injurias in filiam meam, ut sub scorto abutatur illa.* m) *Di* pro *Dii*; siquid. *Dii* et *Diis* pro monosyllabis ponuntur. n) L. antiq. *istuc.*

28. *spero consuetudine etc.* Cf. Hec. I, 2, 72. ubi etiam ille Pamphilus nuptiis sperat tolerare meretricium amorem.

29. *Conjug. lib.* Hendiadys pro *consuetudine* conjugii liberalis, s. ingenuae ac liberalis uxoris.

30. *emersur. malis.* Ead. metaph. Nep. Attic. 11.

32. *Neq. ill. hanc.* Verba *illum hanc* ex consulto posuit ambigua. *hanc*, Philum. uxorem. *neq. me* sc. posse. Nota ter positas negationes, sicuti Cic. Phil. II, 8. ,,*Nec* vero te unq. *neque* vigilantem, *neq.* in somnis etc.“

35. *incommoditas,* calamitas. Cic. de Leg. Manil. 12. ,,clades exercitus *incommodum* vocatur.“

36. *quod Dii prohib.* Formula deprecationis. *discessio*, *divortium*, quod vel adulterii vel veneficii causa permittebatur ap. Roman. Ut autem rem gravem Simo levet, *discessio* tantum dicit, quae proprie dicebatur senatorum in divers. sententias euntium.

37. *corrigitur.* De filio illicitis amorib. implicito. Infra 4, 17.

38. *Principio.* Sic solent qui rationes adnumerandas aggrediantur rei alicuius probandae.

39. *Tibi generum etc.* Cf. Cic. Fam. IV, 5. ,,Licitum est tibi pro tua dignitate ex hac juventute *generum* diligere“ etc. Hinc mos elucet Rom. non exspectare, si qui veniat, sed quaerere generum, qui sit eligenti acceptus. *Firmum.* Opponit. illi qui divortium facit. Hec. V, 1, 20.

40. *Quid istic?* Concedentis est formula post aliquam reluctationem. Eun. I, 2, 91. *anim. ind. Anim. inducere* et *in anim. induc.* est, sibi persuadere, ap. anim. constituere. Sallust. Catil. 54.

Nolo tibi ullum commodum °) intercludier [p]).
*Si.* Merito te semper maximi feci, Chreme.
*Ch.* Sed quid ais? *Si.* quid? *Ch.* qui scis eos nunc discordare inter se?
*Si.* Ipsus mihi Davus, qui intimus est eorum consiliis, dixit;
Et is mihi suadet, nuptias, quantum queam, ut maturem.
Num censes faceret, filium nisi sciret eadem haec velle?
Tute adeo jam ejus verba audies. heus! evocate huc Davum.
Atque [q]) eccum! video ipsum [r]) foras exire.

o) C. G. m. et al. in *me.* Be. omittit. p) Sic Be. et Bo. eum secutus. In l. antiq. *claudier.* Par. mss. *calvier.* q) Sic Fa. et Be. codd. In l. antiq. *Sed* pro *Atque.* r) I. *eum* pro *ipsum.*

43. *discordare inter se;* cf. Plaut. Merc. II, 1, 17.

45. *suad. nupt. ut mat.* Respicit ad sup. 2, 41. 42. *maturem,* accelerem.

47. *Tute adeo* pro: Tu ipse certe. *evocate.* Servos alloquitur adstantes. *evocate huc Davum*; cf. Hec. V, 1, 7.

48. *eccum,* pro, ecce eum, veteres dixerunt; uti ellum pro ecce illum. Infra 4, 26. *foras exire*; cf. supra I, 2, 3.

---

## ACTUS III. SCENA 4.

### DAVUS. SIMO. CHREMES.

*Da.* Ad te ibam. *Si.* quidnam est?
*Da.* Cur uxor non arcessitur? jam advesperascit. *Si.* audin' [a])?

a) Vulg. add. *tu illum.* Quae verba, ut Be. judicat, non necessaria, ex notula in textum irrepserunt.

Hac scena Davus, qui certo confidens, Chremetem sententiam suam non esse mutaturum, Simoni de veris nuptiis persua-

Ego dudum non nil veritus sum abs te, Dave, ne faceres idem,
Quod vulgus servorum solet, dolis ut me deluderes;
Propterea quod amat filius. *Da.* egon' istuc facerem? *Si.* credidi;
Idque adeo metuens vos celavi, quod nunc dicam. *Da.* quid? *Si.* scies.
Nam propemodum habeo [b]) jam fidem. *Da.* tandem cognosti, qui siem?
*Si.* Non fuerant nuptiae futurae [c]). *Da.* quid? non? *Si.* sed ea gratia
Simulavi, vos ut pertentarem. *Da.* quid ais? *Si.* sic res est. *Da.* vide!
Nunquam istuc ego quivi [d]) intelligere. vah, consilium callidum!
*Si.* Hoc audi: ut hinc te introire jussi, opportune hic [e]) fit mi obviam. *Da.* hem,

b) Vulgo *tibi.* Non hab. C. Be. veterrim. Etiam deformat versum. c) V. I. *sicut fingebam.* d) Sic Be. invert. Vulg. *quivi ego.* e) V. I. *Chremes.*

serat, nunc mutato Chremete, se ipsum videt deceptum. Nam ab utroque sene confirmatur, pro simulatis veras Pamphili nuptias parari. Unde sibi parum sperat successus.

2. *advesperascit.* Id vult indicare, tempus adducendi instare Philumenam. Nam sponsa *vespertino* tempore in sponsi domum ducebatur, praeeuntibus pueris, qui faces gestarent. Ad haec ritualia inter alios Ovidius spectat Fast. II, 561.

4. *vulg. servor.* Senec. ep. 47. „quot *servi* tot hostes." Et cf. Terent. Hec. IV. 2, 24. *vulgus mulierum,* h. e. quae sunt de infima sorte. *dol. ut m. delud.* cf. sup. I, 2, 32.

5. *facerem,* h. e. deluderem. Supra 3, 46. Huc pertinet Hor. Sat. II, 5, 91. 92. „*Davus* sis comicus atq. Stes capite obstipo, multum similis metuenti."

6. *vos celavi.* Quae Sosiae soli supra I, 1. commiserat, ea nunc cum Davo communicat familiariter. *scies.* Ita fere ubique respondentis ad instantem.

7. *Nam propemod. hab. j. fid.* „Ridicula dilatio ejus rei, quae jam dudum nota est auditori." Do. *qui siem,* qualis sim. Itid. Liv. II, 7. Et Plin. Ep. 6, 1. „ego ille, *quem* nosti."

9. *vos ut pertentarem.* Hoc enim est, quod questus erat Davus, supra I, 2, 7.

10. *consil. callid.* Itid. fere Cic. de Offic. 1, 24. *calida consilia,* ubi varie legitur *calida* et *callida.* Sed Heusinger anteponit prius.

11. *ut huic te introire jussi.* Nempe supra dixerat, 2, 43. *abi intro. hem, Numnam periim.* „Haec Davus ad spectatores conversus, Simone et Chremete non audientibus." Do.

Numnam periimus [f]? *Si.* narro huic, quae tu dudum narrasti mihi.
*Da.* Quidnam audiam [g]? *Si.* gnatam ut det oro, vixque id exoro. *Da.* occidi. *Si.* hem,
Quid dixisti [h]? *Da.* optume inquam factum! *Si.* nunc per hunc nulla 'st mora.
*Ch.* Domum modo ibo; ut apparentur, dicam; atque huc renuntio. *(abit.)*
*Si.* Nunc te oro, Dave, quoniam solus mi effecisti has nuptias, –
*Da.* *(ad spectatores)* Ego vero solus? *Si.* corrigere mi gnatum porro enitere.
*Da.* Faciam hercle sedulo. *Si.* potes nunc, dum animus irritatus est.
*Da.* Quiescas. *Si.* age igitur, ubi nunc est ipsus? *Da.* mirum, ni domi est.
*Si.* Ibo ad eum, atque eadem haec, tibi quae dixi, dicam itidem illi. *(abit)* *Da.* nullus sum.
Quid causae est, quin hinc in pistrinum recta proficiscar via?
Nihil est preci loci relictum. jam perturbavi omnia:

f) Al. *perimus.* V. I. *ego et Pamphilus.* g) Do. ad loc. hunc: *Quidnam audio?* Legitur et *audiam.* h) Sic un. cod. Be. pro *dixti* vulg.

12. *narro huic*, Chremeti, in scena scilicet priore. *quae tu dud. narrasti.* Haec vide sup. scen. 2.

13. *Quidn. aud.* Haec verba aliter ipsi Davo, aliter Simoni intelliguntur. *gnat. ut det oro*, cf. supra 3, 6. seqq. *hem, Quid dix.* „Scilicet quia intensiore voce exclamarat servus, *occidi*! Quod utut audierat senex, ne tamen intellexisse se crederet, Davus mira calliditate respondet, *optume*." We. Quae ejusd. vocis ambiguitas, v. Liv. IV, 17.

14. *per hunc.* Quaeritur, per quem? Atqui We. Chremetem subaudit. Alii putant, Pamphilum significari, non inepte. Ille namque supra II, 5, 9. patri nisi animo, verbis saltem consensit.

16. *effecisti nupt.* cf. I, 1, 4. „Est enim *efficere* perficere faciendo. Et bene *has*: quarum causa laboro." Do.

17. *Ego vero solus.* „Hoc ad increpationem dicit, non ad confirmationem." Do. *porro*, in futurum.

18. *dum anim. irritat. est.* Hoc fere idem dixit supra 5, 24. etc.

19. *Quiescas*, ne sis sollicitus. Heaut. IV, 5, 12. *mirum ni* h. e. sine dubio. Itid. Liv. 5, 28. „*Mirum ni* castra oppugnentur."

20. *eadem*, sexto casu, h. e. ratione, opera; estque ellipsis comica, cf. Ad. II, 4, 19. *null. sum.* Plus est, *nullum* esse quam periisse; vid. Do. „Est formula despondentis animum."

21. *proficiscar*, comice quasi de via longiore. Eun. II, 2, 49.

Herum fefelli; in nuptias conjeci herilem filium;
Feci hodie ut fierent, insperante hoc, atque invito Pamphilo.
Hem [i]), astutias! quod [l]) si quiessem, nihil evenisset mali.
Sed eccum video ipsum. occidi.
Utinam mihi esset aliquid hic, quo me nunc [m]) praecipitem darem.

i) Al. *Em*, in fine prioris vers. l) Al. *qui* pro *quod*. m) Sic invert. Be. quod vulgo est *nunc me*. — Hic integer versus Guyeto subdititius esse videtur, nec Terentio dignus. Aliter Priscianus, qui de metro quidem disserens, hunc versum contendit nihil referre, utrum per jambos an per trochaeos metiamur. Esse enim addit inter jambicos Tetrametros acatalecticos et trochaicos Tetrametros catalecticos magnam affinitatem.

23. *in nupt. conjeci her. fil.* Cf. Hec. I, 2, 57. Atqui *conjecerat* illum *in nuptias* persuadendo, ut patri se diceret velle; vid. supra II, 3, 20.

24. *insperante* pro non sperante. *hoc* i. e. patre. Ad. III, 4, 62, ubi not.

25. *astutias*. Do. notat: Pluraliter dixit *astutias* quasi is, qui abundet astutiis, ut ei una non sufficeret.“ Verum etiam *astutia* plusculi mss. cum Eugraphio legunt.

27. *Utinam mihi esset etc.*. „Non dixit gladium aut laqueum: ne esset tragicum. Ergo expressit bene, dicens, quo me nunc praecipitem darem.“ Do. *praecipitem dar.* cf. I, 3, 9. Id mutata syntaxi Liv. 27, 27. „in praeceps dare rempublicam.“

---

# ACTUS III. SCENA 5.

## PAMPHILUS. DAVUS.

*Pa.* (*secum*) Ubi illic est? scelus [a])! qui me hodie... [b]) perii [c])! atque hoc confiteor jure

a) C. G. m. sup. script. *exclamando*. b) Multi codd. add. *perdidit*. Al. hab. *perd.* sine *hodie*. Omitto ego *perdidi* cum Be. et Bo. Aposiopesis est enim iracundi. c) Hoc „Stomachatur Pamphilus, quod dolosum Davi consilium secutus, responderit patri, se ducturum uxorem.“ Mu.

Mi obtigisse, quandoquidem tam iners, tam nulli [d]) consili sum:
Servone fortunas meas me commisisse futili?
Ego [e]) pretium ob stultitiam fero; sed inultum id nunquam [f]) auferet.
*Da.* Posthac incolumem sat scio fore me, nunc si hoc devito malum.
*Pa.* (*pergit non viso Davo*) Nam [g]) quid ego nunc dicam patri? negabon' velle me, modo
Qui sum pollicitus ducere? qua fiducia id facere audeam?
Nec, quid me nunc faciam, scio. *Da.* nec quid me [h]), atque id ago sedulo.
Dicam, aliquid me [i]) inventurum, ut huic malo aliquam producam moram.
*Pa.* Ohe [l])! *Da.* visus sum. *Pa.* ehodum, bone vir, quid agis? viden' me consiliis tuis

*perii* vulgo tribuitur Davo, sed totum Pamphili est; sicut illud Chaereae, Eun. II, 3, 35. it. desperantis. d) C. R. et E. V. *nullius.* Al. *nulli* antique. e) Be. ex vett. Editt. *Ego* pro *Ergo*, quod vulgo est. f) Be. ex uno Reg. C. *a me.* Itid. C. G. m. g) Sic Do. Al. *Sed.* h) Sic Be. Venustas enim, inquit, est tota a repetitione. Mu. *nec de me equidem.* I. *nec de me et equidem.* i) Sic Be. Al. sine *me.* Fa. ex libb. *jam me.* l) Var. in libb. *Ohe*, *Oh*, *Heo*, *Ehodum.*

1. *scelus qui.* Non ad verbum, sed ad intellectum retulit per syllepsin, ut. Eun. II, 3, 11. Nam et *scelus* id. valet quod scelestus, idque vocandi casu *sceleste*; quomodo infra IV, 4, 51. Huiusmodi insolita syntax. Anacr. Od. III, 17. *βρέφος φέροντα τόξον*; ubi v. Fischer. qui Terentianam huc respexit.

2. *nulli.* ,,Nos *nullius* et solius; recte autem veteres nullo, nulli, solo soli, declinabant.‟ Do.

3. *futili.* ,,*Futilis* homo est, qui tacenda continere non potest; cum veteres vas *futile* dicebant, quod infusa statim effundit.‟ Ru.

4. *pretium ob stult. fero.* Catachresis. Itid. Juvenal. Sat. XIII, 105. ,,*pretium* sceleris *tulit.*‟ *ob*, pro. Ph. IV, 5, 58.

*tulit.* Haud raro significat *ferre* vel *auferre* quid, impune discedere aut *abire*, uti sup. I, 2, 4.

5. *Posth. incolumem etc.* ,,Sic dicere solemus in magno periculo positi: nunquam nos periclitaturos, si illud periculum poterimus evadere.‟ Do.

7. *pollicit.* Donato videtur *pollicitus* oratorie melius dictum, quam si, promisi, ille dixisset; cf. supra II, 5, 9.

*fiducia* h. l. impudentia, abusive. Itid. Heaut. IV, 3, 22.

8. *me.* Hoc utrumq. *me* sexto casu sumend. est, praepositione *de* omissa. Et Par. not. ,,de me, formula comica.‟

9. *produc.*, differam, protendam. Infra IV, 1, 24.

10. *vis. sum*, ab eo. *ehod. bone vir etc.* ironice, cum ira mi-

Miserum impeditum esse? *Da.* at jam expediam. *Pa.* expedies? *Da.* certe, Pamphile.
*Pa.* Nempe ut modo. *Da.* immo melius spero. *Pa.* oh! tibi ego ut credam, furcifer?
Tu rem impeditam et perditam restituas? hem, quo fretus sim,
Qui me hodie ex tranquillissima re conjecisti in nuptias.
Annon dixi esse hoc futurum? *Da.* dixti. *Pa.* quid meritu' s [m])? *Da.* crucem.
Sed sine paululum [n]) ad me [o]) redeam. jam aliquid dispiciam. *Pa.* hei mihi!

m) Aliqui libb. iiq. antiquiores, ut Fa. commemorat, non hab. verb. *es*, nec Do. quidem. At Be. invenit *es* in suis libb., sed monet scribend. esse *meritu's*, ut *es* cum eo coalescat. Quamquam C. G. I., qui leg. *meritus*, in marg. hab. a manu secunda adscripta haec: Participia pro verbis ponunt Attici; quod frequenter Latini faciunt. n) L. antiq. *paululum sine.* Mu. script. *paullulum.* At Be. We. al. per unum l, diphthongo praecedente, rectius. o) Vulg. *ut red.* Abest autem *ut* a mult. libb. Id quod more Terent. obvium est fere ubique, *sine dicam*, *sine exorem.*

nantis. Dicit *bone vir* per antiphrasin, quam grammatici dicunt. Itid. Ph. II, 1, 28.

11. *impedit.* *Impediri* proprie dicitur, qui pedes habet ita illigatos, ut progredi non possit. Sed h. l. quod saepius fit, translatum est ad negotium. *exped.* Bene opponitur τῷ *imped.* Ita Plaut. Epid. I, 1, 79. „me *expeditum* ex *impedito.*“

12. *Nempe ut modo*, sc. fecisti. Innuit forsitan, quod Davus promiserat supra II, 3, 21. *tibi ego ut cred.* Intellige, vis, postulas. *furcifer.* *Furciferi* „dicebantur, qui ob leve delictum cogebantur a dominis, ignominiae magis quam supplicii causa, circa vicinos, *furcam* in collo *ferre* subligatis ad eam manibus, et praedicare peccatum suum etc.“ Do. Inde frequens est *furcifer* comicum convicium in servos.

13. *quo fretus sim.* Memor est hoc dicens illius, quod supra dixerat II, 1, 36.

14. *ex tranquill.* Mare proprie dicitur *tranquillum*, cum liberum est tempestate. Inde Ph. IV, 4, 8. *qui te ad scop. tranquillo inferat.*

15. *Annon dixi etc.* Supra scilicet II, 3, 12. *quid merit. es?* Sic Propert. Eleg. I, 18, 9. „*Quid tantum merui?* quae te mihi crimina mutant?“ Mos fuit Graecorum, quo damnati a judicibus interrogabantur, quam poenam inter alias sibi meritam putarent. Qua ratione Socratem quoque interrogatum constat e Xenoph. Mem. Socr. IV, 8. Add. Aristoph. Ran. v. 1044. *τί παθεῖν φήσεις ἄξιος εἶναι.* et Cic. de Or. 1, 54. *crucem.* *Crux* erat supplicium servorum. Columell. 1, 7. „Jus summum antiqui summam dicebant esse *crucem.* Stabat autem *crux* hac fere forma T, palus erectus, cum ligno superno transverso; v. Berndt. Lexic. Homer. nec non Taubm. ad Plaut. Men. Prol. 66.

16. *ad me red.* „*Redit ad se* dicitur, qui animum recipit,

Cum [r]) non habeo spatium, ut de te sumam supplicium, ut volo.
Namque hoc tempus, praecavere [q]) mihi me, haud te ulcisci sinit.

p) Al. *Cur* pro *Cum.* q) Ms. Pal. *monet.* Itid. in ed. 1469. Glossam sapit.

et sedem mentis." Do. Ad. V, 5, 8. *discip.* pro, considerem diligenter. Ernest. Clav. Cic. v. *dispicere.*

18. *Namq. hoc temp.* Imitatus Sallust. Jug. 52. „Res *monet*, *cavere* ab illis magis etc. Cf. Eun. IV, 6, 24. Sensus capitur facile ita: *Namq. h. tempus* nec *praecavere mihi me*, nec te *ulcisci sinit.*

---

# ACTUS IV. SCENA 1.

## CHARINUS. PAMPHILUS. DAVUS.

*Ch.* Hoccine est credibile, aut memorabile,
Tanta vecordia innata cuiquam ut siet [a]),
Ut malis gaudeant [b]), atque ex incommodis

a) Hunc creticum esse versum Be. animadvertit, sic incisum, Tāntă vē|cōrdiă īn|nātă cūi|quām ut siet. b) Sic l. Vatic. In l. antiq. *gaudeat.* Itid. video in C. G. m.

„Elegans perturbatio, in qua inter se Simo, Pamphilus, Davus, Charinus, Byrrhia, Chremes, omnes omnibus redduntur offensi." Do.

1. *Hoc. est credib. etc.* Haec locutio vim negandi habet; cf. supra I, 5, 1. *Hoccine etc.* Cum studio animi ardentis. Ita Liv. 6, 40.

*memorab.* i. q. nefandum.

2. *vecordia*, animus malignus, ut Catull. XVI, 14. *vec. innata cuiq.* Sic Plaut. Mil. IV, 2, 71. „Non mihi avaritia unquam *innata* 'st." Et Theogn. v. 305. *Οἱ κακοὶ οὐ πάντως κακοὶ ἐκ γαστρὸς γεγόνασιν.* *cuiq.* cum verbo plur. *gaudeant*; cf. Eun. Prol. *quisq.* — *in his.* Itid. Sallust. Cat. 37. „*quisque sperabant.*" Sic alibi centies.

3. 4. *ex incommod. Alterius.* Contra Menand. *ταῖς ἀτυχίαις μήποτ' ἐπιχαίρε τῶν πέλας.* Et Liv. IV, 58. „Tantum afuit, ut ex *incommodo alieno sua occasio* peteretur." Quem locum Drakenborch ad nostrum bene accomodavit.

Alterius sua ut comparent [c]) commoda! ah,
Idne est verum? immo id est genus hominum pessimum,
In denegando modo quis [d]) pudor paulum adest;
Post ubi tempus promissa est jam perfici,
Tum coacti necessario se aperiunt;
Et timent; et tamen res premit [e]) denegare.
Ibi tum eorum impudentissima oratio est:
„Quis tu es? quis mihi es? cur meam tibi?
Heus [f]), proxumus sum egomet mihi.“ attamen ubi fides?
Si roges, nihil pudet [g]). hic, ubi opus est,
Non verentur; illic, ubi nihil opus est, ibi [h]) verentur.
Sed quid agam? adeamne ad eum? et cum eo injuriam hanc expostulem?
Ingeram mala multa. atqui [i]) aliquis dicat: nihil promoveris.
Multum [l]); molestus certe ei fuero, atque animo morem gessero.
*Pa.* Charine, et me et te imprudens, nisi quid Di respiciant, perdidi.

c) Sic Fa. Be. ex libb. antiq. Al. *comparet.* d) V. I. *quibus.* e) C. G. m. sup. script. *cogit.* Al. id. in textu. f) Voc. *Heus* Bi. priori vers. annectunt, Muretum secuti. g) Be. *pudent* vetuste, ut Ad. IV, 7, 36. Al. add. *illos.* h) Abest *ibi* ab C. G. m. i) Be. We. *atque.* Non placet. Nam *atqui* hab. vet. Ed. quod id. servit objectioni. l) Distinxi ego cum We. post *Multum;* alii ante.

5. *verum*, aequum, justum. Caes. B. G. IV, 8. „neq. *verum* esse qui suos fines tueri non potuerint, alienos occupare.“

7. *perfici*, graece pro perficiendi. Quoad sententiam cf. Cic. de Offic. 1, 10. „*promissa sunt* servanda.“

8. *se aperiunt*, produnt animum suum.

11. *Quis tu es?* „Formula contemnendi alterum prae se.“ We. *cur meam tibi?* Ellipsis, sponsam concedam.

12. *proxim. s. eg. mihi.* Proverb. v. Erasm. *ubi fides?* Formula querentium de perfidia. Heaut. II, 3, 15. Et Cic. Offic. 1, 7. „credamusque quia *fit*, quod dictum est, appellatam *fidem.*“

13. *nih. pudet* sc. promittere. *hic*, in promittendo. *ubi opus est* sc. vereri; si nimirum vires desint promittentibus. *illic*, in praestando.

15. *Sed q. ag. adeamne etc.* Sic dubius Phaedria; cf. Eun. I, 1. *injuriam*, pro, *ob injuriam*, aut, de injuria. *cum eo expost.* *Expostulare* cum aliquo dicuntur, qui vi quad. postulant, ut impetrent. Inde *expostulare* valet ut rixari, jurgare.

16. *inger. mala*, h. e. maledicta, convicia. Plaut. Men. V, 1, 16. Et Tibull. II, 5, 101. „*Ingeret* hic potus juvenis *maledicta* puellae.“ *nih. promov.*, i. e. nihil profeceris.

17. *Multum* sc. promoveo. *animo m. gess.*, indulgebo irae.

18. *imprud.*, insciens, nec certe mali sibi conscius. *nisi quid.*

*Ch.* Itane imprudens? tandem inventa 'st causa. solvisti fidem.
*Pa.* Quid tandem? *Ch.* etiam nunc me ducere istis dictis postulas.
*Pa.* Quid istuc est? *Ch.* postquam me amare dixi, complacita 'st tibi.
Heu me miserum! qui tuum animum ex animo spectavi meo.
*Pa.* Falsus es. *Ch.* nonne[m]) tibi satis esse hoc visum solidum est gaudium,
Nisi me lactasses amantem, et falsa spe produceres?
Habeas. *Pa.* habeam? ah, nescis quantis in malis verser miser,
Quantasque hic suis consiliis mihi confecit[n]) sollicitudines
Meus carnufex[o]). *Ch.* quid istuc tam mirum est, de te si exemplum capit?
*Pa.* Haud istuc dicas, si cognoris vel me, vel amorem meum.
*Ch.* Scio, cum patre altercasti dudum, et is nunc propterea tibi

m) Be. *non.* Itid. Erasm. sine *ne* partic. interrog. n) Do. pr. var. *conflarit.* We. *conflet* probat, ut ἀνακόλουθον post *verser* vitetur. o) C. I. *dignus excarnificatione*, quod glossema est.

Abundat *quid* post si, *nisi* eleganter etiam Cic. Fam. IV, 1. Hor. Sat. II, 1, 78. *respic. Respicere* homines dicebantur Dii propitii. Cic. Attic. 1, 16. „*nisi* quis nos *Deus respexerit.*"

19. *Itane imprud.* Sensus: *Itane* perfidiae tuae imprudentiam vel inscientiam praetexis? *solvisti fid.*, ironice. Nam *solvit fidem*, qui promissum praestat. Contra *adstringo fidem*, Eun. I, 2, 22.

20. *tandem*, emphatice repetitum ad *tandem* superius, v. 19. *ducere ist. dict.* Cf. Ph. III, 2, 15, Eod. sensu *produc.* v. 24.

21. *postq. me amare dixi.* Non Charinus ipse hoc dixerat, sed servus in ejus loco, supra II, 1, 24.

22. *spectavi*, judicavi; cf. Eun. I, 2, 118.

23. *Fals. es*, falleris. Sallust. Jug. 85. „nae illi *falsi sunt.*"

24. *lactass.* Bene observat Do. hanc voc. frustrationem ostendere. Translat. est verb. vel a nutricibus, vel ab aucupibus.

25. *Habeas.* Concessio animi irati. Infra V, 3, 18.

27. *de te si exempl. cap.* Scilicet ut te fallat, sicut tu alios. Ad. III, 3, 62.

28. *dicas*, h. e. putes; cf. Ph. IV, 3, 22. *amor. meum*; erga Glycerium.

29. *altercasti*, antique pro altercatus es, quod etiam legi Do. affirmat.

Succenset; nec te quivit hodie cogere, illam ut duceres.
*Pa.* Immo etiam, quo tu minus scis aerumnas meas,
Hae [p]) nuptiae non apparabantur mihi,
Nec postulabat nunc quisquam uxorem dare.
*Ch.* Scio: tu [q]) coactus tua voluntate es. *Pa.* mane;
Nondum scis. *Ch.* scio equidem illam ducturum esse te.
*Pa.* Cur me enicas [r])? hoc audi: nunquam destitit
Instare, ut dicerem me esse ducturum patri;
Suadere, orare, usque adeo donec perpulit.
*Ch.* Quis homo istuc? *Pa.* Davus [s]). *Ch.* Davus [t])? quamobrem? *Pa.* nescio;
Nisi mihi Deos satis scio [u]) fuisse iratos, qui auscultaverim.

p) Be. *haec*; cf. Eun. III, 5, 34. Etiam Do. „Legitur et *haec* nuptiae.“ q) In l. antiq. non est *tu*, quod pronom. Fa. interposuit. r) Al. *enecas*. s) Erasm. Par. Lindenbr. *Davos*, non *Davus*. De hac scriptura v. Do. ad Andr. III, 4. t) Al. *P. interturbat; al. P. Davus omnia;* al. *P. interturbat omnia;* alii aliter. Quae quidem omnes varietates ab notulis deinceps in textum irrepsisse videntur. Ideo totum versum ego ut Be. constituit ita recepi. u) Tollit Be. *satis scio* audacter. Quamquam Terent. more *nisi* ubique jungitur verbo finito, non infinito.

31. *Immo etiam*, sc. audi. *aerumn. meas.* Quae sint Pamphili *aerumnae*, vid. supra II, 3, 12.

32. *Hae nupt. non app. mihi.* Hoc dicens Pamph. non mentitur, quippe qui de falsis nupt. est a Davo persuasus; cf. supra II, 3. De verbo *apparari* Do. notat cum dativo semp. cladem et perniciem significare; vid. Burm. ad Phaed. II, 4, 6. 7.

33. *Nec postul. quisq. etc.* Etiam hoc vere dicit; cf. II, 3, 2.

34. *Scio.* Sic solent qui per ironiam respondent. *mane*, ausculta.

36. *enicas*, s. excrucias interpellatione tua. Hor. carm. II, 17. „Cur me querelis exanimas tuis? ubi vid. Mitscherlich. *destitit* sc. Davus. Est autem iratorum, nomen omittere ejus, quo offensi sunt. Infra V, 3, 1, not.

37. *Inst. ut dic. me etc.* Cf. Eun. IV, 1, 5. Hec. I, 2, 46. *ut dic. me etc.* Cf. II, 3, 9.

38. *perpulit*; cf. infra V, 1, 9.

39. *Ch. Davus?* Sic notandum cum interrogatione; cum aegre credere Charinus videatur. Contra Do. vult per admirationis signum, *Davos*! Non placet. *nescio*; *Nisi mihi Deos satis etc.* „Credebant enim veteres Deos ei, quem punire vellent, mentem et consilium eripere.“ Ru. Ph. I, 2, 24. E contrario est Ph. IV, 3, 31. *nescio; Nisi m. D. s. scio.* Similit. Cic. p. Rosc. Am. 35. „*Nescio, nisi* hoc video.“ *qui auscul* sc. ei.

*Ch.* Factum est hoc, Dave? *Da.* factum est [x]). *Ch.* hem, quid ais? scelus!
At tibi Dii dignum factis exitium duint!
Eho, dic mihi, si omnes hunc conjectum in nuptias
Inimici vellent: quidni hoc [y]) consilium darent?
*Da.* Deceptus sum, at non defatigatus. *Ch.* scio [z]).
*Da.* Hac non successit, alia adgrediemur via.
Nisi id putas, quia primo processit parum,
Non posse jam ad salutem converti hoc malum [a]).
*Pa.* Immo etiam: nam satis credo, si advigilaveris,
Ex unis geminas mihi conficies nuptias.
*Da.* Ego, Pamphile, hoc tibi pro servitio debeo,
Conari manibus, pedibus, noctesque et dies,
Capitis periclum adire, dum prosim tibi.
Tuum 'st, si quid praeter spem evenit, mi ignoscere.
Parum succedit quod ago: at facio sedulo [b]).
Vel melius tute reperi; me missum face.

x) Be. ex uno C. *est.* Vulg. omittitur. y) Vulg. *quod nisi.* Mutat Be. in *quidni.* z) C. G. m. sup. script. *ita est.* a) V. I. *de nuptiis.* b) C. G. m. in marg. *saltem.* Ex eod. Cod. totam fere aliam periodum transscribo hanc: *Parum si succedit, quod ego — aut facio sedulo; aut* (saltem) *tute melius aliud repperi, aut me missum face.*

42. *At* exsecrandi vim habet initiale. Hec. I, 2, 59. *duint.* Rubnk. antique esse explicat pro *dent.* Praeterea commemoro, hanc vocis formam religionibus mihi videri Romanorum usitatissimam. Cf. Liv.

43. *dic mihi.* Dictio haec injuriosa videtur iracundi vel superbientis. Omnino formula est instantium et urgentium. Eun. II, 3, 69. Hec. III, 2, 21. *conject. in nupt.* Cf. supra III, 4, 23. Itid. fere Cic. in Catil. II, 1, ,,cum illum in apertum latrocinium *conjecimus.*" *si omn. Inimici vell.*; cf. infra 2, 12. *quidni hoc etc.* H. e. haud scio, an *hoc* ipsum *consilium darent?*

45. *scio.* Ad quid respexerit *scio* dicens Charinus, ad *decept.* an *defatig.* an ad superiora, v. 54, non liquet.

46. *non successit*, sc. quod conabamur.

49 *Immo etiam*; cf. v. 31. *satis credo.* Sic jungit eleganter it. in Eun. V, 8, 21. *si advigilav.* h. e. curam omnem intenderis.

50. *Ex unis geminas mihi etc.* Per sarcasmum dicit Pamphilus.

51. *pro servitio* h. e. servientis officium.

52. *Conari manib. pedib.*, ὑπερβολικῶς. Supra I, 1, 134. *noctesque et.* Particula *que* ponitur eleganter ante copulam *et.* Sic Ad. I, 1, 39. Itid. Liv. 43, 5. ,,rapinas*que et* incendia." Hoc modo alii quos dicunt classici auctores.

53. 54. Eugraph. παραφράζει: ,,Ut corpus quod in servitio est, debeat servientis officium; animus vero nunquam debeat: ita consilium, quod dedi, parum si provenit, debes ignoscere."

56. *me miss. face*; cf. Eun. I, 2, 10, not.

*Pa.* Cupio: restitue quem [c]) a me accepisti locum.
*Da.* Faciam. *Pa.* at jam hoc opus est. *Da.* hem! st [d]), mane. concrepuit a Glycerio [e]) ostium.
*Pa.* Nihil ad te. *Da.* quaero. *Pa.* hem! nunccine demum? *Da.* at jam hoc tibi inventum dabo.

c) L. antiq. *in quem.* d) Pro hac nota silentii l. antiq. *sst.* e) C. G. m. gl. *sonuit a domo gli* (Glycerii).

57. Sensus est Eu. explicante: ,,Quoniam servus dixerat, si consilium meum bonum non est, tute aliud reperi; dominus dicit, se utile sibi reperturum, si modo in eo loco sit, ubi fuit antequam promisisset patri."

58. *st, mane. concrep. a Glyc. ost.* It nota haec silentii, Cic. de Or. II, 64. animum ad aliam rem deflectentis: ,,*st*, tacete, quid hoc clamoris?" *concrep. ost.* Sonus editur, qualis ostii solet. Similiter Liv. 28, 29. ,,Notandum est, Athenis fores in publicum aperiri. Itaq. monendi erant forte praetereuntes, ne fores iis impingerent." Be. Vid. ap. Scholiast. ad Aristoph. Nub. v. 132., ubi ψοφεῖν idem esse ostenditur quod *concrepare.*

59. *quaero*, h. e. excogito quidpiam. *invent.* sc. consilium, quo in pristinum locum restituaris.

---

## ACTUS IV. SCENA 2.

### MYSIS. PAMPHILUS. CHARINUS. DAVUS.

*My.* Jam, ubi ubi erit, inventum tibi curabo, et mecum adductum
Tuum Pamphilum: modo tu [a]), anime mi [b]), noli te macerare.

a) Sic Be. Bo. propt. metrum. Vulg. *tu modo.* b) V. I. *comicum nomen est.*

,,In scena hac instauratio est adhortationis Pamphili per Mysidem. Opus est enim exhortari rursus adolescentem, ne sub patris oppressione frangatur." Do.

1. *ubi ubi*, ubicunque. Sic Cic. Tusc. Q. 1, 29. ,,*ubi ubi* sit animus." De geminis et adverbiis et nominibus v. Priscian. lib. 17.

2. *Tuum*, cum emphasi pronuntiandum, *anime mi.* Mollis

*Pa.* Mysis! *My.* quis est [c])? ehem! Pamphile, optume te mihi offers. *Pa.* quid est?
*My.* Orare jussit, si se ames, hera, jam ut ad se venias;
Videre ait te cupere. *Pa.* vah, perii! hoc malum integrascit.
Siccine me atque illam opera tua nunc miseros sollicitari [d])?
Nam idcirco arcessor, nuptias quod mi adparari sensit.
*Ch.* Quibus quidem quam facile potuerat quiesci, si hic quiesset.
*Da.* Age, si hic non insanit satis sua sponte, instiga. *My.* atque aedepol
Ea res est; propterea que nunc misera in moerore est. *Pa.* Mysis,
Per omnes tibi adjuro Deos, nunquam eam me deserturum,
Non, si capiundos mihi sciam esse inimicos omnes homines,

c) Sic Be. commodius. *P. Mys. quid est?* d) Vulg. *sollicitarier;* at Be. Mu. tollunt paragogen.

allocutio mulieris. *macerare.* Quae propria sit vis huius verbi vid. Ad. III, 3, 27. Saepius autem et ad animum transfertur, uti infra V, 3, 15. Eun. I, 2, 107. H. l. *macerare* Par. explic. effligere, curis conficere, attenuare. Itid. Lucret. I, 3, 75. *modo tu* h. e. Glycerium.

4. *Orare juss. ut ad se ven.* Sic Liv. 1, 51. *si se ames*; cf. supra I, 5, 35. De usu pronominis reciproci *se* vid. Priscian.

5. *Vid. ait te cup.* ,,Hoc utique Mysis egit, ut adolescens amore rursus incitatus exsisteret.'' Eu. *integrasc.* renovatur; proprie de vulneribus. Cic. Fam. IV, 6.

6. *Siccine opera tua etc.* Apostrophe ad Davum et objurgatio. *Siccine*, ,,decet?'' schol. Eun. IV, 7, 1. *Sollicitari*, perturbari. Ad. I, 1, 11. Notamus infinitivum usurpari, ubi quid per interrogationem cum admiratione aut indignatione conjunctam efferendum sit; cf. supra I, 5, 10, not.

7. *arcessor*, sc. a Glycerio. *nupt. quod etc.* cf. supra 1, 32.

8. *Quib.* Al. pro dativo hab., sc. Pamph. et Glycerio, al. pro ablativo, sc. nuptiis. *si hic quiesset*, sc. Davus.

9. *insanit*, irascitur. *instiga;* cf. Ph. I, 4, 9. Quasi diceret absque ironia: Non est quod stimulum addas concitato.

10. *Ea res est.* ,,Haec causa est miserae ad dolorem.'' Eu.

12. *Non, si.* Notanda est vis particulae *si* post *non* significantis id. quod etiamsi. Eun. I, 1, 4. Heaut. V, 4, 12. Simili modo Cic. de Offic. 3, 37. ,,*si* omnes Deos hominesq. celare possimus, nihil tamen etc.'' *capiund. mihi inimic.* Formula obtestandi; cf. supra I, 43. Verb. *capere* Schellerus putat id. esse, quod reddere. Inde sensus videtur: Nullo modo adducar, ut deseram Glycerium, etiamsi *omnes mihi* redderem *inimicos.* E contrario est dictum, *ut si omnes cuperent*, Ad. II, 4, 9. *omnes*, verecunde, ne patrem nominet. Est autem *capere inimicos sibi omnes* locutio ceu militaris, qua res molestissima significatur.

Hanc mi expetivi; contigit; conveniunt mores [e]). valeant,
Qui inter nos discidium [f]) volunt. hanc, nisi mors, mi adimet nemo.
*My.* Resipisco [g]). *Pa.* non Apollinis magis verum atque hoc [h]) responsum est.
Si poterit [i]) fieri, ut ne pater per me stetisse credat,
Quo minus hae fierent nuptiae, volo. sed si id non poterit,
Id faciam, in proclivi quod est, per me stetisse, ut credat.
Quis videor? *Ch.* miser, aeque atque ego. *Da.* consilium quaero. *Ch.* forti's [l]),
Si quid [m]) conere. *Da.* hoc ego tibi profecto effectum reddam.
*Pa.* Jam hoc opus est. *Da.* quin jam habeo. *Ch.* quid est? *Da.* huic, non tibi habeo, ne erres.
*Ch.* Sat habeo. *Pa.* quid facies? cedo. *Da.* dies mi hic ut satis sit vereor

e) V. I. *mei-illius.* f) L. antiq. *dissidium.* g) V. I. *sensum recipio.* h) V. I. *quod dico.* i) Sic C. G. m. commode, ob *poterit* v. 17. Al. *potuerit* prave. l) m) Be. ex un. C. *Ch. forti's*, *Si quid.* Quae lectio praestat vulgatae: *Ch. fortis. P. scio quid.*

13. *contigit*, sc. e voto. Ovid. Am. III, 7, 43. „Haec mihi *contigerat*; sed vir non *contigit* illi." *valeant.* Ἀκυρολογία, h. e. pereant. Hic ipse usus est verbi apud Hebraeos. Add. Tibull. II, 3, v. 41 et 49. „Verb. est funebre, siquid. ab discedentib. amicis vale vale mortuo dicebatur." Schol.

14. *discid.* Cf. Hec. III, 5, 26. *hanc, nisi etc.* Ph. I, 4, 14. Ne dicat, pater, dicit, *nemo.* Hac ratione reverentia patris filio servabitur.

15. *Resipisco.* „Spiritum revocat sensus." Do. *non Apollinis magis etc.* Proverb. de iis, quae verissima sunt.

16. *ut ne* pro, *ne non. per me stetisse*, per me factum esse. Sic Caes. B. G. I, 141. „*per Afranium stare, quo minus* proelio dimicaretur."

18. *in procliv.* Quod factu facile est, pronum, declive, praeceps.

19. *Quis*, Prisciano interprete pro qualis.

*fort. es*, *Si quid etc.* Be. explic. „Optimum consilium extundes, si modo nervos intendas. Sic fere it. supra I, 49. Eun. V, 9, 26.

20. *effect. redd.* sc. consilium, v. 19.

21. *quin*, immo. *huic non tibi etc.* Charinus a Davo superbe rejectus eod. fere modo quo supra II, 2, 34. *habeo* sc. consilium; cf. I, 1, 131. 132.

22. *dies*, tempus. Sensus: Non tempus est narrandi, ubi facto opus est. Ovid. Met. I, 277 etc. „Non est hortamine longo nunc utendum: vires effundite vestras."

Ad agendum: ne vacuum esse me nunc ad narrandum credas.
Proinde hinc vos amolimini[n]): nam mi impedimento estis.
*Pa.* Ego hanc visam. *Da.* quid tu? quo hinc te agis? *Ch.* verum vis dicam? *Da.* immo etiam
Narrationis incipit mi initium. *Ch.* quid me fiet?
*Da.* Eho tu impudens, non satis habes, quod tibi dieculam addo,
Quantum huic promoveo nuptias? *Ch.* Dave, at tamen. *Da.* quid ergo?
*Ch.* Ut ducam. *Da.* ridiculum! *Ch.* huc face ad me [o]) venias, si quid poteris.
*Da.* Quid veniam? nihil habeo. *Ch.* at tamen si quid. *Da.* age, veniam. *Ch.* si quid;
Domi ero. *Da.* tu, Mysis, dum exeo, parumper opperire me hic.
*My.* Quapropter? *Da.* ita facto est opus. *My.* matura. *Da.* jam inquam hic adero.

n) V. I. *recedite.* o) Al. *ut*, quod Be. elegantius omittit.

23. *vacuum*; cf. Plaut. Cas. Prol. 29. Est enim *vacuus*, cui otium superest.

24. *Proinde huic etc.* Locus expressus e Plaut. Pseud. I, 5, 144. *amolimini.* Cum notione molestiae, a mole movenda.

25. *hanc*, Glycerium. *quid tu?* Ad Charinum se convertit remoturus eundem importunum atque molestum. *te agis.* *Agere se* tardi ac tristes dicuntur, proprie jumenta, currus, navis, cum vi quadam.

26. *incipit.* Cum odio tertia utitur persona. Infra V, 4, 22. Inde patet, lectiones variantes vel *incipis* vel *incipiens* esse perversas. *quid me* pro, de me. Itid. Ad. IV, 4, 3.

27. *Eho tu impudens etc.* stomachantis. *diecul.* moram. Vid. supra II, 1, 33. et. 2, 35. Quo utroq. scilicet loco et Davus et Pamph. adhortati erant Charinum, quid sibi ipse faceret. Igitur *impudens* merito appellatur.

28. *Quantum* sc. temporis. Refertur ad *dieculam.* *promov.* differo; cf. supra 1, 29. *quid ergo?* instantis.

29. *Ut duc.* sc. Philumenam. *ridiculum*; cf. sup. II, 2, 34. *huc.* In vultu vis est et gestu domum suam monstrantis.

30. *nihil. hab.* sc. consilii tibi; cf. v. 21. *at tamen.* Itid. v. 28. moleste urgentis. *age veniam*, ,,vix concedentis, vix consentientis.“ Do. *si quid.* Repetit homo inquietissimus.

31. *dum exeo.* Hoc intrans aedes Glycerii dicit. *opp. me hic*; cf. Eun. V, 2, 51. Ad. III, 5, 92.

32. *matura* sc. exire. ,,Verb. *maturare* praeter propriam signification. denotat quidem accelerare, sed cum quad. tarditate ac diligentia, ut ne praepropere fiat aliquid.“ Fab. Heaut. III, 1, 87. *jam inquam.* Cf. Heaut. II, 3, 105, not. Utraq. vox est instantis atque cedentis instanti.

# ACTUS IV. SCENA 3.

## MYSIS. DAVUS.

*My.* (*secum loquitur*) Nilne proprium cuiquam? Di vostram fidem!
Summum bonum esse herae putavi hunc Pamphilum,
Amicum, amatorem[a]), virum in quovis loco
Paratum: verum ex eo nunc misera quem capit
Laborem[b])! facile hic plus mali est, quam illic boni.
Sed Davus exit. mi homo! quid istuc obsecro 'st?

a) In locum vocis *amatorem* ejectae Be. *tutorem* substituit.
b) Sic We. ex mss. Leidens. Itid. Par. At mss. quid. teste We. *dolorem*. Itid. Mu.

,,Haec scena administrationem doli habet, quo fit, ut deterreatur Chremes filiam suam Pamphilo dare. Et vide non minimas partes in hac comoedia Mysidi attribui, hoc est, personae femineae: sive haec personatis viris agitur, ut apud veteres, sive per mulierem, ut nunc videmus.'' Do.

1. *Nihilne esse etc.* Cf. supra 2, 6, not. *fidem*, sc. imploro. *proprium*, constans, perpetuum. Itid. Cic. p. Red. in sen. 4. Et Menander: βέβαιον ουδὲν ἐν τῷ βίῳ δοκεῖ πέλειν. Add. Horat. Sat. II, 6, 4. 5. ubi Heindorf.

2. *Summum bonum.* Genere neutro equidem eleganter intelligi suspicor, quod veteres philosophi pro ingenio suo quisque meditatione sua efformarint. H. l. autem Epicurei non tacendi sunt, quorum philosophia juveni amanti maxime conveniat. Quapropt. Eu. *summum* et *bonum* amicum et amatorem explicanti non assentior. Supra I, 5, 14. Etiam hic spectari videtur Xenoph. illud: φίλον ὅ μέγιστον ἀγαθὸν εἶναί φασιν. Apomn. II, 4, 2.

3. *Amic. amator.* *Amicum* notant esse animi, amatorem corporis. Praeterea Mysis ostenditur loci sup. I, 5, 60. haud immemor. *in quov. loco*, quavis occasione. Sic Cic. Offic. 1, 40.

5. *Lab.* *Labor* est malum, aerumna. *facile*, liquido, manifesto. *hic*, in capiendo scilicet laborem ex Pamph. *illic.* Int. in eo, quod est Pamph. *amicus, amator etc.* Aliter We. qui vocem *hic* in gestu esse opinatur aedes Glycerii intuentis, *illic* aedes Simonis.

6. *Sed Davus exit*; cf. supra 2, 31. *mi homo, quid etc.* ,,Ex

Quo portas puerum? *Da.* Mysis, nunc opus est tua
Mihi ad hanc rem expromta malitia [c]) atque astutia.
*My.* Quidnam incepturu's? *Da.* accipe a me hunc ocius,
Atque ante nostram januam adpone. *My.* obsecro,
Humine? *Da.* ex ara hinc sume verbenas tibi,
Atque eas substerne. *My.* quamobrem tute id non facis?
*Da.* Quia si forte opus sit ad herum jusjurandum [d]) mihi,
Non apposuisse, ut liquido possim [e]). *My.* intelligo:
Nova nunc religio in [f]) te istaec incessit, cedo.
*Da.* Move ocius te, ut, quid agam, porro intelligas.
Pro Jupiter! *My.* quid est [g])? *Da.* sponsae pater intervenit.
Repudio quod consilium [h]) primum intenderam.
*My.* Nescio quid narres [i]). *Da.* ego quoque hinc ab dextera

c) Sic Eu. At Do. *memoria.* d) Var. *jurejurando. jusjurandum. ad erum jurandum.* At Be. reponit *jurato*, ut quoad syntax. id. sit quod Hec. III, 4, 17. *op. est tibi transcurso.* e) C. G. m. gl. *jurare.* f) Be. omitt. *in* quasi mendosum. g) Sic Fa. ex o. l. s. Non habet l. antiq. h) Sic colloc. libb. antiq. Al. invert. *cons. quod.* i) C. G. m. *narras* minus latine.

Mysidis verbis, quid Davus faciat, demonstratur.“ Do. *obsecro*, vox obtestandi ac feminae puero involuto obstupentis.

7. *puerum.* Quem nunc Davus evolvit.

8. *expr.* h. e. parata. *malitia* Par. explic. ingenii solertis.

11. *ex ara*, „Apollinis scilicet; aut quod Apollini comoedia dicta est, in cuius honorem *aram* constituebant comoediam celebrantes. Apollini ergo comoedia, Libero patri tragoedia.“ Do. *verben.* Supra *verben.* v. Plin. XXII, 2. et Liv. 1, 24. ubi interprett. Vet. Gloss. *verbena*, θαλλία. Et Serv. ad Virg. B. VIII. 65. „*verbenas* dicit virgulta, quae semper virent, jucundi odoris.“ Aptae tamen videbantur *verbenae* religioni fovendae superstitiosae.

13. *ad her.* i. e. apud herum, vel coram hero. Sic Heaut. V, 2, 26. *ad sororem.* Itid. Cic. Brut. 20. *opus.* Cum casu recto, *jusjurandum.* Sic Plaut. Curc. II, 2, 2. „Quae *opus sunt.*“

15. *religio*, casus conscientiae vel nimia animi sollicitudo. Infra V, 4, 37. It. Liv. 3, 20. „populum *religione jurandi* exsolvere.“

*Nova*, „bene dicit, cum jusjurandum metuere servum monstri simile est.“ Do. Hec. III, 4. 13. *Nova*, mira. Cic. Fam. X, 12. *cedo*, porrigentis est manum.

16. *Move oc. te;* cf. Eun. V, 5, 5. Et Ovid. Met. II, 817.

17. *Pro Jup.* cf. Ad. II, 1, 42. not. *quid est?* Mirantis est de trepidatione Davi.

18. *Repud. consil.* Hoc fere modo Cic. Attic. 10, 7. „abjeci *consilium* profectionis. *intend.* Heaut. III, 2, 2. *Intendere* metaphorice dict. est a retibus, quae ad feras capiendas *intenduntur.* Aut machinae bellicae *intendi* dicuntur.

19. *dextera.* Bene *dextera*, jambo ultimo mediam syllabam

Venire me adsimulabo; tu, ut subservias
Orationi, utcunque opus sit [l]) verbis, vide.
*My.* Ego, quid agas, nihil intelligo; sed, si quid est,
Quod mea opera opus sit vobis, ut [m]) tu plus vides,
Manebo, ne quod [n]) vestrum remorer commodum.

l) Id. pro var. *est.* m) Sic Mu. Be. pro *aut* vulgo. n) Al. *aliquod.* Mu. in vet. Venato repp. *ne quid*, quod exponit, „*ne in aliqua re.*"

exigente correptam. Hoc modo Horat. Od. I, 2, 3: Aliter Propert. IV, 3, 6, spondaeo. Addo Priscian. lib. 6. *dexteri* et *dextri* notantem, et Ovid. Met. IV, 640, *Dextera, dextra*, in uno eodemq. versu.

20. 21. *ut subserv. Orationi*, h. e. orationi meae tuam accommodes responsionem. *utcunq. op. s.* Heaut. III, 3, 17. *vide*, cura; cf. Hec. V, 4, 1.

22. *nihil* pro non. Cic. Phil. 1, 6. „*Nihil* dico quis fuerit etc."

23. *Quod.* Deest propter, ut sit, propter quod.
*vides*, pro intelligis. Sic Cicero centies.

# ACTUS IV. SCENA 4.

## CHREMES. MYSIS. DAVUS.

*Ch.* Revertor [a]), postquam, quae opus fuere ad nuptias
Gnatae, paravi, ut jubeam arcessi. sed quid hoc?
Puer hercle 'st. mulier! tun' [b]) apposuisti hunc? *My.* (*quaerens anxie Davum, qui discesserat, ut rediret veluti veniens de foro*) ubi illic est?

a) V. I. *ad Simonem.* b) Vett. edd. *tu.*

Haec scena, Chremetis causa, fraudibus instructa est, ne promissas compleat nuptias.

2. *Gnatae*, alias *Natae.* Ph. II, 4, 2. Sunt qui graece deductum a γεννάω putent; alii opinantur, literam G per prosthesin esse praefixam. *paravi.* Cf. supra III, 4, 15. *sed quid h.* Valde miratur, cum positum videt infantem. *sed.* Particula hac utuntur, quorum animus subito fertur ad aliam rem.

3. *mulier*, invidiose dictum. Sic Heaut. V, 3, 4, ubin t. *apposuisti.* Par. in marg. „ante januam hanc Simonis."

*Ch.* Non mihi respondes? *My.* nusquam est [c]). vae miserae mihi!
Reliquit me homo, atque abiit. *Da.* Di vostram fidem [d])!
Quid turbae est apud forum? quid [e]) illic hominum litigant?
Tum annona cara 'st. (*ad spectatores*) quid dicam aliud, nescio.
*My.* Cur tu, obsecro, hic me solam? *Da.* hem, quae haec est fabula?
Eho, Mysis [f]), puer hic unde est? quisve huc attulit?
*My.* Satin' sanu's? qui me id rogites? *Da.* quem [g]) igitur rogem,
Qui hic neminem alium videam? *Ch.* miror unde sit.
*Da.* Dicturan' es [h]), quod rogo? *My.* au! *Da.* concede ad dexteram.
*My.* Deliras [i]). non tute ipse? *Da.* verbum unum mihi;

c) V. I. *de Davo loquitur.* d) Id. *testor.* e) C. G. m. *quot.* In marg. pro, *quot homines.* f) V. I. *dissimulate.* g) Inger. plurimi *ego.* Non hab. l. antiq. scilicet eo quo Fa. usus est. Ph. V, 9, 30. h) Libb. Fa. *dicturane es.* Al. *dicturan*, omisso *es.* i) V. I. *Delirare est proprie a recta via recedere.*

5. *homo*, ponitur pro iste, per contemtum; aut ne verum nomen Simo audiat.

6. *quid turbae*, seu quid multitudinis seu quid turbationis hominum. *ap. for.* gr. *κατὰ τὴν ἀγορὰν.* *quid homo litig.* Verb. plur. *litigant* cum *quid* sing. num.. Cf. Ad. IV, 4, 26. *aperite aliquis.* Sed et legebatur Donati aetate *litigat.* Huc ref. Senec. Cons. ad Marc. 11. „omnis ista — *in foro litigat turba.*"

7. *Tum annona cara est.* Simili modo garrulus ille ap. Theophrast. Ch. 3. inter alia sic: *ὡς ἄξιοι γεγόνασιν οἱ πυροὶ ἐν τῇ ἀγορᾷ.* *quid dic. al. nescio.* „Davus haec secum, vel ad spectatores conversus. Ita enim in comoedia omnes omnia resciscunt, ut ea quae personae se invicem celant, a spectatorib. tamen exaudiantur." We.

8. *obsecro*, vox sacra, Mysidi mulieri familiaris. *Cur tu me solam.* Aposiopesis. Sub. reliquisti. *quae h. est fab.*, quid miri. *Fabulae* namq. mirae et monstrosae sunt. Eun. IV, 4, 21.

10. *sanus es*, sana mente es; cf. Hor. Sat. I, 9, 44.

11. *miror.* Veteres dicebant *miror* pro nescio, praesertim *unde* sequente. Sic recte Do. Nam admiratio, inquit, ab ignorantia descendit.

12. *au!* Interjectio est ictu aliquo vel pulsu afflicti hominis.

13. *Deliras.* We. cum interrogat. nota exprimit, *Deliras?* ut *ἐμφατικώτερον* videatur. Qua vero emphasi non opus esse mihi videtur, verb. ipsum consideranti. Rusticis enim dicitur *delirare*, quoties aratrum extra liram sive sulcum aberrat; id quod saepe ad mentis quoque aberrationem transfertur. Sic it. Aristoph.

Praetereaquam quod te rogo, faxis cave.
*My.* Male dicis. *Da.* unde est? dic clare. *My.* a nobis [l]). *Da.* aha! he [m])!
Mirum vero, impudenter mulier si facit
Meretrix. *Ch.* ab Andria est [n]) haec, quantum intelligo.
*Da.* Adeon' videmur vobis esse idonei,
In quibus sic illudatis? *Ch.* veni in tempore.
*Da.* Propera adeo puerum tollere hinc ab janua.
Mane: cave quoquam ex istoc excessis [o]) loco.
*My.* Di te eradicent: ita me miseram territas.
*Da.* Tibi ego dico, an non? *My.* quid vis? *Da.* at etiam rogas?
Cedo, cuium puerum hic adposuisti? dic mihi.
*My.* Tu nescis? *Da.* mitte id quod scio; dic quod rogo.
*My.* Vestri [p]). *Da.* cuius nostri [q])? *My.* Pamphili. *Da.* hem! quid? Pamphili?
*My.* Eho, an non est? *Ch.* (*secum*) recte ego semper has fugi nuptias.

l) V. I. *est a mea domina.* Al. leg. *a vobis.* m) We. *ha ha he.* n) Vulg. *ancilla.* Glossa. o) V. I. *excedas.* p) Sic C. G. m. ubi sup. script. *intellig. domini vel herilis filii.* q) Lindenbr. Par. disjunctim, *cuius? nostri?* Sed magis convenit prius.

N. 1276. Str. τί δῆτα ληρεῖς—? Am. ληρῶ—? *non tute ipse?* sc. apposuisti; cf. v. 3.

*verb. unum.* Comminatio opportuna, cum jam prope est, ut Mysis omnia manifestet. Infra V, 2, 19.

14. *faxis* s. feceris. Heaut. I, 2, 13. Ad. III, 4, 12. Verb. facere i. q. patefacere, manifestare; cf. supra I, 2, 7.

15. *Male dicis*, h. e. loqueris perverse. Contra Eun. III, 1, 61. *dic clare.* Scilicet ut audiat senex.

16. *Mirum vero etc.* Per ironiam, *impudenter — Meretrix*; cf. Eun. I, 1, 3. *mulier.* Cum contemtu aliquo dicitur a natura, *Meretrix*, a conditione. *Meretrix* h. e. quae meret corpore.

18. *Adeone videmur etc.* Fingit Davus iracundiam.

19. *in temp.* Cf. supra III, 2, 52, not.

21. *excessis* pro excesseris.

22. *Dii te erad.*, puniant severissime. „Exsecrandi formula est ab herbis et arborib. desumta." We. Heaut. III, 3, 28.

23. *ego dico.* Imperiose pro edico.

24. *cuium* pro cujus, a vetusto cuius, a, um; ut infra V, 4, 29. Sic Virg. B. III, 1. „*cuium* pecus."

25. *mitte*, omitte. Verb. simplex pro composito.

26. *Pamphili.* Ex consulto repetit Davus *Pamphili* nomen, quo pleniora Chremeti omnia indicentur.

27. *recte*, merito, non sine causa; cf. V, 4, 50.

*Da.* O facinus animadvertendum! *My.* quid clamitas?
*Da.* Quemne ego heri vidi ad vos adferri vesperi?
*My.* O hominem audacem! *Da.* verum r). vidi Cantharam
Suffarcinatam. *My.* Dis pol habeo gratias,
Cum in pariundo aliquot adfuerunt liberae.
*Da.* Nae illa illum haud novit, cuius causa haec incipit.
„Chremes, si positum puerum s) ante aedes viderit,
Suam gnatam non dabit." tanto hercle magis dabit.
*Ch.* Non hercle faciet. *Da.* nunc adeo, ut tu sis sciens,
Nisi puerum tollis, jam ego hunc in mediam viam
Provolvam, teque ibidem pervolvam in luto.
*My.* Tu pol homo non es sobrius. *Da.* fallacia

r) Ita cum Be. We. distinxi. Prave continuant Lindenbr. Par. cum sequentibus, *verum vidi.* s) Aliq. codd. ap. Be. et vett. edd. *puerum positum.*

28. *quid clamit.* „*Clamavit* enim Davus, ut puerum audiret Chremes." Do.

29. *Quem ego heri etc.* Ad aliud commentum descendit, vel potius falsa suggerit, ut vera seni mulier aperire cogatur. Explic. Ru. „tune dicis hunc esse puerum Pamphili, quem ego heri vidi ad vos adferri?" *vesperi.* Quo casu accipienda sit haec vox, de eo non consentiunt grammatici.

30. *verum,* absolute confirmat. Sic it. Ad. I, 2, 49. *Canthar. suffarcinat.* h. e. *Catharam,* anum quand. suffectam onere, quod sub axillis gestabat et veste tegebat. Praetereo diversas explicationes aliorum.

32. *liberae.* His enim solis testimonii dictio erat, non servis; cf. Ph. II, 1, 63. Ex illarum autem praesentia jam poterat cognosci, civem esse Glycerium, atque adeo ingenuam. Ceterum vid. Lindenbr. etiam de viris in partu mulierum non admissis.

33. *illa illum.* Paronomasia. *illum,* sc. Chremetem. *haec incipit.* Scilicet ut turbet puero posito nuptias.

34. 35. *si posit. puerum etc.* Pronuntiata haec ἐν ὑποκρίσει. *tanto h. mag. dabit.* Ad sua ipsius verba redit, ut quae simulatis Glycerii opponat. Quo fit, ut animus senis eo inclinetur, quo praeviderit ille callidus ac voluerit.

36. *Nunc h. faciet.* „Bene de se tertiam person. fecit, ut supra I, 2, 8." Do. *sis sciens.* „Eloquenter. Sic enim veteres pro, scias, dixere." Do.

37. *tollis,* removes, reponis. *in med. viam,* h. e. inde ab janua. Notandum est, res agi in veterum comoediis in publico vel ante jannas, non quasi in interioribus partib. aedium, sicut apud nos.

38. *Provolvam — pervolvam.* De proximo παρόμοιον repetit. Inde not. Do. „Quando nomina sunt, παρονομασία; quando verba, παρόμοιον dicitur." Vid. Cic. de Or. II, 65.

39. *sobrius,* i. e. sanae mentis. Eun. III, 2, 26. *fallacia Alia*

Alia aliam trudit. jam susurrari audio,
Civem Atticam esse hanc. *Ch.* hem! *Da.* coactus legibus
Eam uxorem ducet. *My.* eho [t]), obsecro, an non
civis est?
*Ch.* Jocularium in malum insciens paene incidi.
*Da.* Quis hic loquitur? o Chreme, per tempus advenis.
Ausculta. *Ch.* audivi jam omnia. *Da.* anne haec
tu omnia [u])?
*Ch.* Audivi, inquam, a principio. *Da.* audistin' obsecro? hem [x])
Scelera! hanc jam oportet in cruciatum hinc abripi.
Hic est ille [y]): non te credas Davum ludere.
*My.* Me miseram! nil pol falsi dixi, mi senex.
*Ch.* Novi rem omnem [z]). est Simo intus? *Da.* est.
*My.* ne me attingas,
Sceleste, si pol Glycerio non omnia haec.

t) Sic l. antiq. At Fa. *au* secund. Do. dicentem esse hanc interjection. perturbatae mulieris. u) Sic Be. et C. Hal. In libb. al. *ah*, *ne tu omnia*, omisso *haec.* x) *hem.* Sic in fine versus Be. Mu. Ille tamen, si semper in fine hanc particulam poni jubet, non sibi ipse constat. Posuit enim nunc in principio nunc in medio pluries. y) Sic Do. In l. antiq. *Hic illic est.* z) L. antiq. *sed* praemitt.

*al. trud.* Secund. proverb., mendacem sui memorem esse oportere. Hor. Od. II, 18, 15.

41. *Civ. Attic. etc.* Nova delatio, qua deterreatur Chremes. *coact. leg. Eam etc.* Cf. Eun. V, 2, 49. Lex autem erat: *ἡ βιασθεῖσα, ἢ γάμον, ἢ θάνατον αἱρείσθω τοῦ βιασομένου.* Ad. IV, 7, 7. *Civem*, „cuius sit et fama melior et causa verior." Lambin. ad Hor. Sat. II, 5, 30.

43. *Jocular. mal.* i. e. risu ac joco dignum. Ph. I, 2, 84. *Jocular. κατ' ἀντίφρασιν* pro gravi, molesto. Not. Gronov. „per risum et jocum devenire in summum periculum."

44. *Quis h. loq. etc.* Simulat Davus nunc demum se videre Chremetem. *per temp.* i. q. *in temp.* v. 19.

47. *hanc in cruciatum.* Scilicet quasi mentita sit Mysis, idcirco torquenda, ut verum exsculpatur de Pamphili innocentia et simulato partu."

48. *Hic est ille.* Elegans formula. Eun. IV, 6, 14. Hoc enim Davus, Chremetem ostendens, dicit cum ironia. Sic it. per eminentiam Liv. 26, 17. „*hic is est*, qui pugnam praecessit."

49. *mi*, blande perterrefacta dicit. *senex.* Bene *senex*, quia quasi alienior est, et Mysidi ignotus. *Senis* autem denominatio erat ap. vett. in honore; vid. Gell. II, 15.

51. *si pol Glycerio etc.* Sub. narro. Est enim cetera vis orationis in gestu posita praesentis. Inde igitur, sicut ex centum locis aliis, causa cognoscitur, cur comici poetae ob brevitatem hanc quotidiani sermonis non semper faciles sint intellectu.

*Da.* Eho, inepta, nescis, quid sit actum? *My.* qui [a]) sciam?

*Da.* Hic socer est. alio pacto haud poterat fieri,
Ut sciret haec, quae [b]) voluimus [c]). *My.* praediceres.
*Da.* Paulum [d]) interesse censes, ex animo omnia,
Ut fert natura, facias, an de industria?

a) Sic Be. et C. Hal. Vulg. *quid.* Mirum est, qui Be. cum Cod. Hal. saepe in uno eodemq. conveniat, nisi antea cognoverit ejus recensionem. b) Fa. facit, ut ex dissolutione diphthongorum versum sustentet, ex *quae* vel *prae* dissyllabon *quaë* vel *praë*; in quo tamen reprehenditur a Bentlejo. c) L. antiq. *volumus.* d) Be. *Hilum* reponit pro *Paulum*, et sibi persuadet, hanc voc. ex Lucretio repetitam Terentii esse; apud quem tamen *Hilum* nullibi invenitur.

52. *Eho, incepta etc.* Ad seriam redit orationem, discedente Chremete. *qui sciam.* Sanct. not. „*qui* in sexto casu adjectivum est, pro *quo*, sc. parto vel modo;" v. Minerv. IV, 4. ubi Perizon. addit: *qui* est proprie sext. casus a *quis*, quod formatum est a graeco *τίς*.

53. *socer est.* Ita per prolepsin, quasi futurus.

54. *praediceres* pro praedixisses; aut praedicere debueras.

55. *ex animo*, sine dolo.

56. *Ut fert natura.* Consimile huic Ad. V, 3, 53. *ita tempus fert.* Cic. Somn. 5. *de industria* h. e. providentia. Par. not. „Difficile est crimen non prodere vultu."

---

## ACTUS IV. SCENA 5.

### CRITO (*Critonis adventu omnes turbae dissolvuntur*). MYSIS. DAVUS.

*Cr.* In hac habitasse platea dictum 'st Chrysidem,

„In hoc loco persona ad catastrophen seu exitum rei machinata nunc loquitur. Nam hic Crito nihil argumento debet, nisi absolutionem erroris ejus: simul ex verbis suis, quam gravis, quam modestus, quamque justus sit, ostendit." Do.

*Crito.* Huius nomen est *ἀπὸ τοῦ κριτοῦ*, quod controversiam dirimat, seu arbiter.

1. *In hac habitasse.* „Non habitare, sed quia mortua est, *habitasse* dixit." Do.

Quae sese inhoneste optavit parere [a]) hic divitias,
Potius quam honeste in patria [b]) pauper viveret [c]).
Ejus morte ea ad me lege redierunt bona.
Sed quos perconter, video. salvete. *My.* obsecro!
Quem video? estne hic Crito sobrinus [d]) Chrysidis?
Is est. *Cr.* o Mysis, salve. *My.* salvos sis, Crito.
*Cr.* Itane [e]) Chrysis? hem. *My.* nos pol quidem miseras perdidit.
*Cr.* Quid vos [f])? quo pacto [g]) hic? satine recte? *My.* nosne? sic.
Ut[h]) quimus, ajunt; quando [i]), ut volumus, non licet.
*Cr.* Quid Glycerium? jam hic suos parentes reperit?

a) Mss. aliquot *parare.* A Terent. fere alienum. Eun. V, 2, 32. b) Sic colloc. Be. At vulg. *in pat. honest.* c) Ita Be. sicut etiam ms. Lindenbr. Vulg. *vivere.* d) I. et V. *consobrinus.* e) Al. *Itan.* f) C. G. m. *agitis.* Quod nisi glossema est vix alias invenitur. g) Ibid. pr. gl. *vivitis.* h) Anglus et alii conjung. *sic ut* incommode. Nam incipit ab *Ut* proverbium. i) R. non hab. *quando.*

2. 3. *sese*, eleganter abundat. Sic Eun. Prol. *se.* Licet videre, quam belle sibi invicem poeta opposuerit sequentia, *inhoneste, honeste; parere divitias, paup. vivere*; *hic*, Athenis, in *patria*, in Andro insula; cf. supra I, 1, 43. *inhoneste*, h. e. quaestu meretricio; cf. I, 1, 52. *viveret.* Non infinitiv. *vivere* vulgatae lect. probatur, sed finitivus modus, quemadmod. Cicero ubiq. locorum, e. c. Or. pr. Sext. 20. „depugnarem *potius quam* non *subirem.*"

4. *Ejus morte etc.* Sensum huius vers. We. accipit ita: „Legitimus ejus heres ego sum, etiam sine testamento defunctae." *red. bona.* *Redire* vel venire bona dicuntur hereditate legitima. Cic. Verr. 1, 45. „Minucius quidam mortuus est — ejus testamentum erat nullum. *Lege hereditas* ad gentem Minuciam veniebat." Id. p. Rosc. A. 31. „*ad quem morte ejus* divitiae venerint." *ea* refer ad *bona*, non ad *lege.*

6. *sobrinus.* „*Sobrini* sunt consobrinorum filii." Do. Atque haec Donati distinctio a Cic. confirmari videtur dicente: Sequuntur fratrum conjunctiones; post consobrinorum *sobrinorumque.*

7. *salv. sis.* Non tam respondentis, quam faventis videtur. Solent autem *salve, salvete*, dicere et priores et posteriores salutantes. De qua re v. L. Vall. VI.

8. *Itane Chrys.* Scil. mortua est: Nam veteres eleganter rem odiosam verbis quasi bonis occultant; v. c. si acciderit, pro, si moriatur. Euphemismus.

9. *satine recte?* sc. agitis. Est enim formula de salute alterius rogantium, ut Eun. V, 6, 8. Itid. Liv. I, 58. Collatinus ad Lucretiam. *nosne?* Tantum dicit, quasi pudeat cetera fateri. *sic.* Extenuationi inservit haec particula. Ph. I, 2, 95.

10. *Ut quim.* In Erasm. Adagg. est: Ut possumus, pro: *Ut quimus.* Graece: *ζῶμεν γὰρ οὐχ ὡς θέλωμεν, ἀλλ' ὡς δυνάμεθα.*

*My.* Utinam! *Cr.* an nondum etiam? haud auspicato huc me attuli [l]).
Nam pol, si id scissem, nunquam huc tetulissem [m]) pedem:
Semper enim [n]) dicta 'st ejus haec atque habita 'st soror.
Quae illius fuerunt, possidet. nunc me hospitem
Lites sequi, quam hic [o]) mihi sit facile atque utile,
Aliorum exempla commonent. simul arbitror,
Jam esse aliquem amicum et defensorem ei [p]): nam fere
Grandiuscula jam profecta 'st illinc. clamitent,
Me sycophantam hereditatem [q]) persequi,
Mendicum; tum ipsam spoliare non lubet.
*My.* O optume hospes, pol, Crito, antiquum obtines.

l) Lindenbr. *adpuli*, ut in lib. antiq. m) Sic Plautinum est in plurim. libb. Al. *retuliss.* Al. *detuliss.* n) Be. *ei* pro *enim.* o) Sic vulg. sc. Athenis. Praef. Be. *id* ex trib. codd. s. p) Mss. Par. *ejus* pro *ei* minus eleganter. q) Lindenbr. ex Do. *hereditates.*

12. *haud auspic.* ,,non bono auspicio.“ Schol. Sed est *haud auspicato* usitatum veterib. sic dicere, si quid aliquando aliter evenisset quam vellent. Justin. VIII, 2.

13. *tetuliss.* Plaut. more pro, tulissem. Infra V, 1, 13.

14. *ejus*, Chrysidis. Sup. I, 1, 97.

15. *possid.* Sub. Glycerium. *hospit.* i. e. peregrinum. Eun. IV, 6, 21.

16. *Lites sequi*, per metaph. Sic Ad. II, 2, 40. Proprie venator *sequi* feras dicitur. Quam vero Athenis difficile fuerit peregrinis litigare, vel causam suam consectari, praesertim contra civem Atticum, id Da. e Xenophonte satis ostendit. *Facile atque utile.* Antiphrasis; cf. I, 5, 52.

17. *Alior. exemp. com.* Scil. eorum qui judicib. adversantibus causa sua exciderunt. Similis locutio ac fere eod. sensu est, Liv. 21, 34. ,,alienis malis utili exemplo doceri.

18. *Jam esse aliq. etc.* Ad Pamphil. Crito nescius alludit. *defens.* h. e. causae in judicio. Eun. IV, 6, 32.

19. *Grandiuscula.* Ead. forma *majuscula* in Eun. III, 3, 21. sed h. l. positivo, illic comparativo gradu. *grandiuscula*, ,,ea aetate, ut viris placere posset.“ Erasm.

20. *sycophant.* Supra hanc voc. multus est We. quem vide. Sed ego unum adfero scholiast. Aristoph., qui sic notavit: *ἐκαλοῦντο οὖν συκοφάνται, ὡς τ. σῦκα φαίνοντες. Ἐπεκράτησεν οὖν ἐξ ἐκείνου τοὔνομα πρὸς πάντας τοὺς πανούργους.* Si quis est hospes vel peregrinus, qui tunica vili sordens ac forte patronis destitutus jus suum postulet, cum continuo, etiamsi justissimam causam habeat, mendicum appellant, *sycophantam* fraudulentumve, ut qui persequatur vel aucupetur hereditates. Cuiusmodi homines heredipetae vocantur Petron. Sat. 124, 2.

22. *O opt. hosp.* Blandiendi formula. Ph. II, 2, 10. *antiquum* sc. ingenium. Haec locutio plenior, Hec. V, 4, 20. ,,Cre-

*Cr.* Duc me ad eam, quando huc veni, ut videam. *My.* maxume.
*Da.* Sequar hos: nolo me in tempore hoc videat senex [r]).

r) C. G. m. sup. scrpt. *Simo.*

debant autem *antiquissima* quaeque esse optima, utpote aureo illi seculo propiora.“ We.

23. *quando*, quia. Itid. Liv. 23, 2. *maxume.* Sic in responsione concedentis. Ad. IV, 5, fin. *ut vid.* Par. in marg. „ut colloquar, conveniam, salutem.“

---

# ACTUS V. SCENA 1.

## CHREMES. SIMO.

*Ch.* Satis [a]) jam, satis [b]), Simo, spectata erga te amicitia'st mea:
Satis [c]) pericli incepi [d]) adire: orandi jam finem face [e]).
Dum studeo obsequi tibi, paene illusi vitam filiae.
*Si.* Immo enim nunc quam [f]) maxume abs te postulo atque oro, Chreme,
Ut beneficium verbis initum dudum, nunc re comprobes.
*Ch.* Vide quam iniquus sis prae studio, dum id efficias, quod cupis;

a) b) c) Bi. *Sati'*. Sed apostropho non opus. d) Sic o. codd. Be. In l. antiq. *coepi*. e) V. I. *noli amplius rogare meam filiam.* f) Be. *cum* pro *quam* contra codd.

„Haec scena officiorum disceptationem continet, patrum inter se de officio amicorum et paterna pietate tractantium.“ Do.

2. *orandi j. f. face.* Similiter Cic. de Or. II, 55. „*finem* scribendi fecit.“

3. *illusi vitam*, quasi lusi in vitam, atque adeo ludendo paene perdidi. Est enim varia syntax. huius verbi, *illudere* aliquem, in aliquem, in aliquo. Supra IV, 4, 19. *vitam*, famam.

4. *enim*, abundat. *quam max.* Cf. Hec. I, 2, 40.

6. *iniquus*, injustus. Sup. I, 2, 16. *prae studio* sc. filii. *efficias.* Nempe nuptias Pamphili cum Philum. optatas.

Neque modum benignitatis, neque quid me ores, cogitas.
Nam si cogites, remittas jam me onerare injuriis.
*Si.* Quibus? *Ch.* ah [g]), rogitas? perpulisti me, homini ut [h]) adolescentulo,
In alio [i]) occupato amore, abhorrenti ab re uxoria,
Filiam darem in seditionem, atque in [l]) incertas nuptias;
Ejus labore atque ejus dolore gnato ut medicarer [m]) tuo.
Impetrasti [n]); incepi, dum res tetulit [o]); nunc non fert, feras.
Illam hinc civem esse ajunt; puer est natus: nos missos [p]) face.
*Si.* Per ego te Deos oro, ut ne illis animum inducas credere,
Quibus id maxume utile 'st, illum esse quam deterrimum.
Nuptiarum gratia haec sunt ficta atque incepta omnia.
Ubi ea causa, quamobrem haec faciunt, erit ademta his, desinent.
*Ch.* Erras: cum Davo egomet vidi ancillam jurgantem. *Si.* scio.

g) Be. ex codd. *at.* h) Sic Be. invert. Vulg. *ut hom.* i) C. G. m. *alieno.* Unica quidem lectio, sed ob minorem codicis aetatem parvi habenda. l) Al. non hab. hoc *in* posterius. m) Bru. c. e. *mederer.* n) Ed. V. 1483 *Imperasti.* Supra III, 2, 4. o) Do. Composit. pro simplici est *tetulit.* Erasm. *tulit.* Supra IV, 5, 13. p) V. I. *dimissos.*

7. *modum.* Supra I, 1, 68. *benignit.* facilitatis. — Sic Plaut. Trin. II, 4, 58. „*Benigniorem* - te mihi, Quam nunc experior esse, confido fore."

8. *me onerare injur.* Itid. Cic. Fam. V, 3. „Hominis *contumeliae* quib. me *onerat.*" Sunt autem *injuriae*, injustae petitiones.

10. *occupato.* Dativ. est sc. Pamphilo, quippe qui supra IV, 2, 13. exclamaverat: *Hanc mihi expetivi*, sc. Glycerium.

11. *in sedition.* Cf. III, 3, 36. *Seditio* proprie Romanis vel plebis vel militum dicebatur. Significat h. l. discordiam; cf. Plaut. Amph. I, 2, 16. *incert.* h. e. non perpetuas, infirmas.

13. *res tetul.* Cf. IV, 5, 13. Itid. Cic. Fam. I, 1. „*res fert.*"

14. *hinc*, sc. Athenis: cf. supra I, 3, 16. *miss. face*; cf. IV, 1, 56. et Cic. Or. 56. et Cic. Or. 66. „*Missos faciant* patronos: ipsi prodeant."

16. *Quib. id max. utile est.* Argumentum a persona.

17. *Nupt. gratia etc.* Id vere credebat Simo; unde supra III, 1, 14. *ficta atq. incepta*; cf. supra I, 3, 15.

18. *Ubi ea causa, quamobrem.* Anacoluthon, quia non intulit, quam ob *causam*, sed quam ob *rem.* Supra II, 5, 8 ubi nota. *erit ademt.* Intellige, quam primum duxerit Pamphilus Philumenam.

19. *vidi ancill. jurg.*, sc. Mysidem ancillam Glycerii cum Davo; cf. IV, 4. *scio*, εἰρωνικῶς.

*Ch.* At vero vultu; cum, ibi me adesse, neuter tum [q]) praesenserat.
*Si.* Credo; et id facturas Davus dudum praedixit mihi,
Et nescio quid tibi sum oblitus hodie, ut [r]) volui, dicere.

q) Lolg. conjectur. *dum.* r) Sic Be. pro *ac* vulg.

20. *vero. At vero vultu* Chremes respondet, quasi dixerit Simo, simulare ancillam jurgium. *cum ibi me etc.* Davus Chremetem se vidisse dissimulat. Supra IV, 4, 44.
21. *Dav. dud.* Factum id supra III, 2, 27 etc.
22. *Et nescio quid etc.* Formula est qua uti licet, quoties quod dicendum erat, memoria excidit. Eun. III, 2, 51.

---

# ACTUS V. SCENA 2.

## DAVUS. CHREMES. SIMO. DROMO.

*Da.* (*haec secum domo egrediens Glycerii*) Animo nunc jam otioso esse impero. *Ch.* hem, Davum tibi!
*Si.* (*cum indignatione*) Unde egreditur? *Da.* meo praesidio atque hospitis. *Si.* quid illud mali est?
*Da.* Ego commodiorem hominem, adventum, tempus [a]), non vidi. *Si.* scelus,

a) Sic Be. We. Lindenbr. At ms. Paris. *adventum ad temp.* quod Par. recepit. Quo teste mss. Pall. omitt. al. *ad* al. *tempus.*

„Haec scena principium iudicii et iracundiam senis continet: atque in ea vehementer exprimitur consuetudo patris ac domini offensi et indignantis.“ Do.
„*Dromo* dicitur ἀπὸ τοῦ δρόμου, a cursu, fortasse per antiphrasin.“ Mu.
1. *otioso*, securo, tranquillo. Eun. V, 3, 10. et Ph. II, 2, 26. *impero.* Superbe dictum, velut imperatoris. „Exultans egreditur Davus, nuncians prona esse omnia ad securitatem.“ Do. *Dav. tibi* sc. constituo ipsum; cf. supra I, 19.
2. *hospitis*, Critonis scilicet, quo nuntio Davus audivit, Glycerium Chremetis filiam esse inventam, id quod senes ambo ignorant.
3. *commodiorem.* „*Commodus* homo est, qui se novit accom-

Quemnam hic laudat? *Da.* omnis res est jam in vado.
*Si.* (*indignabundus*) cesso adloqui?
*Da.* Herus est. quid agam? *Si.* o salve, bone vir.
*Da.* ehem, Simo, o noster Chreme[b])!
Omnia adparata jam sunt intus. *Si.* curasti probe.
*Da.* Ubi voles, arcesse. *Si.* bene sane: id enimvero
hinc[c]) nunc abest.
Etiam tu hoc respondes[d])? quid istic tibi negoti 'st?
*Da.* mihin'? *Si.* ita.
*Da.* Mihine? *Si.* tibi ergo. *Da.* modo introii. *Si.*
quasi ego, quam dudum[e]), rogem.
*Da.* Cum tuo gnato[f]) una. *Si.* anne est intus Pamphilus? crucior miser.
Eho, non tu dixti esse inter eos inimicitias, carnufex?
*Da.* Sunt. *Si.* cur igitur hic est? *Ch.* quid illum
censes? cum illa litigat.

c) C. G. ch. *hic*, sine apice. Inde var. in edd. *hic*, *hinc.* d) Be. *responde* ex codd. s. Itid. C. G. m. e) I. et V. *te.* f) C. G. m. *nato.*

modare aliis." We. *Ego com. h. adv. temp.* Syllepsis. In his enim tribus situm est, quod *commodum* laudatur, *homo*, *adventus*, *tempus*. Ph. IV, 2, 1.

4. *hic.* Refer ad *scelus*, quomodo supra III, 5, 1. ubi nota. *in vado.* Metaph. proverbialis pro eo quod est in tuto, sumta a natantib. vel navigantibus. „*in vado* Subaud. maris, fluvii." Z.

5. *nost. Noster* dicit, latenter significans, quod audivit; cf. v. 2.

6. *Omnia adparata etc.* cf III, 2, 43. *j. sunt int.* Hoc simulate secundum sup. III, 2, 43.

7. *arcesse.* Perseverat callidus in eo, cuius Simonem admonuerat supra III, 4, 2., attamen oblitus idem est, se conspectum esse ab illo, e domo Glycerii venientem; cf. supra v. 2.

*id enimvero etc.* Sensus: Hoc enim solum jam deest, ut ipsa puella debeat evocari. „*abest*, pro deest." Do.

8. *Etiam tu.* Addendum Do. putat, „*annon.*" Ac similiter Da. pourras-tu repondre? *Etiam — respondes*? Huic simile illud Ad. IV, 2, 11. *Respondere* verb. juridic. v. Hec. IV, 4, 84. *etiam taces*? *hoc* pro *ad hoc.* Sic Eun. IV, 7, 21. 22. *istic*, in domo Glycerii. Pronomina *tu*, *tibi*, We. cum emphasi putat accipienda.

9. *quam dudum.* Corrigit Simo Davum, aliena respondentem. Non enim *quam dudum*, sed quid istic tibi neg. est? interrogaverat herus.

10. *C. tuo gnato.* Prodit hoc perturbatus.

12. *quid*, i. e. propter *quid. illum* sc. hic esse. Ad IV, 5, 22. *cum illa litig.* Irridet Simonem, qui supra III, 3, 20. dixerat, „*Irae sunt etc.*"

*Immo vero etc.* Bene convertit se ad eum, quam sibi precatorem destinet.

*Da.* Immo vero indignum, Chremes, jam facinus faxo ex me audies [g]).

Nescio qui [h]) senex modo venit, ellum, confidens, catus [i]).

Cum faciem videas, videtur esse quantivis [l]) preti.

Tristis severitas inest in voltu, atque in verbis fides.

*Si.* Quidnam adportas? *Da.* nihil equidem, nisi quod illum audivi dicere.

*Si.* Quid ait tandem [m])? *Da.* Glycerium se scire civem esse Atticam. *Si.* hem,

Dromo! Dromo! *Dr.* quid est? *Si.* Dromo! *Da.* audi. *Si.* verbum si addideris — Dromo!

*Da.* [n]) Audi, obsecro. *Dr.* quid vis? *Si.* sublimem [o]) hunc intro rape [p]), quantum potes.

*Dr.* Quem? *Si.* Davum. *Da.* quamobrem? *Si.* quia lubet. rape, inquam. *Da.* quid feci? *Si.* rape.

*Da.* Si quicquam invenies me mentitum, occidito. *Si.* nihil audio.

g) Vulg. *audias.* Sed quatuor ex Be. codd. ut supra. h) Al. *quis.* i) Ed. an. 1490 ap. We. *cautus.* Itid. C. G. m. et sup. scrpt. *callidus.* l) V. I. *levis.* m) C. G. m. colloc. *Quid tand. ait*, ubi sup. scrpt. *ipse senex.* n) C. G. m. praemitt. *Illud* c. gl. *ad Chremetem loquitur.* o) V. I. *ad excelsum.* p) Id. *suspende eum.*

14. *confidens*, vocabul. medium, h. l. sensu bono, vir constans; malo sensu id. Ph. I, 2, 73. It. Hor. Sat. I, 7, 7. ubi schol. Cruq. „*confidens* in malis, sed fidens in bonis."

15. *Cum fac. vid.* Express. ex Plaut. Pseud. I, 2. 9. „At *faciem* quum adspicias." *quantiv. pret.* Itid. Plaut. Epid. III, 3, 29. „de servo dicitur, *quantivis pretii.*"

17. *Quidn. adport.* Quae namq. e terris longinquis adferuntur, dicimus *adportari.* Supra I, 1, 46.

19. *Dromo.* Locarius erat simulque qui ergastularius vocaretur. Nam ergastulariis servi dabantur custodiendi; v. Columell. I, 8.

20. *Audi.* Sic Dav. molli prece ad herum; cf. infra 3, 23. *quid vis?* Bene ostenditur Dromo tardi ingenii. *sublim. hunc etc.* Ita solebant in eos, qui cum violentia quad. ita abripiebantur, ut terram vix contingerent. Ad. III, 2, 18. Et Cic. in Catil. I, 11.

21. *Quem?* Ridicule sic interrogat Dromo, qui praet. Davum et Chrem. neminem videt. *quamobrem?* Notant quidam, servos mora interposita veniam captare indignantium dominorum. *inquam.* Cum emphasi; ut Cic. Lael. 100. „Virtus, virtus, *inquam*, et conciliat amicitias et conservat."

22. *occidito*, sc. me. Sic Ph. I, 2, 95. Eun. V, 2, 14.

[q]) Ego jam te commotum reddam. *Da.* tamen etsi hoc verum est? *Si.* [r]) tamen.
(*ad Dromonem*) Cura adservandum vinctum; atque audin'? quadrupedem constringito.
Age, nunc jam ego pol hodie, si vivo, tibi
Ostendam, quid herum sit pericli fallere, et
Illi, patrem. *Ch.* ah, ne saevi tantopere. *Si.* o Chreme!
(*prae dolore dicit per ellipsin*) Pietatem gnati! nonne te miseret mei?
Tantum laborem capere ob talem filium! (*ad januam advolat Glycerii.*)
Age, Pamphile, exi, Pamphile, ecquid [s]) pudet?

q) C. G. m. exhib. *Dromo* praenotatum. r) L. antiq. *tu.* Al. *tamen tu.* Solus Vatic. Fa. teste non hab. *tu,* quam vocem is delendam esse, et distinguendum post *tamen* recte judicat. s) C. G. m. *te.*

23. *commot. redd.* i. e. commovebo. Heaut. IV, 4, 8. *tamen.* Utcumque alii legant aut interpretentur, ego quidem anacoluthon esse puto ac supplendum: me commotum reddes? *te com. redd.* i. e. in vincula te conjiciam. *verum est*, sc. Glycerium civem esse Atticam; cf. v. 18. *tamen.* Subaudi, *te commot. reddam.* Haec est ipsa ratio diverbii Nostro consueta. Inter innumera conf. v. 8. 9.

24. *vinct.* Graece *συνδεῖν, τὸ ἀμφοτέρας τάς χεῖρας δεσμεῖν*; v. Scholiast. ad Sophocl. Ajac. v. 62. *quadrup. constr.* „*Κυφωνισμὸν* vocabant Attici id genus supplicii, quo colla servorum cippis pessum incurvabantur, ut quadrupedum praeberet speciem.“ We. *constring.* „Mire ne quid fiat tragicum in comoedia usq. ad vincula ita progreditur, nec quicquam tentat ulterius.“ Do.

25. *si vivo.* Formula comminantium; cf. Eun. V, 5, 20.

26. *Ostend. q.* Exsequitur nunc herus, quod minatus erat supra I, 2, 25. seqq.

27. *Illi,* Pamphilo. Haec dicens Simo vehementissimus adcurrit ad aedes Glycerii, evocaturus Pamphilum, et mox ingeminat clamores de via. *ne saevi tant.* Plaut. Bacch. III, 3, 4. „leniter qui *saeviunt,* sapiunt magis.“

28. *Pietat.* ironice pro impietatem. Supra I, 1, 15, ubi not.

29. *capere* sc. me. Supra IV, 3, 5.

# ACTUS V. SCENA 3.

## PAMPHILUS. SIMO. CHREMES.

*Pa.* Quis me volt? perii! pater est. *Si.* quid ais, omnium . . .[a])? *Ch.* (*ad Simonem*) ah,
Rem potius ipsam dic, ac mitte male loqui.
*Si.* Quasi quicquam in hunc jam gravius dici possiet.
Ain' tandem, civis Glycerium 'st? *Pa.* ita praedicant.
*Si.* Ita praedicant? o ingentem confidentiam!
Num cogitat, quid dicat? num facti piget?
[b]) Num ejus color pudoris signum usquam indicat?
Adeon' inpotenti esse animo, ut praeter civium

a) C. G. m. *sceleratissime* et sup. script. *nequissime*; quod id. pro glossa est in Cod. Hal. Sed aposiopesin hanc esse Do. ait; nec in ullo cod. vel edit. sequitur quidquam post *omnium*. Inde lectio illa merito suspecta.
b) L. antiq. praemitt. *Vide*, quod Do. non habet.

„Hic accusatio est, quae solvitur defensione, in eo quod ad amorem pertinet, per concessionem; in eo quod ad Critonis personam, per conjecturam.“ Do.

1. *Quis me vult*? Sic it. Heaut. IV, 4, 21. „Ecce adventus Critonis per Davum nuntiatur senibus.“ Schol.

2. *male loqui*; cf. Ph. III, 2, 25.

3. *gravius*, asperius.

4. *Ain*. Percunctativ. verb. „Quaerit Probus: *Ain* quae pars orationis sit, et an una sit. Est autem *Ain* quasi *Aisne*; et *Ain* percontativum verb. est.“ Haec Do. Cui addat. Cic. Or. 45. *tand.* pro tamen. *praedic.* palam dicunt.

5. *Ita praedic.* irate. Sic saepe repetere solent personae Terentii ead. quemodo fuerant interrogata. *confid.*, audaciam; cf. supra 2, 14, not. *Confidentia* est enim in malis rebus, fiducia vero in bonis.

7. *color pudoris sign.* Recte. Sic enim Diogenes, juvene viso erubescente, θάῤῥει, inquit, τοιοῦτον ἐστι τ. ἀρετῆς τ. χρῶμα. Diog. Laert. VI, 2, 6.

8. *Adeon' imp. etc.* Suppl. C. G. I. „decuit eum.“ *impot.* parum moderato. Liv. 6, 11. „vitio ingenii vehemens et *impotens*.“ Glossar.

Morem atque legem, et sui voluntatem patris,
Tamen hanc habere studeat cum summo probro?
*Pa.* Me miserum! *Si.* hem, modone id demum sensti,
Pamphile?
Olim istuc, olim, cum ita animum induxti tuum,
Quod cuperes, aliquo pacto efficiundum tibi.
Eodem die c) istuc verbum vere in te accidit.
Sed quid ego d)? cur me excrucio? cur me macero?
Cur meam senectutem huius sollicito amentia?
An e) ut pro huius peccatis ego supplicium sufferam?
Immo habeat, valeat, vivat cum illa. *Pa.* mi pater!
*Si.* Quid mi pater? quasi tu huius indigeas patris.
Domus, uxor, liberi inventi invito patre;

c) I. et V. *Nuncne demum.* d) Fr. Fabric. *ago*, probante Gu. e) Incipit haec particula ap. Be. Lindenbr. hunc versum; finit ap. We. Mu. priorem.

*praet. civ. Morem etc.* Bene Nannius observat nothos seu qui non ex utroq. Atheniensi parente nati essent, lege Periclis ita habitos esse, ut nec ipsi nec proles eorum ad magistratus vel alios honores admitterentur.

10. *probro.* Ph. V, 4, 6. Et Sueton. Domit. 8. „*probrosae* feminae."

11. *demum.* „*Demum* ad judicii tarditatem notand. adhibetur." We. *sensti.* Contractio est ex sensisti, ob usum quotidian. ac metrum condonanda. Huiusmodi v. Cic. de Or. II, 46. „lacerasti, exstinxsti."

12. *Olim.* Intellig. *olim* ex oppositis *modo*, *demum*, v. 11. *anim. indux. tuum.* Solent alias omittere in hac locutione, meum, tuum, suum; ut sup. III, 3, 40. et alibi.

13. *efficiund.* sc. esse. Respicit superiora IV, 2, 11, seqq.

14. *ist. verb.* v. 11. *Me miserum!* Pamph. exclamantis. *in te accid.* Cf. Phaed. I, 14, 17. ubi Schwabe.

15. *Sed quid ego?* Formula frustra operam impendentium. Virg. A. II, 101.

16. *amentia*; cf. supra I, 5, 13. Hoc per contemt. a filio conversus loquitur ad Chremetem.

17. *pro h. pecc.* cf. v. 32. Nota *huius*, *ego*, quae sunt sibi invicem opposita.

18. *Im. habeat etc.* Formula invito animo concedentis. Sup. IV, 1, 25. Gravius autem est, *vivere* cum meretrice, quam amare; vid. Do. ad Hec. IV, 4, 72. *mi pat.* Initium factum a conciliatione personae.

19. *Quid mi pat.* Qui patrem neglexit, non habet. „Hisce versib. Simo videtur abdicare Pamphilum, omnemq. ejus curam abjicere." We.

20. *Domus*, h. e. familia seu *domus* ipsa. *liberi.* Plurali num. utitur, etsi unus esset. Itid. Cic. Fam. IV, 5. „*liberos* tuos," pro filiam tuam. *Liberi* namq. saepius dicunt, ubi de uno filio aut filia agitur, Hec. II, 1, 15. *inventi.* Sic proprie in tali re; cf. II, 3, 22. III, 3, 39.

Adducti, qui illam civem hinc dicant: viceris.
*Pa.* Pater, licetne pauca? *Si.* quid dices mihi?
*Ch.* Tamen, Simo, audi. *Si.* egon' audiam? quid ego audiam,
Chreme? *Ch.* at tamen dicat sine. *Si.* age dicat: sino.
*Pa.* Ego me amare hanc fateor; si id peccare est, fateor id quoque.
Tibi, pater, me dedo. quidvis oneris impone: impera.
Vis me uxorem ducere? hanc vis mittere [f])? ut potero, feram.
Hoc modo te obsecro, ut ne credas a me allegatum hunc senem.
Sine me expurgem, atque illum huc coram adducam. *Si.* adducas [g])? *Pa.* sine, pater.
*Ch.* Aequum postulat: da veniam. *Pa.* sine te hoc exorem. *Si.* sino. (*Pamphilus advolat ad domum Glycerii.*)
Quidvis cupio, dum ne ab hoc me falli comperiar, Chreme.
*Ch.* Pro peccato magno paulum supplicii satis est patri.

f) Lindenbr. ed: *amittere*, quod est in lib. antiq. Sed Fa. ac Be. commendant *mittere* legendum; quippe, inquit posterior, *amittitur* uxor, jam domum ducta. g) Be. per sign. effert interrog. recte: sed Lindenbr. We. per exclamandi not. minus convenienter.

21. *Adducti qui etc.* Cf. III, 4, 4. *viceris.* Itid. J. Caes. B G. V. 30. „*vincite*, si ita vultis."
22. *pauca*, sc. dicere.
23. *Tamen*, absolute, omisso etsi vel quamquam. Inter multa exempla Liv. sufficiat lib. II, c. 45.
25. *hanc.* „Bene *hanc*, non Glycerium, cujus nomine offendisset patrem." Do. Supra III, 1, 11. *si id peccare etc.* Eod. modo Cic. Fam. 6, 14. „*si hoc vitium*, eo me non carere *confiteor*. Et Eun. Prol. 27.
26. *Tibi me dedo.* Scil. in perpetuum. Heaut. IV, 3, 3. *quidv. on. imp.* Cf. Ph. III, 3, 28.
27. *mittere.* Nempe *mittitur*, quae nond. ducta est, *amittitur* vero uxor jam domum ducta; v. Eun. IV, 6, 13. Ph. IV, 3, 70.
28. *alleg.* h. e. subornatum, submiss. sc. Critonem. Et subaudi, a me.
29. *Sine me exp.* Cf. Liv. II, 40. *sine* sciam. *expurg.* sc. de hospite. *ill. h. c. add.* Cf. Eun. IV, 7, 24.
30. *da ven.*, h. e. fac quod te rogat concedas.
31. *Quidv. cupio dum etc.* „Pati omnia volo, dummodo non cognoscar ab hoc me falli." Eu.
32. *Pro peccato mag.* Cf. supra v. 25. *paul. suppl.* „Adverbia frequenter fiunt nomina, cum pro casu accipiuntur, ut *paululum* et *satis*." Eu. Quoad sentent. cf. Tacit. A. II, 85. „*satis poenarum*, in ipsa professione flagitii." Ac dicit *supplicium* Simo ipsam accusationem.

# ACTUS V. SCENA 4.

## CRITO. CHREMES. SIMO. PAMPHILUS.

*Cr.* Mitte orare: una harum quaevis causa me, ut faciam, monet,
Vel tu, vel quod verum est, vel quod ipsi cupio Glycerio.
*Ch.* Andrium ego Critonem video? is certe est [a]). *Cr.* salvus sis, Chreme.
*Ch.* Quid tu Athenas insolens? *Cr.* evenit. sed hiccine 'st Simo?
*Ch.* Hic. *Cr.* Simo, men' quaeris [b])? *Si.* eho, tu Glycerium hinc [c]) civem esse ais?
*Cr.* Tu negas? *Si.* itane huc [d]) paratus advenis? *Cr.* qua re [e])? *Si.* rogas?
Tune impune haec facias? tune hic homines adolescentulos,

a) Sic Be. Sed vulg. colloc. *certe is est.* b) Haec verba Simonis olim putabantur; quae Critonis sunt, cui Pamphilus dixerat, a Simone ipsum quaeri; cf. v. 1-2. c) V. I. *ex Athenis.* d) Id. *ad docendum istud.* e) Omn. libb. Fa. *qua de re.*

,,Hic in scenam progreditur Crito: in cuius verbis nonmodo quod ipse promittit, sed etiam quid et Pamphilus dixerit, demonstratur. Et hic omnis error aperietur fabulae.'' Do.

1. *Mitte orare.* Supra 3, 2. ,,Fingitur scilicet Pamphilus, venia a patre impetrata arcessendi Critonis, orasse Critonem, ut quae ad Glycerii agnitionem pertinerent, confidenter edissereret apud Simonem patrem.'' We. *Mitte* pro Omitte. Ceterum locutio similis cf. Ovid. Met. III, 614. ,,Pro nobis *mitte* precari.''

4. *Athenas*, sc. venisti. *insolens*, insolitus, insuetus. *evenit.* Pudet fateri propt. hereditatem venisse; cf. IV, 5, 19.

5. *mene quaer.* Crito venit non ut salutans, sed ut evocatus. *tu Glycer. hinc etc.* Rem ipsam adit sine ambagibus; quomodo supra II, 1, 24. Sic it. Ph. V, 9, 48.

6. *Tu neg.* Fastidiose dictum, quasi absurdum sit, contrarium dicere. *paratus*, subornatus. Supra 3, 28, ubi nota.

7. *tune hic*, i. e. Athenis.

Imperitos rerum, eductos libere, in fraudem illicis
Sollicitando, et pollicitando eorum animos lactas f)? *Cr.* sanus es?
*Si.* Ac meretricios amores nuptiis conglutinas?
*Pa.* Perii. metuo, ut substet g) hospes. *Ch.* si, Simo, hunc noris satis,
Non ita arbitrere. bonus est hic vir. *Si.* hic vir sit bonus?
Itane attemperate evenit h), hodie in ipsis nuptiis
Ut veniret, antehac nunquam? est vero huic credendum, Chreme.
*Pa.* Ni metuam patrem, habeo pro illa re i) illum quod moneam probe.
*Si.* Sycophanta. *Cr.* hem! *Ch.* sic, Crito, est hic: mitte. *Cr.* videat qui siet.

f) Al. *jactas.* g) V. I. *taceat.* h) Ita Be. ex plurim. s. Vulg. *venit.* i) V. I. *pro nuptiis.*

8. *imperit. rer.*, h. e. simplices, quib. oppon. callidi, versuti homines. *in fraud. illicis*, h. e. in damnum et periculum. Haec fere sunt maledicta in innocentem Critonem, quae Cicero in Catilinam sceleratissimum congessit; vid. Or. II, 4. „quae tanta in ullo unq. homine juventutis *illecebra* fuit, quanta in illo?" et sic porro.

9. *Sollicitando et pollicitando.* In utrisq. his par sonus ac fere aequalis est; id quod Comico nostro non usitatum. *lactas*, quasi teneros animos. Supra IV, 1, 24, ubi nota.

10. *meretr. am. nupt. conglut.* Metaphora a glutine est. Sic Cic. Fam. XI, 27. „Facis ut qui furtivi usq. adhuc fuerunt amores inter Pamph. et Glycerium, nunc rati fiant legitimis nuptiis." We. Eod. modo *conglutinaverat* Phormio nuptiis Antiphonis ac Phanii amores; vid. Phorm. *amores*, h. e. amatam ipsam. Catull. XLV. „Acmen Septimius, suos *amores*, Tenens in gremio, mea, inquit, Acme," etc.

11. *subst.* aut subsistat sc. adversus patris contumelias.

12. *bonus est h. vir.* Cic. de Offic. III, 15. dicit, *vir bonus est* is, qui prodest quib. potest, nocet nemini."

13. *adtemperate*, apte, commode. Da. „il arrive si à propos." *in ips. nupt.* in ipso articulo temporis nuptiarum.

14. *est vero huic cred.* Ironia.

15. *pro illa re*, h. e. quod convenire huic rei queat. Virg. A. IV, 337. „*pro te* pauca loquar." *illum*, Critonem. Haec Pamphilus ad spectatores loquitur, quib. obsequentis ac verecundi filii animum ostendat.

16. *Sycophanta*; cf. IV, 5, 20. calumniator. „Hoc verb. *Sycophanta* est ab his, qui apud Athenas accusabant eos, qui cum ficu frumenta extra civitatem ferebant." Eu. Etiam in Critone, id quod moris est Terentii, vere accidit, quod animo ipse praesagiverat; cf. IV, 5, 20.

*sic est hic*; cf. Eun. III, 1, 18. Quod graece est, *οὕτως αὐτός*

Si mihi pergit [l]) quae volt, dicere, ea quae non volt, audiet.
Ego istaec moveo aut curo? non tu tuum malum aequo animo feres?
Nam ego quae dico, vera an falsa audierim [m]), jam sciri potest.
Atticus quidam olim navi fracta ad Andrum ejectus est,
Et istaec una parva virgo. tum ille egens forte applicat
Primum ad Chrysidis patrem se. *Si.* fabulam inceptat. *Ch.* sine.

l) Ed. 1469 *perget.* Eun. Prol. 18. m) Sic Fa. Be. Vulg. *audieris.*

*ἐστιν.* Itid. Plaut. Amph. II, 1, 57. „*sic sum*, ut vides." ubi not. Taubm. „sermo est hominis nec laudantis se nec vituperantis." *vid. qui siet.* De hac formula v. Drakenb. ad Liv. 42, 14.

17. *Si mihi perg. etc.* Haec locutio proverbialis videtur, ex Hesiod. Ἐργ. κ. Ἡμ. v. 339. desumta: *εἰ δὲ κακὸν εἴποις, τάχα κ. αὐτὸς μείζωνα ἀκούσαις.* Itid. Homer. Il. XX, 250. Huic simile illud: „Dixerit insanum quis me, totidem audiet." Adag. Erasm. p. 514. *dicere* sc. male. Supra 3, 2.

18. *Ego*, emphatice; sic it. *tu.* *istaec mov.* istorum auctor sum. „Dicit. enim *movere*, qui primus aliquid dicit facitve." We. Sensus totius: *Ego ista* facile negligo atque contemno, *tu* vero *ferre* debebas, quae vera sunt, etiamsi tibi molesta; cf. supra v. 5. *tuum mal.* Qui *malum* hoc dicat Simonis, patet ex superiorib. 3, 15 seqq.

19. *Nam*, asseverantis et causa sua freti hominis. *dico.* Hanc lect. recepi quidem auctorib. Fa. ac Be., sed fateor me vulgatae *dixi* magis favere tanq. iterantis omnia Critonis, quae ante praemiserat. Inde enim cognoverant Pamphil. et Davus, quae senes adhuc latebant. Huc loci igitur conferendi sunt supra sc. 2, v. 14, et 3, 28. Quae tamen causa fuit Bentlejo, cur *dico* tueretur, ne utique Crito repetat, quod jam ante dixisset, haec ead. saepius illum in multitudinem mutationum induxit, ne repetant personae Terentii, quae jam antea dixisse videantur. In qua re ego quidem a magno viro dissentior. Vid. quod supra est ad 3, 5. notatum.

20. *Attic. quid olim*; cf. I, 3, 16. Vocabul. *olim* fabulae narrandae proprium est, uti Hor. Sat. II, 6, 86. *navi fracta ad Andr.* Facile enim frangi poterat navis, cum prope insulam Euboeae angulo objectam duo promontoria, Gerastus et Caphareus sunt, quorum posterius notum est ob multa naufragia; v. Bochart. Geogr. sacr. *eject. est.* Proprie de naufragis. Plaut. Rud. I, 5, 14. „*Ejectae* e mari *sumus* ambae."

21. *egens*, significantius quam pauper; cf. sup. I, 3, 17. *applic.* *Applicant* proprie se pauperes ad patronos. Sic Cic. de Or. 1, 39.

22. *Primum*; cf. supra I, 3, 6, not. Crito autem cum suo *Primum*, tanq. complura narraturus, Simonem ita terret, ut *is*

*Cr.* Itane vero obturbat? *Ch.* perge tu[n])! *Cr.*[o]) is mihi cognatus fuit,
Qui eum recepit. ibi ego audivi ex illo sese esse Atticum.
Is ibi mortuus est. *Ch.* ejus nomen? *Cr.* nomen tam cito tibi? Phania.
*Ch.* Hem, perii! *Cr.* verum hercle opinor fuisse Phaniam. hoc certo scio,
Rhamnusium sese ajebat esse. *Ch.* o Jupiter! *Cr.* eadem haec, Chreme,
Multi alii in Andro audivere. *Ch.* utinam id sit, quod spero. eho, dic mihi,
Quid eam tum? suamne esse ajebat? *Cr.* non. *Ch.* cuiam igitur. *Cr.* fratris filiam.
*Ch.* Certe mea 'st. *Cr.* quid ais? *Si.* quid tu ais? *Pa.* arrige aures, Pamphile.
*Si.* Quid credis? *Ch.* Phania illic [p]) frater meus fuit. *Si.* noram, et scio.
*Ch.* Is hinc, bellum fugiens, meque in Asiam persequens, proficiscitur;
Tum illam hic relinquere veritus est. post illa [q]) nunc primum audio,

n) Pronom. *tu* addo cum Be. quod opponatur Simoni. Ceterum in vultu est fere tota vis intelligendi. o) Vulg. *tum* inepte. ,,Nam qui cognatus est, semper est.“ Be. p) Sic Be. secund. Fa. Vugl. *ille.* q) Fa. *post illa* dactylum facit; contra Be. illo reprehenso longas tres syllabas. Sed mirum est, si quis ultimam producat.

narrantem verbis, *fabul. incept.*, satis inhumane obturbet. *sine.* Sic placide rogantis, sup. 3, 24. 4, 16.

23. *obturb.*, interloquitur. Plaut. Poen. I, 2, 49. ,,*ne me obturba*, ac tace.“

24. *recep.* Plenius Cic. Arch. 3. ,,domum suam *recipere.*“ *ibi.* Explic. al. apud Chrysidis patrem, al. pro tum.

25. *Is ibi. Atticus* scilicet; cf. v. 20, in Andro insula.

26. *perii.* Tragicum est confine ὄλωλα, ἀπόλωλα. Atque utraq. vox *Hem, perii* personae Chremetis subita re penitus perturbati maxime convenit. Diversa hic sunt in dividendis vel distinguendis verbis personarum commenta aliorum.

27. *Rhamnus. se.* ,,Piraeus et *Rhamnus*, et cetera hujusmodi maritima Atticae regionis oppida intelligenda sunt. *Rhamnus* pagus Atticae est.“ Do. Et Mu. haec: ,,Graeci dicunt, ῥαμνούσιος ἢ τ. δῆμον, cum aliquem ex Atticae pago Rhamnunte significant.“

30. *arrige aur. Pamph.* Sensu proprio *arrigere aures* animalia solent, ut acrius audiant. Sic Virg. A. I, 152. ,,*arrectis auribus.*“ Inde indignum illud dici Pamphilo, subtiliter quidam existimant.

Quid illo sit factum. *Pa.* vix sum apud me: ita animus commotu 'st metu,
Spe, gaudio, mirando hoc tanto tam repentino bono.
*Si.* Nae istam multimodis [r]) tuam inveniri gaudeo. *Pa.* credo, pater.
*Ch.* At mi unus scrupulus etiam restat, qui me male habet. *Pa.* dignus es
Cum tua religione, odium [s])! nodum in scirpo quaeris. *Cr.* quid istuc est?
*Ch.* Nomen non convenit. *Cr.* fuit hercle huic aliud parvae. *Ch.* quod, Crito?
Numquid meministi? *Cr.* id quaero. *Pa.* egon' huius memoriam patiar meae

r) Ita junctim recte. Ed. 1469 plene, *multis modis.* Sed comici, etiam Lucretius, s finale, etsi consonans sequatur, abjiciunt. s) Sic Be. ex veterr. cod. Vulg. *odio.*

34. *illo,* h. e. de *illo,* omissa praepositione nec Terentii solum more, sed et aliorum. Cic. Cluent. 66. „*quid istis* hominibus factum est, Stratone et Nicostrato." *vix sum apud me.* Supra II, 4, 5. *ita anim. com. est metu, spe etc.* „Duo carnifices, Do. ait, futurarum rerum sunt *spes* et *metus.*"

35. *mirando hoc tanto etc.* Animadvertimus voces *hoc, tam,* interpositas esse, ne series ablativorum in o desinentium continua aurem fatiget.

36. *Nae,* profecto, gr. *ναι*; cf. Prol. 17. *multimod.* Cic. Or. 45. sine vocalibus, inquit, saepe brevitatis causa, ut ita dicerent, *multi' modis,* vas' argenteis." Terent. Heaut. II, 3, 79. Ph. III, 1, 1. *credo.* Respondentis est, vel *gratulantis, gaudeo* dicenti. Sic it. Eun. V, 8, 21. Ad. V, 9, 15. *pater.* Quaeritur, uter senum, Simo an Chremes, *pater* futurus. Sic Do. Cur dubitet miror. Nam Pamphilus respondet modo *gaudeo* dicenti Simoni.

37. *scrupul.* Metaphora est a scrupis et scrupulis i. e. parvis lapillis, qui ambulantium pedib. molesti sunt. Inde molestia etiam animi hac voce denotatur. Ph. V, 9, 30. Ad. II, 2, 20. *dign. es Cum tua relig.* His exsecrandi verbis similia sunt illa sororem necantis Horatii, Liv. I, 26. „Abi hinc *cum immaturo amore* ad sponsum." *dignus.* Absolute accipiendum, ut Eun. IV, 3, 9. et Heaut. IV, 6, 9.

38. *Cum tua relig.* Cf. supra IV, 3, 15. Praeposition. *cum* adhibent indignantes. Ph. III, 1, 1. Hec. I, 2, 59. Et not. We. „Comicorum est causam indigitare per *Cum.*" *odium.* Hoc *odium* refertur inter convicia, ut sit *odium,* pro, homine odioso. Eun. IV, 6. 16. aut sicut *scelus*! pro sceleste. *nod. in scirpo quaer.* Hoc proverb. in anxium dicebatur nimisq. diligentem. Erasm. Adag.

39. *Nomen non conv.,* Glycerium scilicet. *aliud.* Rursus Crito obliviosus est, veluti alienarum rerum.

40. *Numquid,* Terentio frequens est pro *Num.*

Voluptati obstare, cum egomet [t]) possim in hac re medicari mihi?
Non patiar. heus, Chreme, quod quaeris, Pasibula [u]). *Ch.* ipsa 'st. *Ch.* ea 'st.
*Pa.* Ex ipsa millies audivi. *Si.* omnes nos gaudere hoc, Chreme,
Te credo credere. *Ch.* ita me Di ament, credo. *Pa.* quid restat, pater?
*Si.* Jam dudum res reduxit me ipsa in gratiam [x]). *Pa.* o lepidum patrem!
De uxore, ita ut possedi, nil mutat Chremes [y]). *Ch.* causa optuma 'st;
Nisi quid pater ait aliud. *Pa.* nempe. *Si.* id scilicet. *Ch.* dos, Pamphile, est
Decem talenta. *Pa.* accipio. *Ch.* propero ad filiam. eho! mecum, Crito [z]):

t) Sic Be. ex antiq. libb. Al. *ego.* u) Graece ultima longa, *πασιβούλη.* x) I. et V. add. *tuam.* y) Bi. pr. var. *nihil mutas Chremes?* Nil notant, ubi. z) I. et V. *eho meus Crito mecum.*

41. *Voluptati.* Molliter tangit Pamph. nomen *Glycerii*, quod est a voluptate, vel graece *ἀπὸ τ. γλυκέρας*, a dulcedine. *medic. mihi.* Suggerendo scilicet nomen Critoni, quod centies ab Glycerio auditum recordatur.

43. *millies.* Hyperbolice i. e. supra modum. Sic Ph. III, 2, 2. *gaudere.* Plus est, ut Do. docet, *gaudere* quam laetari. *omn. nos gaud. h. Chr. Te credo cred.* Huc scilicet finis quidem comoediae perducitur, ut omnes gaudeant, et sese invicem gaudere credant.

44. *credo credere.* Sic geminatur verbum, supra 5, 1—2. *ita me Di am.* Cf. Eun. IV, 1, 1. not. *quid rest. pat.* Suppl. Do. „ne irascaris.“ Schmieder, „ut in gratiam mecum redeas.“ Facio cum Eu. explicante sic: „Illud significat, ut eam ducat uxorem, et sibi hoc permittat pater.“

45. *Jam dud.* h. e. satis superque. Eun. III, 1, 58. *res redux. in grat.* In usu est, qui prior succensuerit amico, eum *reduci* vel redire *in gratiam* dici.

46. *ita ut possedi.* Docte monet We. respici ad verba edicti praetoris: „*uti possidetis, ita* possideatis.“ *causa*, conditio. Itid. Cic. de Offic. ubi v. Heusing.

47. 48. *pater.* sc. Simo. *P. nempe. S. id scilicet.* Haec verba Be. distribuit inter personas ita, *P. nempe id. S. scilicet.* Atque Do. denotat: „*nempe* et *scilicet* dicentes manu vel vultu dotem significant, quod mox intelligit Chremes.“ Contra We. opinatur, Pamphilum agnoscere legem et patris in se imperium, dicentem, *nempe* q. d. ita est. Pater autem ead. facilitate, qua Chremes anteiverat, annuit filio dicendo, *id scilicet* h. e. volo. Equid. Donato assentior. *dos est. Dec. tal.* Singularem verbi personam, *est*, non magis miramur, quam in superiorib. *amant.*

Nam illam me credo haud nosse. *Si.* cur non illam huc transferri jubes?
*Pa.* Recte admones. Davo ego istuc dedam jam negoti. *Si.* non potest.
*Pa.* Qui non potest [a])? *Si.* quia habet aliud magis ex sese, et majus. *Pa.* quidnam? *Si.* vinctus est.
*Pa.* Pater, non recte vinctu 'st. *Si.* at [b]) ita jussi. *Pa.* jube solvi, obsecro.
*Si.* Age, fiat. *Pa.* at mature [c]). *Si.* eo intro. *Pa.* o faustum et felicem [d]) diem!

a) Multi non hab. *non potest*, sed solum *Qui?* At legit ex octo mss. We. quem sequor. b) Sic Be. ex acad. s. Sed Do. *haud*. c) Fa. *matura*. d) Al. *hunc*.

*irae am. integr. est*, III, 3, 23. eandem. *Dec. tal.* Quum *talentum* contineret sexaginta minas, videtur haec *dos* de dote summa intelligi, de qua supra I, 1, 74. *accipio.* Ex ICtorum formula explicatur *accipio*, quod verb. cum enuntiasset Pamphilus, eo ipso gener agnoscebatur, et *dos* erat data. *Dos* autem ab uxore datur marito, ad ferenda matrimonii onera; v. Calvin. Lexic. Juridic.

49. *illam me h. nosse.* Amphibolia. Supra III, 3, 31.
*transferri.* Quia puerpera erat.

50. *Davo-ded. j. negot.* Inusitata quid. syntaxis est, *dedere negotium*, sed Pamphilus ea cacophoniam evitabat, quae esset in *Davo dabo*, id quod Da. monuit ingeniose.
*istuc neg.* i. e. ut *transferat* virginem.

51. *Qui*, quamobrem. *aliud.* Alludit facete ad *negoti*, v. 50. Innuit enim malum quo afficiatur servus. Similiter Aristoph. N. 1446. *Τοῦθ' ἕτερον, αὖ μεῖζον κακόν.*

52. *recte.* In ambiguitate vocis *recte* jocus inest, aut juste aut diligenter significantis. *solvi.* Pro *solvi* Columell. 1, 8. revinci, ubi haec: „nam villicus aut alligaverit quempiam, domino nesciente, aut *revinxerit*."

53. *o faust. et felic. d.* Vox utraq. *faust.* et *felix* juncta formulam exhibet inauguralem; cf. Liv. II, 49. „ut Dii illud agmen *faustum* atque *felix* mittant."

Nota. Rectius hic fabulam Terentius, Schmiedero monente, clausisset, cum fere omnes personae, quo tenderent, attigerunt. Sed restabat de Charini quoque nuptiis, quae aeque ac Pamphili ad prosperum exitum essent perducendae.

# ACTUS V. SCENA 5.

## CHARINUS. PAMPHILUS.

*Ch.* Proviso quid agat Pamphilus: atque eccum! *Pa.* aliquis forsan me putet
Non putare hoc verum: at mihi nunc sic esse hoc verum lubet [a]).
Ego Deorum vitam [b]) propterea sempiternam esse arbitror,
Quod voluptates eorum propriae sunt: nam mi immortalitas

a) Cod. Acad. Be. *licet.* Ipse refinxit *liquet*, mire. b) Sic Do. Invert. l. Bemb. et Bas. *vit. Deor.*

,,Haec scena Charini adventum tenet, ut et ipsi laetitia generari possit ex cognitione. Si enim Pamphilo Glycerium datur, dari potest ipsi Philumena quam diligebat, quae Pamphilo obferebatur.“ Eu.

1. 2. *aliquis fors. m. put. Non put. etc.* Prae ceterorum maxime Eugraphii explicatio placet mihi haec: ,,Laetitiae plenus Pamphilus, forsitan, inquit, putet alius me hoc, quod mihi contigit, verum non credere. At vero sic esse, ego hoc vero credo et gaudeo.“ *nunc.* Omne laetitiae πάθος est in hac voce. *lubet.* Verbo *lubere* significatur interdum quod cordi gratum sit. Exinde venit Pamphili sententia, quae est: ego hoc verum esse puto, quod idem cordi gratum est. *Non putare hoc verum.* Videlicet quod praeter omnem exspectationem factum est, *hoc verum* esse vix putamus.

3. *Ego Deor. vit. sempit.* Pamphilus videtur ex Epicuri philosophi praeceptis judicare, quae fortunatis maxime arrideant hominibus. Nam sempiterni sunt Dii, immortales, nec ulla aegritudine turbati.

4. *volupt. eor. propr.* h. e. constantes; vid. supra IV, 3, 1. Id est δόγμα Ἐπικουρείον. Diis autem iisq. Epicureis fortunatis imus hominum quisq. sese assimilat, quo nihil est frequentius Plaut. Merc. III, 4, 18. ,,*Deus sum*, si hoc ita est.“ Itid. Terent. Hec. V, 4, 3. Heaut. IV, 3, 15. Huiusmodi sunt omnino summae felicitatis expressiones atque laudationes. Add. Cic. de Nat. D. I, 41. *mihi immort. Parta est*, h. e. beatissimus sum.

Parta est, si nulla aegritudo huic gaudio intercesserit.
Sed quem ego mihi potissimum optem [c]), cui nunc [d]) haec narrem, dari?
Quid illud gaudi est? *Pa.* Davum video. nemo 'st, quem mallem omnium:
Nam hunc scio mea solide solum gavisurum gaudia [e]).

c) Al. *exoptem.* d) Fa. omitt. *nunc.* e) V. I. *propt. mira gaudia.*

5. *intercess.* Nota vox tribunorum pleb. ab. Romanos, h. e. impedimento fuerit.

6. *potissim.* Cf. II, 6, 23. *mihi dari* sc. obviam. Eun. IV, 3, 5.

8. *gavis. gaud.* Ex more Graecorum est vel Orientalium nomen et verbum jungere ejusd. radicis; v. Sanct. Min. III, 3.

---

## ACTUS V. SCENA 6.

### DAVUS. PAMPHILUS. CHARINUS.

*Da.* (*circumspectans*) Pamphilus ubinam hic est? *Pa.* Dave [a])! *Da.* quis homo 'st? *Pa.* ego sum [b]). *Da.* o Pamphile!
*Pa.* Nescis quid mihi obtigerit. *Da.* certe: sed quid mihi obtigerit scio.
*Pa.* Et quidem ego. *Da.* more hominum evenit, ut quod sim ego nactus mali

a) Gu. et Be. ita: *D. Pamph. ubinam 'st? P. hic est, Dave!* Quae distinctio non placet. b) Be. add. *Pamphilus* incommode. Nam Davum judicamus ex voce sola *Pamph.* suum cognovisse, non ex nomine demum audito.

„In hoc actu mira arte, quae restant de comoedia, breviter explicantur et designantur duorum sociorum binae nuptiae." Do.

2. *certe*, particula concedentis; vid. Tursellin. *scio*, persensi. Sed *scio* dicit, quia Pamph. dixerat *Nescis.*

3. *Et quid ego* sc. scio; nempe te fuisse captivum vel vinctum; cf. supra 4, 52. *more hom. even.* Sic Plaut. Aul. II, 2, 68. „*more hominum* facit" h. e., ut fit, ut fieri solet. *nact.* Verb. *nancisci* etiam in malam part. accipitur; cf. Ph. III, 3, 10. Nep. Attic. 21.

Prius rescisceres tu, quam ego [c]) tibi quod evenit boni.
*Pa.* Mea Glycerium suos parentes repperit. *Da.* o factum bene! *Ch.* hem!
*Pa.* Pater amicus summus nobis. *Da.* quis? *Pa.* Chremes. *Da.* narras probe.
*Pa.* Nec mora ulla est, quin jam uxorem [d]) ducam. *Ch.* num ille somniat
Ea, quae vigilans voluit? *Pa.* tum de puero, Dave? *Da.* ah, desine.
Solus es [e]) quem diligunt Di. *Ch.* salvus sum, si haec vera sunt.
[f]) Colloquar. *Pa.* quis homo 'st? Charine, in tempore ipso mi advenis.
*Ch.* Benefactum. *Pa.* audisti? *Ch.* omnia. age, me in tuis secundis [g]) respice.
Tuus est nunc Chremes: facturum quae voles scio esse omnia.
*Pa.* Memini: atque adeo longum 'st nos illum exspectare dum exeat.
Sequere hac me intus ad Glycerium nunc [h]). tu, Dave, abi domum;

c) Al. *illud.* d) Al. mss. *eam* pro *uxorem* frigide. e) Sic Be. ex duob. s. et e. Vulg. *est* sc. puer; cf. III, 2, 6. f) In mss. quibusd. praecedit *Adibo et.* g) Codd. quid. *rebus.* Hoc id. C. G. m. exhib. pr. glossa. h) Be. ex Codd. suis *est*, puncto post *me* posito. Sed illa praefertur Westerhovii distinctio.

4. Prius rescisc. Cf. Ad. IV, 2, 7. *quam ego sc.* rescisceren.
5. *Mea Glyc. s. p. rep.* Nudam rem breviter ostendit, uti supra 4, 5. *hem*, obstupentis.
6. *narr. probe.* Formula approbandi; cf. Eun. V, 3, 7. Hec. IV. 4, 20.
7. *Nec mora ulla est, quin etc.* Nempe consenserunt in eo patres, ut duceret Glycerium. Supra 4, 46-48. *num ille somn.* Haec jure suo Charinus, cum secum reputaverit dicta Pamphili, quae extant supra IV, 1, 52.
8. *tum de puero.* Nescit quid de hoc fiat; cf. II, 3, 26.
9. *Solus es quem etc.* Eod modo Geta ad Antiphon. Ph. V, 6, 14. Idem in Graecor. proverbio: ὅν οἱ θεοὶ φιλοῦσιν, ἀποθνήσκει νέος. Menand. *salv. sum.* Nunc iterum resipiscit Charinus, quemadmod. supra IV, 2, 15., cum procul audivit, de Glycerio sermonem esse, non de Philumena ducenda.
11. *omnia.* Rustice *omnia* se audivisse dicit, qui plurima ignorat. Nam modo antea v. 7-8. res ei adhuc videbantur confusae. *respice*; cf. IV, 1, 18.
12. *Tuus est*, h. e. tibi favet. Eun. II, 2, 39. Et Cic. Q. Fratr. II, 1. „Plancius totus noster est.“ *facturum* sc. eum.
13. *illum*, sc. Chremetem, utpote qui cum Critone intraverat aedes Glycerii; cf. supra 4, 48.
14. *Seq. hac me intus.* Itid. Heaut. IV, 1, 51.

Propere [i]) arcesse [l]), hinc qui auferant eam. (*abit cum Char. respiciens retro*) quid stas? quid cessas? *Da.* eo.

(*ad spectatores*) Ne exspectetis dum exeant huc: intus despondebitur:

Intus transigetur, si quid est quod restet. plaudite [m]).

i) Al. *Propera.* l) V. I. *evoca famulos.* Ead: gl. in C. G. m. Not. Haec scena contexta est in Cod. Goth. membr. cum priore, in chartaceo separata. m) Post *plaudite* in Cod. Goth. membr. sequuntur haec: *Calliopius recensui feliciter.* Tum minusculis literis separatim ab illis hoc modo: *finita fabula in theatro recitator fabulae ajebat ω plaudite et valete.* Quae vero ead. est Eugraphii notatio. De *Calliopio*, quis fuerit, vid. Phorm. fin. Sed quod notam ω attinet, putant alii per eam ultimam literar. graecarum denotari finem fabulae; alii signum esse, o o, h. e. ὄχλος ὄχλος, turbae actorum totius *plaudite* clamantium. Contra Daceria contendit, eum solum in scena, qui ultimus ageret, clamasse *plaudite.* Sunt denique qui notam cantoris explicent, ca, unde corruptum sit ω.

15. *auferant eam.* Itid. supra 4, 49. „*illam transferri.*" *quid stas? quid cessas?* His adlocutionib. segnities indicatur atque ignavia servilis. Hec. V, 3, 16. Itid. Liv.

16. *desponded.* Cf. I, 1, 75 not.

17. *Intus* i. e. post scenam. *transig.* Cf. supra I, 5, 13. Eod. fere modo Horatius praecipit, ad Pison. v. 82. 83. „Non tamen *intus* Digna geri promes in scenam." *si quid est quod rest.* Haec verba junge cum *transigetur*, non cum *plaudite.* *Plaudere* proprie textricum verbum valet pro *plausum* dare, quod Graecis est σπαδᾶν vel κροτεῖν etc. Postea migravit in theatrum, quo scilicet peractis fabulis spectatores dimittebantur. Plerumq. addebatur *valete*; adeo ut vel a grege vel ab ea persona, quae ultimo loco in scenam produceretur, pronuntiari soleret, *valete et plaudite*; v. Par. Lexic. Cui verbo *plaudere* contrarium esse sibilare, patet ex Hor. Sat. I, 1, 66. „Populus me sibilat; at mihi *plaudo.*" Not. C. Guelf. haec: „Consuetudo erat, ut populus finita recitatione cum plausu discederet, ad quem invitat eos recitator." Non praetereo qui supersunt ac circumferuntur in quibusd. Editt. septemdecim versus, quorum Do. mentionem fecit, et quos Guyetus ex quibusd. exemplaribus sibi visis vulgavit. Hos versus etiam Westerhovius edidit quidem, sed judicavit de eis ita: „verba intricata et absurda, ne dicam barbara, et quibus intelligendis Oedipo opus sit conjectore etc. Quum igitur nihil minus quam Terentianum stilum sapiant, in iis restituendis et emaculandis frustra quis operam posuerit." Huic sententiae Westerhovii ego item accedo, ac profecto nemo quidem fecerit jacturam, qui notitia illorum carebit.

# E U N U C H U S.

# EUNUCHUS TERENTII.

Acta Ludis Megalensibus, L. Posthumio Albino et L. Cornelio Merula Aedilibus Curulibus. Egerunt L. Ambivius Turpio *) et L. Atilius Praenestinus. Modos fecit **) Flaccus Claudii filius ***), tibiis duabus dextris. Graeca Menandru. Acta II. M. Valerio, C. ****) Fannio Consulibus.

---

*) Cod. Jen. *Turpius.*

**) C. J. *modum laviit.* Inde *modulavit.*

***) In plerisq. libb. omittitur *filius.*

****) In mss. Pall. teste Par. *Gajo Mummio.*

*Praenestin.* *Praenestinus* a patria. Nam *Praeneste* oppidum est Latii, non procul Roma.

*tib. duab. dextr.* „Agebantur fabulae *tibiis* paribus aut imparib. et *dextris* aut sinistris. Dextrae autem et Lydiae sua gravitate seriam comoediae dictionem pronuntiabant. Sinistrae et Serranae acuminis levitate jocum in comoedia ostendebant. Ubi autem dextra et sinistra acta fabula inscribebatur mixtim joci et gravitates denuntiabantur." We.

*duab. dextr.* v. Andr. Didasc.

*Graeca.* Videlicet *Graeca* est Fabula *'Ευνοῦχος* Menandri; quam Terentius in Latinum sermon. traduxit.

*Menandru.* Graeco genitivo pro Menandri.

*Acta II.* Par. in marg. „H. e. secundum acta." Ergo iterum haec acta est Comoedia. Sed dubitat

Mu. ~~an~~ de M. Valerio et C. Fannio Coss. hic notatis. Equidem magis Gellio simpliciter confidem, qui in N. A. II, 24. non solum horum consulum, sed etiam simul Megalensium ludor. mentionem facit.

Annum vero, quo M. Valerius et C. Fannius consules fuerint, notat esse Farnabius ab u. c. 598.

---

## FABULAE INTERLOCUTORES.

*Phaedria*, adolescens, amator Thaidis.

*Parmeno*, servus Phaedriae.

*Thais*, meretrix.

*Gnatho*, parasitus Thrasonis.

*Chaerea*, adolescens, amator Pamphilae.

*Thraso*, miles, rivalis Phaedriae.

*Pythias*, ancilla Thaidis.

*Chremes*, adolescens, frater Pamphilae.

*Antipho*, adolescens.

*Dorias*, ancilla Thaidis.

*Dorus*, Eunuchus.

*Sanga*, centurio.

*Sophrona*, nutrix Pamphilae.

*Laches*, senex, pater Phaedriae et Chaereae.

## PERSONAE MUTAE.

*Strato*, elephantis Indicis Praefectus.

*Simalio*, } Ordinum ductores.
*Donax*, }

## C. SULPITII APOLLINARIS
## PERIOCHA
## IN TERENTII EUNUCHUM.

Sororem falso dictatam Thaidis,
Id ipsum ignorans, miles advexit Thraso,
Ipsique donat. erat haec civis Attica.
Eidem Eunuchum, quem emerat, tradi jubet,
Thaidis amator Phaedria, ac rus ipse abit,
Thrasoni oratus biduum concederet.
Ephebus frater Phaedriae puellulam
Cum deperiret dono missam Thaidi,
Ornatu Eunuchi induitur: suadet Parmeno:
Introiit: vitiat virginem: sed Atticus
Civis repertus frater ejus, collocat
Vitiatam ephebo: Phaedriam exorat Thraso.

# PROLOGUS.

Sī quīsquām est, quī plăcērĕ sē stŭdeāt [a]) bŏnīs
Quām plūrĭmīs, et mĭnĭme mūltōs laedĕre,
In his poeta hic nomen profitetur [b]) suum.
Tum si quis est, qui dictum in se inclementius
Existimarit [c]) esse, sic existimet,
Responsum, non dictum esse, quia laesit prior [d]).
Qui bene vertendo, et easdem scribendo [e]) male, ex [f])

a) Be. *studeant* ex Prisciano. b) V. I. *esse.* c) Var. *Existimet. Existimat. Existimavit.* d) Sic l. Bemb. Vulg. *prius* male. e) Al. *describendo.* f) Finiunt praepositione *ex* Be. Mu. Bo. hunc vers. Al. incip. ead. sequentem.

1. *Si quisquam est.* „Attendenda poetae copia, quod in tot prologis de ead. causa iisd. fere sententiis, variis verbis utitur.“ Do. *Si quisq.* — *In his.* Haec duo pronomina, *quisquam his*, ad se invicem referuntur, et sic Latini Graecos imitati a singulari transeunt ad numer. pluralem. Haud alit. Sophocl. Antig. 703-5; ὅςτις - οὗτοι; ubi v. Erfurdt. *se*, abundat; cf. Andr. IV, 5, 2. not. Itid. Sallust. Catil. 1. „Omn. homines, qui *sese student* praestare cett. animalibus.“ *bonis.* Huic *bonis* opponitur τὸ *multos*, v. 2. h. e. malos. Not. Eu. „*boni* sunt admod. pauci, sic ut οἱ πολλοὶ Graecis notant vulgus.“ Cf. infra III, 1, 19. not. Excusat enim verecundus poeta, quod invehatur in adversarium.

3. *In his*, „in numero horum.“ Schol. *nom. profit.* „Locutio vel a militib. vel a candidatis translata.“ We. Sic Liv. II, 24. *profiteri nomina.* Et Cic. Fam. x, 31. „Quicunq. is est, ei *me profiteor* inimicum.“

4. *si quis est, qui etc.* Nempe Luscius Lavinius subauditur, malus poeta.

6. *dictum* pro maledictum. Sic Vespas. Sueton. 9. „Non oportere, inquit, *maledici* senatoribus, *remaledici* civile fasq. esse. Quod vero ibi imperator ille per diction. *remaledici* voluerit, idem h. l. significari videtur per *Responsum.* Itid. Cic. de Or. V.

7. *Qui bene vertendo etc.* Hunc locum alii aliter tentarunt. *bene*, „pro valde, et *vertendo*, in linguam latinam transferendo.“ Do. *scrib. male.* Eu. explic. „male scribit, male verba compo-

Graecis bonis Latinas fecit non bonas,
Idem Menandri Phasma nunc nuper dedit,
Atque in Thesauro [g]) scripsit, causam dicere
Prius unde petitur, aurum quare sit suum,
Quam ille [h]) qui petit, unde is sit thesaurus sibi,
Aut unde in patrium monumentum pervenerit.
Dehinc, ne frustretur [i]) ipse se, aut sic [l]) cogitet:
Defunctus jam sum; nihil est, quod dicat mihi;
Is ne erret, moneo, et desinat [m]) lacessere.
Habeo alia multa, quae nunc condonabitur [n]):
Quae proferentur post, si perget laedere,

g) Var. *a Thesauro. a Thesauris.* Lindenbr. script. ed. *Thens.* graece. h) Be. *illic.* Itid. Lindenbr. pr. var. Fa. pr. var. *quam illum.* i) Var. *frudetur. fraudetur.* l) C. G. m. *si.* m) I. *desinet.* n) Cod. Hal. *condonabuntur.*

nit." Sed Mu. ac We. legunt, *describendo* i. q. distribuendo. Haec si vera esset lectio, significaretur oeconomia fabulae ad distributionem temporum, locorum ac personarum pertinentis, non inepte. His insuper comparanda sunt, quae mox a versu 10 sequuntur, et Andr. III, 1, 17. 18. Inde *scribendo* pro *describendo* explicari certe mihi videtur. Nam si secus, mirum sane videbitur, quomodo, qui bene verterit, idem male scribat, male componat. *easd.* sc. fabulas.

9. *Phasma*, h. e. fabula Menandri.

10. *in Thesauro*, h. e. in comoedia hoc nomine inscripta, quam de Menandro quoque ille transtulit.

11. *unde petitur* i. e. ille, a quo petitur, sive reus. Contra actorem ICti dicunt *petere* et petitorem. Argumentum autem fabulae, quae *Thesaurus* inscribitur, est hoc. Quidam agrum vendidit: illic habuit patrium monumentum, in quo *thesaurum* emtor invenit. Comperit venditor. In judicium venitur. Utique ex ratione et ex consuetudine *prior* loqui debet ille qui petit, h. l. venditor, ut secundo loco respondeat, a quo petitur, h. e. emtor. At contra Luscius Lavinius fecit, ut prior loqueretur, unde petitur quam ille qui petit. Hoc modo partes permutavit et confudit personarum; v. sup. v. 7, not.

12. *ille* sc. dicat. Dicend. erat illum pro *ille.*

13. *in patr. monumentum.* Supra hoc v. Lindenbr. Observatt. Erat autem mos veterum, *thesauros in monumentis* condere vel sepelire. *Monumenta* dividuntur in priva, communia, hereditaria, alia; vid. ap. Kirchmann. de Funerib. Romanor.

14. *aut sic cogit.* Repetend. est, ne, ut sit, *cogitet.*

15. *Defunct. j. sum.* Qui rem peregit, quique proinde ea est liberatus, *defunctus* et perfunct. dicitur. Sic Ad. III, 4, 64. Itid. Liv. 3, 8. *nihil est*, *quod etc.* Sensus: Ne sibi persuadeat nihil esse, quod dicam amplius.

17. *condonab.* h. e. venia dabitur maledictorum. Praeterea verb. sing. cum neutro plur. *multa quae* junxit per graecismum.

18. *Quae prof.* Eod. modo Crito minatur in Andr. V, 4, 17. *profer.* sc. *palam.* Heaut. V, 2, 41. Et Cic. Divin. II. „*proferre* furta occulta."

Ita ut facere instituit. quam nunc acturi sumus °)
Menandri Eunuchum, postquam Aediles emerunt,
Perfecit, sibi ut inspiciundi esset copia.
Magistratus cum ibi adessent p), occepta 'st agi.
Exclamat q), furem, non poetam fabulam
Dedisse, et nil dedisse verborum tamen;
Colacem esse r) Naevi, et Plauti veterem fabulam;
Parasiti personam inde ablatam et militis.
Si id est peccatum, peccatum imprudentia 'st s)

o) Do. leg. *simus*. p) Sic tres Be. antiq. Codd. pro *adesset* vulg. *Magistratus* autem plurali num. sunt duo aediles. q) V. I. *malivolus*. r) Be. *nempe*, omiss. *Naevi et.* Nam *Naevii* putat nullibi *Colacem* memorari. At vero a Nonio et Prisciano *Colax Novii* memorari, quod *Novii* pro *Naevii* corruptum facile putes. s) Cod. Hal. *imprudentiae* male. Nam *peccatum* participium est, non nominis loco. Inde Par. recte judicat, *imprudentia* pro sexto casu haberi.

19. *Quam* pro quem *Eunuchum*. Syllepsis. Subaud. comoediam.

20. *Eunuch*. Vid. Sturz. Lex. Xenoph. εὐνοῦχος, castratus, spado. Castrationem certe Graeci abhorrebant. Aeschyl. Eum. v. 176. κακὴ τεχλοῦνις. A quo temp. coeperint eunuchi, aut qua ratione, aut quales, in ea re veteres parum consentiunt auctores. Quidam enim existimant eunuchos a Persis institutos ex captivis; et Cicero Or. 70. multos eunuchos e Syria Aegyptoq. peti affirmat. Sed qualem esse Eunuchum Terentii quidem Pythias sibi cogitaverit, hoc infra IV, 3, 24. facile cognoscitur. *postq. Aediles*. Agebantur enim privatim et speciminis causa comoediae apud Aediles curules, antequam publice agerentur; et quae placebant, emebantur. *Aediles*, scilicet curules, praeter cetera, ludos scenicos administrabant.

22. *Magistrat. cum ibi etc. Magistratus* idem sunt quod *Aediles* supra v. 20. *Magistratus* enim Romae majores minoresq. erant; *majores*, Consules, Praetores, Censores; minores, ut *Aediles*, Quaestores etc. Fab. Thes.

23. 24. *furem dedisse*, mire, cum *fur* auferre soleat, non dare. Sed Poeta furatus esse dicitur, antequam dederit. Hor. Sat. I, 4, 3. *nihil dedisse verb.* „Est Luscii jocus in Terentium paulo obscurior. Donatus: „Aut, neminem fefellisse, (dare enim verba, decipere est) aut, nihil apposuisse de suo, nihil addidisse de stilo suo."

25. *Colacem*, ἀπὸ τοῦ κολακεύειν, adulatorem. Utrum vero *Colax* solius Menandri fuerit, an etiam *Naevii* et *Plauti* fabula, eod. nomine inscripta, id non liquet. Sed de hac re diligentius examinanda vid. Osann. Analect. crit.

*Naevi* pro Naevii; cf. Andr. Prol. 2. *negoti*; ibi nota. *Naevius* autem fuit poeta Campanus, Ennio senior, ab Horatio laudatus, Epp. II, 1, 53.

26. *person. ablat.* Contra Senec. Cons. ad Polyb. 25. „Magnam tibi *personam* imposuit."

27. *imprudentia*, inscientia; cf. Hec. V, 4, 40.

Poetae, non quo [t]) furtum facere studuerit.
Id ita esse, vos jam judicare poteritis.
Colax Menandri est [u]): in ea est parasitus Colax,
Et miles gloriosus [x]): eas se hic [y]) non negat
Personas transtulisse in Eunuchum suam
Ex Graeca; sed eas fabulas factas prius [z])
Latinas scisse sese, id vero pernegat [a]).
Quod si personis iisdem uti aliis [b]) non licet;
Qui magis licet, currentes servos [c]) scribere,
Bonas matronas facere, meretrices malas,

t) Sic un. Be. vetustiss. C. Al. *qui.* u) V. I. *Menander suam fabulam vocavit Colacem a persona parasiti.* x) Id. *in mea thraso.* y) Be. inger. *hic* commode. z) V. I. *ante se.* a) Id. *poeta.* b) L. Bemb. *huic* pro *aliis.* c) Fa. ex l. Bemb. *currentem servum*; cf. Heaut. Prol. 37. Par. mss. *discurrentes servos.*

28. *quo.* Fa. explic. *quo* pro quod.

29. *vos j. jud. pot.* Alloquitur prologi recitator auditores, ut faveant suae causae.

30. *parasit.* Notus fuit Graecis παράσιτος seu κόλαξ Menandri. Erant autem parasiti de genere hominum illo, alienae mensae asseclarum, quos Graeci vocabant γελωτοποιοὺς, Plautus et Horatius etiam derisores. Et quid sit ars parasitica, vid. ap. Lucian. Περὶ παρασίτου. Add. Plutarch. Περὶ κόλακος, et Plaut. Capt. III, 1, 9. Nostrum locum Cicero tangere videtur dicens: „Assentatio *parasitorum* in comoediis nobis faceta non videretur, nisi essent *milites* gloriosi.“ Lael. 26.

31. *mil. glorios.* Sic inscriptam Plauti fabulam superesse constat.

32. *suam.* Dicit *suam*, per synchesin, quam rhetoricam dicunt figuram, non ad hominem *Eunuchum* referendo, sed ad comoediam; cf. supra v. 19. not. *Eunuchus* vero comoedia est palliata vetus Menandri: quam ille auctor de facto adolescentis, qui se pro eunucho deduci ad meretricem passus est, nominavit.

33. *Ex Graeca*, sc. fabula Menandri. A Graecis autem transtulisse vel desumsisse quidquam, id vitio nemini dabatur, quod fieri quotidie solebat. Huius rei testem Ciceronem quidem habemus de Fin. I, 2, init. Qui mox ibid. sane aliter, atque adversarius Terentii, Latinas Fabb. ex Graec. etiam male conversas non contemnendas esse, immo legendas sibi putarit.

34. *Latinas*, sc. fabulas Naev. et Plauti, Colacem et Militem; cf. supra v. 25. *scisse*, novisse.

35. *Quod si personis etc.* Cf. Nep. Praef. 1. *Persona* est derivand. a personando, auct. Gell. V, 7. Et Cic. Or. II, 46. „*persona*, πρόσωπον, facies ficta histrionis.“ Notit. antiq. §. 6. *iisd.* h. e. Colacis et Militis, uti v. 30. 31.

36. *current. serv. Currentes servi* prae ceteris dicebantur, ut qui agiles essent atque concitatiores. Hec. III, 4, 24. *scribere*, notare.

37. *Bon. matron.* Cuiusmodi est ap. Terent. Nausistrata in

Parasitum edacem, gloriosum militem,
Puerum supponi, falli per servum senem,
Amare, odisse, suspicari? denique
Nullum est jam dictum, quod non dictum sit prius.
Quare aequum est, vos [d]) cognoscere [e]) atque ignoscere,
Quae veteres factitarunt, si faciunt novi [f]).
Date operam, et cum silentio [g]) animum attendite [h]),
Ut pernoscatis, quid sibi Eunuchus velit.

d) I. *nos.* e) V. I. *mea dicta.* f) Id. *poetae.* g) Id. *propt. strepitum hominum, qui erat in theatro, silentium petebat.* h) Sic We. ex mss. quibusd. Pall. *animadvortite.*

Phorm. et Sostrata Hecyrae. *meretric. mal.* Tales etiam Noster, Thaidem in Eunucho, Bacchidem in Heaut. induxit personas.

38. *Parasit. edac.* Inter alios edax Terentii quoque Gnatho ostenditur parasitus, infra II, 2.

39. *Puer supp.* uti in Andr. IV, 4.

40. *Amare, odisse, susp.* Est enim *amare*, consuetudine uti mulierum vel meretricum; *odisse*, sc. rivales; *suspicari*, nempe de amore amicarum.

40. 41. *deniq. Null. est etc.* Haec verba respiciunt ad v. 35. Ac sane mirum esset, diversos homines interdum in ead. cogitata non incidere posse. Igitur Poeta ostendit, summum esse nefas atque calumniam, si quis proprio Marte invenerit effeceritque, quae jam aliena opera extent, eum protinus furti accusare. *jam*, nostra aetate.

42. *cognoscere - ignoscere*, paronomasia.

43. *Quae vet. factitarunt etc.* „Cum magna defensione Terentii, semel facientis, id quod saepe veteres." Do.

45. *Ut pernoscatis*; cf. Andr. Prol. 25. *quid sibi Eun. velit*; cf. Heaut. I, 1, 9.

## ACTUS I. SCENA 1.

### PHAEDRIA. PARMENO.

*Ph.* Quĭd ĭgĭtŭr făcĭăm? nōn ĕăm? nĕ nŭnc quĭdĕm,
Cum[a]) ārcēssor ūltro[b])? ān pŏtĭūs ĭtă mē cōmpărĕm[c]),
Non perpeti meretricum contumelias?
Exclusit; revocat. redeam?... non[d]), si me obsecret.
*Pa.* Si quidem hercle possis, nil prius neque fortius.
Verum si incipies, neque pertendes[e]) naviter,
Atque ubi pati non poteris, cum nemo expetet;

a) In I. *Cum* omittitur. b) V. I. *a Thaide evocor.* c) Hos duos vers. Priscianus scansione ita distinctos habet in lib. de metr. comicis; it. illos priores; vid. Prol. d) V. I. *ad illam redibo.* e) Al. *perficies.*

,,In hac protasi exemplum proponitur, quam non suae potestatis sit, qui amat; quam sapiat qui non amat, neq. aliter affectus est.'' Do.

*Phaedria*, ,,gr. φαιδρὸς, hilaris, alacer, quasi dicas, Hilaris.'' Far. *Thais*, ,,meretrix, a θεατὸς, spectabilis, a θεάομαι, specto, quasi dicas speciosa.'' Min. Ceterum persona haec, id. q. monet Far., cordata et civilis inducitur, et inter meretrices bonis moribus.

1. *Quid ig. fac.* Formula dubitantis, quid consilii capiend. sit in re dubia. Hec. IV, 1, 1. Itid. Menand. εἶτα τί ποιήσω. *non eam? ne nunc quidem etc.* Hunc locum tam veritate quam concinnitate orationis egregium Horatius Sat. II, 3, 158 seqq. percurrit illustravitque.

2. *comparem*, constituam; cf. Ph. I, 1, 7., not.

3. *meretricum*, invidiose, cum de una Thaide sermo sit. Andr. III, 3, 26.

4. *Exclusit*, non admisit. Ovid. R. A. 519. ,,Janua forte patet; quamvis *revocabere*, transi.'' Consimilis querela amatoris vid. Tibull. II, 6, 13. 14.

5. *prius*, praestantius, ut infra III, 5, 19. *fortius.* Ovid. Trist. VI, 6. ,,*Fortior est* qui se, quam qui fortissima vincit Moenia etc.''

6. *pertend. navit.* Utraq. vox de mari vel navigatione sumta efficit allegoriam. Sensus: summas vires adhibebis.

7. *pati*, absolute pro durare, κρατερεῖν. Heaut. IV, 5, 13.

Infecta pace, ultro ad eam venies, indicans
Te amare, et ferre non posse. actum 'st, ilicet;
Peristi; eludet [f]), ubi te victum [g]) senserit.
Proin tu, dum est tempus, etiam atque etiam hoc [h]) cogita,
Here! quae res in se neque consilium neque modum
Habet ullum, eam rem [i]) consilio regere non potes [l]).
In amore haec omnia insunt vitia, injuriae,
Suspiciones, inimicitiae, induciae,
Bellum, pax rursum. incerta haec tu si postules
Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Quam si des operam, ut cum ratione insanias.
Et quod nunc tute tecum iratus cogitas:
Egone illam? quae illum? quae me? quae non? sine modo.
Mori me malim. sentiet qui vir siem.

f) C. G. m. *te*. g) V. I. *suo amore*. h) Be. *hoc* ing. quod id. infra IV, 6, 21. *hoc cogitato*. i) *rem* extat in Bo. codd. uno inter lineas, utpote quod omissum fuerat, a manu posteriore adscriptum. Hoc idem hab. C. G. m. in textu. l) Ex versu hoc et priori Fa. fecit unum.

*nemo* de mulieribus. Sic Plaut. Cas. II, 2, 12. H. I. Thais subauditur.

8. *Infecta pace*. Refertur ad *Exclusit* v. 4.

9. *ilicet*. Desperantis formula, sicut *actum est*, ex iudiciis translata. Andr. III, 1, 7, ubi nota.

11. *dum est temp.*, dum datur occasio; cf. Hor. Serm. II, 3.

12. 13. *quae res*, amor scilicet. *consilium consilio*. Et vim majorem habet hoc duplicatum nomen et paronomasiam. Cuiusmodi fere est Sophocl. Aj. 865. „*Πόνος πόνῳ πόνον φέρει.*" *consil. reg. non pot.* Expressa sunt haec e Menandri Consobrinis: *φύσει γὰρ ἐστι ἔρως τοῦ νουθετοῦντος κωφὸν* etc., natura enim est amor monenti surdus."

14. *In amore etc.* Integrum hunc loc. Cicero laudat Q. Tusc. IV, 35. Item Horatius Sat. II, 3. eund. imitatus esse videtur.

15. *suspic.* Cf. Prol. v. 40. *inimicitiae*. Cf. Andr. III, 3, 20.

16. 17. *incerta haec tu si post. Ratione etc.* Significatur enim in amore nihil certi esse, eoq. magis impelli quam regi homines. *Ratio*, methodus est vel regula; vid. Cic. Fam. V, 4. *nihilo plus ag. Quam etc.* Ead. fere syntax. Liv. 41, 24. „*Nihilo plus* fidei habem. *quam etc.*

18. *cum ratione insan.* Cf. Hoc. Sat. II, 3, 125.

20. *Egone illam? quae etc.* Has ellipses Priscian. explet ita: *Ego illam* dignor adventu meo? *quae illum* praeposuit mihi? *quae me* sprevit? *quae non* suscepit heri? Tota mimesis est figura, per quam imitatur Parmeno cogitata Phaedriae. *sine modo*, comminantis. Infra IV, 6, 1. dimitte me.

21. *Mori me malim.* Sic solent desperantes, ut infra IV, 7, 2. *sentiet*, emphatice, h. e. periculo suo experietur. Liv. 9, 37. „Vastationem ora *senserat*."

*qui vir s.* Pronom. *qui* pro qualis; cf. infra II, 3, 16.

Haec verba una mehercule falsa lacrimula [m]),
Quam, oculos terendo misere, vix vi expresserit,
Restinguet; et te ultro accusabis [n]), et dabis ei
Ultro supplicium. *Ph.* o indignum facinus! nunc ego
Et [o]) illam scelestam esse, et me miserum sentio;
Et taedet; et amore ardeo; et prudens, sciens;
Vivus vidensque pereo; nec quid agam, scio.
*Pa.* Quid agas? nisi ut te redimas [p]) captum, quam queas
Minimo [q]); si nequeas paululo, at quanti queas,
Et ne te afflictes. *Ph.* itane suades? *Pa.* si sapis.
Neque, praeterquam quas ipse amor molestias
Habet, addas; et illas, quas habet, recte feras.
Sed ecca ipsa egreditur [r]), nostri fundi calamitas:
Nam quod [s]) nos capere oportet, haec intercipit [t]).

m) Al. script. *lacrumula.* n) Sic Erasm. Mu. We. ob structur. et sens. verbor. commode. Al. *accusabit.* o) Hoc *Et* prius We. priori versui male annectit. p) V. I. *abstrahas.* q) I. *Nimio.* r) C. Hal. et Goth. nota ead. haec: *Thais de domo sua ut veniat ad nos.* s) V. I. *obsonium.* t) Id. *Thais.*

22. *una falsa lacrim.* Quas Noster *falsas* ac vi expressas *lacrimas*, eas Virgilius vocat coactas; Aen. II, 196. Itid. Ovid. Met. VI, 628. Et Syrus in Mimis: „Didicere flere feminae in mendacium.“ *mehercule.* V. I. „Ita me Hercules juvet.“

24. 25. *dab. ei supplic.*, i. e. dabis ei poenam acerbissimam; v. infra V, 7, 4. *ultro* Be. explic. insuper. *o indign. facin.* Formula indignantis. Itid. Liv. II, 30. „*indignum facinus* clamitantes.“ *nunc.* Cum emphasi, quomodo et Virg. B. 68. „*nunc* scio quid sit amor.“

26. *scelest.* Cf. supra v. 3. *miserum*, ex amore.

28. *Viv. vidensq.* Sic Lucret. III. *vivo atque videnti.* „Bene autem haec junguntur, sicut ap. Graec. βλέπων idem est quod ζῶν.“ Mu. Itid. Homer. Il. A. 88. Ad haec v. Adag. Erasm.

29. *te redim. capt.* Metaphora est ab iis, qui in hostium sunt potestate.

30. *paululo* sc. pretio vel sumtu. *at*, saltem. Sic Cic. p. Quinct. 31.

32. *molestias.* Repetendae hae sunt ex praeced. vers. 14. seqq.

34. *ecca ip.* pro ecce *ips.* *calamit.* „Proprie calamitatem rustici grandinem dicunt, quod comminuat calamum, h. e. culmum ac segetem.“ Do. Spectat enim sumtum in Thaidem faciendum.

35. *intercip.* praeripit nobis. Alias literae *intercipi* manu aliena dicuntur.

## ACTUS I. SCENA 2.

### THAIS. PHAEDRIA. PARMENO.

*Th.* (*secum*) Miseram me! vereor ne illud gravius Phaedria
Tulerit, neve aliorsum, atque ego feci, acceperit,
Quod heri intromissus non est. *Ph.* totus, Parmeno,
Tremo horreoque, postquam aspexi hanc. *Pa.* bono animo es;
Accede ad ignem hunc [a]), jam calesces plus satis.
*Th.* Quis hic loquitur [b])? ehem, tune hic eras, mi Phaedria?
Quid hic stabas? cur non recta introibas? *Pa.* (*ad Phaedr.*) ceterum
De exclusione verbum nullum [c]). *Th.* (*ad Phaedr.*) quid taces?

a) V. I. *ad ipsam Thaidem.* b) I. *obloquitur.* c) V. I. *dixit dominus meus.*

„Quoniam servi persuasio parum profecerat circa adolescentis dolentis animum, quod erat exclusus, optima ratione subjungitur scena, in qua meretrix ipsa est, cuius praesentia et oratio et vultus persuadere possint, ut amator injuriam ignoscat." Eu.

2. *aliors. accep.* h. e. in contrariam partem interpretatus sit. Plaut. Aul. II, 2, 24.

4. *Tremo hor.* „*Horrorem* voco, ubi totum corpus intremit." Cels. *bono an. es.* Plaut. Pseud. I, 5, 37. „*Bonus animus* in mala re dimidium est mali."

5. *ad ign. hunc*; cf. I, 1, 27. *amore ardeo.* Amores nempe igni comparantur. Sic Virg. B. III, 66. Ovid. Epp. XVI, 102. Cf. id. inprimis Metam. III. 372 seqq. itid. Hor. Od. III, 7, 11. *plus satis*, omisso quam, pro *plus* quam *satis*; vid. Sanct. Min. II, 4. 7.

6. *Quis hic loq.* Callide meretrix videtur dissimulare vidisse Phaedriam. *ehem, tune etc.* „Sic solent ad subitum conspectum ejus, quem videre vellent." We. Hec. III, 2, 5. *mi*, muliebri blandimento. Sic infra Mysis III, 3, 29.

8. *De exclus. verb. null.* Haec servus propterea dicit, ut Phaedria injuriae memor non statim manus det victas.

*Ph.* (*indignans*) Sane, quia vero hae mihi patent semper fores,
Aut quia sum apud te primus. *Th.* missa istaec face.
*Ph.* Quid missa? o Thais, (*repetit flebiliter*) Thais! utinam esset mihi
Pars aequa[d]) amoris tecum, ac pariter fieret,
Ut aut hoc tibi doleret itidem, ut mihi dolet;
Aut ego istuc abs te factum nihili penderem.
*Th.* Ne crucia te, obsecro, anime mi, mi Phaedria.
Non pol, quo quemquam plus amem aut plus diligam,
Eo feci; sed ita erat res, faciundum fuit.
*Pa.* (*vocis sono miserans, verbis irridens*) Credo, ut fit, misera prae amore exclusisti hunc foras.
*Th.* (*superbe*) Siccine agis, Parmeno? (*ad Phaedr.*) age, sed huc qua gratia
Te arcessi jussi, ausculta. *Ph.* fiat. *Th.* dic mihi
Hoc primum: potin' est hic tacere? *Pa.* egone? optume.
Verum heus tu, hac lege tibi meam adstringo fidem:
Quae vera audivi, taceo et contineo optume;

d) Id. *ut me diligeres sicut ego te.*

9. *Sane quia pat. fores.* Graviter et cum ironia.

10. *ap. te primus*, i. e. plurimi fio, et prae ceteris diligor. *miss. ist. fac. Missum facere* non est mittere simpliciter, sed dimittere, omittere cum aliqua interdum indignatione.

11. 12. *ess. mihi Pars - tecum.* Simili constructione Vellej. Pat. II, 31. Et in Antholog. 7, 139. „Si aequa pars amoris non esset utrinq. Cupidinem accusabant."

13. 14. Hos duos versus Eu. explic. ita: „Utinam et tu amatoris et partem mecum amoris habuisses. Si enim hoc fuisset, posset contingere, ut in hac injuria aut tibi doleat, ut mihi dolet, aut mihi non doleret, ut tibi non dolet." *mihi dolet.* „Τῷ ἰδιωτισμῷ, *mihi dolet*, pro doleo." Do. Sed itid. Plaut.

15. *anime mi, mi Phaed.* Comice et amatorie dictum, praesertim ob voculam *mi mi* molliter geminatam. Andr. IV, 2, 2.

16. *quo* pro quod; cf. Prol. 28. *plus am.* sc. quam te. Verb. *amo* significantius quam *diligo*, v. Cic. Div. IX. 14.

17. *Eo*, ideo. Heaut. III, 2, 43.

18. *prae amore exclus.* Ironia. Andr. IV, 1, 34. „*tu coactus tua voluntate es.*"

19. *Siccine agis?* Hac formula utuntur, qui aegre ferunt quod dicitur. Infra IV, 7, 34. Ad. I, 2, 48.

21. *potin'* pro potisne. Potis in omni genere et utroq. numero. Ap. We. ubiq. notatur cum apostropho, *potin'*, ap. Be. sine illo. Sic et voces ain', vel ain; egon' vel egon aliaeq. huiusmodi compositae.

23. *audivi.* Explic. Priscian. pro audiam vel audiverim. *contineo.* Hoc verbo utitur ob sequentia v. 25. *Plenus rimarum sum. Continet* enim vas, unde nihil *effluat.*

Sin falsum, aut vanum, aut fictum 'st, continuo palam 'st.
Plenus rimarum sum, hac atque illac perfluo [e]).
Proin tu, taceri [f]) si vis, vera dicito.
*Th.* Samia mihi mater fuit: ea habitabat Rhodi.
*Pa.* Potest taceri hoc. *Th.* ibi tum matri parvolam
Puellam dono quidam mercator dedit,
Ex Attica hinc abreptam. *Ph.* civemne? *Th.* arbitror:
Certum non scimus. matris nomen et patris
Dicebat ipsa; patriam et signa cetera
Neque scibat, neque per aetatem etiam potis erat [g]).
Mercator hoc addebat, e praedonibus,
Unde emerat, se audisse abreptam [h]) e Sunio.
Mater ubi accepit, coepit studiose omnia
Docere, educere [i]), ita uti si esset filia.
Sororem plerique esse credebant meam.
Ego cum illo, quicum [l]) tum uno rem habebam hospite,

e) Be. *perpluo*, vox Plautina; in Terentio minime probatur. Insup. cf. *effluet* v. 41, quod huc respicit. f) I. *taceo* pro *taceri*. g) Fa. *potuerat*. h) Cicero ad Attic. 7, 3. citat *captam*; nisi forte, ut Boeclerus existimat, Terentii verbum exciderat memoria. i) Plurimi libb. *educare*, sed *educere* et metro consulit, et Nostro est frequentius. l) Sic Be. et Bo. eum secutus. Vulg. *quocum*. C. G. m. *cum quo*. Sed *quicum* Poetae usitatissimum est.

24. *Sin fals. aut van. aut fict. est.* Haec tria Do. distinguit ita: *Falsum* est, quo tegitur id quo factum est; *vanum* quod fieri non potest; *fictum* quod non est factum, et fieri potuit."

25. *hac a. i. perfl.* Interpret. Laur. Vall. *hac atq. illa perfluo*, id est, in modum non fidelis lagenae, quae mihi committuntur, effundo."

26. *Proin*, in metiendo monosyllabum est.

27. *Samia mihi etc.* Nempe *Samum* patriam reliquerat, post *Rhodi* habitabat peregrina; cf. Andr. I, 1, 119, not. *Samos* insula est Icarii maris Ionio adjecta. *Rhodus* est maris Carpathii insula.

28. *Pot. tac. hoc.* ,,Id est, verisimile est. Nec hoc ad laudem proficit, sed ad dedecus meretricis." Do.

29. *Puellam dono etc.* ,,Propt. hoc ostendit meretricem fuisse matrem." Do.

32. *signa*, crepundia, γνωρίσματα.

33. *per aetat.* i. e. propt. aetatem. Andr. V, 8, 8. Significatur autem *aetate* modo senectus modo juventus, h. l. posterior.

34. *e praedonib.* Praedones sunt qui mare infestant. Plaut. Mil. II, 1, 40. ,,Capiunt *praedones* navem illam, ubi vectus fui."

35. *e Sunio.* ,,*Sunium* est promontorium Atticae terrae." V. Curt. X, 2. Et Homer. Odyss. III, 278.

39. *rem habeb.* Cf. inf. v. 57. 58. *Rem habere* cum viro mu-

Abii huc: qui mihi reliquit haec, quae habeo, omnia.
*Pa.* Utrumque hoc falsum 'st: effluet. *Th.* qui istuc? *Pa.* quia
Neque tu uno eras contenta, neque solus dedit:
(*Phaedriam intuens hoc dicit*) Nam hic quoque bonam magnamque partem ad te adtulit.
*Th.* Ita 'st; sed sine me pervenire quo volo.
Interea miles, qui me amare occeperat,
In Cariam est profectus. te interea loci
Cognovi. tute scis postilla quam intimum
Habeam te, et mea consilia ut tibi credam omnia.
*Ph.* Neque hoc [m]) tacebit Parmeno. *Pa.* oh! dubiumne id est?
*Th.* Hoc agite, amabo [n]). mater mea illic mortua 'st
Nuper; ejus frater aliquantum ad rem est avidior.
Is, ubi [o]) hanc forma videt honesta virginem,
Et fidibus scire, pretium sperans ilico

m) L. antiq. *Ne hoc quidem.* n) V. I. ,,*amabo* defectiv. verb. proprie comicum est blandientis sensum habens, quasi si feceris quod volo, *amabo te.* Est autem absolutum, non requirens casum.“ o) Be. ingerit *esse*, quasi necessarium ob *fidib. scire.*

lieres turpi fere sensu comicis inprimis dicuntur. Hec. IV, 4, 96. Attamen res impura honeste exprimitur.

40. *huc*, Athenas. *reliq.*, sc. testamento. Hec. III, 1, 8.

41. *effluet*, palam fiet. Cic. pr. dom. 46. ,,Etsi *effluunt* multa ex vestra disciplina etc.“

42. *Neq. tu uno etc.* ,,Quippe qui admiseris militem.“ Do. Juvenal. Sat. II, 41. ,,*Unus* Iberinae *vir* sufficit.“

43. *bonam.* Scilicet pretii habita ratione. *part. adtulit.* Phaedria scilicet de suis. - Contra v. 40. quae ipsa Thais dixit.

44. *pervenire.* Eleganter de sermone quasi de itinere loquitur. Itid. mox v. 75. et III, 5, 11. Ph. IV, 3, 54. 55. Add. Ovid. Met. III, 279. 280. ,,diuq. loquendo. Ad nomen *venere* Jovis.“

45. *me amare*, h. e. consuetudine mea gaudere. Andr. I, 1, 61.

46. *interea loci.* Locutio haec in narratione usitata. Infra II, 2, 24.

47. *tute scis post illa etc.* ,,Ἐπιπλοκὴ figura: nam hoc ad narrationem non pertinet.“ Do. *post illa.* ,,Veteres junctim *postilla* dixerunt eod. sensu quo postea.“ We. Itid. Catull. 84, 9. *quam intim. Hab. te.* Par. in marg. ,,In cuius sinum curas meas deponere solitus (solita) sum.“

50. *Hoc agite.* Formula; cf. Ph. II, 3. 3. *illic* Par. suppl. ,,Rhodi.“

51. *ad rem*, ad patrimonium conservandum et augendum. V. ad Ad. V, 8, 31.

53. *fidib. scire.* Subr canere. Cic. Q. Tusc. 1, 2. ,,Summam eruditionem, inquit, Graeci sitam censebant in nervorum vocumq. cantibus. Igitur et Epaminondas — *fidibus* praeclare ce-

Producit, vendit. forte fortuna adfuit
Hic meus amicus: emit eam dono mihi,
Inprudens harum rerum ignarusque omnium.
Is venit. postquam sensit, me tecum quoque
Rem habere, fingit causas ne det sedulo:
Ait, si fidem habeat, se iri praepositum tibi
Apud me; ac non id metuat, ne, ubi acceperim [p]),
Sese relinquam, velle se illam mihi dare:
Verum id vereri. sed, ego quantum suspicor,
Ad virginem animum adjecit. *Ph.* etiamne amplius [q])?
*Th.* Nil: nam quaesivi. nunc ego eam, mi Phaedria,
Multae sunt causae, quamobrem cupiam abducere:
Primum, quod soror est dicta; praeterea ut suis
Restituam ac reddam. sola sum: habeo hic neminem,
Neque amicum, neque cognatum; quamobrem, Phaedria,
Cupio aliquos parere [r]) amicos beneficio meo.

p) I. et V. add. *ab eo.* Glossam sapit. q) V. I. *vis dicere.* Errat vetus interpres; vid. commentar. nostrum. r) Sic l. Bemb. Cf. Andr. IV, 5, 2. Do. et o. l. s. *parare.*

cinisse dicitur.“ Ad haec compara Nep. Epaminond. 2. *pretium*; cf. And. V, 2, 15.

54. *Produc.* Heaut. I, 1, 92. Qui venales sunt, *produci* plerumque dicuntur. Sic Sueton. Tib. 54. Id. Gram. 4. „*venalis produceretur.*“ *Forte fortuna.* Haec utraq. vox et in Phorm. jungitur, V, 6, 1. it. Hec. III, 5, 26. Notum est autem, sub hac denominatione Romanos Deam coluisse, quae aedem habebat trans Tiberim, et colebatur ab iis maxime, qui sine ulla arte vitam tolerabant; v. Taubm. ad Plaut. Bacch. IV, 8, 75.

55. *amicus*, non miles; quia locus est meritorum. *emit eam dono mihi.* Id scilicet sicut matri. Cf. v. 28. 29.

57. *Is venit.* Far. suppl. „ex Rhodo Athenas.“

58. *fing. caus.* proverb. Gr. προφάσεων δέεται μόνον ἡ πονηρία.

59. *si fid. hab.*, h. e. si mihi credere possit.

60. *accep.* sc. puellam.

62. *suspicor.* Simulat enim callida se suspicari, quod non suspicatur, et Phaedriam consoletur ab amore rivalis.

63. *Ad virg. an. adj.* Similis phrasis, Andr. Prol. 1. *Etiamne ampl. Th. Nil etc.* His conf. Andr. II, 1, 25. 26. ubi not. Inde cognoscitur, quam perversa sit illa, quam supra notavimus, veteris interpretis explicatio. Magis placet Do. „Mandat, inquit, Terentius, ut intacta Chaerea potiretur virgine, ac nuptiis liberalibus uteretur.“

66. *Primum-praeterea.* Ita incipit partitionem orationis ac pergit.

67. *Rest. etc.* „*Restitui* patriae suae dicuntur exsules; *reddi* parentibus liberi. *sola* i. q. deserta, nec amicum habens neque patronum.“ Ita We. ad Ad. V. 8, 9.

68. *cognat.* Notand. est, *cognatos* ICtis matri sanguine junctos appellari, agnatos patri. Sed v. Liv. 22, 54., ubi Drakenb.

Id, amabo, adjuta me, quo id fiat facilius.
Sine illum priores partes hosce aliquot dies
Apud me habere. nil [s]) respondes? *Ph.* pessuma,
Egon' quicquam cum istis factis tibi respondeam?
*Pa.* Eu, noster! laudo. tandem perdoluit: vir es.
*Ph.* At ego nesciabam, quorsum tu ires: parvola
Hinc est abrepta! eduxit mater pro sua;
Soror dicta 'st; cupio abducere, ut reddam suis.
Nempe omnia haec nunc verba huc redeunt denique:
Ego excludor; ille recipitur. qua gratia?
Nisi si [t]) illum plus quam me amas; et istam nunc times,
Quae advecta 'st, ne illum talem praeripiat tibi.
*Th.* Ego [u]) id timeo? *Ph.* quid te ergo aliud sollicitat? cedo.
Num solus ille dona dat? nunc ubi meam
Benignitatem sensisti intercludier [x])?

s) Par. mss. *mihi* probe, propter *tibi* quod sequitur. t) Sic ms. Bodl. Et Be. *Nisi si* existimat familiare esse Poetae. u) Sic un. ex codd. Be. Vulg. *Egone.* Syllaba *ne* superflua incommodat metro. x) In omnib. Pall. mss. teste Par. *claudier.* Mss. Lindenbr. *interclaudier.* Itid. C. G. m. At l. Bemb. *in te claudier.* Mu. ed. *calvier.* Be. ex antiq. C. *intercludier.* Andr. III, 3, 41.

notat, scriptores veteres non id. discrimen quod nostrates servare.

72. *nihil respond.* ,,Jam silentium accusat, quia scit nihil responsurum contrarium etc. Do. *pessuma.* In convicium erumpit; quo quidem facete exprimitur illud: *Amant. irae etc.* Andr. III, 3, 23.

73. *cum ist. fact.* ,,h. e. *tibi*, quae ista facis.“ Mu.

74. *vir es.* Nunc laudat Parmeno eum quem supra I, 1, 21 reprehenderat. *vir es*, pro fortis es. Sunt autem formulae, si *vir es*, si *viri estis*, Livio praesertim frequentes.

75. *quors. tu ires*; cf. sup. v. 44, not. Ad. V, 3, 35.

*parv. Hinc est etc.* ,,Vide *μίμησιν* cum odio inductam, et depravatam pronuntiatione: ita ut *ὁμοιοτέλευτα* non vitarentur de industria.“ Do.

78. *haec n. verba*, i. e. falsa dicta, mendacia, commenta. Minus enim dicit quam cogitat. Litotis.

79. *Ego excl. il. rec.* Itid. Propert. II, 7. ,,Hoc ipso ejecto, carior alter erit.“

80. 81. *istam times, ne etc.* Huiusmodi construct. v. infra III, 5, 62. *advecta est*, sc. navi. *ill. talem*, ironice. Quin etiam obsceniorem sensum Joseph. Scaliger judicat sub pron. *illum* posse latere, vid. eund. ad Catull. LXIV, 5.

82. *Ego id tim.* Hunc locum intuens Ovidius, magister amorum, praecipit, A. A. III, 604. ,,ut sis liberior *Thaide*, finge metus.“

Nonne, ubi mi dixti cupere te ex Aethiopia
Ancillulam, relictis rebus omnibus,
Quaesivi? porro eunuchum dixti velle te,
Quia solae utuntur his reginae: repperi.
Heri minas pro ambobus viginti dedi;
Tamen contemtus abs te. haec habui in memoria;
Ob haec facta abs te spernor. *Th.* quid istic, Phaedria?
Quamquam illam cupio abducere, atque hac re arbitror
Id posse fieri y) maxume; verumtamen
Potius quam te inimicum habeam, faciam, ut jusseris.
*Ph.* Utinam istuc verbum ex animo ac vere diceres:
„Potius quam te inimicum habeam;" si istuc crederem
Sincere dici, quidvis possem perpeti.
*Pa.* (*secum*) Labascit, victus uno verbo, quam cito!
*Ph.* Ego non ex animo misera dico? quam joco
Rem voluisti a me tandem, quin perfeceris?

y) Sic colloc. Be. suavius. Vulg. *fieri posse.*

85. 86. *ex Aeth. Ancill.* Eleganter et emphatice pro Aethiopissam. „Meretrices quoque, tantarum feminarum exemplo, ancillis et eunuchis fuscis uti solebant ministris;" v. Broukhus. ad Tibull. II, 3, 77 seqq.

87. *eunuch.*, i. e. janitorem; v. Schol. ad Platon. Protag. §. 15. nostro loco illic citato.

88. *reginae*, sunt matronae nobiles et opulentae. Ita rex pro homine potenti; cf. III, 1, 18. *repperi.* Sic scripsi cum Prisciano atque Bentlejo, antepenultima per duplum p producta. Itid. Heaut. II, 3, 98.

89. *min. pro amb.*|*viginti.* Aliter infra V, 5, 14. ubi Parmeno tantundem ait pro solo eunucho Phaedriam dedisse. Est autem *mina* gr. *μνᾶ* ipsa argenti libra, continens drachmas centum. Ita We. ex computatione Belgica. Sed Germanis valet *mina* circiter unum et viginti thaleros.

91. *quid ist. Phaed.* Cf. Andr. III, 3, 40.

92. *hac re.* Scilicet quam Phaedria *priores partes* militi *aliquot dies* concesserit; v. 71.

94. *Pot. quam te etc.* „Hoc totum loquitur, tanq. magis ipsa amet Phaedriam, quam ab illo ametur." Do. *fac. ut juss.* Cf. Hec. IV, 3, 6.

95. *istuc verbum.* „*Istuc verb.* pro tota sententia." Do. *ex an. ac vere.* Itid. Catull. Carm. CVI, „*vere et ex animo.*"

97. *Sincere dici.* „*Sincere* nonnulli hic adverbium accipiunt: alii nomen putant esse neutrius generis, ut scribit Charisius I et II." Mu.

98. *Labasc.* Metaphora est a statua, aedificio vel arbore translata ad animum; vid. Do. ad Ad. II, 2, 31. *vict. uno verbo.* Cf. Propert. II, 5, 11. „Quam facile irati *verbo mutantur* amantes."

99. 100. *quam joco Rem etc.* His conf. supra v. 85, quae Phaedria dixerat.

Ego impetrare nequeo hoc abs te, biduum
Saltem ut concedas solum. *Ph.* siquidem biduum;
Verum ne fiant isti viginti dies.
*Th.* Profecto non plus biduum, aut... *Ph.* aut? nil moror.
*Th.* Non fiet; sine modo hoc te exorem. *Ph.* scilicet
Faciundum est, quod vis. *Th.* merito te amo; bene facis [z]).
*Ph.* Rus ibo: ibi hoc me macerabo biduum.
Ita facere certum 'st: mos gerundu 'st Thaidi.
Tu, Parmeno, huc fac illi [a]) adducantur. *Pa.* maxume.
*Ph.* In hoc biduum, Thais, vale. *Th.* mi Phaedria,
Et tu. (*osculando valedicit*) numquid vis aliud? *Ph.* egone quid velim?
Cum milite isto praesens [b]), absens [c]) ut sies;
Dies noctesque [d]) me ames; me desideres;

z) Verba *bene facis* Be. tribuit etiam Thaidi. Sic it. C. G. m. Infra III, 2, 10. Vulg. praenotatur *Phaedriae* nomen. a) V. I. *ancilla et eunuchus.* b) c) C. G. m. gl. b) *corpore*; c) *animo.* d) Hunc ord. in omnib. libb. servatum Be. invertit, quo vers. sibi reddat numerosiorem. Sic id. Andr. IV, 1, 52. Sed tantum certe constat, apud Judaeos solum, noctium vices ante dies computari, ap. alias gentes minus.

102. *biduum.* Ex hoc *biduo*, pro quo supra v. 71 Thais *hosce aliquot* dies dixerat, Phaedria facit infra II, 1, 18. *triduum*, quod id. denuo mutat in *biduum*, infra IV, 2, 8.

103. *Ver. ne fiant i. vig. d.* „Facete *biduum* decuplavit." Do.

104. *nihil moror.* Formula aliquid contemnentis, certe non magnopere desiderantis. De usu forensi huius formulae vid. Drakenb. ad Liv. 4, 42. *plus biduum.* Constat in numeris cedere aut, quam, aut ablativum comparationis. Infra III, 1, 52. *aut:* Hanc voculam avide excipit Phaedria, qua metum exserit, ne porro sibi quid adversi illa enuntiet.

105. *Non fiet.* Respicit ad superiora, quasi dicat: Non fient *viginti dies.* Ad. V, 5, 52.

106. *merito te amo.* „Sic solent grati, ubi quid impetrarunt." We. *bene facis.* Etiam haec est gratias agentis formula, ob rem bene actam. Ad. V, 9, 15.

108. *mos ger. est Th.* Cf. Ad. II, 2, 6, not.

109. *huc*, ad Thaidem.

110. *In h. bid. vale.* „Vale majorem vim habet ex dolore discedentis, quam obsequio salutantis." G.

111. *numq. vis al.* Hac formula discedentes rogant, *numquid*, quos relinquant, sibi velint mandare. H. l. intellige, post osculum dici, *numq. vis aliud?* Itid. infra II, 2, 41. Itid. Plaut. centies.

112. *praes. abs. tu s.* Eod. modo Virg. A. IV, 83. „illum *absens* absentem auditque videtque." Et cf. Ad. III, 3, 39, not.

113. *Dies noctesq.* pro semper, vel quoque tempore.

Me somnies; me exspectes; de me cogites;
[e]) Me speres; me te oblectes; mecum tota sis;
Meus fac sis postremo animus, quando ego sum tuus.
(*Phaedria captus amore lento gradu saepe respiciens cum Parm. sequente moestus abit.*)

*Th.* (*Haec et ipsa lacrimis obortis prosecuta amantem sola restat.*) Me miseram! forsan hic parvam habeat mihi fidem,
Atque ex aliarum [f]) ingeniis nunc me judicet.
Ego pol, quae mihi sum conscia, hoc certo scio,
Neque me finxisse falsi quicquam, neque meo
Cordi esse quemquam cariorem hoc Phaedria.
Et quicquid huius [g]) feci, causa virginis
Feci: nam me ejus spero fratrem propemodum
Jam repperisse, adolescentem adeo nobilem;
Et is hodie venturum [h]) ad me constituit domum.
Concedam hinc intro [i]), atque exspectabo, dum venit [l]).

e) I. et V. praemitt. *De*, ut sit, *De me speres; de me etc.* Var. ordo verbor. f) V. I. *pellicum*. g) C. G. m. sup. script. *trasonis*. Sed edd. vett. leg. atque distingu. *quidquid feci, huius causa virginis feci.* h) Be. *se* ex trib. codd. id quod Terentii esse sibi id. persuadet. i) V. I. *ex hoc loco in domum*. l) I. et V. *veniat*. Non probatur. Vid. Andr. IV, 2, 31.

114. *Me somn.* Sic Ovid. Ep. XV, 123. „tu mihi cura, Phaon: *te somnia nostra reducunt.*“ Notandae sunt in his versib. syllabae vocum extremae, *es* quae Poetae non temere exciderunt, *Dies noctesq. m. ames etc.*

115. *me te oblect.* „Septimus casus, *me.*“ Do. Atqui *septimum* casum aliqui putant, quando sine praepositione proferatur. Sed Priscian. contendit sex tantum casus dari, non septem; vid. ejusd. lib. 5. Hoc tironum causa monendum putavi. Est autem *me* pro *in me*; cf. Ad. 1, 1, 24. Quoad sententiam, in Phaedr. cadit illud Plaut. Curc. I, 3, 14. „Ipsus se excruciat, qui homo, quod amat, videt, nec potitur, dum licet.“

117. *parvam*, exiguam.

118. *ex al. ing judic.* Cf. Andr. IV, 1, 22. Similiter Liv. 3, 54. „Appius -- odium in se aliorum suo in eos (tribunicios) metiens odio.“

119. *pol*, jurandi adverb. pro, certo; quasi dicas, per Pollucem.

120. *finxisse falsi q.* „Aut, dixisse, debuit dicere, aut abundat *falsi*.“ Do. Spectat Thais ad dicta Phaedriae, v. 95.

122. 123. *Et quicq. — Feci.* Hoc itid. ex stylo Terentii est, ut infra V, 5, 10 et 8, 4. *Quicq. huius* sc. rei, vel negotii; v. Perizon. ad Sanct. Min. II, 4, 4. Similit. Plaut. Merc. IV, 3, 37. „Nihil hercle *istius quicquam* est.“ *fratrem*, Chremetem, fratrem virginis.

125. *venturum*. Intellige, invitatum a Thaide; cf. III, 3, 4. 5.

126. *Concedam*; cf. Heaut. III, 3, 11.

## ACTUS II. SCENA 1.

### PHAEDRIA. PARMENO.

*Ph.* Fac, ita ut jussi, deducantur isti. *Pa.* faciam. *Ph.* at diligenter.
*Pa.* Fiet [a]). *Ph.* at mature. *Pa.* fiet. *Ph.* satine hoc mandatum 'st tibi? *Pa.* ah,
Rogitare? quasi difficile sit.
Utinam tam aliquid invenire facile possis, Phaedria;
Quam hoc peribit [b])! *Ph.* ego quoque una pereo, quod mihi est carius:
Ne istuc tam iniquo patiare animo. *Pa.* minime: quin effectum dabo.
Sed numquid aliud imperas?
*Ph.* Munus nostrum ornato verbis, quod poteris; et istum aemulum,

a) I. *Fiat.* b) V. I. *transibit ad domum ejus.*

„Jam amatorium multiloquium et vaniloquium continet ista actio. Nam et repetit, quod jam dictum est; et id facit magis et odiose nimis." Do.

1. *Fac ita.* Hoc respicit ad superius, I, 2, 109.

2. *Fiet*; cf. III, 2, 47, not. *sat h. mand. est tibi?* „Formulae speciem habet." We.

3. *Rogitare?* Enallage modi, pro *Rogitas?* ut Hec. IV, 1, 11.

4. *Utin. tam etc.* Jungend. *tam facile.*

5. *hoc*, munus sc. oblatum. *peribit.* Sensus totius hic esse videtur: Quo facilius ést deducere mancipia illa, eo certius erit, etiam hunc sumtum in Thaidem factum *perire* vel ab aviditate huius meretricis quasi devorari. Hec. IV, 4, 63. *carius.* Sub. quam sumtus ille mancipiorum.

6. *Ne istuc tam iniquo etc.* Hic versus sermonem ostendit non eum, qui solet esse heri ac servi, sed ut humanissimorum amicorum. Ergo non audiendus est Guyetus, qui versum hunc eliminet. *effect. dabo*; cf. Andr. IV, 2, 20.

8. *nostrum.* Dicit *nostrum*, quia sic solent se efferentes. Itid. infra II, 2, 45. et III, 2, 15. *ornato verb.* Cic. de Offic. II, 20. „neq. vero *verbis auget* suum munus."

*istum.* „Id est molestum et odiosum: nam hoc significat *istum.*" Do. Nam pronom. *iste* per contemtum usurpatur.

Quod c) poteris, ab ea pellito. *Pa.* ah,
Memini, tametsi nullus moneas. *Ph.* ego rus ibo, atque ibi manebo.
*Pa.* Censeo. *Ph.* sed heus tu. *Pa.* quid vis? *Ph.* censen' posse me obfirmare,
Et perpeti? ne redeam interea. *Pa.* tene? non hercle arbitror:
Nam aut jam revertere, aut mox noctu te adiget d) horsum insomnia.
*Ph.* Opus faciam, ut defatiger usque, ingratiis e) ut dormiam.
*Pa.* Vigilabis lassus: hoc plus facies. *Ph.* ah, nihil dicis, Parmeno.
Ejiciunda f) hercle est mollities animi: nimis me g) indulgeo.
Tandem non ego illa caream, si sit opus, vel totum triduum? *Pa.* hui!

c) Mss. Pall. *Quoad.* d) Vulg. *adigent.* De hac lectione Mu. ita: „*adiget* rectius legitur quam *adigent*, quod memini ex Adriano Turnebo, cui multa debeo, Lutetiae in publica lectione audivisse.“ Et Do. monet: Legitur et *adiget*, ut sit insomnia numeri singularis; gr. *ἀϋπνία*, vigilia. e) Ita solet Terent. et Plaut. In l. Bemb. *ingratis.* Codd. Be. *ingratus.* f) Duo mss. Par. *Eicienda*; cf. Andr. II, 3, 8. g) Mss. Pall. *mihi.* At Par. ed. *me.* Heaut. V, 2, 35.

10. *null. mon.* „Properat servus carpere vaniloquium domini.“ Do. *null.* pro non.

11. *Censeo.* Magnifice dictum. „*Censebant* enim Patres sententiam in curia de rep. dicentes.“ We. Ad. V, 3, 55. *sed.* Particula haec saepe abrumpit ap. Terent. orationem, ut ad aliam rem dirigat animum audientis. *obfirmare*; subaudi, animum meum. Sic Plaut. Amph. II, 3, 14. „*obfirmatus* animus.“

12. *interea*, i. e. intra *biduum* constitutum. *tene*, posse.

13. *horsum*, Plaut. vox pro, huc versum. *insomnia.* Hic non de somniis, sed de vigilia agitur. *Insomniam* autem pro vigilia saepe dixisse Pacuvium et Ennium, locuples testis est Servius. Da. vert. „ou que ne pouvant dormir cette nuit, vous n'attendrez pas le jour pour en partir.“

14. *Opus*, h. e. rusticum. *ingratiis.* Ablativus est; cf. Plaut. Cas. II, 5, 7. Signific. invitus et coactus. Ingrataq. fiunt ab inimicis ac recusantibus.“ G.

15. *hoc*, sexto casu. Par. explic. *hoc plus* habebis; *πλεονεκτήσεις.* Sensus: Non solum *opus* facies, sed insuper *lassus vigilabis. nih. dicis*, i. e. quod dicis, nullius est momenti.

16. *Ejiciund. etc.* Ita Plaut. Cas. Prol. 23. „*Ejicite ex animo* curam.“ *me indulgeo*, antique pro, mihi *ind.*

17. *Tandem* pro Cur. *illa* sc. *mollitie. hui*, ironice.

Universum triduum! vide quid agas. *Ph.* stat sententia.
*Pa.* Di boni! quid hoc morbi est? adeon' homines immutarier
Ex amore, ut non cognoscas eundem esse? hoc nemo fuit
Minus ineptus, magis severus quisquam, nec magis continens.
Sed quis est, qui huc pergit? at at, hic quidem est parasitus Gnatho
Militis: ducit secum una [h]) virginem dono huic: papae,
Facie honesta! mirum, ni ego me turpiter hodie hic dabo [i])
Cum meo decrepito hoc eunucho: haec [l]) superat ipsam Thaidem.

h) Mss. Pall. *unam.* Andr. I, 1, 91. i) C. G. ch. invert. *dabo hic.* l) I. *nam.*

18. *Univers.* Exaggeratio pro totum. Ph. I, 1, 11. *vid. q. ag.* Formula terrentis et excitantis. Infra V, 4, 42. *stat sententia.* „Quodcunq. firmiter decretum, *stare* et sedere dicitur.“ We. Liv. 44, 3.

19. *quid h. morbi est?* Amorem vocat morbum. Sic Andr. I, 2, 22. *homin. immutar. etc.* Hac ead. ratione Virg. A. IV, 595. „quae mentem insania *mutat?*“

20. *eund.* „Nota, *eundem* ad *homines* referri. Nam more suo Terentius a plurali num. ad singularem se convertit.“ Do. *hoc*, sexto casu, sc. Phaedria.

21. *nemo quisq.* Abundat *quisquam.* Hec. I, 1, 10. Itid. Liv. 3, 12. „*nemo* unus.“

22. *pergit* sc. ire; cf. Ph. I, 4, 17. *at at.* „Sic Graecorum ἀτταταὶ, unde latinum defluxit.“ Be. Est autem *atat* interjectio hominis de malo inopinato perturbati atque dolentis. *Gnatho*, dictus a mandibulo, ut edax, a γνάθος, maxilla. Pro *Gnathone* in Eunucho Menandri *Colax* est, ut ipse Terentius fatetur, Prol. 30.

23. *huic*, Thaidi. *papae*, gr. παπαὶ. Est admirantis cum risu et indignatione in joco.

24. *ego me turp. dabo.* *Turpit. se dare* ille dicitur, qui cum ludibrio et dedecore discedit.

25. *decrepito*, h. e. sene, vetulo, quod eunuchi vultu similes sunt senibus. Ad. V, 8, 16.

# ACTUS II. SCENA 2.

## GNATHO. PARMENO.

*G.* Di immortales! homini homo quid praestat! stulto intelligens
Quid interest! hoc adeo ex hac re venit in mentem mihi.
Conveni hodie adveniens quendam mei loci hinc, atque ordinis,
Hominem haud impurum, itidem patria qui abligurierat [a]) bona:

a) Be. Par. per duo r, *abligurrier.* V. I. *devoraverat.*

„In hac scena non stans sed quasi ambulans persona inducitur. Constitit tamen aliquantulum, intuens spectatores, dum secum loquitur. Exprimit autem parasitum, et sub ejus verbis corruptos mores in assentationem ostendit.“ Do.

*Gnatho*; cf. supra I, 22. *Gnatho* est parasitus, ac de huiusmodi hominum vita moribusq. vid. Lucian. de Parasito. Et Long. Past. lib. IV. memorantur haec: *Ὁ δὲ Γνάθων, οἷα μαθὼν ἐσθίειν ἄνθρωπος καὶ πίνειν.*“

1. *Di imm.* Exsultantis exclamatio, quasi temporum perversorum. *homini homo q. praest.* Ph. V, 3, 7. Itid. Liv. 31, 7. „dico, quantum vel *vir viro*, vel *gens genti praestat.*“ *stulto* sc. etiam parasito. „Nam cum parasitorum personae autem his morib. essent, uti plagis atque verberib. risum dominis concitarent; hic novo more artem exerceri monstratur, ut omnia omnibus consentiendo, hoc genus artis exerceat.“ Eu.

2. *Quid interest!* Hoc *interest* We. absolute positum putat. Falso. Nam melius accipiamus cum *stulto* jungendum, sicuti A. Gel. III, 14. „*quid* dimidium dimidiato *intersit.*“ Signific. *interest* i. q. differt ab *stulto.* v. Sanct. Min. *ex ea re*, hac nimirum quae sequitur narrata.

3. *Conv. hod. adv.* Explic. Nonius: obviam fio. Andr. II, 2, 31. *loci atq. ord.* Quid sit unum et alterum, parum constat. Do. mire definit. Eu. *mei loci* pauperem vult denotari; *ordinis*, „parasitum.“ *hinc*, ex hac urbe. Sic Andr. V, 1, 14.

4. *haud impur.* Refertur non ad vestitum, sed ad ingenium. Heaut. IV, 1, 16. Ad. II, 1, 29. 4, 17. itid. „Eod. quo ego ipse modo.“ Far.

Video sentum, squalidum, aegrum, pannis annisque obsitum.
Quid istuc, inquam, ornati est? quoniam miser, quod habui, perdidi. hem,
Quo redactus sum! omnes noti me atque amici deserunt.
Hic ego illum contemsi prae me; quid homo, inquam, ignavissime?
Itan' parasti te, ut spes nulla reliqua in te esset tibi?
Simul consilium cum re amisti? viden' me ex eodem ortum loco?
Qui color, nitor, vestitus[b]), quae habitudo est corporis?
Omnia habeo, neque quicquam habeo. nihil cum[c]) est, nihil deficit tamen.
„At ego infelix, neque ridiculus esse, neque plagas pati

b) Be. leg. et distingu. *Qui color, qui nitor vestitus.* Sed scire vellem, unde *vestitui*, quo nigro ac pullo incedere parasitos, Vir doctus ipse fatetur, *nitor* veniret.
c) I. *mihi.*

5. *sentum,* horridum et incultum; qualia sunt loca vepribus et spinis obsita. Virg. A. VI, 462. *pan. annisq. obsit.* Heaut. II, 3, 53. Et Plaut. Men. V, 2, 4. „*consitus* sum senectute." *Panni* proprie sunt centones. Petron. 14, 7.

6. *ornati* antique pro ornatus. Andr. II, 2, 28. Hac voce utitur ironice. *quod hab. perd.* „Non dixit: id quod erat, comedi aut consumsi." Do. *hem*, *Quo red. sum.* „Vel habitum suum, vel corpus ostendens hoc dicit." Do. Nota haec illum respondere obviam fact. Gnathoni.

7. *noti,* active, qui me norunt. Phaed. I, 2, 1.

8. *Hic ego illum etc.* „H. e. me considerans illum miserum dixi." Eu. *illum*; cf. v. 3. *quendam.*

9. *Itane parasti te.* „Quam objurganter! tanq. in illo sit quod miser est." Do. *in te,* emphatice. Infra V, 8, 24.

10. *Simul consil. c. re am.* Huic simile est Ovid. Pont. IV, 12, 47. „Crede mihi: miseros prudentia prima relinquit, Et sensus *cum re consiliumq.* fugit."

*color*; cf. 3, 27. *nitor,* de pinguedine corporis, qua hoc nitet. Phaed. III, 7, 4. Et Cic. Cat. m. §. 59. „*nitorem* corporis." *vestitus.* Refert Do. ad *pann. obsitum* v. 5. *habitudo.* Haec totam corporis extern. formam complectitur.

12. *Omnia hab. neque etc.* Figura ὀξύμωρον. Itid. Curt. 9, 3. „Omnium victores omnium inopes sumus." *nih. cum est etc.* Nempe utitur alienis. *defic.* Al. leg. *desit,* ut Ph. I, 5, 10.

13. *ridic.* active qui parat se, secund. v. 18, *ut* alii *rideant.* Quem Graeci dic. *γελωτοποιόν.* *neq. plag. p.* Voc. Plaut. „plagipatida." Cf. Plaut. Capt. 1, 1, 20. „Et hic quidem hercle, nisi qui *colaphos perpeti Potis parasitus etc.*" Quod ipsum vulgare parasitorum genus Gnatho sprevit, novum aucupans, omnib. hominibus assentandi.

Possum." quid [d])? tu his rebus credis fieri? tota erras via.
Olim isti fuit generi quondam quaestus apud seclum [e]) prius;
Hoc novum est aucupium: ego adeo hanc primus inveni viam.
Est genus hominum, qui esse primos se omnium rerum volunt,
Nec sunt; hos consector; hisce ego non paro me, ut rideant,
Sed eis [f]) ultro arrideo, et eorum ingenia admiror simul.
Quicquid dicunt, laudo; id rursum si negant, laudo id quoque.
Negat quis [g]), nego; ait [h]), ajo. postremo imperavi egomet mihi
Omnia assentari. is quaestus nunc est multo uberrimus.
*Pa.* Scitum hercle hominem! hic homines prorsum ex stultis insanos facit.

d) Sic Be. cum We. interrog. bene. Par. *quid tu* cum seqq. continuat. e) Ita in C. G. m. contracte; sed sup. script. *seculum*. f) Hoc Be. quod est dissyllab. ut *Dies*. Vulg. *His*. g) h) Hanc verbor. antiphrasin per interrogat. We. Be. Bo. exprim. incommode. Non ita Fa. Erasm. Par. Mu. Citat Cicero in Lael. 25., quanto mag. mirum, hunc v. Guyeto spurium videri.

14. *his reb.* Ita dicit, ne repetat odiose, *plagas pati. tota err. via.* Locutio graeca, Aristoph. Plut. 162. proprie, ἤ τῆς ὁδοῦ τὸ παράπαν ἡμαρτήκαμεν. Huic confine proverb. est: ;,toto coelo errare." Erasm. Adag. p. 37.

15. *Olim quondam.* Synonyma sunt, ut *nunc jam* Andr. II, 5, 13. *Olim quond.* Utrumq. comice; quo diligentius, opinor, generi parasitorum velut antiquato novum suum opponeret.

16. *Hoc nov. est etc.* Lucianum video imitari, de Parasito. *inveni.* Itid. Graeci εὕρηκα absolute dicebant, si quid optimum *invenisse* sibi viderentur.

17. *rerum*, pro hominum. Sic res ad hominem refert. Senec. ep. 95. ,,homo sacra *res*." Eod. modo poetae nonnunquam pulcherrima *rerum* pro pulcher. hominum; v. Gronov. Observatt.

18. *paro me*, instituo. Hec. I, 1, 11. Sensus: Non scurram me illis praebeo quem rideant, vel quem habeant *ridiculum*; cf. v. 13. *arrideo*, assentari cupio. Add. Petron. Sat. 135. ,,imperio *para* te."

20. *dicunt*, affirmant. Sic Cic. Tusc. 1, 6. ,,Quem (Cerberum) esse negas, eund. esse *dicis*. Ubi est acumen tuum?"

21. *Neg. quis.* Ellips. notand. particulae si; ut sit *Neg. quis* pro: Si *neg. quis*. Sic it. Si *ait*.

22. *Omnia*, absolute pro: per *omnia*. Itid. gr. τὰ πάντα. *is quaestus etc.* Menand. ,,πράττει δ' ὁ κόλαξ ἄριστα πάντων. Hoc modo Petron. Sat. III, §. 3.

23. *insanos.* Sunt qui proprio intelligant, mente captos, aut furiosos.

*G.* Dum haec loquimur, interea loci ad macellum ubi advenimus;
Concurrunt laeti mi obviam cupedinarii omnes,
Cetarii, lanii, coqui, fartores, piscatores, aucupes [i]),
Quibus et re salva et perdita profueram et prosum saepe.
Salutant, ad coenam vocant, adventum gratulantur [l]).
Ille ubi miser famelicus videt me esse tanto honore, et
Tam facile victum quaerere; ibi homo coepit me obsecrare,
Ut sibi liceret discere id de me: sectari jussi,
Si potis est, tanquam philosophorum [m]) habent discipuli [n]) ex ipsis
Vocabula, parasiti item ut Gnathonici vocentur.

i) Voc. *aucupes* nec Do. hab. nec l. Bemb. nec Cicero deniq. hunc v. citans, de Offic. I, 42. Habent autem, teste Par., Pall. mss. omnes. Praeterea monend. est, hos decem abhinc versus in trochaeos terminari. l) Ms. Mark. ap. We. *meum.* At Scioppio *adventum* pro, advenisse videri mireris. Andr. V, 2, 3. m) Par. *philosophum* per syncopan. n) Sic Be. ex uno Reg. Legebat Do. *disciplinae.* In l. Bemb. *disciplinam.*

24. *Dum interea loci etc.* Sic solent narrantes. Andr. I, 1, 90. Ph. I, 2, 40. Itid. Hor. Sat. I, 5, 31. *macellum*, h. e. locus ubi carnes et omne obsonior. genus venduntur; v. Sueton. Caes. 26. ibiq. Casaubon.

25. *cupedin.* a reb. cupedinis ob alimentum sic nominantur. Huc alludi videtur Hor. Sat. II, 3, 126. seqq.

26. *Cetar.* Non. Marcellus: „*Cetarii* genus est piscatorum, quod majores pisces capit." Aliter Eu. *coqui.* Hi homines, We. monente, frequentabant macellum, atque inde conducebantur ab iis, qui lautiores epulas adpararent." Cf. Plaut. Aul. II, 4, 1, seqq. *Fartores* h. e. qui aves farciunt et saginant; vid. Columella de R. R. 8, 7. *piscatores.* „Inter hos et *cetarios* id interest, quod illi vivos, hi muriaticos pisces et salsamenta fere venderent." We.

27. *Quib. et re salva etc.* Synchysis verborum, pro: *Quib. et re salva profueram saepe et perdita prosum. Perdere* dicunt *rem* familiarem.

28. *ad coen. voc.* Prius *ad coen. vocant*, post, *advent. grat.* Non mirum, quippe cum coena prima omnium cura est parasito edaci.

30. *Tam fac. vict. qu.* „Quia ad coen. vocant." Do. *homo*; cf. supra v. 4.

31. *sect. jussi.* „Proprie. Nam et *sectae* philosophorum ab eo dictae sunt." Do. Maxime autem parasiti *consectabantur* suos reges; v. Gell. II, 2.

33. *parasit.* Vox origine proba, posteriore usu infamis. v. Athen. Deipnos. V, 5. Add. Quinctil. Decl. 296. „Parasitus. Quid enim est *parasitus*, nisi comes vitiorum? turpissimi cuiusq. facti laudator?" Atque vid. ejusd. libell. qui inscribitur, περὶ

*Pa.* Viden', otium °) et cibus quid facit alienus? *G.* sed ego cesso,
Ad Thaidem hanc deducere, et rogitare ad coenam ut veniat?
Sed Parmenonem ante ostium Thaidis tristem video,
Rivalis servum. salva res est: nimirum hice homines frigent:
(*Gnathonem deridet Parmeno, ut qui penitus noverat Thaidis consilium*) Nebulonem hunc certum 'st ludere. *Pa.* hice p) hoc munere arbitrantur
Suam Thaidem esse. *G.* plurima salute Parmenonem
Summum suum impertit Gnatho. quid agitur? *Pa.* statur. *G.* video.
Num q) quidnam hic r) quod nolis vides? *Pa.* te. *G.* credo; at numquid aliud?

o) Be. *otium* pro *ossum* vulg. Hoc vero *ossum* l. Bembini pro carne positum Mu. cam Palmer. contendit. p) In edd. vett. *Isce.* q) I. *Nunc* pro *Num.* r) Sic l. antiq. In Bemb. non est.

*κόλακος κ. φίλον.* Ordo ac sens. verborum hic est, *ut parasiti ll. voc. Gnath. si pot. est tanq. disc. phil. hab. vocab. ex ips. philos.* „Sicut a Platone Platonici, a Socrate Socratici, ita a Gnathone Gnathonici.“ Schol.

34. *Vid. ot. et cibus etc.* Dictum haud dubie cum gestu habitudinem corporis sui intuentis. *cib. quid fac.* Cf. Phaed. III, 7, 5. *Sed ego cesso,* commonentis se ipsum. Ad. IV, 2, 47. Ph. II, 1, 55.

35. *Ad Th. hanc ded.* Referend. est ad loc. super. II, 1, 25. unde parasitus tam longa digressione aberravit.

36. *Sed Parm.* Est autem Parmeno, Lachetis servus, callidus et osor meretricum, qui nomen inde habet, quod sedulo adsit domino suo, quasi *παρὰ τῷ δεσπότῃ μένων.*

37. *Rival.* Ad hanc voc. Do. nil notat, sed Eu. ita: „*Rivales* dicuntur, qui unam amant vel meretricem, vel amicam: quod quasi uno *rivo* amoris utantur.“ *salva res* sc. nostra; cf. I, 8. *frigent,* parum gratia valent. Supra I, 2, 5. Et Hor. Serm. II, 1, 61.

38. *Nebul.* h. e. furem, quoniam fures *nebula* saepe utuntur.

39. *Suam.* Cum emphasi, sicuti supra I, 2, 116. *plur. sal. etc.* Formula salutandi.

40. *Sum. suum,* sc. amicum. Modo enim adponitur *amicus,* modo non; cf. Andr. V, 6, 6. Ph. I, 1, 6. V, 9, 60. Ad. III, 2, 54. *impert.* participem facit. *quid ag. P. statur.* Ipsum hoc ex Plauto expressum, Pseud. 1, 5, 42 seqq. Ibi Taubm. explic. *status* est habitus et facies standi. Hoc it. Parmeno pro servi ingenio objicit Gnathoni, se non *agi,* ut fere pecoris gregem, sed *stare* h. e. pro statu hominis. Andr. IV, 2, 25.

41. *Nam quidn. etc.* „Hoc dicit Parmenoni objiciens virginem in adspectum.“ Eu. *te,* acerbe et commode. Nempe in promtu est supplere, *te* video, quem nolim.

*Pa.* Quidum? *G.* quia tristi's. *Pa.* nil quidem. *G.* (*quasi miserans*) ne sis. sed quid videtur
Hoc tibi mancipium? *Pa.* non malum hercle. *G.* (*secum*) uro hominem. *Pa.* ut falsus animi es [s])!
*G.* Quam hoc munus [t]) gratum Thaidi arbitrare [u]) esse? *Pa.* hoc nunc dicis
Ejectos hinc nos: omnium rerum heus vicissitudo est.
*G.* Sex ego te totos, Parmeno, hos menses quietum reddam;
Ne sursum deorsum cursites, neve usque ad lucem vigiles.
Ecquid beo te? *Pa.* men'? papae. *G.* sic soleo amicos. *Pa.* laudo.
*G.* Detineo te: fortasse [x]) tu profectus alio fueras [y]).
*Pa.* Nusquam. *G.* tum tu igitur paululum da mi operae: fac ut admittar
Ad illam. *Pa.* age modo, nunc tibi patent fores hae, quia istam ducis.

s) Sic Be. ex codd. Vulg. *est.* t) u) C. G. m. *munus hoc — arbitraris.* Sup. scr. t) *quod defero..* x) *fortasse,* priorib. an posterioribus jundend. sit, incertum. We. rectius illud, hoc Par. existimat. Ego sequor Pareum, cum C. G. m. aliisq. libb. y) C. G. m. add. in textu, *si te non detinuissem.* Itid. ms. 1. Par. Sed gloss. olet.

42. 43. *sed q. vid. Hoc etc.* Nunc sine ambagib. transit ad commemorationem puellae. *mancip. Mancipia* sunt et servi et servae in bello quasi manu capti. *uro.* Quae molestiam nobis parant, *urere* dicuntur. *fals. es*; cf. Andr. IV, 1, 23. *animi,* more Graecor. pro, animo; cf. Liv. 6, 10, ibiq. interprett.

44. *Quam hoc munus etc.* Id videlicet propt. quod Gnatho sperat Phaedriam excludi. *hoc* sc. munere. *dicis,* putas.

45. *omn. rer. viciss. est.* Hoc proverbio et Graecis et Rom. satis trito bene utitur Parmeno, ex confidentia Thaidis dictorum, supra I, 2, fin.

46. *Sex.* Not. Eu. familiare esse Terentio, *sex menses* dicere.

47. *surs. deors.* Cf. Ad. IV, 2, 35. Similit. geminatur *rursum vorsum* Plaut. Amph. V, 1, 60.

48. *Ecq. beo te?* Nempe *beare* se putat Parmenonem, si Gnathonicum sibi reddat eum discipulum; cf. v. 33. *beo,* dito, augeo: ex quo beati dicuntur. Lambin. ad Hor. Ep. II, 2, 121. *laudo.* Eu. imitatio comica parasiti item *laudo* dicentis, supra v. 20.

49. *fortasse tu etc.* „Vult exprimere confessionem, quod ad Thaid. venerit, sed intrare non possit.“ Do. *fueras* pro eras. Itid. Cic. de Or. I, 7. ubi Wezel.

50. *paul. da mihi etc.* „Hoc quasi supplicantis vultu ad irrisionem dicitur.“ Do.

51. *fores.* Quae forma fuerit *forium* ap. veteres, id licet co-

*G.* (*limen Thaidis transiturus*) Num quem evocari hinc vis foras? *Pa.* (*stomachose*) sine biduum hoc praetereat:
Qui mihi nunc uno digitulo [z]) forem [a]) aperis fortunatus,
Nae tu istanc [b]) faxo calcibus saepe insultabis frustra.
*G.* (*a Thaide rediens*) Etiamne tu [c]) hic stas, Parmeno? eho! numnam hic relictu's custos?
Ne quis forte internuntius clam a milite ad istam curset [d]).
*Pa.* (*abeunti dicit*) Facete dictum! mira vero militi quae placeant.
Sed video herilem filium minorem huc advenire [e]).
Miror, quid ex Piraeo [f]) abierit: nam ibi custos publice est nunc.

z) C. G. m. *digito.* Ibid. pr. var. *digitulo.* a) Sic Be. Etiam Par. p. var. At vulg. *fores.* b) Sic Be. ob *forem* recte. Vulg. *istas* sc. fores. c) Pro *tu* multi libb. *nunc.* d) Sic Be. a Fa. recepit, ut versus esset jambic. tetramet. catalactic. Vulg. *cursitet.* e) I. et V. *adventare.* f) Var. scriptura inter *Piraeeo*, et *Piraeo.* Itid. gr. Πειραιεὺς et Πειραίος. Sed J. F. Heusinger ad Cic. de Offic. III, 11. „Priscos," ait, nomen illud tribus syllabis plerumq. extulisse."

gnoscere quodammodo ex Plauto, *fores ambas*, Capt. IV, 2, 51. dicente. *hae*, δεικτικῶς, domo Thaidis monstrata.

52. *sine biduum etc.* Haec et quae sequuntur submisse pronuntiat, alioqui prodidisset secreta; cf. supra I, 2.

53. *mihi*, abundat ornatus causa. Ph. V, 9, 21. *uno dig.* i. e. facillime. Sic Plaut. Rud. III, 4, 15. *forem.* Cic. Tusc. V, 57. „cum *forem* cubiculi clauserat." Etiam Plauto et T. Livio foris et forem et fore usurpata.

54. *ist. calcib. insult.* i. e. omni vi, ut Ad. I, 2, 28. Itid. Aristoph. N. 136. Ἀπεριμερίμνως τὴν θύραν λελάκτικας.

55. *Etiam*, adhuc. *custos*, explorator; v. Sueton. Caes. 43.

56. *internunt. Internuntii* esse solent amantium. Ovid. Am. XIII, 14. „Cur toties video mitti recipique tabellas?" Et Tibull. II, 6, 45, 46. *internunt. a milite.* Sic Plaut. Mil. IV, 1, 16. „ab libertina internuntius."

57. *Facete dict.* Cum ironia. *militi.* Quippe qui pariter ac tu inficetus est atque insulsus. Ideo mirabitur dicta tua ac fovebit.

59. *ex Piraeo*, gr. ἐκ Πειραιῶς. Steph. Byz. Πειραιός; οὕτως ἐκαλεῖτο ὁ λιμὴν τῆς Ἀττικῆς; τὰ τοπικὰ, ἐκ Πειραιῶς. Add. Liv. 54, 27. „muros Athenarum *Piraeum* urbi jungentes." Ceterum Piraeus locus erat aptus ad voluptatem; cf. III, 4. *custos pub. est.* Excubabat scilicet in portu Piraeo juventus Attica, quae ex ephebis excesserat, adversus praedonum incursus, postq. per biennium in ipsa urbe excubuisset. *publice* i. e. publica auctoritate.

Non temere est; et properans venit. nescio quid circumspectat [g]).

g) Ms. Par. *circumspectet.*

60. *Non temere,* non passim, non sine causa. *et prop. venit.* „Mire locuturum (Chaeream) ante formavit, ut gestus verba praecedant, verba habitum consequantur.“ Do.

*nesc. q. circumsp.* Praeparatio est ad scenam sequentem.

---

## ACTUS II. SCENA 3.

### CHAEREA. PARMENO.

*Ch.* Occidi [a])!

Neque virgo est usquam, neque ego, qui illam e conspectu amisi meo.

Ubi quaeram? ubi investigem? quem perconter? qua insistam via [b])?

Incertus sum. una haec spes est: ubi ubi est, diu celari non potest.

a) *Ōccĭ dī̆.* Creticus. Hanc voc. a librariis esse Guyetus non recte judicat, cum inter clausulas est Terentii sic dictas. b) Be. *qua via.* Itid. Do. pr. var. Vulg. *quam viam.*

„In hac scena novus amor adhuc ephebi, et consilium potiundae virginis demonstratur: tanta virtute poetae comici, ut hoc commentum non quaesitum esse, sed occurrisse sua sponte videatur.“ Do.

*Chaerea,* adolescens, ὁ *χαίρων,* laetus, Lachetis filius minor, amator Pamphilae, ephebus ad quidvis audax, incogitans et impotenter amans.

1. *Occidi.* „Desperantis formula per omnes fabulas.“ Be.

2. *e. consp. am. meo.* Huic comp. proverb. „Ex aspectu nascitur amor.“ Erasm.

3. *Ubi qu. ubi invest.* Cf. Heaut. IV, 2, 8. *investig.* a venatione desumtum. *quem perc.* Itid. Andr. IV, 5, 5. *percont.* vox nautica. *qua insist. via.* Verb. *insist.* etiam c. accusativo, Virg. A. VI, 563.

4. *ubi ubi.* Sic geminatur Andr. IV, 2. *diu celari n. pot.* Do. suspicatur intelligend. „ob nimiam formae gratiam.“

O faciem pulchram! deleo omnes dehinc ex animo mulieres.
Taedet quotidianarum harum [c]) formarum. *Pa.* ecce autem alterum.
Nescio quid de amore loquitur. o fortunatum [d]) senem!
Hic vero est, qui si [e]) occeperit,
Ludum jocumque dicas [f]) fuisse illum alterum.
Praeut huius rabies quae [g]) dabit.
*Ch.* Ut illum Di Deaeque omnes senium [h]) perdant, qui hodie me remoratus sit [i]);
Meque adeo, qui restiterim, tum autem, qui illum [l]) flocci fecerim.
Sed eccum Parmenonem! salve! *Pa.* quid tu es tristis? quidve es alacris?
Unde is [m])? *Ch.* egone? nescio [n]) hercle, neque unde eam, neque quorsum eam.

c) Erasm. invert. *har. quotid.* ex l. antiq. Script. We. *cotid.* Par. *cottid.* d) C. G. m. *in fortun.* Id. in marg. al. *fortunat.* e) In l. antiq. *amare.* Priscian. omitt. f) Sic Be. Bo. At vulg. *dices.* L. Bemb. *dicet* sc. senex. g) V. I. *qualia.* h) Codd. Be. *senem.* i) Be. *sit* pro *est* vulg. Recte; nam sequuntur etiam conjunctivi, *restiterim*, *flocci fecerim.* l) Al. *non.* Sed not. Do. „*flocci facere* et contemnere et non contemnere significat.“ m) V. I. *venis.* n) C. G. m. *ego nescio.*

5. *faciem*, h. e. formam corporis exteriorem. Ph. I, 2, 50.

6. *quotidianar.* i. e. vulgarium. Estque fastidium in ipsa Chaereae pronuntiatione. Contrarium, *nova figura oris*, v. 26 *harum.* Plura de his vid. v. 22. *ecce autem.* Sic in reb. inopinatis solent. Ad. V, 1, 5. Ph. II, 1, 34. *autem.* Ambigua haec videtur particula. Hec. IV, 2, 26. *alterum*, fratrem.

7. *Nescio quid.* Plaut. Amph. I, 1, 176. „*Nescio quem loqui* autumat.“ Est autem *Nescio quid*, *Nesc. quis* etc. formula, qua utimur vel in contemtu, vel in ignoratione. *Fortun.*, Lachetem sc., cui tales contigerunt filii.

8. *occep.* Verb. Nostro usurpat. quasi de magna re. Prol. 22. it. I, 2, 45. Ad. II, 1, 51. etc.

9. *Lud. jocumq.* Hoc utrumq. junxit etiam Cic. Offic. 1, 29. ad *ludum* et *jocum.*“

10. *Praeut.* Vocula comparationi inserviens. Plaut. I, 1, 218. Perizonius explicat: „*Prae* eo, *ut* sunt illa, *quae dabit huius rabies.*“ locutio similis cf. III, 3, 2, not. *rabies.* h. e. amor immodicus. Itid. Theocr. Id. 43. de Atalanta: ὡς ἴδεν, ὡς ἐμάνη etc. „ut vidit, ut insaniit, ut in altum incidit amorem.“

11. *Dii Deaeque omnes etc.* Vocibus, *Deaeq. omnes*, adjectis gravius imprecari videntur, quam solo posito, *Dii.* Itid. Liv. 5, 17. *senium qui.* Enallage generis; cf. Andr. III, 5, 1. Vid. ad hunc loc. Fischer. Anacreont. Od. III, 17.

12. *restit.* Cf. Andr. II, 6, 2.

14. *egone?* nescientis aut *incerti*; cf. v. 4. *quors.* h. e. quo versum.

Ita prorsum oblitus sum mei.
*Pa.* Qui quaeso? *Ch.* amo. *Pa.* hem! *Ch.* nunc, Parmeno, te ostendes, qui vir sies.
Scis te mihi saepe pollicitum esse: Chaerea, aliquid inveni
Modo quod ames: utilitatem in ea re [o]) faciam ut cognoscas meam;
Cum in cellulam ad te patris penum omnem [p]) congerebam clanculum.
*Pa.* Age, inepte! *Ch.* hoc hercle factum est: fac sis [q]) nunc promissa appareant.
Sive adeo digna res est, ubi tu nervos intendas tuos.
Haud similis virgo est virginum nostrarum; quas matres student
Demissis humeris esse, vincto pectore, ut gracilae [r]) sient.

o) Vulg. *ego*. Tollit Be. ut sup. vacuum. p) Tres Be. codd. *omne*. q) L. Bemb. *faxis*. Itid. gl. *faxis* pro *fac sis*. Et *sis* pro, si vis. Mss. Par. *Si*. r) Al. *graciles*.

15. *Ita*. „Causam impedientem ἐπιφωνηματικῶς notat.“ Par.

16. *qui vir s.* Cf. Liv. 1, 41. „Tuum est, Servi, *si vir es*, regnum.“

17. *inveni*. Imperativus est. Sic Ovid. A. A. 1, 41. „*Elige* cui dicas: tu mihi sola places.“

18. *quod ames*. Sic genere neutro utuntur; theotisce, was liebes. Ph. III, 2, 19. Etiam Juvenal. Sat. II, 49. 50. — „an habent spectacula *Quod* securus *ames*?“ Ovid. Met. VII, 23. *meam*, passive pro mei. Sensus: Quam de me capias *utilitatem*. vid. ad Hec. V, 2, 22.

19. *Cumcongerebam*; vid. not. ad Andr. III, 5, 13. *in cellul.* Pauperiorum et servorum erant cellae vel cellulae. Ad. IV, 2, 13. Et Martial. III, 48, 1. *penum*. „Intelligimus omne quod ad victum est.“ Eu. Addo Vitruv. VI, 7. „Nam cum, inquit, fuerunt Graeci delicatiores et fortuna opulentiores, hospitib. advenientibus instruebant triclinia; cubicula *cum penu cellas*.“

20. *Age, inepte*. Has dictiones Do. ad amorem Chaereae refert; at We. responsum esse putat ad id, quod ille dixerat *de penu patris*. At ego Donato assentior, et quidem propter *hercle*, qua jurandi particula non tam ad id opus erat, quod de *penu partis* etc. quam ad illud confirmandum, quod Chaereade *pulchra* facie fassus erat sibi visa; cf. v. 5.

21. *Sive*. Ab eo We. existimat sensum dependere, quomodo *Sive* intelligatur. Bi. explic. *Sive* pro, Quia. Equid. allego Andr. I, 2, 19. ubi nota.

*tu*, h. e. Parmeno; nec in universum, ut quasi in proverb. procedat oratio; id quod quidam putarunt. *nerv. intend. Nervi* sc. corporis robusti ponuntur pro, vires; inde proverbialiter, omnib. nervis, pro, omni vi.

22. *simil. virginum*. Do. infra III, 2, 15 notat: „Et *his* similia, et *horum* similia dicimus.“

23. *Demiss. hum.* Cf. infra v. 45. Et Plaut. Pseud. III, 2.

Si qua est habitior paulo, pugilem [s]) esse ajunt: deducunt cibum.
Tamen, etsi bona natura est [t]), reddunt curatura junceas:
Itaque ergo amantur. *Pa.* quid tua istaec? *Ch.* nova figura oris. *Pa.* papae!
*Ch.* Color verus, corpus solidum, et succi plenum. *Pa.* anni? *Ch.* anni? sedecim.
*Pa.* Flos ipse. *Ch.* hanc tu mihi vel vi, vel clam, vel precario
Fac tradas: mea nil refert, dum potiar modo.
*Pa.* Quid? virgo cuia 'st? *Ch.* nescio hercle. *Pa.* unde 'st? *Ch.* tantundem. *Pa.* ubi habitat?
*Ch.* Ne id quidem. *Pa.* ubi vidisti? *Ch.* in via. *Pa.* qua ratione illam [u]) amisisti [x])?
*Ch.* Id equidem adveniens mecum stomachabar modo,
Neque quemquam ego hominem esse arbitror, cui magis bonae

s) V. I. *virilem.* t) Vulg. colloc. *b. est nat.* u) Al. omitt. *illam.* x) Sic Be. ob metr. Itid. mss. Pall.

51. „*demiss.* pedib. et *demiss.* manib." Sed *demissi humeri* ostendunt teretis colli longitudinem. Hunc v. Ausonius inter jocularia sua recordatur Edyl. III. *vincto pect.* Scilicet Graeci, Athenaeo teste, non amabant virgines mammosas. Unde papillae fasciolis compressae; cinguloq. arctatum pectus; v. Lindenbr. Observatt. Addo Aeschyl. Supplic. 432 — 33. Contra Catull. LXIV. „Non tereti strophio luctantes *vincta* papillas."

24. *habitior*, corpulentior, robustior. Talis autem virgo non probatur. *curatura*, vox aliis scriptorib. minus nota.

26. *Itaq. ergo.* Hae particulae it. conjunguntur Liv. I, 25. h. l. acerbae dictae. *nova*, miranda, non vulgaris.

27. *Color verus.* Do. recte: „naturalis, non fucatus." *succi plen.* Contra ap. Petron. c. 32. „Arida puella - quae *succo* caret." *Ch. anni?* Haesitat Chaerea, *anni* quot? interrogatus, ex conjectura videtur, *sexdecim*, respondere.

28. *Flos ipse*; cf. Ovid. A. A. II, 663. *Flos* sc. aetatis, uti Curt. X, 5, 10. „Alexandrum, in *flore* aetatis ereptum."

*vel vi vel clam*; cf. Horat. Ep. II, 173. „Nunc prece, nunc pretio, nunc *vi*."

29. *mea nil. ref.* Juvenal. Sat. XIV, 207. „Unde habeas, quaerit nemo: Sed oportet habere." *potiar* sc. puella.

31. *Ne id quidem* sc. scio.

32. *Id.* „Deest ob, propter, ut plene sit, ob, propter id." Do. *stomachab.* „Irae et indignationis sedem bili et *stomacho* tribuerunt; unde *stomachari* pro irasci et expostulare dixerunt." We.

Felicitates omnes aversae [y]) sient [z]).
*Pa.* Quid hoc est sceleris? *Ch.* perii! *Pa.* quid
factum est? *Ch.* rogas?
Patris cognatum atque aequalem Archidemidem
Nostine? *Pa.* quidni? *Ch.* is, dum hanc sequor,
fit mi obviam.
*Pa.* Incommode hercle. *Ch.* immo enimvero infeliciter:
Nam incommoda alia sunt dicenda, Parmeno.
Illum liquet mi dejerare [a]), his mensibus
Sex [b]) septem prorsus non vidisse proxumis;
Nisi nunc, cum minime vellem, minimeque opus fuit.
Eho [c])! nonne hoc monstri simile 'st? quid ais? *Pa.*
maxume.
*Ch.* Continuo adcurrit ad me, quam longe quidem,
Incurvus, tremulus, labiis demissis, gemens:
„Heus, heus! tibi dico, Chaerea!" inquit. restiti.
„Scin' quid ego te volebam?" dic. „cras est mihi
Judicium [d])." quid tum? „ut diligenter nunties
Patri, advocatus mane mihi esse ut meminerit."

y) C. G. m. *adversae.* z) Al. add. *quam mihi.* a) C. G. m. *delirare* mire; cum gl. *dejerare.* b) Mss. Pall. I, 3. *vel.* C. G. m. *aut.* c) V. I. *dolentis.* d) V. I. *tenendum.*

34. *felicitates.* Comice adjectum *bonae*, eaeq. numero plurali, pro maxima felicitate, in eo erant sitae, quod Chaerea videbat puellam; *aversae* autem in eo, quod visam amittebat.

35. *sceleris*, infelicitatis; cf. Martial. Epigr. VII, 17. *Quid hoc est sceleris?* Ead. syntax. Cic. de Orat. II, 64. *Quid hoc* clamoris?"

36. *aequal.* Heaut. III, 1, 8. *Archidemid.* Hoc *Archid.* nomen Terentius videtur e Plauto sumsisse, Bacch. II, 5, 50.

37. *sequor. Sequi* enim amatores dicuntur. Virg. B. II, 65.

38. *Incommode - infelicit. Incommodum* videlicet, ex Eu. sententia, a nostra culpa venit; quod *infeliciter* gestum est, ab eventu aut fortuna. *enimvero.* Asseverantis particula.

39. *incommoda alia.* Vult dicere: Haecce sunt majoris momenti, quam quae vulgo *incommoda* habentur.

40. *liquet mihi dejer.* h. e. liquido jurare possum.

41. *Sex septem*; cf. supra 2, 46, not. *his proxum.* Abundat *proxumis*, cum *his mensib.* latine per se valent, quod *proxime* elapsis. Itid. Cic. Phil. 14, 11.

43. *monstri simile est*, h. e. res est valde miranda. Cic. pr. Lig. 4. „*prodigii simile* est quod dicam." *longe*, e longinquo.

46. Do. ad hunc v. apprime monet, aliter Chaereae, aliter verba senis, *Heus, Heus etc.* clare vocantis proferenda esse atque enuntianda.

47. *Scin' quid ego etc.* „Hic ostenditur odiosa tarditas senis, apud festinantem Chaeream." Do. *te voleb.* Cf. Andr. I, 1, 2, not.

Dum haec loquitur, abiit hora. rogo, num quid velit.
Recte, inquit. abeo. cum huc respicio ad virginem,
Illa sese interea commodum huc advorterat
In hanc nostram plateam. *Pa.* mirum ni hanc dicit, modo
Huic [e]) quae data dono est. *Ch.* huc cum advenio, nulla erat.
*Pa.* Comites secuti scilicet sunt virginem?
*Ch.* Verum: paratitus cum ancilla [f]). *Pa.* ipsa 'st. (*ad spectatores*) ilicet!
Desine: jam conclamatum est. *Ch.* alias res agis [g]).
*Pa.* Istuc ago quidem. *Ch.* nostin' quae sit? dic mihi, aut
Vidistin'? *Pa.* vidi, novi; scio [h]), quo abducta sit.
*Ch.* Eho, Parmeno mi, nostin'? *Pa.* novi [i]). *Ch.* et scis, ubi siet?
*Pa.* Huc deducta est ad meretricem Thaïdem: ei dono data est.
*Ch.* Quis est tam potens, cum tanto munere hoc? *Pa.* miles Thraso,

e) Id. *Thaidi.* f) C. G. m. *cum ea.* g) V. I. *non est illa quam cogitas.* h) I. *novi et scio.* i) Be. hancce responsion. Parmenonis extrudit, sed contra codd. et contra morem Terentii; cf. Heaut. I, 2, 6. et Ph. I, 2, 14.

50. *abiit hora.* Longissim. tempus significat. Imitatus Horat. Sat. I, 5, 13. Ad l. h. significantius Volger in Sapph. fragm. X. ὥρα tempus, inquit, definitum, quo amasius advenire velle promiserat. Quam quidem *horam* nunc deflet Chaerea praeteriisse. *numq. velit*; cf. supra I, 2, 111. Et v. Liv. 6, 34.

51. *Recte.* „Ita solebant εὐφημοῦντες, quoties nihil dicere nollent." We.

52. *commodum*, est adverbium, hoc ipso tempore, significans. *advorterat.* „Vox nautica, apta Chaereae publice custodi in Piraeo portu." We. Sic Ovid. Heroid. XII, 23. „*advertere* puppim."

54. *nulla*, h. e. nusquam *erat.* „Etenim ingressa jam fuerat." Do.

56. *Verum*, affirmantis. Andr. IV, 4, 30. V, 4, 26. *ipsa est*; cf. Andr. V, 4, 42. *ilicet*, exploratum, manifestum est.

57. *Desine*, „elegantem usum habet in re jam explorata;" v. We. ad Ph. I, 2, 1. *conclam. est*, h. e. nulla spes relinquitur; v. Boecler. Chrestomath. „Locutio enim haec translata a re funebri extremam fere desperationem indicat. Scilicet homine morti proximo omnis familia *exclamabat*, seu ut anima forte delitescens in angulo quod. corporis excitaretur, seu ut vicini concurrerent." We. *alias res ag.* „Qui animum et cogitationem non occupant in re praesenti, *alias res agere* dicuntur." Cui contrar. est, *rem ipsam putare*; Ad. V, 3, 10.

61. *potens*, dives. Plaut. Epid. I, 2, 50. „auro *potens*."

Phaedriae rivalis. *Ch.* duras fratris partes praedicas.
*Pa.* Immo enim si scias, quod donum huic dono [l]) contra comparet,
Tum magis id dicas. *Ch.* quodnam quaeso hercle? *Pa.* eunuchum. *Ch.* illumne obsecro,
Inhonestum hominem, quem mercatus est heri, senem [m]), mulierem?
*Pa.* Istunc ipsum. *Ch.* homo quatietur certe cum dono foras.
Sed istam Thaidem non scivi nobis vicinam. *Pa.* haud diu est.
*Ch.* Perii! nunquamne etiam [n]) me illam vidisse? ehodum! dic mihi:
Estne, ut fertur, forma? *Pa.* sane. *Ch.* at nihil ad nostram hanc. *Pa.* alia res [o]).
*Ch.* Obsecro hercle, Parmeno, fac ut potiar. *Pa.* faciam sedulo, ac
Dabo operam, adjutabo [p]). numquid me aliud? *Ch.* quo nunc is? *Pa.* domum,
Ut mancipia haec, ita ut jussit frater, ducam [q]) ad Thaidem.
*Ch.* O fortunatum istum eunuchum, qui quidem in hanc detur domum!

l) Par. *domo*, vitiose. m) *senem.* „In thesi latet, quasi monosyllab. esset, *snem.*" Be. n) C. I. *nunq. etiam meminì.* o) Al. add. *est*; al. omitt. p) Sic Be. pro *adjuv*-vulg. q) Sic l. Bemb. In al. *deducam.*

63. *duras*, h. e. contra aemulum et divitem et largissimum. Itid. Cic. ad Attic. X, 8. „*duriores partes* mihi impositas."

64. *compar.* Verb. a gladiatorib. desumt., qui bini pares *comparabantur.* Ad. II, 2, 4.

65. *id dicas*, sc. *duras part. fratris* esse. *eunuch.* Ex *eunuchi* mentione facta vide, quam commode nascatur consilium Chaereae capiendum.

66. *Inhonestum*, foedum. Contra Andr. I, 1, 96, not. *mulier.* convicium in hominem ignavum. Itid. Plaut. Bacch. IV, 8, 4. „Non — militem, sed *mulierem.*"

67. *homo.* Cum contemtu: *quat.* sc. verberib. pelletur foras, excludetur.

68. *vicinam.* Solent meretrices Terentianae in *vicinitate* habitare; ut Chrysis Andr. I, 1, 78: it. Bacchis, Hec. IV, 4, 97. *haud diu est*, sc. vicina. Atque haec una est causa, cur non noverit *vicinam*, altera quod adolescens plurimum in Piraeo commoratus est.

70. *ad nostram* pro, ad meam. Praepositio *ad* in usu est comparationis eleganti, uti πρὸς Graecorum. Cic. de Orat. II, 6. „Decimum volo, quem cognovimus, sed *nihil ad* Persium." Et infra IV, 4, 14.

*Pa.* Quid ita [r])? *Ch.* rogitas? summa forma semper conservam domi
Videbit, conloquetur; aderit una in unis aedibus;
Cibum nonnunquam capiet cum ea; interdum propter dormiet.
*Pa.* Quid si nunc tute fortunatus fias? *Ch.* qua re, Parmeno?
Responde. *Pa.* capias tu illius [s]) vestem. *Ch.* vestem? quid tum postea?
*Pa.* Pro illo te deducam, *Ch.* audio. *Pa.* te esse illum dicam. *Ch.* intelligo.
*Pa.* Tu [t]) illis fruare commodis, quibus [u]) illum dicebas modo:
Cibum una capias, adsis, tangas, ludas, propter [x]) dormias;
Quandoquidem illarum [y]) neque te quisquam novit, neque scit qui sies.
Praeterea forma et aetas ipsa 'st, facile ut pro eunucho probes.
*Ch.* Dixti [z]) pulchre: nunquam vidi melius consilium dari.

r) V. I. *cur dicis fortunatum?* s) Id. *eunuchi.* t) Id. *faciam.* u) Vulg. *tu.* Abest ab uno Codd. Be. x) Mss. Pall. *prope.* y) C. G. m. *Thaidis et puellarum.* Quae vero glossa videtur. z) Par. ex uno C. *Disti.*

76. *Videb. conloqu. etc.* „His similia We. adfert ex Antholog. VII, 135. *Εὐδαίμων ὁ βλέπων σε. in unis aedib.* Cf. Cic. p. Flac. 29. „*unis* vestimentis etc." Ad hoc Ernest. clav. v. *unus.*

77. *Cib. cap.* Achill. Tat. Am. I, 1. inter delectamenta amicae refertur quoque, *καὶ συνδειπνεῖς. propt.*, juxta, prope. Cic. p. Rosc. Am. 23. „duo filii *propter* cubantes."

78. *tute*, per emphas., tu ipse, non eunuchus.

79. *quid tum post.* Similiter instat rogando inf. III, 5, 56. Antipho. *vestem*, h. e. famularem. Ita Codrus rex Atheniens. *veste* famulari indutus; cf. Cic. Tusc. I, 48.

80. *audio*, assentior.

82. *Cib. una capias, adsis etc.* Vide quam suavem auris hunc vers. prae ceteris excipiat! cf. supra I, 2, 114. *tang.* Verb. impudicum. Infra IV, 2, 10. Heaut. IV, 6, 15. Ad. IV, 5, 52. Et Hor. Sat. I, 2, 54. „matronam nullam ego *tango.*"

*lud.* In obscoenis est *ludere*, i. q. lascivire. Catull. 59, 211. „*Ludite*, ut libet, et brevi liberos date." Nota: Quamquam superior versus 77. sufficeret, repetita sunt tamen incentiva amoris, quibus amorem ac fervorem libidinis servus ille in adolescente magis stimulet atque accendat.

83. *illar. quisq.* Antiqui *quisquam* utroq. genere dixerunt, Graecos imitati, quib. itid. *τὶς* utroq. genere valet.

84. *ipsa* pro haec. „Deest, in te." Do. *probes* sc. te.

85. *vidi*, audivi. Saepe enim verba sensuum permutantur in-

Age, eamus intro. nunc jam orna me, abduc, duc, quantum potest [a]).
*Pa.* (*dissimulat astute, quo magis incendat animum amantis*) Quid agis [b])? jocabar equidem. *Ch.* garris. *Pa.* perii, quid ego egi miser?
Quo trudis? perculeris jam tu me. tibi equidem dico, mane.
*Ch.* Eamus. *Pa.* pergin'? *Ch.* certum 'st. *Pa.* vide, ne nimium calidum [c]) hoc sit modo [d]).
*Ch.* Non est profecto: sine. *Pa.* at enim istaec in me cudetur faba. *Ch.* ah!
*Pa.* Flagitium facimus [e]). *Ch.* an id flagitium 'st, si in domum meretriciam
Deducar, et illis crucibus [f]) quae nos nostramque adolescentiam
Habent despicatam [g]), et quae nos semper omnibus cruciant modis,
Nunc referam gratiam, atque eas itidem fallam, ut ab illis fallimur?

a) Al. *potes.* b) Ms. We. *ais.* c) Do. *calid.* et *callid.* leg. affirmat. Andr. III, 4, 10. d) I. et V. add. *consilium,* male. e) G. Fabric. *facinus.* f) V. I. *cruciatibus.* g) Sic Do. In l. Bemb. *despectam.*

ter se. Ad. V, 7, 24. Plaut. Trin. III, 2, 72. Et infra III, 2, ubi nota.

86. *Age.* Hoc forte non voce solum, sed motu corporis efferendum. *quant. potest.* Sub. fieri. Infra V, 1, 20. *abduc*; cf. Ad. III, 4, 36. *abduce.*

88. *perculer.* tundendo ad terram dederis. Do. rusticum esse ait proverbium: „Paene plaustrum perculit." Vid. Taubm. ad Plaut. Epid. IV, 1, 22. At Da. improprie: „à quoi m'obligez vous?" Non probatur.

89. *pergisne?* Hoc dicit Parmeno, iterum trusus aut perculsus a Chaerea vehemente. *calid. hoc.* Graece, θερμὸν πρᾶγμα, quod dicatur praeceps, expromtum, et quasi ex tempore natum. *modo,* adverb. Junge, *ne modo sit.*

90. *in me cud. faba,* h. e., Do. interprete, „in me malum hoc recidet, in me haec vindicabitur culpa; ut laborat solum, in quo *cuditur*, id est, batuitur faba, quum siliquis exuitur tunsa fustibus; ut in areis more rusticor. fit." Add. Erasm. Adag.

91. *Flagitium,* quid sit, vid. Lindenbr. Nota, Parmenonem *flagitium* dicere, ut juvenem tentet; nam ipse aliter judicat de meretricibus, supra I, 1, fin.

92. *crucib.* „Vera meretricum appellatio." We. Signific. angorem omnem atque exitium. Aliter in Andr. III, 5, 15.

93. *Hab. despicat.* h. e. contemnunt. Est conjugatio periphrastica. Cuiusmodi est Ovid. Heroid. XVII, 9. „Nec tibi *oppositas habuit* regia nostra fores."

94. *refer. grat.* Per antiphrasin pro, ulciscar. Infra IV, 4,

An potius par atque aequum est, pater ut a me ludatur dolis[h])?
Quod qui rescierint, culpent; illud merito factum omnes putent.
*Pa.* Quid istic? si certum 'st facere, facias; verum ne post conferas
Culpam in me. *Ch.* non faciam. *Pa.* jubesne? *Ch.* jubeo[i]), cogo, atque impero;
Nunquam defugiam auctoritatem. sequere. *Pa.* Di vortant bene!

h) Totum hunc vers. a Be. emendatum recepi. Vulg. est: *An pot. haec pati? aeq. est fieri, ut a me lud. dolis?* mancus satis atque obscurus. i) Par. *immo.*

91. *itid. fall.* Hoc id. praecip. Ovidius A. A. I, 645. „*Fallite fallentes.*" *pater ut a me lud. d.* Explet Fa., voce *patri* antea ex l. Bemb. restituta, hoc modo: pecuniam scilicet ab eo per fallacias auferendo, quam in amores et voluptates meas insumam."

96. *Quod.* Scilicet patrem eludi. *illud.* Falli videlicet meretrices.

97. *Quid istic?* Heaut. II, 5, 139. *facere* sc. *facinus*; cf. v. 91. facias. Nunc Parmeno, qui modo joci speciem prae se ferebat, monet Chaeream, cujus rei fuerat isti auctor. *verum.* Sub. vide vel cave.

98. *non faciam*, non culpam *conferam* in te. Sic solent per *facere* respondere pro verbo eo, quod antecesserat.

*jubesne?* Parmeno servus eod. modo sibi cavet in futurum, quo Davus in Andr. III, 2, 29. erga dominum. *jubeo.* Petron. Sat. 75, 11. — „nec turpe est, quod dominus *jubet.*"

99. *Nunq. defug. auctorit.* h. e. *Nunq.* negabo, id me auctore et impulsore factum esse. *Dii vort. b.* Formula haec Plautina plenior: „*Deos bene* volo *vertere* Istam rem vobis."

## ACTUS III. SCENA 1.

### THRASO. GNATHO. PARMENO.

*Th.* Magnas vero agere gratias Thais mihi?

„Hic sermo sic prodit, ut post scenam inchoatus esse videatur. Continet autem assentationem parasiticam, et stultitiam gloriosi militis." Do.

*G.* Ingentes [a]). *Th.* ain' tu? laeta 'st? *G.* non tam ipso quidem
Dono, quam abs te datum esse [b]): id vero serio
Triumphat. *Pa.* huc proviso, ut, ubi tempus siet,
Deducam. sed eccum militem. *Th.* est istuc [c]) datum
Profecto, ut grata mihi sint, quae facio, omnia.
*G.* Advorti hercle animum. *Th.* vel rex semper maxumas
Mihi [d]) agebat, quicquid feceram; aliis non item.
*G.* Labore alieno magnam partam gloriam
Verbis saepe in se transmovet [e]), qui habet salem [f]),
Quod [g]) in te est. *Th.* habes. *G.* rex te ergo in oculis. *Th.* scilicet [h]).

a) Var. scriptura, *Ingenteis*, *Ingentis;* vid. Priscian. lib. 7. b) Ms. Pal. 2. *quam quod abs te datum est.* c) I. et V. *mihi.* d) C. G. ch. *gratias.* C. G. m. *grates.* e) I. et V. *transfert.* f) V. I. *sapientiam.* g) Plusculi mss. *Qui* pro *Quod.* h) Un. ms. Pall. *si licet.*

*Thraso.* Graecum est nomen, θράσος, quod Ammonio videtur esse quod ἄλογος ὁρμή; v. Amm. vocab. differ.

1. *agere Thais.* „Plus sonat infinitivus modus finito.“ Do.

2. *Ingent.* Vide quantum addat, augeat parasiti adulatio! Supra hunc loc. vid. Cic. Lael. 26.

3. *abs te dat. esse.* Cf. Ovid. Heroid. XVII, 71. „— acceptissima semper Munera sunt, *auctor quae pretiosa facit.*“ Itid. Euripid. Alcest. 378. *id.* Do. „ob *id.*“ Sed praepositione *ob* non opus, cum *id* pro nominativo sumatur. Itid. Ovid. Fast. V, 52. „Illa (majestas) *triumphat.*“

4. *Triumph.* Hoc verb. parasitus scite a re militari petit, ut magis placeat militi glorioso. Infra IV, 7. Heaut. IV, 2, 5.

5. 6. *datum*, sc. a Diis, seu natura. *quae facio* sc. hominibus.

7. *Adv. hercle anim.* Quod placitum, *ait ajo*, supra II, 1, 1. aperuit, id nunc adhibet in suam commoditatem. *vel rex.* A meretrice transit ad regem mire. Regem autem Persarum intelligi We. opinatur, Darium tertium, aetate Alexandri regnantem. Sic Heaut. I, 1, 65. Nisi malumus cum Da. accipere Seleucum regem Asiae; siquidem Pyrrhi quoque fit mentio, infra IV, 7, 13.

8. *aliis non item*, sc. agebat gratias. Hunc loc. Horatius propositum sibi habuisse videtur Sat. I, 9, 45.

9. 10. *Lab. alieno - transmov.* Ironice haec dicta a Gnathone in militem. Quapropt. deinde parasitus blande inflectit orationem dicens, *qui salem habet.* Tum Thraso, verbo *habet* illius retento, praet. exspectationem scite respondet, *habes* tu scilicet salem. Nam nemo, opinor, tam stultus est, qui non sapiat interdum.

11. *Quod.* Ponend. erat *Qui* pro Quod, propt. *salem* v. 10. Verum *sal* et masculini et neutrius generis dicitur. Insuper Do. explic. „*sal* neutraliter condimentum est; masculine sapientia.“ *rex.* Cf. supra v. 7. In mentem hic venit Plut. *Περὶ κολ. κ. φιλ.* §. 148. ed. Krigel: „Stratias colax Bianti stupido sic adulatus est:

*G.* Gestare [i]). *Th.* verum: credere omnem exercitum,
Consilia. *G.* mirum. *Th.* tum sicubi eum satietas [l])
Hominum, aut negoti si quando odium ceperat,
Requiescere ubi volebat, quasi.. nostin'? (*Gnathonem intelligere ridiculus vult, quod ipse nec intellexit nec dixit. Grata igitur spectatoribus stulti militis infantia ab callido explicatur parasito.*) *G.* scio:
Quasi ubi illam exspueret [m]) miseriam ex animo. *Th.* teneS.
Tum me convivam solum abducebat sibi. *G.* hui!
Regem elegantem narras. *Th.* immo sic homo 'st
Perpaucorum hominum. *G.* immo nullorum, arbitror,
Si tecum vivit. *Th.* invidere omnes mihi,
Mordere clanculum; ego non [n]) flocci pendere;

i) Sic in Bembino Cod. esse Bembus ipse narrat. At *Gestire* hab. v. l. Fa. ac Par. l) V. I. *taedium.* m) Id. *respiraret.* n) Edit. an. 1469 omitt. *non.* Vid. supra II, 3, 12.

Plus bibisti quam *rex* Alexander. Quod in Alexandro turpissimum erat, illi laudi tribuit." *scilicet.* Sic interpellat Gnathonem additurum, ferebat, vel habebat, aut quod modo dicit, gestabat.

12. *Gest.* Est autem *Gestare in oculis* translatum a matribus, quae ab infantib. amatis non dimoveant oculos. Inde *in oculis gestare* pro amare insigniter. *cred. Consil.*; cf. sup. I, 2, 48.

13. *satiet. Homin.* Cf. infra V, 5, 3.

14. *odium*, taedium. Cf. infra V, 5, 2. Hec. II, 1, 22.

15. *quasi.* Hiat stolidus miles vel haesitat; Gnatho autem more adulatorum suggerit hiscenti materiam. *nostine?* „Grate expressit stulti infantiam militis, qui ante vult intelligi, quod sentit, quam ipse dicat." Do. Ut Plutarch. adferam, qui Περὶ κολακ. §. 277." πίςιν, inquit, τῷ κόλακι καὶ θράσος δίδωσι.

16. *exspueret*, abjiceret. Vile verb. *exspuere*, quod nauseam movet, Gnathoni est ad illusionem militis idoneum.

17. *me conv. sol. abd* Similiter Liv. I, 26. „exercitus inde domos *abducti.*" Ibid. I, 39. „*Tum abducto* in secretum viro Tanaquil etc."

18. *elegant.* Infra 5, 18. „*Elegans* dicitur quicunq. est in aliquo genere inprimis intelligens, praecipue tamen in illis, quae ad magnificentiam cultus pertinent." Ernest. Cl. Cic. *sic homo est.* Quasi de sodali suo.

19. *Perpauc. hom.* Cf. Hor. Sat. I, 9, 44. Ibi schol. Cruq. „Maecenas non gaudet amicitia multorum." Hoc vero et hic et illic ironice dictum neminem latebit. *Perpaucorum*, i. e. electissimorum. Cic. Lael. 6. „amicitia eorum, qui *pauci* nominantur, fuit." Contra Bias fertur dixisse, οἱ πλεῖςοι κακοί.

20. *tec. viv.*, te familiariter utitur. Itid. Cic. Lael. 4.

21. *Mordere*, molestiam exhibere. Cf. infra v. 57. et Ad. V, 3, 21. Add. Cic. Attic. XIII, 12. „Valde me *momorderunt* epistolae tuae etc."

Illi invidere misere. verum unus tamen
Impense, elephantis quem Indicis [o]) praefecerat [p]):
Is ubi molestus magis est, quaeso, inquam, Strato,
Eone es ferox, quia habes imperium in belluas?
*G.* Pulchre mehercle dictum et sapienter. papae!
Jugularas hominem. quid ille? *Th.* mutus ilico.
*G.* Quidni esset? *Pa.* [q]) Di vostram fidem! hominem perditum
Miserumque, et illum sacrilegum [r]). *Th.* quid illud, Gnatho,
Quo pacto Rhodium tetigerim in convivio,
Nunquam tibi dixi? *G.* nunquam; sed narra, obsecro.
(*ad spectatores*) Plus millies [s]) audivi. *Th.* una in convivio
Erat hic, quem dico, Rhodius adolescentulus.
Forte habui scortum [t]): coepit ad id adludere,
Et me irridere. quid agis, inquam, homo impudens?
Lepus tute es, et pulpamentum quaeris? *G.* ha ha he.
*Th.* Quid est? *G.* facete, lepide, laute, nil supra.

o) V. I. *ex India.* p) Id. *ut magister esset elephantorum.* q) Id. *secum.* r) Id. *gnatonem qui ita adulando loquitur.* s) Par. ed. *miliens.* t) V. I. *concubinam.*

23. *Indic. Elephantos Indicos* Curtius ait VIII, 9. antecellere Africanis. Qui vero *elephantis praefecti* sunt, graece ἐλεφαντιςαὶ dicuntur.

24. *molest. mag. est.* Ordina, *magis molestus.* Utitur praesenti tempore *est* pro praeterito, ut saepe qui narrant.

25. *imperium,* proprie de elephantis. *imper. in bell.* Haec ead. syntax. Plaut. Men. V, 7, 41. „est mihi *imperium in te.*"

26. *Pulchre mehercle etc.* Verum est, quod Quinctilian. notavit de parasito. „Quid enim est, inquit, parasitus, nisi comes vitiorum? turpissimi cujusq. facti laudator." Declam. 296.

27. *Jugul.* Apta locutio apud militem, hoc sensu, *hominem* illum rubore suffusum ad silentium redegeras. Ad. V, 8. fin.

30. *Rhodium.* „Id tanto gloriosius sibi ducit fatuus miles, quod *Rhodii,* uti rei nauticae et eloquentiae laude erant clari, ita et elatos animos gerebant." We. *tetig.* „*Tangere* est aculeato dicto laedere, sicut ap. Graec. ἅπτεσθαι." Mu.

34. *adlud.* We. notat: „*alludere* i. q. annuere, arridere, sed et lasciva manu pertentare." Justin. I. 4.

36. *Lep. tute es, et etc.* Hoc et Livio Andronico usurpatum inter proverbia Erasmus refert, *tute lep. es etc.* qui commentis Donati neglectis, confine esse autumat illi, quod Graeci dicant, Δασύπους κρεῶν ἐπιθυμεῖ, lepus carnes desiderat. Dicitur in eos, qui ea desiderant ab aliis, quae ipsis affatim sunt domi. *pulpamentum* i. e. cibus ex pulpa leporis. Par. Lexic.

37. *Facete, lepide, laute.* Haec singula interpretando Do. distinguit, quem vide.

Tuumne, obsecro te, hoc dictum erat? vetus credidi [u]).
*Th.* Audieras? *G.* saepe; et fertur in primis. *Th.*
meum 'st.
*G.* Dolet, dictum imprudenti adolescenti et libero.
*Pa.* At te Di perdant! *G.* quid ille? quaeso. *Th.*
perditus.
Risu omnes, qui aderant, emoriri [x]): denique
Metuebant omnes jam me. *G.* non injuria.
*Th.* Sed heus tu, purgon' ego me de istac Thaidi,
Quod eam me amare suspicata 'st. *G.* nil minus.
Immo auge [y]) magis suspicionem. *Th.* cur? *G.* rogas?
Scin', si quando illa mentionem Phaedriae
Facit, aut si laudat, te ut male urat? *Th.* sentio.
*G.* Id ut ne fiat, haec res sola 'st remedio.
Ubi nominabit Phaedriam, tu Pamphilam

u) Id. *condimentum.* x) Id. *esse dictum.* ,,Verb. rei peraccommodatum; unde apta mora in pronunciando *emo-ri-ri.*" We. Sic it. Plaut. Ps. IV, 7, 121. y) V. I. *augebis.*

38. *Tuumne hoc dict.*! Nota *dictum* nominis loco esse propt. *Tuum.* Da. vert. ,,ce mot-là; q. d. alias, bon mot.

39. *fert. in prim.* Subaudi, in omnium ore, ut elegans et venustum. Sueton. Caes. 20.

40. *Dolet.* Commatis signum cum We. posui post *Dolet*, ut sensus sit, *Dolet* mihi. Ad II, 4, 8. *imprud. Imprudens* h. l. culpa caret, ut in Andr. II, 4, 8. *libero*, ,,pro eo qui est liberae linguae." We. Sed equid. magis Donato assentior dicenti: ,,Addidit parasitus, quo gravius sit Thrasonis dictum, commiserationem ejus in quem dictum est." Est igitur *libero* potius accipiend. pro ingenuo homine, qui facilius laedatur quam servus.

41. *te*, Gnathonem. *quid ille.* Quando opus sit, subaudi, dixit; quemadmod. ad *perditus*, est. Sed non semper, ut opinor, opus erit, quotidianum sermonem in minutissimas ejus partes dissolvere, aut explanare.

42. *risu emori.* Phrasis hyperbolica. Itid. Graecorum e. c. Plutarch. γέλω ἔκθανον; et Homer. Odyss. Σ. 99.

44. *de istac* sc. Pamphila; cf. infra 2, 4.

45. *Quod eam etc.* Unde haec, scire velim Thrasoni suspicio? An forte comperisse intelligendus Thraso, quod Thais supra dixerat, I, 2, 62. 63.? Necesse est enim, putare verisimilia esse, quaecunq. poeta connectat. *eum me amare.* Ambiguitas. Cuiusmodi est sors Delphis data his: ,,Ajo *te Aeacida Romanos* vincere posse;" Am. Marcellin. XXIII, 5.

48. *male.* Similiter adjectum hoc, quod abundare videtur, Ad. IV, 1, 7.

49. *haec res.* Quod nunc parasitus subministrat consilium, id infra miles exsecutus est, IV, 1, 10.

50. *Ubi nominabit etc.* Sex integros hosce versus citat Cicero, Epp. ad Fam. I, 9., ubi eos ad rem suam illustrandam ac-

Continuo; si quando illa dicet, Phaedriam
Intromittamus commissatum [z]), tu, Pamphilam
Cantatum provocemus. si laudabit haec
Illius formam, tu huius contra. denique
Par [a]) pari referto, quod eam mordeat.
*Th.* Siquidem me amaret, tum istuc prodesset, Gnatho.
*G.* Quando illud, quod tu das, exspectat atque amat,
Jam dudum te amat; jam dudum illi facile fit,
Quod doleat: metuit semper, quem ipsa nunc capit
Fructum, ne quando iratus tu alio conferas.
*Th.* Bene dixti: ac mihi istuc non in mentem venerat.
*G.* Ridiculum; non enim cogitaras: ceterum

z) Sic l. Bemb. per duo m et s; ubi in marg. adscript. *Commissatio est proprie convivium meretricum et adulescentulorum.* Fa. et l. Vatic. *commisatum.* Al. script. *comiss.* per unum m, a gr. verbo *κωμάζειν.* a) Fa. add. *pro* ex antiq. libb. Al. omitt. Varie itid. leg. loc. Cic. Fam. 1, 9. citatus.

acommodat. Contra Alciphr. Ep. II, 4, 8. *ὡς φοβούμενος αὐτὴν ἐπαινεῖν*; ubi Bergler nostrum locum commemorat ex dissimili quidem respectu notatum.

52. 53. *Intromitt.* Recte; quia foris est; sed *provocemus*, sc. eam quae intus moratur. *Intromitt.* Cf. I, 2, 3. *commissat.* Constat *commissationem* fuisse compotationem et amatoriam lasciviam et saltationem, quae post scenam fieret in multam noctem. Est enim *Κῶμος* saltus, et Deus nocturnor. tripudiorum praeses. Cic. in Catil. II, 5. *Cantat. provoc.* Cf. I, 2, 53. Scilicet ut cantaret ea inter coenandum. Commemorat enim Plutarchus de Mus. *Συνέβαινε γὰρ εἰσάγεσθαι μουσικὴν* etc. Factum enim est, ut musica induceretur in convivia, utpote quae valeret ad reprimendam et leniend. vini vim subcalidam etc. *Provocemus.* „E gynaeceo scilicet.“ We.

54. *Illius.* Par. in marg. „Phaedriae.“

55. *par pari ref.* Est paroemia Graecor. *ἴσον ἴσῳ ἐπιφέρειν*; qua monemur, ut tales simus in alios, quales illos in nos experimur. v. Erasm. *mord.* Itid. Aristoph. N. 37. *Δάκνει με δήμαρχός τις.* Et Hor. Ep. I, 16, 38.

56. *Siquid. me amaret, tum etc.* Sic dubitare ac reputare secum veluti sapiens videtur. Cf. supra v. 9. not.

57. *Quando illud etc.* Propt. amatum munus persuadet militi ipsum quoque amari a Thaide *jamdud. illi etc.* Ordina: *jamd. facile fit, quod illi doleat.* Nempe consilium spectatur inde a v. 50. datum militi.

60. *iratus.* Par. subaud. „Phaedriae.“ *alio confer.* Itid. Heaut. II, 4, 19.

61. *Bene dixisti*; cf. supra II, 3, 84.

62. *Ridicul.* Signific. *Ridiculum* i. q. ludibrio esse alicui. Infra V, 6, 3. *non enim cogitar.* Etiam hoc stultum hominem satis ostendit. Nam Cicero ait: „Non est sapientis dicere: *non cogitaram.*“

Idem hoc tute melius [b]) quanto invenisses, Thraso.

b) V. I. *quam ego.*

63. *Id. hoc tute melius etc.* Itid. Ph. II, 3, 79. *mel. quanto.* Inverte, *quanto melius.* Omnino autem cadunt in Gnathonem, quae Plutarchus praedicat de parasitis. *Οἱ δὲ κόλακες*, inquit, *τοὺς βασιλεῖς κ. πλουσιοὺς κ. ἄρχοντας, οὐκ ὀλβίους μόνον κ. μακαρίους, ἀλλα κ. φρονήσει καὶ τέχνῃ κ. ἀρετῇ πάσῃ πρωτεύοντας ἀναγορεύουσιν.*

---

# ACTUS III. SCENA 2.

## THAIS. THRASO. PARMENO. GNATHO. PYTHIAS.

*Th.* Audire vocem visa sum modo militis [a]).
Atque eccum. salve, mi Thraso. *Thr.* o Thais mea!
Meum suavium! quid agitur? ecquid nos amas
De fidicina istac? *Pa.* (*spectatorib. adversus cum risu*) quam venuste! quod dedit
Principium adveniens! *Th.* plurimum merito tuo.

a) C. G. m. add. *Pythias.* Quod exaratum videtur manu posteriore. Sup. script. *o mea ancilla.*

* ,,Hic inducitur multiplex concursus dissimilium personarum, et tamen virtute et consilio Poetae discretarum, ut confusio nulla sit facta sermonis: simul etiam pro se cuique accommodata mire repraesentatur oratio.'' Do.

*Pythias.* Hor. A. P. v. 238. Hoc nomen ancillae etiam aliis Comicis usurpatum.

1. *Aud. voc. visa sum etc.* ,,Omnes sensus *visa* dicuntur, ab eo quod est certissimum oculorum. Ergo *visa sum*, sensi.'' Do.

2. *mi Thraso.* ,,Dicit *mi Thraso*, quasi nomen *militis* apud illum non honestum sit.'' Do. Infra IV, 7, 36.

3. *suavium*, gr. *γλυκέριον.*

4. *De fidicina*; cf. I, 44. et I, 2, 52. 53. *quod ded. Princip.* Scilicet munere suo tam inficete commemorato.

5. *plurim. merito tuo.* ,,Facete meretrix amorem suum non ad avaritiam retulit, sed ad officium.'' Do.

*G.* Eamus ergo ad coenam. (*ad Thrason.*) quid stas? *Pa.* (*secum*) hem, alterum;
Abdomini [b]) hunc [c]) natum dicas. *Thr.* ubi vis, non moror.
*Pa.* Adibo, atque adsimulabo, quasi nunc exeam.
Ituran', Thais, quopiam es [d])? *Th.* (*perturbata paulum*) ehem, Parmeno,
Bene fecisti: hodie itura [e]). *Pa.* quo? *Th.* (*voce submissa*) quid? hunc non vides?
*Pa.* (*submisse*) Video, et me taedet. (*clara voce*) ubi vis, dona adsunt tibi
A Phaedria. *Thr.* quid stamus? cur non imus hinc?
*Pa.* Quaeso hercle ut liceat, pace quod fiat tua,
Dare huic quae volumus, convenire et conloqui.
*Thr.* Perpulchra credo dona, haud [f]) nostris similia.
*Pa.* Res indicabit. (*conservis acclamat domi suae*) heus jubete istos foras

b) Sic Be., ut solet, ingeniose. Vulg. *Ex homine.* Schmied. *nomine.* c) V. l. *Thrasonem.* d) Al. *est* mendose. e) V. l. *sum.* f) Sic l. antiq. Al. *aut* ironice. Notandum est, antiquitatem h litera carere. Heaut. III, 2, 33.

6. *Eamus ergo ad coen.* Cf. supra II, 2, 28, nota. Ad. III, 3, 74.

7. *Abd. h. nat.* Quia inconditus et insulsus uterque. Apprime respondet huic Terentii loco eique Angli ingenio et arte restituto illud Ciceronis, Orat. in Pis. 14. „Num ille gurges atque helluo, *natus abdomini* suo etc.“ Huic addo Jambicos Plutarchi, *Περὶ κολακ.* XV, 93. *Γαςὴρ ὅλον τὸ σῶμα, πανταχῇ βλέπων Ὀφθαλμος, ἕρπον τοῖς ὀδοῦσι θηρίον.*

8. *quasi n. exeam.* „Mire, qui jam dudum procul steterit.“ Do.

9. *Iturane Th. quop. es?* „Ut experiatur Thaidis animum, fingit nescire quo eat.“ Do.

10. *Bene fecisti*; cf. sup. I, 2, 106. Capit sensum We. ita: „Ipsa enim exitura, et jam in procinctu stans, ubi videt Parmenonem, *Bene fecisti*, inquit, adveniendo scilicet, si vis me conventam etc.“ *hunc.* Pronomine solo utitur *hunc*, non nomen dicit Thrasonis; quasi ostensura militem certe sibi non esse Phaedria cariorem.

11. *ubi vis, dona etc.* Scilicet audierat Parmeno Thrasonem dicere, *ubi vis, non moror etc.* v. 7. *dona ads.* Cf. Propert. I, 1. „Tantum in amore preces et benefacta valent.“

12. *quid stam.* *Stare* dicitur, qui cunctatur nesciens quid faciat. Andr. V, 6, 15.

13. *pace q. fiat tua.* Eleganter ad militem, nil nisi caedem spirantem; simulq. formulae speciem habet. *pace tua*, s. venia tua, permissu.

14. *Dare huic*, Thaidi scilicet. *conv. et conloq.*, sc. eam.

16. *Res indicab.* Cf. IV, 3, 16. Proverb. est sciscitantib. eventum exspectandum designantis.

Exire, quos jussi [g]), ocius. procede tu huc.
(*ad Thaidem*) Ex Aethiopia est usque haec. *Thr.* hic [h])
sunt tres minae.
*G.* Vix. *Pa.* ubi tu es, Dore? accede huc. (*in conspectu Thaidis*) hem eunuchum tibi,
Quam liberali facie! quam aetate integra!
*Th.* Ita me Di ament, honestus est. *Pa.* quid tu ais, Gnatho?
Numquid habes, quod contemnas? quid tu autem, Thraso?
(*ad spectatores*) Tacent; satis laudant. (*ad Thaid. se convertit*) fac periculum in literis;
Fac in palaestra, in musicis [i]): quae liberum
Scire aequum est adolescentem, solertem dabo.
*Thr.* Ego illum eunuchum, si opus siet [l]), vel sobrius.

g) V. I. *ingredi jam dudum.* h) Id. *irridendo.* i) Id. *cantilenis.* l) Sic libb. Fa. In l. Bemb. *sit.*

17. *Exire quos etc.* Distinctionem We. sequor. Quoad sensum notamus, aedes Phaedriae in vicinia esse.

18. *usque.* „Emphasin habet in magno temporis vel loci spatio.“ We. Significatur autem: *Ex* ultima *Aethiopia.*

19. *Dore.* Hoc nomine appellat Chaeream, Eunuchi veste indutum, qui tanq. donum sit multo acceptius Aethiopica puella. De his duobus supra I, 2, 85.

20. *aet. integ.* Cf. Ovid. Met. V, 50, „bis adhuc octonis *integer* annis.

21. *quid tu etc.* „Hic exsultat Parmeno, quoniam pulcherrimum donum a meretrice jam probatum est.“ Eu.

22. *quid tu autem?* „Particula *autem* indignationi inservit in interrogationibus.“ Do.

23. *Tac. sat. laud.* Ita Cic. in Catil. I, 8. „Dum *tacent*, clamant.“ *pericul.*, experimentum, *in literis*, h. e. in artibus liberalib.

24. *palaestra.* Ph. III, 1, 20. „exercitatio umbratilis schola.“ Ernesti. *in music.* „Innuit canendi artem. Poetica enim ars *literis* continetur.“ We. *liberum.* Omnis vis est pronuntiandi in hac voce. Nam et servi nonnunq. artes liberales docebantur, quo carius venirent. Sic Hor. Ep. II, 2, 6. „Verna literulis Graecis imbutus.“

25. *solert. dabo,* „reb. ipsis ostendam eum peritissimum harum artium.“ Ru.

26. *Ego ill. eunuch.* „Turpissimae rei ἀποσιώπησις, praesente muliere. Nisi forte soli Gnathoni suo haec dicit, Thaide in sermonem Parmenonis intenta.“ We. Equid. accipio prius; cf. Heaut. V, 4, 18. seqq. ubi item Chremes reverentiam mulieris praesentis ostendit. *vel sobrius.* Adeo scilicet, ut ad libidinem accendend. non opus esset vino. Bacchus enim ad libidinem pronus, Ad. III, 4, 24.

*Pa.* (*ad Thaid. dicens de Thrasone*) Atque haec m) qui misit, non sibi soli postulat
Te vivere, et sua causa excludi ceteros;
Neque pugnas narrat, neque cicatrices suas
Ostentat, neque tibi obstat, quod quidam facit.
Verum ubi molestum non erit, ubi tu voles,
Ubi tempus tibi erit, sat habet, tum si recipitur.
*Thr.* Apparet servum hunc esse domini pauperis
Miserique. *G.* nam hercle nemo posset, sat scio,
Qui haberet, qui pararet alium, hunc perpeti.
*Pa.* (*ad Gnathonem*) Tace tu, quem ego esse infra infimos omnes puto
Homines: nam qui huic adsentari animum induxeris,
E flamma petere te cibum posse arbitror.
*Thr.* Jamne imus? *Th.* hos prius introducam, et quae volo,
Simul imperabo, postea n) continuo exeo o).
*Thr.* (*ad Gnathonem*) Ego hinc abeo. tu istanc opperire. *Pa.* haud convenit,
Una ire cum amica imperatorem in via.
*Thr.* Quid tibi ego multa dicam? domini similis p) es.

m) I. et V. *hic* pro *haec.* n) Sic l. antiq. In Bemb. *post.* o) V. I. *sequens te.* p) Be. *simia* fingit pro *similis.* Sed Plautina illa vox minime Terentio urbaniori convenit.

27. *non sibi soli etc.* Vera haec dicit; cf. supra I, 2.
28. *Te viv.* Cf. Andr. V, 3, 18.
29. *Neque pugnas etc.* His tangit, immo ferit militem gloriosum. Ovid. Am. III, 8, 19. „Cerne *cicatrices*, veteris vestigia *pugnae*."
30. *quidam*, per contemtum. Sic Plaut. Amph. I, 1, 165.
31. *ubi molest. non erit.* Modeste enim principium dat, non ferociter, non invenuste, ut Thraso. Supra v. 3. 4.
33. *App. serv. hunc etc.* Quoad sententiam cf. Heaut. V, 1, 7. not.
35. *qui*, quo vel unde. *pararet*, emeret. Sic. Cic. Attic. XII, 19.
36. *infra infimos.* Cum contemtu, quo nullus est major.
38. *E flamma petere etc.* In proverbium cessit pro: quidvis cibi causa pati ac facere. Itid. Catull. 57. „*ipso* rapere de rogo coenam." Notandus est mos veterum, epulas pro infernis in rogum conjicere; unde cibum petere, extremae mendicitatis et impudentiae habebatur. Qui parasitus hoc facit, Graec. dicitur βωμολόχος.
42. *Una ire cum amica etc.* „Vide παρασκευὴν futurae litis inter Thaid. et militem." Do. *ire cum amica in via.* Notum est, Graecum hominem ne uxorem quidem ducere in convivium decere, ne dicam meretricem; v. Nep. Praef. §. 6. *amica*, ἑταίρα; cf. Hor. Ep. I, 1, 20.

*G.* Ha ha he. *Thr.* quid rides? *G.* istud quod
dixti modo;
Et illud de Rhodio dictum in mentem cum [q]) venit.
Sed Thais exit. *Thr.* abi prae; cura [r]) ut sint domi
Parata. *G.* fiat. *Th.* diligenter, Pythias,
Fac cures, si forte huc Chremes [s]) advenerit,
Ut ores, primum ut redeat [t]); si id non commodum 'st,
Ut maneat [u]); si id non poterit, ad me adducito.
*Py.* Ita faciam. *Th.* quid? quid aliud volui dicere?
Ehem curate istam diligenter virginem:
Domi ut sitis [x]), facite. *Thr.* (*ad Thaid.*) eamus. *Th.*
(*ad pedissequas*) vos [y]) me sequimini.

q) Sic l. Bemb. Al. omitt. *cum*. r) Sic Be. pro *curre* vulg. Est autem *cura* Palmerii conectio egregia. s) Sic colloc. Be. ex duob. Codd. t) u) Sic invert. Be. vulgat. lectionem recte. Hic enim ordo patet e scena 3, vv. 27--31. ubi Pythias eod. ordine, quae a Thaide jussa fuerant, est exsecuta. Vulgo est, t) *maneat* u) *redeat*. x) Al. *adsitis*, omisso *ut*. y) V. I. *ad pedissequas loquitur.*

44. *Ha ha he.* Arridendo placet Thrasoni; secund. illud: *Sed eis ultro arrideo*; cf. II, 2, 19.

45. *Et illud de Rhodio*; cf. supra I, 30. *dictum.* Eod. modo quo supra 38, not. *illud in ment. venit.* Posuit *illud*, non illius; etsi alias et Terentius et Cicero aliique genitivo in hac phrasi promiscue utuntur. Si quis reddi se cupiat certiorem in hac re, eum ablego ad Liv. 8, 5. ad Cic. de Or. II, 61. ad Priscian. et Just. 16. ubi not. genitiv. pro nominativo usurpari antique.

46. *abi prae.* Ad. II, 1, 13. *cura ut sint etc.* Cf. Andr. I, 1, 3. „Non dixit quae; quia intelligitur." Do.

47. *fiat.* Do. discernit *fiat* ab *fiet*, ita dicens: „faciam vel *fiet* diceret servus; liber vero *fiat*, tanquam et ipse jubeat sibi."

48. *huc*, ad me, vel in domum meam.

49. *si id non etc.* Atticismus. Itid. supra v. 31.

51. *quid? quid aliud etc.* Sic Cic. Attic. I, 17.

52. *Vos me seq.* Facit ex more meretricum, quae in publicum prodeuntes habebant ancillas pedissequas. Hec. V, 2, 27.

# ACTUS III. SCENA 3.

## CHREMES. PYTHIAS.

*Ch.* Profecto quanto magis magisque cogito,
Nimirum dabit haec Thais mihi magnum malum:
Ita me video ab ea astute labefactarier.
Jam tum cum primum jussit me ad se arcessier.
Roget quis, quid tibi cum ea? ne noram quidem.
Ubi veni, causam, ut ibi manerem, repperit:
Ait, rem divinam fecisse, et rem seriam
Velle agere mecum. jam erat tum [a]) suspicio,
Dolo malo haec fieri omnia. ipsa accumbere
Mecum; mihi sese dare [b]); sermonem quaerere.
Ubi friget, huc evasit, quam pridem pater
Mi et mater mortui essent. dico, jam diu.
Rus Sunii ecquod habeam, et quam longe a mari?

a) Sic Be. colloc. per accentus, *jám erat túm*, pro *tum erat* vulgo. b) V. I. *dabat.*

„Chremetis persona ap. Menandr. adolescentis rustici est, et inconsequens oratio est. Sed conceditur secum loquentibus multa transcendere, quae taciti intelligunt etc.“ Do.

2. *dab. magn. mal.* Huic conf. Menand. *κακόν τι μοι μέγα δώσει.*

3. *labefact.*, quasi virum propositi sui tenacem.

5. *cum ea*, sc. rei vel negotii. Plenius infra IV, 7, 34. *ne nor. quid.* Non eam quidem Chremes noverat, sed ipsum Thais; cf. supra I, 2.

6. *manerem*, coenarem. Infra IV, 1, 8. *caus.*, praetextum.

7. *rem div. fecisse*, h. e. sacrificasse. Hec. I, 2, 109. *rem seriam*, vel magnam. Solebant autem antiqui *res serias* et magnas a sacrificiis fere auspicari.

8. *suspicio* sc. mihi.

9. *Dolo malo.* Signific.: „cum esset aliud simulatum, aliud actum.“ v. Cic. de Offic. III, 14. *Dolus gr.* *δόλος*, laesio.

11. *Ubi friget.* Subauditur, oratio, non Thais, ut quidam putant.

12. *Mi*, pro Mihi. Dativus incommodi.

13. *Sunii*; cf. supra I, 2, 35, not. *quam longe a mari.* Sic

Credo ei placere hoc, sperat se a me avellere.
Postremo, ecqua inde parva periisset soror;
Ecquis cum ea una; ecquid habuisset cum periit [c];
Ecquis eam posset noscere. haec cur quaeritet?
Nisi si illa forte, quae olim periit parvola,
[d] Eam sese [e] intendit esse, ut est audacia.
Verum ea si vivit, annos nata 'st sedecim,
Non major. Thais, quam ego sum, majuscula 'st.
Misit porro orare, ut venirem, serio.
Aut dicat quid [f] volt, aut molesta ne siet.
Non hercle veniam tertio. heus, heus! *Py.* ecquis hic [g]?
*Ch.* Ego sum Chremes. *Py.* o capitulum lepidissimum!
*Ch.* Dico ego mi insidias fieri. *Py.* Thais maxumo
Te orabat opere, ut cras redires. *Ch.* rus eo.

c) I. *quod habuiss. comperit.* d) Vulg. praemitt. *Soror;* quod delet Be. quasi e v. 15. otiose repetitum. e) Sic Be. ex Prisciano. Vulg. *hanc se.* f) Sic Be. pro *quod* vulg. Placet ob *dicat.* g) Libb. recentt. *quis hic est?* In l. antiq. *hic quid est?* Haec verba Fa. ac Be. Chremetis esse mire existimant.

interrogat Thais, ut ex ipso Chremete audiat, an vere rapta fuerit virgo a praedonib. Supra I, 2, 30.

14. *avellere* pro avulsuram. Itid. infra V, 3, 11.

15. *Postremo*; cf. Andr. I, 3, 6, not. *parva periiss.* Cf. I, 2, 75.

16. *Ecq. cum ea etc.* „Scilicet comes vel testis fuisset, raptam eam esse, nec alio modo periisse." Schmied. *ecq. hab.* Innuit haud dubie signa, de quib. v. supra I, 2, 32. et infra IV, 6, 15. Inde facile ad annulos respicitur aliave monumenta, a quibus posset cognosci puella.

18. *illa.* Par. subaud. Thais.

19. *intend.* sc. animo.

21. *majuscul.* Deminitiv. est ab nom. major, itidemq. in comparatione a Plinio usurpatur, H. N. XXVI, 6. „Folia sunt *majuscula* quam hederae."

23. *quid vult.* Usitatius esset, *quid* velit; sed Comico nostro magis in usu est indicativus modus. Quod scripturam attinet, *vult* et *volt*, utramq. constat vocalem reperiri, hanc tamen antiquiorem in nummis, ut Voltejus, polcher, colpa, pro Vultej., pulch., culpa.

26. *Dico ego.* „Chremes solemni formula rusticis hominib. utitur, *Dico, dico ego.*" Bi. Ceterum vide, quantum ab istius rusticitate distet comitas faceta Pythiae, *o capitul. lepidiss.* respondentis. *mihi insid. fieri.* „Blandimentum rusticus insidias putat." Do. Sed ego existimarim, non tam rusticitatem inde Chremetis videri, quam timorem ejus ob insidias meretricis; siquidem Menander judicat, mulieres esse periculosissimas maximeq. timendas, cum lepidissimae videantur ac suavissimae verbis. *Thais max. Te orabat etc.* Respiciunt haec ad superiora, 2, 47.

*Py.* Fac amabo. *Ch.* non possum, inquam. *Py.* at tu apud nos hic mane,
(*blandius ad eum accedens*) Dum redeat ipsa. *Ch.* nil minus. *Py.* cur, mi Chremes?
*Ch.* Malam in [h]) rem hinc ibis. *Py.* si istuc ita certum 'st tibi,
Amabo, ut illuc transeas, ubi illa 'st. *Ch.* eo.
*Py.* Abi, Dorias! (*Dorias muta adstiterat persona*) cito hunc deduc [i]) ad militem.

h) Do. *in* omittit. i) Al. *abduc.*

31. *trans.* sc. ad militem; cf. 2, 50. *transeas.* Quia huc est vicinitas domiciliorum.

32. *Abi.* Sic solent ad famulos. Andr. I, 1, et V, 6, 14. Eun. IV, 6, 15. Heaut. II, 3, 8. *hunc ded. ad milit.* Cf. Ph. IV, 5, 6.

---

# ACTUS III. SCENA 4.

## ANTIPHO.

Hĕri ălĭquŏt ădŏlēscēntŭlī cŏiimŭs īn Pīraeō [a]),
In hunc diem de symbolis essemus. Chaeream ei rei
Praefecimus: dati annuli: locus, tempus constitutum 'st.

a) Hunc versum a Rufino, ut supra, metro distinctum habemus.

„In hoc colloquio insinuatio personae ejus est, cui narraturus est Chaerea, quae a se post scenam facta sunt. Fit autem hoc populi causa, ut spectator auribus accipiat, quod subjicere oculis Poeta non potuit." Do.

*Antipho*, „adolescens, *ἀπὸ τοῦ ἀντὶ καὶ φάους*, lumen contra adferens." Mu.

2. *de symb. ess.* Ita Graeci, *ἀπὸ συμβολῆς δειπνεῖν.* „Del. Heraldus animadverss. in Salmas. observatt. ad jus Attic. et Rom. 6, 7. intelligit convivia, ad quae unusquisq. convivar. suam pertionem confert, quae est propria vocabuli notio." *essemus* s. ederemus. *Chaer. ei rei Praef.* Qui communi coenae *praeficiebatur* a reliquis, *symbolarum* collator dicitur Plaut. Curc. IV, 1, 13. Nam et praesens pecunia et annuli et quaecunq. arrhae loco dabantur ab iis, qui communi sumtu erant una coenaturi, symbolarum nomine veniunt.

3. *dati ann.* In sponsionib. olim *annuli dati*: v. Plin. H. N. 33, 1. Add. Kirchmann. de Annulis, cap. XVIII.

Praeteriit tempus; quo in loco dictum 'st, parati nihil est.
Homo ipse nusquam est; neque scio quid dicam, aut quid conjectem.
Nunc mi hoc negoti ceteri dedere, ut illum quaeram.
Idque adeo visam, si domi 'st. sed quisnam a Thaide exit?
Is [b]) est? an non est? ipsus est. quid hoc hominis? quid hoc ornati 'st [c])?
Quid illud mali 'st? nequeo satis mirari, neque conjicere.
Nisi [d]) quicquid est, procul hinc lubet prius quid sit sciscitari.

b) Pro *Is* C. I. *Ipse.* c) Sic aliquot Be. Codd. pro vulg. quod est, *ornatu 'st.* d) Par. in marg. „*Nisi* ponitur pro Sed."

5. *Homo ipse.* Chaerea scilicet, quem praefecerant coenae apparandae.

7. *visam, si dom. est.* Sic Ph. V, 7, 6. *si* pro an, gr. *εἰ.*

8. *quid hoc hominis?* Cf. infra V, 1, 17. Valet idem quod infra IV, 4, 29. *monstrum hominis.* Nam a veste eunuchi h. l. abhorretur.

9. *Quid ill. mali est?* „Quod timidus egreditur." Do.

10. *procul.* Dicitur *procul* etiam de breviore spatio; cf. Hec. IV, 3, 1. Haec hactenus solus Antipho, quibus non quasi sibimetipsi opus esset enarratis, sed ut, quod in comoediis fieri solet, auditores vel spectatores, quae gesta sint aut gerantur, perciperent.

---

# ACTUS III. SCENA 5.

## CHAEREA. ANTIPHO.

*Ch.* Numquis hic est? nemo est. numquis hinc me sequitur? nemo homo 'st.

„Haec scena allocutionem tenet exsultantis et laetantis, quam brevi tempore amoris voluptatem compleverit." Eu.

*Chaerea,* „a *χαίρων*, laetus, gaudens, quasi dicas Gaudentius." Far.

1. *Numq. hic etc.* Haec verba sunt Chaereae ex aedib. Thaidis paulo progressi et respicientis cum trepidatione.

Jamne rumpere hoc licet mihi gaudium [a])? pro Jupiter!
Nunc est profecto, interfici cum perpeti me possum,
Ne hoc gaudium contaminet vitae aegritudine aliqua.
Sed neminemne curiosum intervenire nunc mihi [b])?
Qui me sequatur, quoquo eam; rogitando obtundat, enicet:
Quid gestiam, aut quid laetus sim, quo pergam, unde emergam, ubi siem
Vestitum hunc nactus, quid mihi quaeram, sanus sim anne insaniam.
*A.* (*secum*) Adibo, atque ab eo gratiam hanc, quam video velle, inibo.
Chaerea, quid est? quod sic gestis? quid sibi hic vestitus quaerit?
Quid est, quod laetus sis? quid tibi vis? satin' sanus? quid me adspectas?
Quid taces? *Ch.* o festus dies hominis [c])! amice, salve.

a) Be. omitt. *gaudium*, quod id. esse ait ex versu 4. repetitum. Sed nescio cur tantopere ille habeat repetitiones suspectas. b) C. G. in. *video*. Nisi forte glossa confunditur et textus. c) Gu. expunx. τὸ *hominis* secund. Eu.

2. *rump. gaud.* Cic. Catil. I, 5. „*erumpunt* omnia." Nonius Marcellus docet, *rumpere* esse, retentum proferre, et diu tacita dicere.

3. *Nunc.* Scilicet cum ego fastigium voluptatis contigerim. *cum* h. l. tempori adhibetur; uti Do. exponit: *Nunc est profecto* tempus, *cum perp. me poss. interf.* Huc refer. Valer. Max. II, 6. „Nota, inquit, insaniam veterum. Ut *gaudia* sua continuarent, morte illa terminarunt."

4. *Ne hoc gaudium etc.* Sensus: *Nunc* eo usque perveni, ut *interfici me perpeti* mallem, quam *gaud. hoc aegritudine vitae aliqua contaminari.* En vero similis exsultatio Pamphili adolescentis in Andr. V, 5. Add. Liv. VII, 54. „Cet. *hoc gaudium* magna prope clade *foedatum* est." Ibid. I, 58. *gaudium* sc. venereum. Haud aliter hoc loco.

5. *curiosum.* Plaut. Stich. I, 3, 44. „*curiosi* sunt, Alienas res qui curant studio maximo."

7. *quid gest.* „*Gestire* est gestib. et motu corporis magnum desiderium animi declarare." We. Supra I, 12.

*unde emerg.* Spectari hic We. putat ad lupanaria subterranea; *unde* proprie se *emergebant* amatores; Andr. III, 3, 30.

9. *Adibo*, vox scenica prodituri; supra 2, 8. Andr. II, 1, 15. *ab eo grat. inibo*, pro, ejus gratiam merebor. „Nam, *ab eo*, amat Terentius pro, ejus, ponere." Do. Itid. Nep. Alcibiad. 9, 6. „magnam se *ab eo initurum gratiam* videbat." ubi Paufler.

10. *quod*, propter *quod*. Ellipsis.

11. *satin' san.* sc. es.

12. *o fest. dies hom.* Vix ferendum est, *fest. dies hominis*

Nemo 'st hominum [d]), quem ego nunc magis videre cuperem, quam te.
*A.* Narra istuc, quaeso, quid sit. *Ch.* immo ego te obsecro, hercle ut audias.
Nostin' hanc, quam amat frater? *A.* novi: nempe opinor, Thaidem.
*Ch.* Istam ipsam. — *A.* sic commemineram. *Ch.* hodie quaedam est ei dono data
Virgo. quid ego ejus tibi nunc faciem praedicem aut laudem, Antipho,
Cum me ipsum noris, quam elegans formarum spectator siem?
In hac [e]) commotus sum. *A.* ain' tu? *Ch.* primam dices, scio, si videris.
Quid multa verba? amare coepi. forte fortuna domi
Erat quidam eunuchus, quem mercatus frater fuerat Thaidi;
Neque is deductus etiam tum ad eam. submonuit me Parmeno
Ibi servus, quod ego arripui. *A.* quid id est? *Ch.* tacitus [f]) citius audies:
Ut vestem cum illo mutem, et pro illo jubeam me illoc [g]) ducier.

d) Codd. Bc. *omnium* pro *hominum.* Infra IV, 6, 19. e) Vulg. *In hanc.* Sed rejicit hanc lection. Westerhovius dicens, verba amorem significantia solere ablativo fere jungi cum praepositione. Probat ex Ovidii exemplis. f) Varie leg. *tace tu. tacitus sit. tace sis.* g) Al. *illuc.* G. Fabric. ex Pal. *illo.*

nisi forte secund. Do. est per hypallag. pro „homo festi diei." Cuiusmodi Graecis certe homines καλήμεροι vocantur. Da. vertit pro more gentis suae obiter: „bon jour."

13. *Nemo est hom. etc.* Cf. Andr. V, 5, 6.

16. *Sic commemin.* Sic sperabam hod. quaed. etc. Supra 2, 11.

17. *quid ego ejus tibi.* Observand. est, quam proxime pronomina sibi invicem jungantur. Itid. Ad. V, 8, 33. *praedic.* laudem.

18. *eleg. spectat.* „qui sit cunctantis et fastidiosi judicii: cui non quid placet facile." Do. Heaut. V, 5, 19.

19. *In hac com. s.* Itid. Graecor. ἐν ταύτῃ συνεκινήθην. *prim.*, primariam, pulcherrimam. Infra V, 9, 51.

22. *submonuit me*, dedit mihi consilium. Cetera recordamur ex superiorib. II, 3.

23. *arripui*, h. e. non amisi, se davide amplexus sum. Auson. I. „hanc (occasionem) si videris, prende."

*A.* Pro eunuchon'? *Ch.* sic est. *A.* quid ut [h]) ex ea re tandem caperes commodi?
*Ch.* Rogas? viderem, audirem, essem una, quacum cupiebam, Antipho.
Num parva causa, aut prava [i]) ratio 'st? traditus sum mulieri.
Illa ilico ubi me accepit, laeta vero ad se abducit domum,
Commendat virginem. *A.* cui? tibine? *Ch.* mihi. *A.* satis tuto tamen?
*Ch.* Edicit, ne vir quisquam ad eam adeat, et mi ne abscedam, imperat,
In interiore parte ut maneam solus cum sola. adnuo
Terram intuens modeste. *A.* miser. *Ch.* ego, inquit, ad coenam hinc eo.
Abducit secum ancillas; paucae, quae circum illam essent, manent
Novitiae puellae. continuo haec [l]) adornant, ut lavet [m]).
Adhortor [n]) properent. dum apparatur [o]), virgo in conclavi sedet

h) Abest *ut* a novem Be. codd. Ap. We. sedem habet haec particula post *tandem.* i) Sic Palmer. olim pro *parva.* l) Mss. Pall. 1. 2. *hae.* 3. *haec.* m) Par. mss. *lavent.* n) C. G. m. *ut.* o) V. I. *balneum.*

25. *ut* pro, quod. Sic Plin. H. N. XVIII. „neq. est, *ut* putemus."

26. *vid.* Repete *ut*, nempe ut *viderem etc.*

27. *Num parva causa, aut etc.* „Sic illata interrogatio est, quasi ad hanc annuere, et vultu consentire Antipho sit coactus." Do. Infra V, 2, 30.

29. *Commend.* Comice; cum ead. Thais, quae nunc *commendat*, paulo post ancillam de eo, quod *ovem lupo commiserit*, valde increpat. Infra V, 1, 16.

31. *In inter. parte.* Hanc *partem* domus. Nepos vocat „gynaeconitidem," ubi Graecor. more mulieres vivebant. v. Praef. Et cf. Liv. I, 57. „Lucretiam *in medio aedium* sedentem inveniunt." Addo Vitruv. IV, 7. „cubicula etiam et cellae familiaricae constituuntur. *Haec pars aedificii* gynaeconitis appellatur." Vid. Schneid. commentar.

32. *Terr. int. modeste*; cf. Cic. in Catil. III, 5. de conjuratis: „sic *terram intuebantur.*" *miser*, ironice.

34. *Novitiae.* „Eaed. *novitiae* puellae, ita ut et morem propt. novitatem nesciant, et propt. aetatem nihil valeant suspicari." Eu. *lavet*, absolute. Sic Liv. 44, 6. „*Lavanti* regi." Infra v. 44.

35. *in conclavi.* Festo conclavia dicuntur loca, quae una clave clauduntur. *sedet.* Nep. Praef. „neq. *sedet* (materfamilias) nisi in inter. parte aedium." Omnino autem verb. *sedere* notat otiosum esse; cf. Ad. IV, 5, 58. Cic. Fam. 16, 7.

Suspectans tabulam quandam pictam, ubi inerat pictura haec, Jovem
Quo pacto Danaae misisse ajunt quondam in gremium imbrem aureum.
Egomet quoque id spectare coepi; et quia consimilem luserat
Jam olim ille ludum, impendio magis animus gaudebat mihi,
Deum sese in hominem convertisse, atque in [p]) alienas tegulas
Venisse clanculum per impluvium, fucum factum mulieri.
At quem Deum! qui templa coeli summa sonitu concutit.
Ego homuncio hoc non fecerim? ego illud vero ita feci ac lubens.

p) Sic l. Bemb. Al. *per.*

36. *Suspect.* Erat igitur altius suspensa *tabula picta.* Par. not. „In gynaeceis tabulas pict. habebant."

37. *Quo pacto.* Interpretatur Lactantius Instit. div. 1, 11. his verbis: „Danaen violaturus Jupiter aureos nummos largiter in sinum ejus infudit." *Dan. misisse.* Hanc fabulam plures poetae more suo quisque narrarunt. Apollod. II, 4, 1. Hor. Od. III, 16. Sophocl. Antig.

38. *luserat*; cf. supra II, 3, 82, not. Sed *ludere ludum* per archaism. dicit, ut Ad. V, 4, 5. *vivere vitam.*

39. *imp. mag. animus etc.* Contra Cic. Attic. X, 4. „At ille *impendio* nunc *magis* odit senatum." *impend. mag.* pro multo *magis.*

40. *Deum sese in hom. conv. etc.* Nota id pictum in tabula, non uti Deus forma humana, sed aureus imber conspiceretur. Inde Chaerea est, non quid viderit, sed quid crediderit, narraturus. Atque hoc ipsum pertinet ad *literas* eunuchi, supra 2, 23. commemoratas.

41. *impluv.* Est *impluvium*, Festo auctore, quo aqua impluit, collecta e tecto. *fuc. fact. Fucus* adulterinus color est, quo maxime mulieres annos solent celare. Unde pro fraude accipitur et dolo. Cic. Lael. §. 95. *factum.* Participium esse opinor, non, ut Do., supinum.

42. *At quem Deum!* Similit. Cicero Div. IX, 20. exclamando: „At quem virum!" *templa coeli* poetice pro coelum. Significat autem *templum* regionem coeli, quam auspicio capturi augures non manu, sed lituo definiebant et notabant secundum quatuor cardines mundi. Haec est antiqua significatio, Liv. I, 6. inde Tacit. Germ. XL, 6. *sonitu concut.* Ovid. Met. II, 849. „qui nutu *concutit* orbem."

43. *homuncio.* Homo ab humo; inde homulus. Sic Cic. Pis. 25. „ex argilla et luto fictus Epicureus." Hac itaque Chaerea usus est voce homuncionis, ut vilitatem hominis majestati Jovis summi e regione opponeret. *ita.* Refert. ad sequentia.

Dum haec mecum reputo, arcessitur lavatum interea virgo:
It, lavit, redit; deinde eam in lectum [q]) illae collocant.
Sto exspectans, si quid mihi imperent. venit una [r]), heus tu, inquit, Dore,
(*cum gestu pronuntiat*) Cape hoc flabellum, et ventulum huic sic facito, dum lavamur;
Ubi nos laverimus, si voles, lavato. accipio tristis.
*A.* Tum equidem istuc os tuum impudens videre nimium vellem,
Qui esset status, flabellulum tenere te asinum tantum.
*Ch.* Vix elocuta'st hoc, foras simul omnes proruunt se;
Abeunt lavatum; perstrepunt, ita ut fit, domini ubi absunt.
Interea somnus virginem opprimit; ego limis specto [s])
Sic per flabellum clanculum. simul alia circumspecto,

q) Do. *lecto.* r) V. I. *illarum.* s) C. G. m. in marg. *aspecto*

44. *arcess. lav.* Alluditur ad morem Graecorum, quo ante nuptias sponsus pariter ac sponsa solemni ritu corpus suum lavarent; cf. Aeschyl. Prometh. v. 556. ed. Schüz. Poeta nimirum de virgine quasi de nuptura dicit, quae mox Chaereae nupsit.

45. *deinde eam in lectum colloc.* Etiam verb *collocant* proprium est, et adscribitur pronubis. Catull. Carm. 59, 186. Accedit, quod veteres requiescebant, ubi laverant.

46. *si*, pro an. Curt. VIII, 12. „*si* regnare vellet, an etc."

47. Ad hunc vers. omnino notand. est, servos adstare solitos, qui ventulum facerent refrigerandi causa et muscas culicesq. abigerent; vid. Casaub. ad Sueton. Aug. 82. *Cape hoc*; cf. Liv. I, 36. Sic rex ad augurem: „*cape* haec." *flabell.* G. Fabricius monet, *flabella* fuisse, quib. sibi mulieres ventulum facerent aestate maxime in publicum euntes.

49. *os tuum impudic.*, h. e. faciem tuam impudentem; vid. Cic. ad Fam. V, 12.

50. *Qui ess. stat.* Cf. supra II, 2, 40, not. *flabellul.* Bene *flabellulum* deminutivum, ex opposito, *tantum asinum.*

53. *limis.* Si nominativus casus singularis num. est, significat transversus; si septimus pluralis, deest, oculis. Videatur Fischer. ad Anacreont. Od. 61, 2. huc referens λοξὸν ὄμμασι βλέπειν, limis spectare oculis. Add. Pers. Sat. I, 18. „patranti ocello;" ubi Lubin. Nec omittend. Alciphr. Ep. I, 28, 10. ταχερὸν βλέπεις βλέμμα; ubi plurib. vid. Bergler.

54. *Sic per flab. clanc.* „Sic δεικτικὸν est, et necessario additum. Nam et *limis* et per *flabell.* sine demonstratione parum intelligitur." Do.

Satine explorata sint. video esse [t]). pessulum ostio obdo.
*A.* Quid tum? *Ch.* quid tum? quid, fatue? *A.* fateor. *Ch.* an ego occasionem
Mi ostentam [u]), tantam, tam brevem, tam optatam, tam insperatam
Amitterem? tum pol ego is essem vero, qui adsimulabar.
*A.* Sane hercle ut dicis. sed interim de symbolis quid actum 'st?
*Ch.* Paratum 'st. *A.* frugi es: ubi? domin'? *Ch.* immo apud libertum Discum.
*A.* Perlonge 'st. *Ch.* sed tanto ocius properemus. muta vestem.
*Ch.* Ubi mutem? perii! nam exulo domo nunc; metuo fratrem,
Ne intus sit; porro autem, pater ne rure redierit jam.
*A.* Eamus ad me: ibi proximum est, ubi mutes. *Ch.* recte dicis.
Eamus; et de istac simul quo pacto porro possim
Potiri, consilium volo capere una tecum. *A.* fiat.

t) V. I. *omnia tuta.* u) Sic Fa. ex Do. At Servius citat *ostentatam.*

55. *Satine explorata etc.* Ita Sextus Lucretiam violaturus, Liv. I, 58. „postq. sat. tuta circa sopitique etc.“ *pessul. ost. obdo.* Cf. Heaut. II, 3, 37.

56. *Quid tum?* Praeterit Cherea, quod reliquum est, silentio modesto. *fatue, fateor*, lusus verborum non temere.

58. *is ess. qui adsim*, h. e. eunuchus.

59. *Sane hercle.* Sub. ita est. *sed interim de symb.* Redit ad rem.

60. *frugi es.* Formula est, qua servi proprie laudabantur, q. d. bonus es. Infra IV, 7, 46. Sanctio autem *frugi* genitivus videtur esse a frux. „Antiqui dicebant bonae frugis, postea bonae *frugi*, deinde *frugi* tantum.“ v. Min. II, 4, 4.

62. *metuo fratrem, ne etc.* Pro, metuo ne frater etc. Andr. III, 2, 23.

65. *de istac* pro, quod attinet istanc.

66. *Potiri*, sc. ea, Pamphila.

# ACTUS IV. SCENA 1.

## DORIAS.

Ita me Dii [a]) ament, quantum ego illum vidi, non nil timéo misera,
Ne quam ille hodie insanus turbam faciat, aut vim Thaidi.
Nam postquam iste advenit Chremes adolescens, frater virginis,
Militem rogat [b]), ut illum admitti jubeat. ille continuo irasci,
Neque negare audere. Thais porro instare, ut hominem invitet.
Id faciebat retinendi illius causa: quia illa quae cupiebat
De sorore ejus indicare, ad eam rem tempus non erat [c]).
Invitat tristis; mansit. ibi illa cum illo sermonem occipit [d]).

a) Al. *bene.* Abest a Bemb. I. aliisq. Nec metrum exigit. b) V. I. *Thais.* c) Ms. Pal. 3. *aptum.* d) Al. *incip.* sed *occip.* Nostro verb. familiare.

„Dorias Chremem duxerat ad militem; cf. III, 3 fin. Inducitur ea persona, quae dum narret gesta in convivio militis, terribilem credat militem, ut eo magis experiendo vanus et ridiculus existat.“ Do.

1. *Ita me Di am.* Formula jurandi; vid. Graev. ad Cic. Fam. 10, 9. *illum vidi.* Do. not.: „*illum* et *ille* ita offertur, ut omnib. insuavis miles esse noscatur.“

3. *Nam postquam etc.* Incipit narrationem rerum post scenam gestarum, unde facilius cognoscere liceat, quae in scena ipsa agantur.

5. *Neq. neg. audere*, pro audebat; vid. Index. *instare, ut* etc. Hoc modo Liv. II, 4. „*instando ut* literae darentur.“

6. *retin. illius causa.* Scilicet ne, quem cupiebat, rus abiret; cf. III, 2, fin. et 3, 27.

8. *Invit. trist.* ad coenam sc. Recte autem *tristis*, ut qui irascitur, v. 4. *mans.* sc. Chremes. *ibi.* Signific. aut tum, aut eo loco.

Miles vero sibi putare adductum ante oculos aemulum,
Voluit facere contra huic [e]) aegre: heus, inquit, puer! Pamphilam
Arcesse, ut delectet hic nos. illa exclamat: minime gentium;
In convivium illam? miles tendere [f]) inde ad jurgium.
Interea aurum [g]) sibi clam mulier demit, dat mihi ut auferam.
Hoc est signi [h]), ubi primum poterit, se illinc subducet, scio.

e) V. I. *Thaidi.* f) C. G. m. sup. script. *contendit ut adduceretur.* Si quis est, qui hac nitatur explicatione, ille post *tendere* distinguere debebit; id quod faciunt non pauci. Sed praestat conjungere. g) V. I. *inaures.* h) Ms. We. *signum.*

9. *putare*, putabat. Junge *putare* cum *vero.*

10. *facere aegre*; cf. Plaut. Cas. III, 4, 17. „Quin aliquid *aegre facere*, quin faciam lubens." *fac. huic aegre*; cf. inf. V, 5, 51. Thraso nimirum affligere vult Thaidem hac re, de qua supra III, 1, 50. seqq. *contra*, e contrario, vicissim. *heus, inq. p.* Andr. I, 1, 57. Est enim *puer*, uti Graecor. παῖς, servus, famulus. *Pamph. Arcesse.* Scilicet memor est praecepti Gnathonis, quod est supra III, 1, 50. seqq.

11. *delect.*, saltando videlicet et cantando.

12. *In conviv. ill.* sc. arcessas? Hoc vero non decebat 'virginem. Nam virgo de convivio abdicatur, ideo quod majores nostri, ut scripsit Varro, virginis acerbae aures Veneris vocabulis imbui noluerunt." Supra III, 5, 44, not. *tend.* Cf. Hor. Ep. I, 19, 16. „*tendit* disertus haberi." *inde*, ab altercatione.

13. *aurum.* Etsi lege cautum erat Athenis, ne qua meretrix vel aurea corona vel aurata veste, vel auro ipso uteretur; tamen hanc legem violatam tot meretricum exempla docent. Leges autem sumtuariae commemorantur apud Athenaeum atque Plutarchum.

14. *se illinc subduc.* Cf. IV, 7, 25. Itid. Nep. Alcibiad. 4. „clam *se* a custodib. *subduxit.*"

## ACTUS IV. SCENA 2.

### PHAEDRIA.

Dum rus eo, coepi egomet mecum inter vias,
Ita ut fit, ubi quid in animo est molestiae [a]),
Aliam rem ex alia cogitare, et ea omnia in
Pejorem partem [b]); quid opu 'st verbis? dum haec puto,
Praeterii imprudens villam. longe jam abieram,
Cum sensi. redeo rursum, male vero me habens.
Ubi ad ipsum venio deverticulum [c]), constiti;
Occepi mecum cogitare, hem, biduum hic
Manendum 'st soli sine illa? quid tum postea?

a) Par. ed. ex lib. Stanaei, *ubi quid animum est molestiae.* b) V. I. *vertere*; quae ipsa lectio est mspti Pal. 3. c) Sic Fa. ex antiquiss. l. Al. *divertic.*

,,Hic nunc causa narratur, cur statim in urbem redeat Phaedria, qui discesserat abfuturus biduum, ad tollendum jurgium militum, et importune redit.'' Do. Praeterea continet haec scena τὸ πάθος amoris.

1. *Dum rus eo*; cf. supra I, 2, 107. *int. vias*, h. e. *inter* eundum. Sic Cic. Attic. IV, 3. ,,*inter viam.*''

3. *Aliam rem ex al. cog.* Similit. Liv. 7, 39. ,,*alias ex aliis* nectendo moras.'' *in Pej. part.* Sic fere id. Cic. Fam. 7, 24. ,,Habes Sardos venales alium alio nequiorem.'' Sed h. l. refert. ad cogitationes. *puto*, considero, cogito. Sic Virg. A. VI, 332. ,,multa *putans.*''

5. *vill. Villa* Varroni est quasi vehilla, quod in eam fructus vehebantur; v. de R. R. I, 2. Sed Plin. lib. 19. testatur, in XII tabb. legg. nusq. nominari *villam*, cuius in significatione esse hortum. It. Plautus nullibi voce *villae* utitur, sed rus aut hortum dicit.

6. *male me hab.* i. e. molestia animi affectus. Andr. II, 6, 5.

7. *devertic.* Saepenumero voces *deverticulum*, *diverticulum*; it. devertere, divert. et deversorium, diversor. confunduntur. *Deverticul.* h. l. est villa ipsa, quo ille ire intenderat. Sed diverterat Phaedria, h. e. in diversam viam venerat, cum *villam* praeteriret; cf. v. 13. *constiti*, i. q. *restiti;* cf. inf. II, 3, 46.

Nil est. quid? nil? si non tangendi [d]) copia est,
Eho, ne videndi quidem erit? si illud non licet [e]),
Saltem hoc licebit. certe extrema linea
Amare [f]), haud nihil est. villam praetereo sciens.
Sed quid hoc, quod timida subito egreditur Pythias?

d) Ms. Pal. 2. *fungendi* sc. Thaidem; cf. Heaut. III, 5, 19.
e) Al. *potest.* f) Ed. 1469. *Amoris.* Itid. in C. G. m. pro glossa.

10. *Nih. est*; cf. Phaed. III, 7, 17. ubi Burm. *quid? nil? si non etc.* dubitatio misera amoris redeuntis; cf. I, 1. *tangendi*; cf. sup. II, 3, 82. Heaut. IV, 6, 15. Optim. autem commentator est, immo imitator Ovidius, Met. III, 478. ,,*liceat*, quod *tangere non* est, *Adspicere*, et misero praebere alimenta furori.“

11. *Eho*, ,,ridiculum additum: tanq. omnino non secum loquatur, sed cum altero.“ Do. *illud*, tangendi; hoc sc. videndi copia.

12. 13. *extr. lin. Amare.* Quinque *lineas* esse interpretantur *amoris*, videre, accedere, conloqui, osculari, concumbere. Posset igit. *extrema* esse, videre. Errat igit. Mu., qui summum gradum amoris significari censet. Nam summa linea, gr. ἡ ἄκρα γραμμή, extremus terminus, ille potest esse, quem modo primum modo ultimum accipere licet. Significat autem γραμμὴ i. q. τέλος, τέρμα, finis vel meta. Theocr. Id. VI, 18. *haud. nih.* pro, non nihil, quod est usitatius. *vill. praet.* Igitur non intravit *sciens*. Et quod *imprudens* fecerat, secund. v. 5. id nunc facit *sciens*.

14. *Sed*; v. Index. *timida*; cf. Ad. III, 2, 7.

## ACTUS IV. SCENA 3.

### PYTHIAS. DORIAS. PHAEDRIA.

*Py.* (*progreditur tanquam persecutura fugientem*) Ubi ego [a]) illum scelerosum misera atque impium inveniam? aut ubi quaeram?

a) Abest *ego* a C. G. m.

,,In hac scena operae pretium delectationis est spectatoribus ex querela ancillae Thaidis, atque errore Phaedriae.“ Do.

1. *sceleros.* Plus est *scelerosus* quam sceleratus. Nam Gellius, IV, 9. notat, adjectiva in *osus* exeuntia excessum quend. innuere.

Hoccine tam audax facinus facere esse ausum? perii [b])! *Ph.* hoc quid sit, vereor.
*Py.* Quin etiam insuper scelus, postquam ludificatus est virginem,
Vestem omnem miserae discidit, tum ipsam capillo conscidit [c]).
*Ph.* Hem! *Py.* qui nunc si detur mihi,
Ut ego unguibus facile illi in oculos [d]) involem venefico!
*Ph.* Nescio quid profecto absente nobis turbatum 'st domi.
Adibo. quid istuc? quid festinas? aut quem quaeris, Pythias?
*Py.* Ehem, Phaedria, ego [e]) quem quaeram? abi hinc [f]) quo dignus cum donis tuis
Tam lepidis. *Ph.* quid istuc est rei?
*Py.* Rogan' [g])? eunuchum quem dedisti nobis, quas turbas dedit!
Virginem, quam herae [h]) dono dederat [i]) miles, vitiavit. *Ph.* quid ais?
*Py.* (*lacrimans*) Perii! *Ph.* temulenta es. *Py.* utinam sic sint, mihi qui malo volunt.

b) *perii.* Hoc Pythiae donand. cum Be. Itid. in C. G. ch. invenio. c) Ms. Lips. ap. We. *discid.* d) I. et V *in oculis.* e) L. antiq. *egon.* f) L. Bemb. *in hinc.* Al. *i hinc.* g) Sic Be. e Cod. quod. Al. *Rogasne?* h) Al. *erae*, cum aspiratione pronuntiand. ut *herae.* i) Sic colloc. l. Bemb. In libb. Fa. *ded. dono.*

2. *vereor.* „Pro duob. unum dixit, sc. *vereor* pro, et nescio et *vereor.*" Do.

3. *ludific. est*, corrupit, vitiavit; v. Heins. ad Sil. Ital. VIII, 642.

4. *Vest. o. mis. discid.*, dilaceravit, luctando scilicet. Ad. IV, 2, 20. Addo Theocr. Idyl. κζ. ubi virgo Daphnidi violaturo: τώμπέχονον ποιήσας ἐμοὶ ῥάκος εἰμι δὲ γυμνά. *ipsam capillo conscid.* Constructio singularis; nisi sumseris *capillo* pro in, aut de *capillo.* Alia est, „scindere capillos," Ovid. Heroid. XX, 81.

5. *si detur mihi.* Sic solent irati. Andr. III 2, 13.

6. *unguibus.* „Quibus armatur hic sexus." Do. *in ocul. inv.* Cf. V, 2, 20. Huc pertinet Propert. IV, 8, 57. „*ungues* iratos." *venefico.* „Mutanti homines et ex virginib. mulieres facienti." Do.

7. *absente nobis*, pro absente me. Itid. Catull. Carm. 108, 5. „*insperanti nobis.*" Ita veteres loquebantur magis ad sensum, quam ad verbum intenti; v. Nonius sub voce *absente.*

9. *abi hinc quo dign. cum etc.* Cf. Andr. V, 4, 37, not.

10. *quid ist. est rei?* Itid. Liv. I, 41. „— mirantium, *quid rei esset.*" Hoc id. quae formula videtur, Curt. X, 2, 17.

11. *eunuchum*, more Graecor. pro eunuchus. Andr. Prol. 26.

13. *utin. sic sint, mihi qui etc.* „Vetustissim. inprecandi

*Do.* Au obsecro, mea Pythias! quod istuc nam monstrum [l]) fuit?

*Ph.* Insanis: qui istuc facere eunuchus potuit? *Py.* ego illum nescio

Qui [m]) fuerit: hoc quod fecit, res ipsa indicat.

Virgo ipsa lacrumat, neque cum rogites, quid sit audet dicere.

Ille autem bonus vir nusquam apparet; etiam hoc misera suspicor,

Aliquid domo abeuntem abstulisse. *Py.* nequeo mirari satis,

Quo hinc [n]) ille abire ignavus possit [o]) longius; nisi si domum

Forte ad nos rediit [p]), *Py.* vise [q]) amabo, num sit [r]). *Ph.* jam faxo, scies. (*abit*)

*Do.* Perii! obsecro, tam infandum facinus, mea tu, ne audivi quidem.

*Py.* At pol ego amatores audieram mulierum esse eos maxumos,

l) Sic l. Bemb. In antiq. *quid monstri.* Hic v. ob varietat. lection. suspectus. m) Lindenbr. ed. *Quid.* Non placet. Be. haec verba, *Quid fuerit hoc,* plane emittit; etsi Terentiana constructione insignia; cf. III. 5, 62. 63. Respuit autem, ut versum reddat dimetrum jambicum. n) *hinc.* Sic infert Be. bene; quo ipsi quidem versus, mihi vero sensus expressior sit. o) C. G. m. *posset.* p) Sic Faerno ac Fabric. probatur ex Veneto. Al. *redierit.* q) Al. *vide*, minus usitatum. r) Solus Bemb. *ibi.*

mos, quo quae a se remota volebant, hostibus evenire optabant." We. Add. Aeschyl. Prometh. v. 864.

14. *quid ist. monst.* „*Monstrum* est omne contra naturam. Si igitur *eunuchus* est, et vitiavit virginem, contra rerum naturam factum est." Do.

15. 16. *ego ill. n. Qui f.* pro: *nescio*, quis ille *fuerit*; cf. v. 11. not. *quod fec.* Per euphemism., ne rem turpem nominaret mulier. *res ipsa indic.* Cf. IV, 4, 37. Loquitur de re, quae quasi in aprico est.

17. *neq. aud. dic.* Pudet enim virginem fateri.

18. *bon. vir.* Ironia. Bene *vir*; qui non fuerit eunuchus. *etiam*, i. e. ad hoc, quod virginem vitiavit.

19. *Aliq. domo etc.* Tangit morem fugitivorum. Ph. I. 4, 13. Et Martial. XI, 54. „Non miror *furem*, qui fugitivus erat."

21. *amabo.* „Futurum, *amabo*, blande rogantis est, et gratum animum promittentis." Fab. Thes. Est enim *amabo* te pro oro te.

22. *mea tu.* Hoc utrumq. pronom. conjunctum blandae inservit orationi. Sic it. Ad. III, 1, 2.

Sed nil potesse [s]); verum miserae non in mentem venerat:
Nam illum aliquo conclusissem [t]), neque illi commisissem virginem.

s) Sic Priscian. antique. Al. *posse*. Var. mss. Pall. Inest nota: „τὸ *posse* verb. venereum." Erasm. *potesse* tuetur, ut versui jambico necessarium. t) Al. *conclussem*.

24. *Sed nihil pot.* Eunuchos voluntatis reos esse, non etiam facti, Donati sententia est. *potesse* vel posse absolute dicitur, ut Martial. XI, 97.

25. *Nam illum etc.* Sensus: Si scissem, *posse* eunuchos, *illum aliquo conclusissem.*

---

# ACTUS IV. SCENA 4.

## PHAEDRIA. DORUS. PYTHIAS. DORIAS.

*Ph.* Exi foras, sceleste! at etiam restitas,
Fugitive? prodi, male conciliate. *Do.* obsecro [a])! *Ph.* oh,
Illuc [b]) vide, os ut sibi distorsit carnufex.

a) Par. ms. 3. plenius, *obsecro te ne saevius, eho.* Quod glossema olet. b) Sic un. C. ap. Be. Vulg. *Illud.*

„Jocundus error, in quo non dubitet Phaedria ipsum esse qui quaeritur: verum insuper sic aggreditur, tanq. sit ipse." Do. *Dorus*, ἀπὸ τοῦ δώρου, a munere, dono. *Pythias*, ancilla, ἀπὸ τοῦ πυϑέσϑαι, a sciscitando. *Dorias* s. *Doryas*, „a δόρυ, hasta, quod bello rapta sit." Far.

1. *etiam*, eleganter inservit objurgationi. Sic Plaut. Pers. II, 4, 4. „scelerate *etiam* respicis."

2. *Fugitiv.* Convicium in servos, quippe qui in fugam solent esse promtiores. *male conciliate.* Verb. contractib. emtionibusq. proprium; et *male conciliare* est, magno, *bene concil.*, parvo pretio emere. E contrario est, *male* vendere, uti Cic. Verr. II, 3, 98.

3. *os ut sibi distors.* „*Os* dicimus illum sibi distorquere, quem natura pulchrum deturpamus." Do. Id vero qui fieri posset, ex structura larvarum s. personarum patebat, quas circa os et maxillas flexibiles fuisse dicunt; vid. Diog. Laert. VII, 20. et Heusing ad Aesop. Fab. XI.

Quid huc tibi reditio 'st? quid vestis mutatio 'st?
Quid narras? paulum si cessassem, Pythias,
Domi non offendissem: ita jam adornarat [c]) fugam.
*Py.* Habesne hominem? amabo. *Ph.* quidni habeam?
*Py.* o factum bene!
*Do.* Istuc pol vero bene. *Py.* ubi est? *Ph.* rogitas?
non vides?
*Py.* Videam? obsecro, quem? *Ph.* hunc scilicet.
*Py.* quis hic est homo?
*Ph.* Qui ad vos deductus hodie 'st. *Py.* hunc oculis
suis
Nostrarum nunquam [d]) quisquam vidit [e]), Phaedria.
*Ph.* Non vidit? *Py.* an, tu hunc credidisti esse, obsecro,
Ad nos deductum? *Ph.* nam alium quem [f]) habui
neminem. *Py.* au!
Ne [g]) comparandus hic quidem ad illum 'st. ille erat
Honesta facie et liberali. *Ph.* ita visus est
Dudum, quia varia veste exornatus fuit:
Nunc tibi videtur foedus, quia illam non habet.
*Py.* Tace, obsecro! quasi vero paulum intersiet.

c) Sic l. Bas. In antiq. *ornabat.* Bemb. l. *ornarat.* d) Ms. Par. 2. *nusq.* Al. *non.* e) Abest *vidit* ab Cod. Jenens. f) Ita Bo. invert., ut acuat *alium* pronuntiatione Leg. Fa. *nam quem? alium hab. nemin.* L. Bemb. *namque.* g) Al. *Nec.*

4. *Quid h. t. reditio etc.* Nomina sunt pro verbis praesertim Comicis usitata; quasi h. l. diceret, cur huc redisti? cur vestem mutasti?

5. *paul. si cess. Pythias etc.* „Familiare est iratis avertere se ad aliam personam ab ea, in quam commoveantur." Do.

6. *adornarat*, paraverat, instruxerat. Dorus scilicet.

7. *quidni*, cur non. Talis interrogatio est consentientis ad praecedentem interrogationem. Itid. Ad. V, 2, 34.

8. *Ist. pol. v. bene.* Comicum est, quod aliter sentit Dorus, aliter Pythias et Phaedria.

9. *hunc sc.* Hoc cum gestu effert vel tangens servum.

10. *hunc*, Dorum scilicet.

13. *au.* Interjectio perturbatae mulieris.

14. *ad illum*; cf. II, 3, 70, not.

15. *Honesta facie*; cf. supra III, 2, 19. 20.

16. *varia veste exornat. f.* De *varia* eunuchorum veste insignis est locus Cic. Orat. 70. Et Eu. not.: „Eunuchi *veste* utebantur *versicolore*, ut multis colorib. texta fulgerent."

17. *videtur foed.* „Facete *videtur*, non est enim." Do.

18. *Tace, obsecro.* „Bene addit, *obsecro*; ne *Tace* ipsum videatur injuria." Do. *quasi paulum.* Absque ironia. Permultum interest.

Ad nos deductus hodie est adolescentulus,
Quem tu videre vero velles, Phaedria.
Hic est vietus, vetus, veternosus, senex,
Colore mustellino [h]). *Ph.* hem, quae haec est fabula?
Eo rediges me, ut, quid emerim [i]), egomet nesciam.
(*ad Dorum*) Eho tu, emin' ego te? *Do.* emisti. *Py.* jube mi denuo
Respondeat. *Ph.* roga. *Py.* venistin' hodie ad nos? negat [l]).
At ille alter venit, natus annos sedecim [m]),
Quem secum adduxit Parmeno. *Ph.* agedum hoc mi expedi
Primum: istam, quam habes, unde habes vestem? taces?
Monstrum [n]) hominis! non dicturu's [o])? *Do.* venit Chaerea.
*Ph.* Fraterne? *Do.* ita. *Ph.* quando? *Do.* hodie. *Ph.* quam dudum? *Do.* modo.
*Ph.* Quicum? *Do.* cum Parmenone. *Ph.* norasne eum prius?

h) Be. repon. contra Codd. *stelljonino*, sola interpretatione Donati innixus. i) Sic Do. pro *egerim* vulg. l) V. l. *dum silet.* m) C. G. m. *sexdec.* n) C. G. m. *monstrum vocat eunuchum propt. deformitatem.* o) Itid. sup. script. *es quod te interrogo.*

19. *Ad nos deduct.* Cf. supra III, 2.

20. *Quem*, qualem. Supra 3, 11. *velles*, cuperes.

21. *vietus*, „mollis flaccidusque et flexibilis corpore." Do. Add. A. Prudent.-Psychom. Praef v. 47. „*victam* in alvum." ubi not. Heins. *veternos.* Hor. Epod. VIII, 5. *vetornosus*, senio tardus et ignavus. Hunc loc. Am. Marcellin. respexit, XIV, 6. dicens: „multitudo spadonum - obluridi, distortaq. lineamentorum compage deformes."

22. *Col. must.*, h. e. sublivido, qualem habent mustelae. Plura de hac re vid. ap. Do. We. Lindenbr. Be. al. Atque Turnebus defendit Terentium a quibusd. reprehensum, quod *mustellin. colorem* pro stellionato ex Graeca Fab. vertisset.

23. *ut quid em. e. nesciam.* Simile dixit Cicero quasi imita- Attic. I, 19. „*ut* plane *quid emerit nesciat.*"

26. *annos sedec.* Hoc dicit Pythias ex conjectura. Totid. annos etiam Pamphila dicitur habere, supra II, 3, 27. Valebat autem iste numerus pro flore aetatis.

27. *expedi*, planum fac quod intricatum est.

30. *hodie.* Signific. *hodie*, eod. die, quo scilicet facta sunt simul, quae supra v. 10. 19. 25. narrantur.

31 *Quicum.* „*Quicum* et quocum. Etsi *quicum* usitatius est tamen quocum inusitatum non est. Utrumq. autem usitatur pro cum quo, quod usitatum non est." v. Tursellin.

*Do.* Non [p]). *Ph.* unde [q]) fratrem meum esse scibas [r])?
*Do.* Parmeno
Dicebat eum esse. is mi hanc dedit vestem. *Ph.* occidi!
*Do.* Meam ipse induit; post una ambo abierunt foras.
*Py.* (*ad Phaedriam*) Jam satis credis, sobriam esse me, et nil mentitam tibi?
Jam satis certum est, virginem vitiatam esse? *Ph.* (*ad conservam*) age nunc, bellua!
Credis huic quod dicat? *Py.* quid isti credam? res ipsa indicat.
*Ph.* (*ad Dor.*) Concede istuc paululum. (*cunctanti*) audin'? etiam nunc paululum, sat est.
Dic dum [s]) hoc rursum, Chaerea tuam vestem detraxit tibi?
*Do.* Factum. *Ph.* et ea [t]) est indutus? *Do.* factum. *Ph.* et pro te huc deductus est? *Do.* ita.
*Ph.* Jupiter magne! o scelestum atque audacem hominem! *Py.* vae mihi!
(*ad Phaedr.*) Etiam nunc [u]) non [x]) credis, indignis nos esse irrisas modis?
*Ph.* Mirum ni tu credis [y]), quod iste dicit [z]). quid agam, nescio [a]).

p) Sequuntur vulgo haec, *nec quis esset unquam audieram dicier.* Quae verba jam dudum Rivius adulterina esse judicavit, nec leg. Aldina Edit. nec habent Par. Be. Bo. Atque insuper ea, si quid video, neque opus quaerenti neq. sunt respondenti tam parco verborum congrua. q) Vulg. *igitur*, quod Be. cum Cod. suo ejicit. r) Ms. Par. 2. *sciebas*, verbo *esse* omisso. s) C. I. *Dic tu.* t) Codd. Be. ac vett. Editt. *eam.* Sed Priscian. indui *veste* et *vestem* dici probat. Etsi Be. se scire profitetur, quo differat sensus utriusq. harum syntaxis. u) x) In duob. Be. Codd. deest *nunc*, in uno, *non.* y) z) Ita ex duob. Be. Codd. et uno G. Fabricii. Recte. Nec enim *mirum ni* ap. Ter. nisi indicativo sequente invenies. Vulgo est y) *credas* z) *dicat.* a) C. R. *quid agamus scio.*

35. *sobriam esse me.* Haec Pythias satis memor injuriae respondet ad illud Phaedriae dictum, supra 3, 13.

36. *bellua*, joculare convicium in mulierem.

37. *huic*, h. e. tam vili, servo fugitivo.

38. *Concede istuc*; cf. Ad. IV, 4, fin. *etiam*, adhuc.

40. *Factum.* Formula affirmandi vel assentiendi quidem. Infra V, 2, 12.

41. *o scelest. atq. audac.* Chaeream intelligat an Parmenonem, non liquet. *vae mihi.* Plenior haec exclamatio, Ad. III, [illegible], 29.

42. *Etiam nunc non cred. indignis etc.* Sensus: Ne *nunc* quidem haecce ipse audiveris ex isto hom. credis etc.

43. *iste* sc. servus. Nam servi mentiri solent; ideo exiguam fidem merentur.

(*ad Dorum submissa voce*) Heus, negato; rursus: possumne ego hodie ex te exsculpere
Verum? vidistine fratrem Chaeream? *Do.* non. *Ph.* non potest
Sine malo fateri, video; sequere [b]) hac. modo ait, modo negat.
(*verberatus*) Ora me. *Do.* obsecro te vero, Phaedria. *Ph.* i intro [c]). *Do.* oi! ei!
*Ph.* (*ad spectatores*) Alio pacto honeste quomodo hinc abeam, nescio.
Actum 'st, siquidem tu me hic etiam nebulo ludificabere. (*sequitur Dorum intrantem.*)
*Py.* Parmenonis tam scio esse hanc technam, quam me vivere.
*Do.* Sic est. *Py.* inveniam pol hodie, parem ubi referam gratiam.
Sed nunc quid faciendum censes [d]), Dorias? *Do.* de istac rogas

b) Mu. ed. *me.* c) L. Bemb. *in* (isne) *intro nunc jam?* d) Ms. Lindenbr. *suades.*

44. *rursus.* Particula *rursus* pertinet ad iterandam quaestionem, ut sit pro, denuo, iterum quaerere incipiam. Nam primo siluerat Dorus. Itaque errant, qui jungunt *negato rursus*; quasi jam ante negaverit Dorus. Nullibi autem ante negavit, contra affirmavit, *Factum* bis dicendo. *exsculpere.* Tormenta intendit Doro. Plaut. Cist. II, 2, 6. „In quaestione vix *exsculpsi*, ut diceret.“ Verbum *exsculpere* Eu. accipit de formandis gemmis.

45. *Verum*, pro id quod verum est. Plaut. Truc. IV, 5, 9. „Vis subegit *verum* fateri.“ *non* sc. vidi. At qui *non* jam respondet, idem supra dixerat contra, v. 29. et 34. Patet inde mentiri Dorum a Phaedria coactum.

46. *Sine malo*; cf. infra V, 5, 27, not. *hac* sc. via, parte. Quasi iret servus ad tormenta.

47. *Ora me.* „Hoc lentius: ut sit causa non saeviendi.“ Do.

48. *quom. hinc abeam*, quomodo me hinc expediam; cf. Andr. I, 2, 4, not.

50. *tam quam.* Ordina, *tam scio etc. quam* scio, *me vivere.* *technam*, gr. *τέχνην*. Plautina vox, qua Terentius, puto, ut aliena abstinuisset, nisi *techna* vel technae inter Romanos pro dolo, fallaciis, in usu fuissent.

51. *inveniam*, excogitabo. Sic Cic. Attic. IX, 6. „Ad haec igitur cogita, mi Attice, vel potius excogita.“ *ref. grat.* Cf. supra II, 3. 94. Do. admonet, hanc esse *προοικονομίαν* ad futur. exitum Fabulae. Nam dum, pergit, ulciscitur Pythias, fit indicium patri Chaereae, et confirmantur nuptiae.

52. *quid faciend. cens.* Locutio est in senatu Roman. circa rogandas sententias solemnis; cf. Liv. I, 52.

Virgine? *Py.* ita, utrum taceamne, an praedicem [e])? *Do.* tu pol, si sapis,
Quod scis [f]), nescis; neque de eunucho, neque de vitio virginis.
Hac re et te omni turba evolves [g]), et illi gratum feceris.
Id modo dic, abisse Dorum. *Py.* ita faciam. *Do.* sed videon' Chremem?
Thais jam aderit. *Py.* quid ita? *Do.* quia, cum inde abeo [h]), jam tum inceperat
Turba inter eos. *Py.* [i]) aufer aurum hoc; ego scibo ex hoc, quid siet. (*Dorias abit.*)

e) Invertit Be. *utr. praedic. an tac.*, sic judicans, in consideratione consilium melius h. l. tacendi poni solere posterius. Sed hic non tam Poetae ingenio sed suometipsius, ut saepe alias, indulsisse videtur. Nam refellitur vir magnus ex loco inf. V, 4, 46. fere eodem. f) Ms. Lindenbr. et C. G. ch. *scias* perperam. g) Turneb. malebat *evolvis.* Praetulerim ego *evolveris*, quia sequitur *feceris.* h) I. et V. *quum abeo*, omisso *inde.* V. I. *recedo.* i) C. G. ch. *tu.* Al. *tu fer aur.*

54. *nescis.* Indicativ. mod. pro imperativo, nesci; ut sensus sit: *Quod scis* simula te nescire.

55. *evolv.* pro expedies. Ph. V, 4, 5. *illi*, virgini vitiatae; utpote quae non, *quid sit, audet dicere*, ut supra 3, 17. Ad hoc Do. not.: „Causa quaesita, cur ante jurgium cum milite Thais nesciat vitiatam virginem." *grat. feceris*, facies. Ph. V, 6, 42.

57. *Thais j. ader.* „Aliam causam ex alia supposuit." Do. Nempe quia Chremes venit, etiam confestim aderit Thais. *cum inde abeo.* Abiit enim Dorias, vel abiisse praesumitur, inde ab initio huius scenae. *incep.* absolute. Itid. Liv. 9, 32. „exspectantes, ut ab adversariis clamor et pugna inciperet."

58. *aufer*, ad domum deporta. Videtur enim Pythias praeposita fuisse hujusmodi reb. servandis; id quod infra cognoscitur, 6, 15. *ex hoc* sc. Chremete.

# ACTUS IV. SCENA 5.

## CHREMES. PYTHIAS.

*Ch.* At at data hercle verba mihi sunt: vicit [a]) vinum quod bibi.
Ac dum accubabam [b]), quam videbar esse mihi pulchre sobrius!
Postquam surrexi, neque pes neque mens satis suum officium facit.
*Py.* Chreme [c]). *Ch.* quis est? ehem Pythias! vah, quanto nunc formosior
Videre mihi quam dudum [d])! *Py.* certe tu quidem pol multo hilarior.
*Ch.* Verbum hercle hoc verum erit [e]): sine Cerere et Libero friget [f]) Venus.

a) V. I. *me*. Quod id. We. in complurium mss. contextu esse affirmat. b) C. G. m. *accumbeb*. Id. in marg. *accubab*. c) Sic plerique. Al. *Chremes*. d) V. I. *fueras*. e) Sic Fa. ex l. antiq. Al. *est*. f) V. I. *deficit*.

,,Hic semigravis inducitur vino Chremes priorum memor, titubans in praesentibus, ut fere adpoti solent.“ Do.

2. *dum accub.* Sic fere it. Phaed. Fab. IV, 24. ,,Rediit hora dicta, *recubuit*. Splendebat hilare poculis convivium.“ *videb. mihi*, quasi per somnium.

3. *Postq. surrexi*, *neque etc.* Sic potus ille ap. Menandr. *Ἀνίςαμαι γοῦν τέσσαρας κεφαλὰς ἔχων*. ,,Surgo enim, quatuor capita habens.“ *offic. fac.* Hunc loc. Ovid. express. A. a. I, 589.

4. *quanto n. form.* ,,Satis miro exemplo mutatum credit, postquam ipse mutatus est.“ Do. Itid. Homer. Od. π. 181.

5. *certe tu q. pol.* Et *certe* et *pol* dicit, ut ostendat, vera se loqui. *hilarior.* Sic honorifice dicit, non temulentior aut lascivior.

6. *erit.* Hoc verbo, *erit*, Be. docet antiquos etiam praesentia et praeterita asseverasse. *sine Cer. et Lib. fr. Ven.* Hoc significat, potum et cibum irritamenta esse libidinis. v. Erasm. Huc pertinet Cic. de N. D. II. 23. ,,fruges Cererem appellamus,

Sed Thais multo ante venit? *Py.* anne abiit jam a milite?
*Ch.* Jam dudum, aetatem. lites factae sunt inter eos maxumae.
*Py.* Nil dixit tum [g]), ut sequerere sese? *Ch.* nil, nisi abiens mi innuit.
*Py.* Eho, nonne id sat erat? *Ch.* at nescibam id dicere [h]) illam, nisi quia
Correxit [i]) miles, quod intellexi minus: nam me extrusit foras.
Sed eccam ipsam! miror ubi ego huic [l]) antevorterim.

g) L. Bemb. *tu.* h) V. I. *ut eam sequerer.* i) Id. *me.* l) Ms. Paris. ap. Par. *hinc.*

vinum autem Liberum: ex quo illud Terentii, *sine Cerere etc.*" Itid. Plautus, more suo plenius: ,,Nihil, inquit, facio tibi, Amor, pericli: mihi inanitate Jam dud. intestina murmurant." Cas. IV, 3, 5.

7. *ab. a milite*, a domo militis. Sic it. Heaut. III, 1, 101.

8. *Jam dud. aetat.* ,,Quia *jam dud.* infinitae morae est, addit *aetatem*, ut ostendat multum abiisse temporis." Do. Et *aetatem* explic. Par. dictionem comicam esse pro diutissime. *lites*; cf. Andr. IV, 5, 16. Ad. V, 3, 6.

9. *abiens mihi inn.* ,,Apparet quasi iratam discessisse Thaidem a milite, et tamen sic iratam, ut illi ira consilium non ademerit." Do. Praeterea Lindenbr.: ,,Inter signa, quib. meretrices suis se amatorib. adprobare nituntur, oculorum hi nutus, quos *νεύματα δόλια* Cyrillus vocat, maxime observantur."

10. *id sat erat*; cf. Ph. V, 3, 14. *at nescieb.* Non poterat alius esse nisi simplex et rusticus, qui ne hoc quidem intelligeret.

11. *nam.* Haec particula ostendit sequi id, quo *correxerat miles*; nempe qui *extrusit foras.* Proprie *extrudere* dicitur, qui manibus expellit. Itid. Phaedr. V, 7, 39.

12. *ubi*, in qua parte viae. *antevort.* praecesserim.

## ACTUS IV. SCENA 6.

### THAIS. CHREMES. PYTHIAS.

*Th.* Credo equidem, illum jam [a]) adfuturum [b]), ut illam a me eripiat. sine veniat.
Atqui si illam digito attigerit uno, oculi ilico effodientur.
Usque adeo ego illius ferre possum ineptias et magnifica verba;
Verba dum sint: verum enim si ad rem conferentur, vapulabit.
*Ch.* Thais, ego jam dudum hic adsum [c]). *Th.* o mi Chreme, te ipsum exspectabam.
Scin' tu turbam hanc propter te esse factam? et adeo ad te attinere hanc

a) C. I. *dudum.* b) Vulg. *esse*; quod delent vett. Editt. In C. G. m. sup. scripta haec video: *Thais temulenta secum loquitur.* c) V. I. *expectans te.*

„Vides ut ex ipsis appareat verbis, quam concita et recens a litigio veniat Thais. Itaque nec nominat militem, nec virginem; sed pronomine utrumq. significat, quasi in medio constituta negotio.“ Do.

1. *ill. j. adfutur.* „Παρασκευὴ ejus motus, quem miles excitabit oppugnaturus aedes.“ Do. *sine ven.* Cf. Andr. III, 5, 16. Itid. Hor. Ep. I, 16, 70. „*sine* pascat“ pro *sine* ut pasc.

2. *si ill. dig. attig.* Proverbialiter pro *si* levissime *attig. oculi il. effod.* Cf. supra 3, 6, not. „Minae Amazoniae apud Comicos.“ Far.

3. 4. *Usq. adeo-dum.* A. Gell. X, 3. de Graccho: „*Usq. adeo* verberari jussit, *dum* animam efflavit.“ *illius fer. posse inept.* Cicero imitatus ad Attic. XII, 36. „Hae meae tibi *ineptiae* fateor enim *ferendae* sunt.“ *magnifica verba*, proprie gloriosi et jactabundi militis. Eod. fere modo Tibull. II, 6, 11. „*Magna* loquor, sed *magnifice* mihi *magna* locuto Excutiunt clausae fortia *verba* fores.“ *si ad rem conferentur* sc. verba. Saepissime autem *res* et *verba* sibi invicem opponuntur. *vapulab.* Verb. *vapulare* notat omnino, cladem accipere, mali quid pati; v. Sanct. Min. I, 3, 3.

Omnem rem? *Ch.* ad me? qui quaeso [d]) istuc [e])? *Th.* quia, dum tibi sororem studeo [f])
Reddere et restituere, haec atque ejusmodi sum multa passa [g]).
*Ch.* Ubi ea 'st? *Th.* domi apud me. *Ch.* hem! *Th.* quid est?
Educta ita uti teque illaque dignum 'st. *Ch.* quid ais? *Th.* id quod res est.
Hanc tibi dono do, neque repeto pro illa quicquam abs te preti.
*Ch.* Et habetur, et refertur [h]), Thais [i]), ita uti merita es, gratia.
*Th.* At enim cave, ne prius, quam hanc a me accipias, amittas, Chreme:
Nam haec ea 'st, quam miles a me vi nunc ereptum venit.
Abi tu, cistellam [l]), Pythias, domo effer [m]) cum monumentis [n]).
*Ch.* Viden' tu illum, Thais? *Py.* ubi sita 'st? *Th.* in risco [o]). odiosa, cessas?

d) Sic Be. ex C. Reg. pro *quasi* vulg. e) V. I. *ego commiserim.* f) Al. *cupio.* Supra I, 2, 65. 69. g) V. I. *a Thrasone.* h) C. G. m. *referetur.* Itid. l. Bemb. In antiq. *refertur.* i) Vulg. *a me.* Absunt duae hae dictiones a lib. Bemb. et Vict. nec hab. Do. l) C. G. m. sup. script. *parvā* (m) *arcā* (m). m) Al. *affer.* n) V. I. *chartis.* o) C. G. m. sup. script. „*riscus genus citelle* (cistellae) *de vimine effectum.*" Haec vero nota ipsa est Eugraphii.

8. *Redd. et restit.* Cf. I, 2, 67.

9. *hem.* „Extimuit adolescens, cum sororem suam in domo meretricis esse audivit: cui rei statim occurrit Thais." Do.

10. *teq. illaq. dign.* Modeste non me dicit, sed *teq. illaq. dign.* Itid. Bacchis in Hec. V, 1, 8. 9. *quid ais?* Miratur jure suo illam, apud meretricem liberaliter eductam.

12. *hab. refer.* Notand. est horum utriusq. verbor. discrimen. *Gratia* enim sane poterat *haberi* a Chremete, nec tamen uno tempore *referri.* Idcirco lectio *referetur,* quam Be. cum Fa. fovet, ex ipsa re videtur probari.

13. *hanc,* Pamphilam sororem. *amittas.* „Hac in comoedia licet more vulgi dicere: Ceterum non potest *amitti,* quod nondum acceptum sit." Do.

15. *cist. cum monum.* Cf. Plaut. Cist. IV, 1, 3. 4. „*cistella hic jacet Cum crepundiis.*" *cum monument.* „Infantes antiquitus, cum alienae misericordiae exponebantur, moris erat ἐπισήμοις quibusd. donis muneratos relinquere; quae Graeci γνωρίσματα, Latini crepundia vel monumenta vocant." Haec Lindenbr. Sunt qui *monumenta* literas interpretantur, in quib. vel de civitate Attica vel de hereditate Pamphilae perscriptum fuerit.

16. *in risco.* Glossar. λάρναξ, arca, riscus. Et Nonius exponit

*Ch.* (*pergit*) Militem secum ad te quantas copias adducere?
At at. *Th.* (*subridens*) num [p]) formidolosus, obsecro, es, mi homo? *Ch.* apage sis.
Egon' formidolosus? nemo 'st hominum [q]), qui vivat, minus.
Atque ita opu 'st. *Ch.* hau [r])! metuo qualem tu me esse hominem existumes.
*Th.* Immo hoc cogitato: quicum res tibi est, peregrinus est,
Minus potens quam tu, minus notus, minus amicorum hic habens.
*Ch.* Scio [s]) istuc. sed tu quod cavere possis, stultum admittere est.
Malo ego nos prospicere, quam hunc ulcisci accepta injuria.
Tu abi [t]), atque obsera ostium intus, dum ego hinc transcurro ad forum.
Volo ego adesse hic advocatos nobis in turba hac. *Th.* mane [u]).

p) Sic Fa. pro *non* vulg. q) Al. *omnium.* Supra III, 5, 13. Ms. Lips. *nemo homo.* r) Var. *au. hau. ah.* s) C. G. m. *ego* bene, ut sit ex adverso, *tu*, quod sequitur. t) In C. G. ch. script. *ibi*, vitiose videtur pro *abi.* u) In aliq. libb. geminatur *mane.*

loca in parietib. esse angusta, cui assentit Boettiger. Addo Polluc. lib. 10, 31. *Ρίσκος* est in repositoriis vestium muliebrium. *odiosa*; cf. Heaut. V, 3, 4.

17. *quant. cop.* Convenit rudi ac timido adolescenti, sex homines *copias* dicere.

19. *nemo minus.* „Etiam timidi non volunt videri tales.“ Bi.

20. *metuo qualem etc.* „Videtur ebrius factus Chremes jam etiam displicere nolle mulieri.“ Do.

21. *peregrinus.* Cf. Andr. IV, 5, 16. ubi not. „Est autem *peregrinus*, qui non est civis romanus, ad quem jus Quiritium non pertinet.“ Calvin. Lexic. Juridic.

23. *admittere*, h. e. fieri pati. Hic versus ex Menandri sententia est, quam praetereo.

24. *nos prospicere* sc. nobis. Ad. IV, 2, 50. Timiditati suae speciem praetexit providentiae.

25. *obsera ost.* „Pavidi consilium nihil aliud continet quam claustra et fugam. Nam *sera* est claustrum januae.“ Do. *transcurro*, non curro, ut proximitatem fori ostendat. *ad for.* Unde arcessat advocatos, qui ibi ambulent atque versentur. Ph. II. 1, 82. 83. Insignis locus de hac re vid. Cic. de Or. III, 55.

26. *in turba.* *Turbam* timidus vocat, ubi nihil timet mulier.

*Ch.* Melius est. *Th.* mane. *Ch.* omitte, jam adero. *Th.* nil opus est istis, Chreme.
Hoc modo dic [x]), sororem esse illam tuam, et te parvam virginem
Amisisse, nunc cognosse. signa ostende. *Py.* adsunt. *Th.* cape.
Si vim faciet, in jus ducito hominem. intellextin'? *Ch.* probe.
*Th.* Fac animo haec praesenti ut dicas. *Ch.* faciam. *Th.* attolle [y]) pallium.
Perii! huic ipsi est opus patrono, quem defensorem [z]) paro.

x) Al. colloc. *Hoc d. modo.* y) Un. e mss. Pall. *tolle.* z) V. I. *meum.*

27. *Melius est.* „Fugae occasionem hic cupit dari.“ Do. *omitte.* Retentus a Thaide dicit *omitte.* Ph. III, 2, 1. *adero.* Ambiguitas comica; quoniam *adesse* dicitur ipse advocatus. *nil* seu nihil, gr. *οὐχ οὐδὲν*, pro non.

*Chreme.* Vocativus graece est a *Χρέμης*, ut *Ἀτρείδη* a nomine *Ἀτρείδης*.

28. 29. Quae his versib. continentur, haec justo ordine praecipit Thais adolescenti exsequenda. *signa.* Haec ead. sunt quae supra v. 15. *monumenta. adsunt,* scilicet quae extulit Pythias, v. 15. *cape,* nempe in manum tradita. Sic Heaut. IV, 7, 3.

30. *in jus ducito,* ad forum, in judicium. Hor. Sat. I, 9, 77. „rapit *in jus.*“ Ph. V, 8, 43. *probe.* „*Probe* ita est, ut probari possit etc.“ Tursellin.

31. *praesenti,* intrepido atque constanti. Ph. V, 7, 64. *attolle pall.* Sic enim expeditius currere poterat. „Erat autem *pallium* non aliter atque toga ad pedes demissum, sed et satis laxum; ut sinum etiam haberet aeque ac toga.“ We. Praeter hoc Eu. notat, quod comoedia Athenienses personas habeat, inde *pallium* Poetam dixisse. vid. Ph. V, 6, 4, ubi nota.

32. *patrono*; cf. Ad. III, 4, 12. *defensorem,* Chremetem. Inest huic v. antithesis comica.

# ACTUS IV. SCENA 7.

## THRASO. GNATHO. SANGA. CHREMES. THAIS.

*Thr.* Hanccine ego ut contumeliam tam insignem in me accipiam, Gnatho?
Mori me satiu 'st. Simalio, Donax, Syrisce, sequimini.
Primum aedes expugnabo. *G.* recte. *Thr.* virginem eripiam. *G.* probe.
*Thr.* Male mulcabo ipsam. *G.* pulchre. *Thr.* in medium huc agmen cum vecti, Donax;

,,Hic rursus inepti vanitas militis demonstratur, ad amicam tanq. ad hostilem exercitum pergentis irritato animo, concitato cursu, trepidi et quatientis caput. Et haec verba pro hortatu imperatoris accipienda sunt; quando quidem omnia de exercitu transferuntur." Do.

*Sanga*, lixa a quodam Phrygiae fluvio.

1. *Hanccine etc.* decet? *accip.* ,,foveam. Ille fovet contumeliam, qui eam non vindicat." Schol. *contumel. t. insign.* Itid. Liv. 4, 4. *insign. contumelia.* Dixit autem *insignem*, quia *insignia* sunt arma.

2. *Mori me sat. est.* Cic. Attic. XIV, 22. ,,Millies *mori* melius." Et Do. not. Ridicula est praesumtio militis, tanq. advers. meretricem jurgia nunq. audentis, nisi morte proposita.". *Donax*, servus ἀπὸ τοῦ δόναχος, fistula s. calamo piscatorio. *sequimini.* Verb. militare; cf. infra v. 46.

3. *aed. expugn.* Vana comminatio, cum foris sit meretrix. *virg. erip.* Cf. supra 6, 14.

4. *mulcabo*; cf. Ad. I, 2, 10. Do. observat ordinem belli: primo expugnationem moenium; tum recuperationem captarum rerum; demum poenam praedonum. *pulchre.* Gnatho agit nihil aliud quam verbis *probe*, *pulchre*, *recte*, ad omnia assentari. *Male mulc.* Itid. Phaedr. I, 3, 9. ,,*Male mulcatus* graculus." ubi v. P. Burman. *in medium.* Aciem veterum *mediam*, ejusque cornua dextra et sinistra dici constat. *agmen*, de exercitu pugnante ac caedente, ut Liv. 30, 6. *cum vecti.* Est *vecti* ablativus pro vecte. *Vectis* autem erat palus ferreus, quo perfodiebantur muri vel aedes expugnandi

Tu, Simalio, in sinistrum [a]) cornu; tu, Syrisce, in dexterum [b]).
Cedo alios [c]). ubi centurio 'st Sanga, et manipulus furum? *Sa.* eccum, adest!
*Thr.* Quid ignave? peniculon' pugnare, qui istum [d]) huc portes, cogitas?
*Sa.* Egone? imperatoris virtutem noveram, et vim militum:
Sine sanguine hoc non posse fieri, qui abstergerem vulnera.
*Thr.* Ubi alii? *Sa.* qui [e]), malum! alii? solus Sannio servat domi [f]).
*Thr.* (*Sangae imperat*) Tu hosce instrue; hic ego ero post principia: inde omnibus signum dabo.

a) b) Ms. Lips. a) *sinistro.* b) *dextero.* c) V. I. *dic nomina aliorum ut veniant.* d) Var. *istuc huc. istunc huc. istum huc.* e) I. *quid* pro *qui.* f) C. G. m. et al. *domum.*

vel furandi causa. Hor. Od. III, 20, 7, 8. „*vectes* oppositis forib. minaces."

5. *Simalio*, a simia derivatum nomen, ob foeditatem oris vel nasi. *Syrisce*, diminutiv. est a Syro. Ad. V, 1, 1.

6. *alios.* „Non reliquos dixit, sed *alios*, quasi multi sint." Do. *centurio.* Horum singuli singulis praeerant centuriis; unde nomen. *manipulus.* Etymon dat Ovidius, Fast. III, 115. de signis militaribus: „Illaque de foeno-Pertica suspensos portabat longa *maniplos.*" Unde postea ipsi milites sequentes dicebantur *manipulus.* Lucan. I, 296. *furum. Fures* sunt servi, quorum furacitas saepe notatur; vid. Serv. ad Virg. B. III, 16. *Sanga.* Putat Eu. *Sangam* coquum esse cum *peniculo* ad abstergenda vulnera egressum.

7. *peniculone.* Est enim *peniculus* spongia oblonga, qua rebus abstergendis utebantur.

8. *imperat.* Blande h. e. Thrasonis. *vim*, et effectum et multitudinem; ut ap. Cic.

9. *Sine sangu. hoc etc.* Simili modo Tacit. A. XV, 54. „*vulnerib.* ligamenta, quibusq. sistitur *sanguis*, parare Milichum monet." *non posse fieri.* Subaudi, videbam; aut repete, *noveram*, ex versu praecedente. *absterg. vuln.* Juvenal. 1, 5, 27. „rubra *deterges vulnera* mappa."

10. *malum.* Est *malum* interjectio, quae interponitur. Curt. VIII, 14. Alexander ad Porum victum: quae, *malum*! amentia te coegit etc. *serv. domi*, h. e. custodit ea, quae sunt domi, vel, sedet *domi.* Andr. I, 3, 7. Huc respexit Am. Marcellin. Lib. XIV. dicens: „Ne *Sannione* quidem, ut ait Comicus, *domi* relicto." *Sannio*, „servus ἀπὸ τοῦ σαννίου, ab hasta." Mu.

11. *instrue.* Verb. militare notissimum; nam *instruere* aciem dicunt millies. *post. princip. Principia* dicuntur acies et frons. Tutus ergo omnis existimatur, qui *post principia* est. Ita Liv. II, 65. „in quos (clivos) *post principia* — tutus receptus fuit."

*G.* Illuc est sapere: ut hosce instruxit, ipsus sibi cavit loco.
*Thr.* Idem hoc jam Pyrrhus factitavit. *Ch.* viden' tu, Thais, quam hic rem agit?
Nimirum consilium illud rectum 'st de occludendis aedibus.
*Th.* Sane, qui [g]) tibi nunc vir videtur [h]) esse, hic nebulo magnus est.
Ne metuas. *Thr.* quid videtur? *G.* fundam tibi nunc nimis vellem dari,
Ut tu illos procul hinc ex occulto caederes; facerent fugam.
*Thr.* Sed eccam Thaidem, ipsam video. *G.* quam [i]) mox irruimus [l])! *Thr.* mane.
Omnia prius experiri, quam arma, sapientem [m]) decet.

g) h) Sic Be. e plurib. codd. et edd. Vulg. g) *quod* h) *videatur.* i) Festus, *in quam.* l) Mss. Pall. tres *irruamus.* Ceterum magis placet exclamandi nota Parei, quam interrogandi aliorum. m) Var. locus. Ms. Paris, *Omnia prorsus.* Be. ex vetust. *arma* pro *armis* vulg. Ald. *experiri verbis.* Bi. ed. *sapientia.* Probabitur prae omnib. C. G. ch. *consilio,* haud dubie ex Nonio sumtum.

*sign. dabo. Signum dare* solet imperator. Vid. Stewech. ad Veget. de Re. milit. I, 20.

12. *ut,* postquam. *loco.* Simpliciter loco. Utrum vero in desit, an de, non liquet.

13. *Pyrrhus.* Scilicet Epirotarum rex, qui gravia bella quinto seculo Romae u. c. gessit cum Romanis. Cum hoc autem clarissimo rege perridicula est vani comparatio gloriosa Thrasonis.

15. *vir vid.* Valet *vir* sensu eminentiori. Ita Curt. IX, 7. „postulare, ut si *vir* esset, — secum decerneret.“ *nebulo,* „inanis, vanus, mollis, ut *nebula.*“ Do. Gallis est, un poltron. Notetur antithesis, *vir, nebulo.*

16. *quid vid.* Quaerit imperator consilium parasiti, satis ridicule. *fund. Funda* convenit timido, nil nisi ex longo intervallo audenti. *tibi n. nim. vell. dari.* Plautina expressit, Asin. III, 2, 43. „*Nimis vellem* habere perticam.“

17. *fac. fug.* Hac phrasi, quod notandum est, utitur notissima, sed novo sensu. Sensus enim orationis hic est: fugerent vel in fugam se darent, Thais scilicet cum suis. At latine *facere fugam,* dicitur ille, qui fugat vel fugatos reddit, non qui ipse fugit vel in fugam se dat. Exempla sunt Livii, 8, 9. „*fugam* ac vastitatem late *fecerunt*;“ ibid. I, 56. „anguis - cum terrorem *fugamq.* in regiam *fecisset.*“ Superaddo 21, 5. ubi Doering. Hoc cum ita est, mallem equid. legere, *faceres* si per Codd. liceret.

18. *irruim.* Etiam hoc verbo militari, quod Thras. deceat imperatorem, irridet eum parasitus. Id. citra jocum, Ad. I, 2, 8. IV, 2, 11. et Cic. Fin. II, 19. „in mediam aciem *irruebat.*“

19. *Omnia pr. exp. etc.* Hanc sensentiam, paucis mutatis, ex

Qui scis, an quae jubeam sine vi faciat? *G.* Di vostram fidem.
Quanti est sapere! nunquam accedo, quin abs te abeam doctior.
*Thr.* Thais, primum hoc mihi responde. cum tibi do istam virginem,
Dixtin'[n]) hosce mihi dies soli dare te? *Th.* quid tum postea?
*Thr.* Rogitas? quae mi ante oculos coram amatorem adduxti tuum.
Quid cum illoc[o]) agas? et cum eo clam te subduxti mihi.
*Th.* Lubuit. *Thr.* Pamphilam ergo huc redde, nisi vi mavis eripi.
*Ch.* Tibi illam reddat? aut tu eam tangas? omnium[p]). *G.* ah, quid agis? tace.
*Thr.* Quid tu tibi vis? ego non tangam meam? *Ch.* tuam autem, furcifer[q])?

n) Ms. Par. *Distin* pro *Dixistine.* o) Sic Be. ex antiq. Codd. Vulgo *illo.* p) V. I. *pessime.* q) Id. *furcae supplicio digne.*

Libanio Muretus graece notavit, quam latine praebeo ita: „Primum *experiri* verbis jus suum obtinere, et non *armis* irruere, humanius profecto est." Exinde sane licet suspicari varietatem legendi illam fluxisse. Addo Liv. V, 43. itid. „*experiri* ultima," ut in proverbio dicentem. Ita Cic. ad Attic. 7, 2.

20. *jub.* Recte *jubeam*, ut fastosus miles; non, velim. *fac*, sc. Thais.

22. *cum tibi do.* Debuerat dicere, *cum* t. darem. Inde rudis quoque linguae miles ostenditur, non solum stultus atque ridiculus. Vide superiora, I, 2.

23. *quid t. post.* Verba sunt Thrasonem spernentis. Nam respondendum Thaidi erat, aut, dixi, aut, non dixi.

24. *ante ocul. coram.* Do. accipit *ante oculos* pro longe; *coram*, proximitatem. *amat. addux.* Cf. I, 9.

25. *Quid c. illoc ag..* „Causam quaerit, cur eum sibi ante oculos adduxerit." Mu. *clam te subd.* Cf. IV, 1. fin.

26. *Lubuit.* „Superbum est et meretricium verbum." Do. *ergo.* Not. Eu. „Quoniam meretrix dixit, *Lubuit*; ideo, *ergo* Pamphilam miles nunc repetit." *huc*, stomachose. Hec. III, 5, 52.

27. *Tibi ill. redd.* „Se primum interponit Chremes, ut adolescentulus potuit, jam fracto milite." Do. *omnium.* Est ἀποσιώπησις, ubi Andr. V, 3, 1. „Sic autem loqui solent plus gestu quam verbis conciti." Do.

28. *Quid tu etc.* Urgetur *tu*; quia cum Thaide loquebatur, non cum Chreme. *meam.* Cum emphasi aeque ac *tuam* pronuntiand. est. *furcif.* Indignum libero homine convicium, quo qui-

*G.* Cave sis [r]): nescis, cui maledicas viro. *Ch.* (*ad Gnathonem*) non tu hinc abis?
(*ad Thrason.*) Scin' tu, ut tibi res se habeat? si quicquam hodie hic turbae coeperis,
Faciam, ut huius loci dieique meique semper memineris.
*G.* Miseret tui me, qui hunc tantum hominem facias inimicum tibi.
*Ch.* Diminuam ego caput tuum [s]) hodie, nisi abis. *G.* ain vero, canis!
Siccine agis? *Thr.* quis tu es homo? quid tibi vis? quid cum illa rei tibi est?
*Ch.* Scibis. principio eam esse dico liberam. *Thr.* hem! *Ch.* civem Atticam. *Thr.* hui!
*Ch.* Meam sororem. *Thr.* os durum! *Ch.* miles, nunc adeo edico tibi,
Ne vim facias ullam in illam. (*lenius hoc ad Thaid.*) Thais, ego eo ad Sophronam
Nutricem, ut eam adducam, et signa ostendam haec. *Thr.* tun' me prohibeas,

r) Id. *si vis.* s) I. et V. *tibi.*

dem utitur rusticus adolescens atque iratus. *autem*; cf. supra III, 2, 22, not.

29. *Cave sis.* „Quia imperativa sunt contumeliosa, addebant veteres *sis.*" Priscian. *nesc. cui maledic. viro.* Itid. Cic. Fam. IX, 25. „*Nescis*, quocum imperatore tibi negotium sit."

30. *Scisne tu, ut etc.* Itid. Plaut. Aul. I, 1, 8. In usu est dicere: *res* et beneet male *se habet*; cf. Ph. II, 3, 82. *tibi res*, pro, tua *res.*

31. *Fac. ut h. loci etc.* Haec integra Noster ex Plaut. Capt. IV, 2, 20. transscripsit.

32. *Mis. tui me, qui etc.* „Hic parasitus nunc quasi monitor Chremeti respondet." Do.

33. *Dim. ego cap. t.* Formula minandi frequens. *vero*, indignantis; vid. Drakenb. ad Liv. 45, 19. *canis.* Militare convicium est *canis* in hostem. Homer. Il. ϑ. 299.

34. Hoc versu multa terribiliter interrogantur.

35. *Scibis.* „Et scies et *scibis* dicitur." Do. *dico*; cf. supra II, 2, 20, not. *hui. Hui, hem*, et cetera huiusmodi generis sannae sunt adversus eos, quibus irascimur.

36. *os durum*, pro homine impudenti. Sic Cic. quoque p. Quint. 24. *nunc adeo.* Partic. *adeo*, si sequitur, non praecedit, asseverantis est; vid. Tursellin. Ad hoc notamus, *adeo* verbi syllabam acui primam, adverbii secundam, ut sit, *ădĕo*, accedo; sed *ădeō*, usque eo. v. Sanct. Min. III, 14.

37. *vim fac. in ill.* Haec ead. syntax. cf. infra V, 4, 41. Sed altera est cum dativo frequentior, supra I, 2. *ego eo ad - ut etc.* Memor est Chremes moniti superioris, 6, 29. 30.

Meam ne tangam? *Ch.* prohibeo [t]), inquam. *G.* audin' tu? hic furti se adligat.
Satis hoc tibi est? *Thr.* idem hoc tu ais, Thais? *Th.* quaere [u]) qui respondeat [x]). (*Chremes et Thais abeunt.*)
*Thr.* Quid nunc agimus? *G.* quin redimus [y])? jam haec tibi aderit supplicans
Ultro. *Thr.* credin'? *G.* immo certe: novi ingenium [z]) mulierum.
Nolunt, ubi velis; ubi nolis, cupiunt ultro. *Thr.* bene putas.
*G.* Jam dimitto exercitum? *Thr.* ubi vis. *G.* Sanga, ita ut fortes decet
Milites, domi focique fac vicissim ut memineris.
*Sa.* Jam dudum animus est in patinis. *G.* frugi es. *Thr.* vos me hac sequimini.

t) Fa. *prohibebo.* u) V. I. *illum.* x) Id. *quia amplius ego non respondebo tibi.* y) Sic un. ex Codd. Be. Ceteri omn. *redeamus.* z) Ms. Pal. l. *ingenia.*

39. *furti se adlig.*, h. e. reum se efficit fraudis. Nam Far. explicat: „rei ligantur, innocentes absolvuntur.“ *furti.* „*Furtum*, omne quod fraude fit.“ Z.

40. *Sat. hoc tibi est.* Scilicet ad sumendam injuriae vindictam. *id. hoc tu ais?* Id scilicet quod modo parasitus. Ceterum ne aurem praetereat mollis paronomasia, *ais Thais.*

41. *Quid n. ag.* „Vide ut evanuerit actio militis.“ Do. *quin redim.* Sic it. Liv. I, 57. „*Quin* conscendimus equos?“

42. *credin'?* Hoc id. est, quod extra versum, *credisne?* uti Curt. IX, 6. *novi ingen. mul.* Itid. Liv. I, 57.

43. *cupiunt.* Ad. II, 1, 33. *bene put.*, h. e. sapis.

44. *dimitto exercit.* Sic Jul. Caes. B. C. 1, 3.

45. *domi fociq.* Haec formula fere ead. Cic. p. Dej. 3. *arae fociq.* Est autem *focus* Laribus in atrio sacratus.

46. *anim. est in pat.*, h. e. nil nisi coenam cogito. Hoc id. ap. Athen. Deipnos. Lib. I. ὁ νοῦς γὰρ ἐςι τῆς τραπέζης πλησίον. Et Cic. ad Attic. 12, 12. „Igitur *animus in* hortis.“ *frugi es.* Homo *frugi* qui dicatur, v. Cic. Tusc. 3, 8. *sequimini.* Recte hoc verbo ad homines utitur, qui se ducem sequuntur. Nam *sequi* dicuntur milites ducem. Sic Camillus concionatus ad Ardeates: *me sequimini* ad caedem etc.“ Liv. V, 44.

# ACTUS V. SCENA 1.

## THAIS. PYTHIAS.

*Th.* Pergin', scelesta, mecum perplexa loqui?
,,Scio – nescio – abiit – audivi – ego non adfui –"
Non tu istuc mihi dictura aperte es, quicquid est?
Virgo conscissa veste lacrumans obticet.
Eunuchus abiit; quamobrem? quid factum 'st? taces?
*Py.* Quid tibi ego dicam, misera? illum eunuchum negant
Fuisse. *Th.* quis fuit igitur? *Py.* iste [a]) Chaerea.
*Th.* Qui Chaerea? *Py.* iste ephebus [b]) frater Phaedriae.

a) V. I. *videbat eum ex adverso venientem.* b) Id. *ephebus dicitur juvenis sine pilis, vel imberbis.*

,,Nunc demum virgo violata esse cognoscitur a Thaide, opportune, postquam magnopere et defensa est et retenta. Nam statim consequentur nuptiae ejus et Chereae, qui illam vitiavit." Do.

1. *perplexa loqui*, h. e. confusa atque obscura, ut dicta quasi secum pugnent. Ideo tamen *perplexe*, quia statuerat crimen virginis celare. Liv. VI, 13. ,,non *perplexe*, sed palam."

2. *Scio*, *nescio etc.* Mimesis elegans verborum Pythiae, per ellipses quidem, quas vero alii aliter explent. Namque We., quem prae ceteris sequor, hoc modo: Th. Scis tu, nullum virum accessisse ad eam? Py. *Scio.* Th. quae igitur causa lacrumarum et vestis conscissae? P. *nescio.* Th. ubi nobis Dorus noster? P. *abiit.* Th. Qui scis, abiisse Dorum? P. *audivi.* Th. quare non retraxisti fugientem? P. *ego non adfui.* Haec atque talia ille suspicatur Thaidem a coena redeuntem a Pythia quaesivisse.

4. *conscissa veste.* Dubitat We. utrum ab eunucho, an a semetipsa, morem olim lugentium, *conscindere vestem*, recordans. At ego respicienda moneo, quae Pythias dixit de illo virginem violante, supra IV, 3, 4. 18. 19. *obtic.* ,,*Obticemus*, quorum nos pudet." Do.

5. *Eunuch. ab.* ,,Non Chaerea, sed *Eunuchus*; non fugit, sed *abiit*, dixit." Do. *quamobr. quid fact. tac.* ,,Haec asyndeta instantis dominae vultum habitumq. demonstrant." Do.

8. *Qui Ch.* Recte interrogat, *Qui Chaerea?* quem non novit

*Th.* Quid ais, venefica? *Py.* atqui certo [c]) comperi.
*Th.* Quid is, obsecro, ad nos [d]), aut quamobrem adductu 'st? *Py.* nescio;
Nisi amasse credo Pamphilam. *Th.* hem! misera occidi [e]).
Infelix, si quidem tu istaec vera praedicas.
Num id lacrumat virgo? *Py.* id opinor. *Th.* quid ais, sacrilega?
Istuccine interminata sum hinc abiens tibi?
*Py.* Quid facerem? ita ut tu justi [f]), soli [g]) credita 'st.
*Th.* Scelesta, ovem lupo commisisti. dispudet,
Sic mihi data esse verba. (*conspicata subito Chaeream, sed non statim agnoscens*) quid illuc hominis est?
*Py.* Hera mea, tace; tace, obsecro, salvae sumus:
Habemus hominem ipsum. *Th.* ubi is est? *Py.* hem, ad sinistram.
Viden' [h])? *Th.* video. *Py.* comprehendi jube, quantum potest.

c) Ms. Par. *pro certo.* d) Be. repon. *ad me*, quippe quod sola Thais domina sit. Sed miror, quam aberraverit vir doctus, qui nesciat, pluralem num. huius pronominis sicut singular. promiscue usurpari. e) Post *occidi* ego non, ut multi, comma, sed cum We. punctum posui. f) Complur. mss. *jussisti.* g) V. I. *illi.* h) Edd. Lindenbr. We. Par. al. *videsne.*

9. *venefica.* „Redit rursum ad iracundiam. Aptum convicium et comicum in ancillas, ut lupa, vipera, sacrilega." Do.

10. *obsecro.* „Non rogantis est *obsecro*, sed dolentis." Do. Et bene id monuit Do., cum Thais non immemor est deducti ad se eunuchi, quem ipsa cum laude acceperat; supra III, 2, 15.

12. *Infelix.* Aut, sum, aut, es, intelligendum. Utrum vero sit, id solum ponitur in gestu actoris.

13. *id* pro, ob *id. opinor.* Callide hic *opinor* dicit, quae supra IV, 4, 37. exseruerat, *res ipsa indicat.*

14. *Istuc. interminata etc.* Cf. supra III, 2, 52.

15. *Quid facerem?* Ead. formula ii utuntur, qui purgantes se, vel innocentes sunt, vel videri volunt. Ad. II, 2, 6.

16. *ovem lupo commis.* Proverbium est, *ovem lupo committere*. quod in eos valet, quib. parum tuto quid servandum committitur. Itid. Cic. Phil. III, 11. Et Graecor. est, *τῷ λύκῳ τὴν ὄϊν.*

17. *quid illuc etc.* Eod. fere sensu Virg. VI. 710. „Horrescit visu subito." Indutus est Chaerea veste eunuchi.

18. *Hera mea tace.* Blande securam facit.

19. *Habem. hominem.* Sic solent qui in manifesto deprehendunt. *ubi is est?* Ita interrogat, non, quasi non videns hominem, sed an is ipse sit, qui quaeratur.

20. *quant. potest*, sc. fieri. Aut Graecorum, *ὡς δυνατὸν.*

*Th.* Quid illo [i]) faciemus [l]), stulta? *Py.* quid facias, rogas?
Vide, amabo, si non, cum aspicias, os impudens
Videtur. *Th.* non [m]). *Py.* tum quae ejus confidentia 'st!

i) Sic Par. ed. ut Fa. Vulg. *illi.* l) Var. *faciam. facias.* m) Vulg. *est.* Non hab. Mu. Be. Bo. Atque τὸ *non* We. Be. Bo. Thaidi bene tribuunt respondendum.

21. *Quid illo fac.* Sic Cic. Verr. II, 16. ,,quid hoc homine facias?" h. e. quomodo coerceas, serves. Andr. V, 4, 34. Aliter Terentius infra V, 2, 10. *quid faciet mihi?* Cui etiam hic Cicero adaequatur, Acad. Q. IV, 30. ,,*Quid faceret* huic conclusioni?" Quarum tamen utraq. syntaxis differt significatione.
22. 23. *si non Videtur.* Formula affirmandi pro, certissime videbitur. Ph. V. 9, 5. *os impud.* Cf. supra IV, 7, 56.
24. *confidentia*, audacia. Andr. V, 2, 14. et 3. 5.

---

# ACTUS V. SCENA 2.

## CHAEREA. THAIS. PYTHIAS.

*Ch.* Apud Antiphonem uterque, mater et pater,
Quasi dedita opera, domi erant, ut nullo modo
Introire possem, quin viderent me. interim
Dum ante ostium sto, notus mihi quidam obviam
Venit. ubi vidi, ego me [a]) in pedes, quantum queo,
In angiportum quoddam [b]) desertum; inde item

a) Libb. antiq. Fa. *egomet.* Lolgius ed. *egomed.* b) I. et V. *quemd.*

,,Rediens in viciniam suam, causam reddit Chaerea, cur non mutaverit vestem. Oportuit autem, et de necessitate argumenti fuit, Chaeream non mutasse vestem, ut cum meretrix virginem a Chaerea vitiatam audiret, et eum cum turpi habitu incedentem intueretur, eum reum vitiatae virginis putaret." Do.
4. *notus*; cf. supra II, 2, 7.
5. *me in ped.*, sc. conjeci. Ph. I, 4. 13. *quant. queo.* Andr. III. 3, 45.
6. *In angiport.* ,,Angiportum dicebant vicum pervium, vel viam non publicam. Voss. Etymol. Gr. ϛενωπὸς. Ph. V, 7, 8.

In aliud, inde in aliud: ita miserrimus
Fui fugitando, ne quis me cognosceret.
Sed estne haec Thais, quam video? ipsa 'st. haereo [c]).
[d]) Quid faciam? quid mea autem? quid faciet mihi?
*Th.* Adeamus. bone vir, Dore, salve. dic mihi,
Aufugistin'? *Ch.* hera, factum [e]). *Th.* satin id tibi placet [f])?
*Ch.* Non. *Th.* credin' te impune habiturum [g])? *Ch.* unam hanc noxiam
Amitte [h]); si aliam admisero unquam, occidito.
*Th.* Num meam saevitiam veritu's? *Ch.* non. *Th.* quid igitur?
*Ch.* Hanc [i]) metui, ne me criminaretur tibi.

c) I. *pereo.* d) In l. antiq. *Ah.* Quod nec Fa. nec Be. Codd. agnoscunt. e) I. et V. *est.* f) Jen. *videtur.* g) L. antiq. sine aspiratione, *abitur.* Cum aspirat. libb. Fa. et Be. pleriq. *habiturum.* h) Al. *Mitte.* Lindenbr. *Omitte.* i) V. I. *Pythiam.*

*desertum* „Quod nunc non ut olim frequentaretur ab incolis." We. Etiam Cic. Fam. VI, 18. „*desertissima* regione."

7. *In al. inde in aliud*, sc. angiportum. Infra 5, 17. Ph. II, 2, 19.

8. *cognosc.*, pro agnosceret.

9. *haereo.* Eod. sensu Virg. A. XI, 290. „adspectu conterritus *haesit*, continuitq. gradum."

10. *quid mea*, sc. refert. Plenius Eun. II, 3, 29. „Colligit se rursus ad impudentiam Chaerea." Do. *quid f. mih.* Cf. I, 21, not. *quid* sc. mali.

12. *Aufug.* Cf. sup. IV, 4, 2. Add. Cic. Fam. V. 9. *factum.* Hoc id. confessi responsum cf. sup. IV, 4, 40. et Hec. III, 2, 22; ubi not. Do. „Moris est assentiri ad dicta interrogantium, qui quae vera sunt celant." Itid. Ovid. Met. V, 525. „hoc *factum*," i. e. raptus Proserpinae. *satisne id tibi plac.* Cf. Ad. IV, 7, 19. Formula est deprehendentis alterum in manifesto scelere, idque reprehendentis. Cic. Attic. VI, 6.

13. *te imp. hab.* Cf. infra 6, 18. Andr. III, 5, 4. *nox. Amitt.* Plaut. Most. V, 2, 47. „Franioni *remitte hanc noxiam.*" *Noxia* vel *noxa*, quod in aliq. mss. est, et culpam et poenam notat. Sed ad Sueton. Caes. 81. vid. Oudendorp., qui *noxiam* adjectivum sc. culpam, *noxam* vero culpae poenam esse definit.

14. *si al. admis. n. occid.* Cf. Andr. III, 5, 5. V, 2, 22. Itid. Cic. p. Lig. 10. „Ignoscite, judices; erravit. *Si unquam* posthac etc." Supplices servos Chaerea imitatur coram dominis.

15. *saevit. verit. es.* Videlic. non defuerunt heri, qui in servos adeo saeviebant, ut isti fugerent. *quid igitur?* Formula comica, v. Par. Lexic. Plaut.

16. *tibi* pro, apud te; uti Liv. I, 54. „*criminando* alios *apud populum.*"

*Th.* Quid feceras? *Ch.* paulum quiddam. *Py.* eho! paulum, impudens.
An paulum hoc esse tibi videtur, virginem
Vitiare civem? *Ch.* conservam esse credidi.
*Py.* Conservam! vix me contineo, quin involem in
Capillum. monstrum! etiam ultro derisum advenit.
*Th.* Abin hinc, insana? *Py.* quid ita vero? debeam[l]),
Credo, isti quicquam furcifero, id si fecerim;
Praesertim cum se servum fateatur[m]) tuum.
*Th.* Missa haec faciamus. non te dignum, Chaerea,
Fecisti: nam etsi ego digna hac contumelia
Sum maxume, at tu indignus qui faceres tamen.
Neque aedepol, quid nunc consilii capiam, scio,
De virgine istac: ita conturbasti mihi
Rationes omnes, ut eam ne[n]) possim suis,
Ita ut aequum fuerat, atque ut studui, tradere:
Ut[o]) solidum parerem[p]) hoc mihi beneficium, Chaerea.

l) C. G. m. *abeam* pro *deb.* Var. distinctio. m) V. I. *cum minime sit.* n) Vulg. *non.* Sed Be. ex Codd. *ne.* o) Bi. conjunctione *Ut* gravantur; quapropt. mutant in notis *Et* - *parare* pro *pararem.* Nos non ita. Nam *ut* valet pro adeo *ut.* p) I. *pararem.* Andr. IV, 5, 2.

17. *paul. quidd.*, sc. feci. Facete alludere videtur ad stupri *gaudium*: cf. supra III, 5, 4.

18. *An paul.* Argumentatur ad hominem, qui *paulum quiddam* dixerat.

20. *Conserv.* Opportune stomachatur Pythias, facta mentione *conservae.* Ad. III, 3, 70. *vix me cont.* Cf. Hec. IV, 3, 9. *invol. in Capil.* „Apparet more veterum intonsum esse.“ Do.

21. *etiam*, insuper.

22. *Abisne.* Sic per interrogation. pro Abi. *vero*, ironice. *debeam.* Schottus in Observ. II, 23. ita: „Qui per injuriam factam alteri se quasi obligat, *debere* ei dicitur.“ Virg. A. XI, 51. 52. *id si fecerim.* Scilicet *si* involaverim *in capillum*; ut supra. Significat enim Pythias, nullam sibi ultionem reperiri, quae noxiam s. culpam Chaereae excedat. Accedit quod in servos olim sibi omnia licere putabant.

25. *non te dign.* Ab illicito transit Thais ad inhonestum. *dignum* sc. facinus.

26. 27. *nam etsi ego digna etc.* Explic. Gronov. „*Si ego* hoc merebar pati, attamen tu non debebas *facere*: non conveniebat personae tuae.“ Dixit, *si ego*; ne diceret: quae meretrix sum.

28. *De virg. ist.* Hoc unum tantum Thaidis animum urget, quomodo nuptiae honestae utriusq. illorum conficiantur.

29. 30. *conturb. mihi R. o.*, h. e. irrita fecisti consilia mea. Supra I, 2, 65. seqq. *Conturbare rationes* proprie est, accepta expensis paria facere non posse; vid. Manut. ad Cic. Epp. ad Attic. IV, 17.

32. *solidum*, integrum. Andr. IV, 1, 23. *solid. benefic.* Contra Plaut. Epid. III. 3, 9. „malefacta *solida.*“ *Chaerea*, blande.

*Ch.* At nunc dehinc spero aeternam inter nos gratiam
Fore, Thais. saepe ex huiusmodi re quapiam, et
Malo [q]) principio magna familiaritas
Conflata 'st. quid, si quispiam hoc voluit Deus?
*Th.* Equidem pol in eam partem accipioque, et [r]) volo.
*Ch.* Immo etiam quaeso, unum hoc scito, contumeliae
Non me fecisse causa, sed amoris. *Th.* scio.
Et pol propterea magis nunc ignosco tibi.
Non adeo inhumano sum ingenio, Chaerea,
Neque ita imperita, ut, quid amor valeat, nesciam.
*Ch.* Te quoque jam, Thais, ita me Di bene ament, amo.
*Py.* Tum pol ab istoc [s]) tibi, hera, cavendum intelligo.
*Ch.* Non ausim. *Py.* nil tibi quicquam credo. *Th.* desinas.
*Ch.* Nunc ego te in hac re mi oro ut adjutrix sies,
Ego me tuae commendo et committo fidei [t]):

q) Mss. complur. praepon. *Ex.* r) Duo Pall. non hab. *que.* Sed confinium particular. *que et* ubivis latine Nostro inprimis amatur. s) Al. *ab isto.* t) Hic vers. anteit in C. G. m., in C. Hal., in Pall. al. priorem. At Fa. primus ex l. s. constituit ordinem, quem nunc habemus.

53. *At nunc etc.* Nunc Chaerea, humana Thaidis admonitione convictus a jocularibus ad vera redit. *grat.*, amicitiam.

54. *ex hujusm. re quap.* h. e. turbulenta re. *quapiam* dicit, ne definitam nominet. Itid. supra v. 17. *paul. quidd.*

55. *Malo princip.* Liv. I, 48. „*malo* regni *principio.*"

56. *Conflat. est.* Est conflandi vox a metallorum fusorib. desumta. *hoc.* Scilicet virginis copiam mihi factam. Expressius more suo Plautus: „Deus impulsor mihi fuit, is me ad illam illexit." Aul. IV, 10, 7. *quisp. Deus.* Alludit ad superiora III, 5, 40.

57. *in eam part.* sc. evenire. Nisi forte *in eam part.* significet: Quod amoris impetu feceris, non contumeliae causa.

39. *sed amoris.* Hoc ita esse suspicabatur Pythias, supra I, 11.

40. *propt. mag. ignosco.* Quod culpa non fit hominis, *sed amoris.*

41. *adeo inhum. ingen.* Da. „d'un naturel si sauvage."

42. *Neq. ita imp. ut etc.* „Neq. tam impudica sum, *ut etc.*" Do.

43. *Te quoque.* Bene addit *quoque,* ut significet, Thaidem se amare, illius causa.

44. *Tum p. ab ist. tibi etc.* Facete: tanquam qui solcat vestem conscindere; cf. supra IV, 3, 4.

45. *Non ausim* pro, Non audebo. Est enim *ausim* verbum hujus temporis tantum. Priscian. lib. IX. *credo.* In Thaidem facete quae virginem ei crediderat. Supra I, 15.

46. *in hac re,* in conficiendis nuptiis. Itid. Hec. IV, 4, 83.

47. *commendo et committo.* Paromoion est, quo auris de-

Te mihi patronam capio [u]), Thais, te obsecro.
Emoriar, si non hanc uxorem duxero.
*Th.* Tamen si pater quid [x]) — *Ch.* ah, volet, certo scio.
Civis modo haec sit. *Th.* paululum opperirier
Si vis, jam frater ipse hic aderit virginis.
Nutricem arcessitum iit, quae illam aluit parvolam.
In cognoscendo tute ipse aderis, Chaerea.
*Ch.* Ego vero maneo. *Th.* visne interea, dum [y]) venit,
Domi opperiamur potius, quam hic [z]) ante ostium?
*Ch.* Immo percupio. *Py.* quam tu rem actura, obsecro, es?
*Th.* Nam [a]) quid ita? *Py.* rogitas? hunc tu in aedes cogitas
Recipere posthac? *Th.* cur non? *Py.* crede hoc meae fidei,
Dabit hic pugnam aliquam denuo. *Th.* (*subridens*) au, tace obsecro.

u) In aliq. libb. Fa. vidit *cupio*. Itid. ego in C. G. ch. x) Sic a Bc. distincta recepi. Vulgo aliter. y) Al. *is*. z) Mss. Pall. tres *quam stemus ante hostium*. Hoc vero *stemus* glossatori haud dubie debemus, vocis *opperiamur* immemori. a) C. Hal. *Num* pro *Nam*.

lectetur. Andr. IV, 4, 38, not. „*Commendamus* nos cognitis; *committimus* ignotis.“ Do.

48. *patron. cap.* Scilicet in concilianda sibi Pamphila.

49. *Emor. si non etc.* Est obtestandi ac jurandi formula. Ovid. Met. III, 391. „Ante, ait, *emoriar*, quam sit tibi copia nostri.“

50. *quid*, sc. dicat. Andr. V, 4, 47. Oratio Thaidis interrupta.

53. *Nutric. arcess. iit.* Supra IV, 7, 37. 58. *quae i. aluit p.* Epexegesis. Quoad nutricem Cicero, Lael. 20, „*nutrices*, inquit, et paedagogi jure vetustatis plurimum benevolentiae postulabant.“

54. *In cognosc.* Cf. v. 8. „*Nutrix* Ulyxis post vicesim. annum cicatricem invenit originis indicem.“ Petron. Sat. 105, 10. *tute i. aderis.* En ipsa Thais conciliatrix.

55. *vero*, affirmantis. *visne inter. dum etc.* Callide Chaeream rogat Thais, an velit, quasi nesciat velle.

56. *ante ostium*, sc. Thaidis.

57. *percupio*, amatorie; non, volo. *quam tu rem etc.* Cavere pergit Pythias irata, ne Thais adjuvet Chaereae amorem.

58. *Nam quid.* Sic dicebant veteres pro Quidnam.

59. *meae fidei.* Hoc puellariter dicit.

60. *Dab. hic*, sc. Chaerea. *Dare aliq. pugnam*, proprium verb. est, ut Eu ait, et familiare ad exprimendum semper, cum aliquid fieri dicitur.

*Py.* Parum perspexisse [b]) ejus vidēre audaciam.
*Ch.* Non faciam, Pythias [c]). *Py.* non pol credo, Chaerea,
Nisi si commissum non erit [d]). *Ch.* quin, Pythias [e]),
Tu me servato. *Py.* neque pol servandum tibi
Quicquam dare ausim, neque te servare. apage te!
*Th.* Adest optume ipse frater. Ch. perii hercle, obsecro.
Abeamus intro, Thais: nolo me in via
Cum hac veste videat. *Th.* quamobrem tandem? an quia pudet?
*Ch.* Id ipsum. *Py.* id ipsum? virgo vero [f])? *Th.* i prae, sequor.
Tu istic mane, ut Chremem introducas, Pythias.

b) Be. *perspexe*; id quod Terentii solum esse disputat, sed magistros olim mutasse, ne Noster vetuste loquens discipulis displiceret c) Litera s, post brevem vocalem abjecta, efficitur jambus, ut sit *Pythiă nōn.* d) Par. et We. mss. *fuerit*, invito senario. e) Mss. Pall. tres *Pythia*. f) Donatum dicit Fa. non per interrogat. sed per affirmationem legisse. Placet tamen interrogatio.

61. *videre*, pro vidēris. *audaciam.* Supra IV, 3, 2.

62. *Non faciam.* Non dabo pugnam denuo. *non p. credo*, sc. te facturum.

63. *commiss.* Puellam innuit; cf. supra I, 26. *quin*, immo. *Pythias.* „Iterum nomen vultuose est additum.“ Do.

64. *servato* — *servandum.* Activo ac passivo genere utrumq. facete atque jocose.

65. *apage te*, gr. ἄπαγε. Plautus, Amph. II, 1, 32, more suo plenius, „*apage te* a me.“ Not. Do.: „Tota haec garrula est et gesticulosa, ut puellam cum adolescentulo fabulari videas.“

66. *optume.* Cf. Andr. II, 1, 35.

67. *Abeam intro.* Respice ad v. 56. ubi jam voluerant intrare. *nolo me in v. Cum h. v.* „Subtiliter adolescens, quia nihil profecerat dicendo, *percupio* v. 57, invenit causam, qua tandem ingredi possit.“ Do.

68. *tand. Tandem* vim habet cum odio quod. instandi vehementius. Sic Cic. Paradox. VI, 1. „Quae *tandem* est ista tam insolens divitiarum ostentatio?“ Alii *tandem* pro tamen esse interpretantur, minus recte. *an quia pudet?* Acerba est aut plena irrisionis interrogatio in eum, quem nihil pudet.

69. *Id ipsum.* Quia me pudet. *virgo vero?* Ironice hoc an stomachose dictum sit, in eo dissentiunt vulgo. Sed posterius ego cum We. as umo, ex Cic. Attic. IX, 19. „Etsi hic quidem timoris causa, *ille vero?* Sed stomachari desinamus.“ At Far. reticentiam hanc ita explet: „Virginem vero vitiare, vestes discindere etc. id tibi pudori non erat etc.“ Atque igit. utraq. mulier magis stomachari quam jocari in Chaeream mihi videntur, adeo ut eo ipso satis poenae addant facinori adolescentis.

# ACTUS V. SCENA 3.

## PYTHIAS. CHREMES. SOPHRONA.

*Py.* (*secum meditans*) Quid? quid venire in mentem nunc possit mihi?
Quidnam? qui referam sacrilego illi gratiam,
Qui hunc supposuit nobis? *Ch.* move vero ocius
Te, nutrix. *So.* moveo. *Ch.* video [a]); sed nil promoves.
*Py.* Jamne ostendisti signa nutrici? *Ch.* omnia.
*Py.* Amabo, quid ait? cognoscitne? *Ch.* ac memoriter [b]).
*Py.* Bene aedepol narras: nam illi faveo virgini.
Ite intro; jam dudum hera vos exspectat domi. (*Chremes et Sophrona eunt intro.*)
Virum bonum eccum, Parmenonem incedere

a) V. I. *quod te aliquid moves.* b) Ms. Pal. I. *ac menorit.*

„Haec scena consilium quaerentis ancillae tenet, quemadmodum se possit ulcisci; deinde admonitionem, ut Chremes cum nutrice ingrediatur." Eu.

*Sophrona*, „nutrix, ἀπὸ τῆς σωφρονος, casta et proba."

1. 2. *Quid? quid-Quidnam?* Do. adfert locum ex Cic. in Verr. IV, 5. huic similem: „Sed ear. rer. artificem, *quem? quemnam?* recte admones, Polycletum esse dicebant." *qui*, quomodo vel ut. *refer. grat.*, pro ulcisci. Supra II, 3, 94.

3. *hunc*, eunuchum. Prol. 39. *move te.* Plaut. Men. V, 3, 12. „*movet* formicinum gradum."

4. *nil promov.*, nihil proficis itineris. Itid. Virg. A. IV, 641. „illa (nutrix Sichaei) gradum studio celerabat anili."

6. *ac.* Partic. *ac* intendit orationem, quasi dicas, vel, etiam et quidem. Andr. II, 1, 37.

7. *illi faveo virgini.* Quasi dicat, non item Chaereae.

8. *exspect. domi*; cf. 2, fin.

9. *incedere*, lento gradu sc. vel cum gravitate. Sic Phaed. V, 7.

Video. vide ut otiosus sit [c]), si Dis placet.
Spero me habere, qui hunc excruciem meo modo.
Ibo intro, de cognitione ut certum sciam;
Post exibo, atque hunc perterrebo sacrilegum.

c) Al. *it.* Not. Eu.: „Attende ut securus Parmeno *ambulat* et otiosus.“

10. *otiosus.* Eod. sensu quo Andr. V, 2. ubi not. *si Diis plac.* De usu hujus formulae frequenti v. We. ad Ad. III, 4, 30. Ita enim solent in re mala, quae Diis placere non potest, indignantes et cum ironia contemnentes. Cic. p. Rosc. Am. 36.
11. *habere* pro, habituram. Praesenti autem tempore post *spero*, praeter Terentium, etiam alii saepius utuntur. *meo modo.* Signific. ut volo. Ph. V, 8, 69.
12. *de cognit.* „Nihil frequentius in comoedia, quam de liberis suppositis et expositis, cognitio et agnitio.“ Lindenbr. *de cogn. ut cert. sc.* Ut pro certo comperiam, Pamphila soror Chremetis cognoscatur nec ne.
13. *hunc sacrileg.* Parmenonem significat, quem ob injuriam sibi et herae illatam flagrat ulcisci. Est autem *sacrilegus* inter convicia.

---

## ACTUS V. SCENA 4.

### PARMENO. PYTHIAS.

*Pa.* Reviso quidnam Chaerea hic rerum gerat.
Quod si astu rem tractavit, Di vostram fidem!
Quantam, et quam veram laudem capiet [a]) Parmeno!
Nam ut omittam, quod ei amorem difficillimum et

a) V. I. *inde apud illum.*

„Haec scena allocutionem tenet servi gloriantis, quod consilio tantum beneficium dederit, uti amorem ei difficillimum explicaverit. Illud maxime providisse gloriatur, ut meretricum ingenia cognosceret.“ Eu.
1. *quidn. rerum* pro quas res.
2. *astu* pro astute, adverb. Alias nomen est, ut infra 5, 17. *Di vestr. fid.* „Modo non invocantis est, sed admirantis; figura per *ἐκφώνησιν* facta.“ Do.
3. *Quant. et q. veram etc.* Huic simile Phaed. III, 1, 5. „quale in te dicam bonum; v. Burm. huc respiciens.
4. *amorem,* h. e. negotium de potiunda puella.

Carissimum a meretrice avara [b]) virginem
Quo amabat, eum [c]) confeci sine molestia [d]),
Sine sumtu, sine dispendio; tum hoc alterum,
Id vero est, quod ego mihi puto palmarium,
Me repperisse, quo modo adolescentulus
Meretricum ingenia et mores posset noscere,
Mature ut cum cognorit, perpetuo oderit.
Quae dum foris sunt, nil videtur mundius,
Nec magis compositum quicquam, nec magis elegans.
Quae cum amatore [e]) cum coenant, ligurriunt [f]).
Harum videre ingluviem [g]), sordes, inopiam;

b) Id. *subripui.* c) Sic Be. pro *eam* vulg. Recte; nam non *virginem*, sed *amorem conficere*, accipi oportet. Proinde id. *Quo* reposuit, pro *Quam* vulg. At nemo erit in syntaxi offensus, *amore amare*, quae, praeter huiusmodi alias, ead. est infra, *audacia audere*, v. 36. 37. d) C. G. m. *ut potiretur*, quod alii quoque addunt. e) L. antiq. *suo.* Omitt. Fa. Par. Be. al. f) Ita olim per duo r, secunda producta; al. *liguriunt*, brevi secunda syllaba. g) Var. script. *ingluv.* al. *illuv.* Be. *inluv.*

5. *Carissim.* Ambigue accipitur, quoad animum et sumtum. *a meretr. avara,* pro, in domo et familia meretricis. Sic est, ut Be. ostendit, *amare a lenone*; cf. Ad. III, 2, 30. Nisi potius, *a meretrice*, valet pro, meretricis. Andr. I, 1, 129, not. Ceterum *avara* meretrix eod. jure dicitur, quo leno *avarus*, Heaut. Prol. 39.

6. *confeci*, expedivi, perfeci. Verb. *conficere* est a gladiatorib. desumtum. Cic. Catil. II, 11. „gladiatori illi *confecto* et saucio." H. l. effeci, ut ea potiretur. Atqui res etiam alias *conficere* dicit Terentius, ut in Andr. IV, 1, 15, *nuptias*; Ph. V, 5, 11. *argentum.*

7. *sine dispend.* Differt *dispendium* a sumtu, significans damnum. *tum hoc alterum*, sc. confeci.

8. *palmarium*, summum praecipuum. Vid. Gell. III, 6. de *palmae* natura, quae in certaminib. signum esse placuerit victoriae.

9. *Me reperisse*, sc. id.

10. *Meretric. ingen.* Cf. supra IV, 7, 42. De artibus *meretricum* vid. Lucian. Dialog. Meretric.

11. *Mature ut cognor.* Cf. infra 5, 16. *perp. oderit.* Vide quam prudentiae speciem flagitio praetendat.

12. *mundius.* Proprie de mulierib. Sic Plaut. Men. II, 5, 4. „*Munditia* illecebra est animo amantum."

14. *Quae cum amatore etc.* Hoc fere modo Thais cum Thrasone, supra III, 2. *ligurriunt*, cum elegantia ac fastidio cibos leviter tangunt. Oppositum τῷ *ligurrire* est devorare; sicubi Cic. Verr. III, 76.

15. *ingluv.*, h. e. voracitatem.

Quam inhonestae solae sint domi atque avidae cibi;
Quo pacto ex jure hesterno panem atrum vorent:
Nosse omnia haec salus est adolescentulis.
*Py.* (*secum*) Ego pol te pro istis dictis et factis, scelus!
Ulciscar; ut ne impune in nos illuseris [h]).
Pro Deum fidem! facinus foedum. o infelicem adolescentulum!
O scelestum Parmenonem! qui istum huc adduxit. *Pa.* (*proripuit se in conspectum Parmenonis, quasi nova re, quam ad ultionem illius confinxit, summe perterrita cum ejulatu maximo vociferatur*) quid est?
*Py.* Miseret me: itaque, ut ne [i]) viderem, misera huc effugi foras.
Quae futura exempla dicunt in eum indigna [l])! *Pa.* o Jupiter!
Quae illaec [m]) turba 'st? numnam ego perii? adibo. quid istuc, Pythias?
Quid ais? in quem exempla fient? *Py.* rogitas, audacissime?
Perdidisti istum quem adduxti pro eunucho adolescentulum,

h) C. G m. hic finem habet scenae. i) R. *id.* l) Ms. Lips. *digna.* m) C. G. m. gl. *illa haec.* Itid. C. Hal. in textu.

16. *solae*, i. e. sine amatore. *Quam-sint.* Conjunctivus *sint* dependet a verbo *videre* v. 15.

17. *ex jure hest. panem etc.* Petr. Victorius citat, *ex jure extremo.* Itid. fere Cels. III, 19. „intritum *ex* vino.“ *pan. atr.* Is Graecis est μέλας ἄρτος; Germanis, Schwarz-Brod. Est autem *panis ater* ex farina, unde furfures non sunt secreti. *vorent.* Nota quod contrarium est, *ligurriunt*; cf. v. 14.

19. *Ego p. te pro istis etc.* Ex Plaut. express. Amph. I, 1, 129. „*Ego pol te istis* tuis *pro dictis et malefactis*, furcifer, Accipiam.“

21. *foedum.* Quid sit hoc *foedum*, vid. v. 35. Quod pudor prohibet mulieris dilucidius demonstrare.

23. *ut ne vid.* Par. suppl. „supplicium sumi de adolescente.“ Conjunge, *ut ne vid. exempla indigna, quae etc.* Vid. inf. 7, 21. Ph. IV, 4, 7. *in eum*; cf. Plaut. Most. V, 1, 67. „Exempla aedep. faciam ego *in te.*“ Do. explic. *exempla*, graves poenas, quae ceteris documento sunt.“ Ceterum Pythias astute exclamat ista verba, quo magis terreat illum.

25. *Quae ill. turb. est?* Cf. Andr. IV, 4, 6. ubi ead. simulatio Davi, quae hic Pythiae.

26. *rogit. audaciss*, Totum hoc terribile est in gestu ac vultu Pythiae, iratam se simulantis.

27. *Perdidisti ist.* Cf. Ad. I, 1, 36.

Dum studes dare verba nobis. *Pa.* quid ita? aut quid factum 'st? cedo.
*Py.* Dicam: virginem istam, Thaidi hodie quae dono data 'st,
Scis eam civem hinc esse? et fratrem ejus esse apprime nobilem?
*Pa.* (*perturbatus*) Nescio. *Py.* atqui sic inventa 'st. eam iste vitiavit miser.
Ille ubi id rescivit factum frater violentissimus,
*Pa.* Quidnam fecit? *Py.* colligavit primum eum miseris modis. *Pa.* hem n)!
Colligavit? *Py.* et quidem o) orante, ut ne id faceret, Thaide.
*Pa.* Quid ais? *Py.* nunc minatur porro sese id quod moechis solet,
Quod ego nunquam vidi fieri, neque velim. *Pa.* qua audacia
Tantum facinus audet p)? *Py.* quid ita tantum? *Pa.* an non hoc maxumum 'st?
Quis homo unquam pro moecho vidit in domo meretricia

n) Particulam *hem*, quae a complurib. abest, l. Bemb. praeponit versui sequenti. o) Be. *quidem* pro *equidem*, recte. Nam *equidem*, quod libri scripti retinent, primae tantum personae est. p) I. et V. *facere.* Non inepte; cf. IV, 3, 2.

29. *Dicam*; cf. inf. v. 46.

30. *eam civem esse.* Haec ob id, ut vitiatori crimen increscat.

31. *invent.* Verb. *invenire* proprie in usu est de liberis recognitis. Heaut. V, 2, 36. *miser*, ob supplic. ferendum.

32. *frat. violentiss.* *Violentia* iis tribuitur, qui iram cohibere nequeunt.

33. *colligav.* „Deprehensos constringebant quadrupedes; atque fas erat, indemnatos, si deprehensi essent, a privatis ad supplicium trahi.“ We. *primum.* Terribiliter, quasi plura sequantur.

35. *quod moech. solet*, sc. fieri. „His ἐπαυτοφώρῳ deprehensis virilia amputabantur.“ Plaut. Poen. IV, 2, 40. Multa doctissime ad hunc loc. congessit Lindenbrog.

36. *nunq. vidi f.* Nimirum quod dedecet feminam.

38. *Quis h. unq. vid. etc.* Vere objicit Parmeno a prima perturbatione animi recollectus, nunquam posse *quemquam pro moecho in domo meretricia*, multo minus adolescentem ingenuum *prehendi. pro moecho*, levius dictum, quam moechum ipsum, in manifesto deprehensum.

Prehendi [q]) quemquam? *Py.* nescio. *Pa.* at ne hoc nesciatis, Pythias,
Dico, edico vobis [r]), nostrum esse illum herilem filium. *Py.* hem,
Obsecro, an is est? *Pa.* [s]) ne quam in illum Thais vim fieri sinat.
Atque adeo autem cur non egomet intro eo? *Py.* vide, Parmeno,
Quid agas, ne neque illi prosis, et tu pereas: nam hoc putant,
Quicquid factum 'st, ex te esse ortum. *Pa.* quid igitur faciam, miser?
Quidve incipiam? ecce autem video rure redeuntem senem.
Dicam huic? an non dicam [t])? dicam hercle, etsi mihi magnum malum
Scio paratum. sed necesse est, huic [u]) ut subveniat. *Py.* sapis.
Ego abeo intro; tu isti narra omnem rem ordine [x]), ut factum siet.

q) Sic l. Bemb. et Vatic. In l. antiq. *Deprehendi.* r) C. G. m. *et edico tibi.* s) V. I. *dic ei.* t) Vulg. absq. *dicam*, quod Be. ob metrum addit. u) C. G. m. gl. *filio suo.* Itid. in marg. „Dum colloquuntur Pythias et Parmeno, vidit Parmeno Lachem dominum suum venientem ex agro suo." x) Be. *omne ordine.* Al. *omnem ordinem.* Al. *omnem rem.*

39. *nescio.* Callide hoc, ad evitandum, quod ille contra diceret.

41. *Obsecro*, insultantis; cf. Ph. V, 9, 23. Nam scit eum esse, sed dissimulat.

42. *Atq. ad. aut. cur etc.* Vult enim intrare ob eam causam, ut prohibeat, ne vis fiat in Chaeream.

44. 45. *fac. incip.* Do. distinguit: „*facimus* mediocria, *incipimus* ingentia." *ecce aut. vid.* Do. adnot.: „Choragii est administratio, ut opportune in proscenium." Quae vero adnotata Donati, ut quae corrupta essent, correxit We. ex conjectura sic: „Choragi fit artificio, ut opportune in proscenium veniat senex."

46. *Dic. huic*, sc. patri. *mihi mal. paratum*; cf. Heaut. II, 3, 115.

47. *sapis.* Verb. *sapere* proprie usurpatur de gustandi judicio; deinde de intellectu, vel potius de acumine intelligendi, unde sapientia dicitur.

48. *omnem rem, ut factum siet.* Notetur hic post *rem* sequi diversum genus. Nam rectius diceretur: *ut facta siet. ordine.* Itid. Curt. 8, 6. „Epimenes cuncta *ordine* exponit."

# ACTUS V. SCENA 5.

## LACHES. PARMENO.

*L.* Ex meo propinquo rure hoc capio commodi,
Neque agri neque urbis odium me unquam percipit.
Ubi satias coepit fieri, commuto locum.
Sed estne ille noster Parmeno? et certe ipsus est.
Quem praestolare [a]), Parmeno, hic ante ostium [b])?
*Pa.* Quis homo'st? ehem, salvum te advenisse gaudeo.
*L.* Quem praestolare? *Pa.* perii! lingua haeret metu.
*L.* Hem, quid est? quid trepidas? satin' salve [c])? dic mihi.
*Pa.* Here, primum te arbitrari id quod res est velim:
Quicquid huius factum'st, culpa non factum'st mea.

a) C. G. m. sup. script. extrem. syllab. *ris*, ut legatur *praestolaris.* b) V. I. *Thaidis.* c) Par. ed. *salvae* sc. res.

„Haec scena narrationem Parmenonis continet ad Lachetem de eo, quod Pythias, Chaeream in domo meretricia pro moecho deprehensum, dolose mentita est."

*Laches*, ab ἔλαχον verbi λαγχάνω, sortior, sorte vel hereditate obtineo.

1. *Ex meo prop. rure.* „Omnes villas comicas suburbanas esse, commoditatem ipsam nunc explicat et ostendit." Do.

2. *odium percip.* Cf. supra III, 1, 14. *odium*, „fastidium ex abundatia est." G. *percip.*, capit.

3. *fieri* pro nasci. Sic Plaut. Merc. V, 2, 102. „ficos *fieri* non malas."

4. *nost. Parm.* Hinc apparet etiam servum a domino *nostrum* appellari.

5. *Quem praestol.* Mire hic *praestolare* jungitur accusativo; at vero ap. Cic. dativo. *Praestol.* est, praesto esse, obsequi.

6. *Quis homo etc.* Ita interrogat, quasi de improviso respiciens ad herum, jam ante sibi visum. *salv. te etc.* Heaut. II, 4, 27.

7. *ling. haer. metu.* Similit. Ovid. Am. I, 27. „pavido *lingua* retenta *metu.*"

10. *huius* sc. rei; cf. supra I, 2, 122.

*L.* Quid? *Pa.* recte sane interrogasti. oportuit
Rem praenarrasse me. emit quendam Phaedria
Eunuchum, quem dono huic daret. *L.* cui? *Pa.* Thaidi.
*L.* Emit? perii hercle. quanti? *Pa.* viginti minis.
*L.* Actum 'st. *Pa.* tum quandam fidicinam amat hinc [d]) Chaerea.
*L.* Hem, quid? amat? an jam scit ille, quid meretrix siet?
An in astu venit? aliud ex alio malum.
*Pa.* Here, ne me spectes: me impulsore haec non facit.
*L.* Omitte de te dicere. ego te, furcifer,
Si vivo! sed istuc quicquid est, primum expedi.
*Pa.* Is pro illo eunucho ad Thaidem [e]) huc [f]) deductus est.
*L.* Pro eunuchon'? *Pa.* sic est. hunc pro moecho postea
Comprehendere intus, et constrinxere. *L.* occidi.
*Pa.* Audaciam meretricum specta. *L.* numquid est
Aliud mali damnive, quod non dixeris,
Reliquum? *Pa.* tantum est. *L.* cesso huc introrumpere?

d) Sic Be. recte pro *hic* vulg. e) L. antiq. *hanc*, quod pronom. Fa. omitt. cum l. Bemb. f) Sic Be. ex illo, quod extat supra II, 3, 61. *Huc ded. est.*

11. *Quid?* Rogat, *Quid?* Nondum enim audivit rem ipsam. Nam servus trepidans vult se excusatum ante quam narraverit de qua re sermo sit.

15. *hinc*, δεικτικῶς. Nam proximae sunt aedes Thaidis.

16. *an jam scit ille quid etc.* Miratur pater praecocitatem filii.

17. *An in astu ven.* „Εἰς τὸ Ἄστυ. Scilicet Athenae κατ' ἐξοχὴν dictae Ἄστυ, uti Roma urbs.“ We. *aliud ex alio.* Itid. Cic. Fam. IX, 19. „Me quotidie *aliud ex alio* impedit.“

18. *ne me spect.* Statuendum est, senem oculos in Parmenonem defigere adeo, ut is respondeat, *ne me spectes*, a se tantum culpam remoturus.

19. *ego te.* Per aposiopesin. Sub. ulciscar.

22. *Pro eunuch.* Non interrogat, sed exhorrescit.

23. *Comprehend. i. et constr.* Pythias supra 4, 33. non plus dixerat quam, *conligavit.*

25. *mali damnive.* „*Damnum* ad emtionem eunuchi, *malum* ad comprehensum pertinet.“ Do.

26. *tantum est.* Formula abrumpendi sermonem pro: Nihil praeterea. Plaut. Cas. Prol. 87. „*tantum est*, valete.“

*Pa.* Non dubium est, quin mi magnum ex hac re sit malum;
Nisi quia fuit necessus [g]), hoc facere; id gaudeo,
Propter me hisce aliquid eventurum mali.
Nam jam diu aliquam causam quaerebat senex,
Quamobrem insigne aliquid faceret iis [h]); nunc repperit.

g) Sic l. Bemb. In antiq. *necesse.* Be. *necessum.* Hic Do., qui legit *necesse.* adnotat: „*Necesse* est nomen. Nam *necessus*, *necessis* et *necessitas* et *necessum* lectum est."
h) C. Hal. pro *iis* hab. *is.*

27. *malum*, poenam notat, qua servi solent affici. Per *malum* etiam fustis potest intelligi, quo dorsum percutiatur servorum. Andr. II, 5, 20, ubi nota.

28. *Nisi.* Par. explic. pro sed. Itid. supra III, 4, fin. *hoc facere*, i. e. fraudem simulati eunuchi revelasse seni. Hinc igitur fieri poterat, ut succurreretur filio periclitanti.

29. *Propter*, per. Sic Cic. Brut. 26. „Ea suspicio *propter* hanc causam fuit." *hisce*, meretricibus, nominatim Thaidi atque Pythiae.

30. *caus.* „Nota causam pro occasione." Do.

31. *Quamobrem.* A constructione inchoata, ut saepe alias, declinavit. Alioqui non poneret *quamobrem*, sed quam ob causam. *insigne aliq.* „Magnum et nobile facinus." Do. Ita Liv. I, 37. „*insignem* victoriam fecere." *nunc rep.* Cf. supra III, 3, 6. Dicitur etiam *reperire* uti invenire, qui cogitando aliquid consilii aut auxilii parat. Ad. IV, 3, 1. Ph. I, 4, 1. II, 1, 4.

---

## ACTUS V. SCENA 6.

### PYTHIAS. PARMENO.

*Py.* Numquam aedepol quicquam jam diu, quod magis vellem evenire,

„Pythias egreditur veluti irrisura Parmenonem, ut ipsa putat; egredi autem a Poeta cogitur, ut doceat populum, quid intus egerit senex. Ergo persona cachinnans inducitur, quaerens Parmenonem; aspectuq. ejus ob nimium risum vix loqui potest." Do.

1. *Numq. aedep. quicq. etc.* Ordinem observa hunc: *Numq. aedep. quicq. mihi even. quod jamd. mag. vell. even. quam quod senex etc.*

Mihi evenit, quam quod modo senex intro ad nos venit errans.
(*denuo in risum erumpit*) Mihi solae [a]) ridiculo fuit, quae, quid timeret, sciebam.
*Pa.* (*occultatus*) Quid hoc autem est? *Py.* nunc id prodeo, ut conveniam Parmenonem.
Sed ubi obsecro is est? *Pa.* me quaerit haec [b]). *Py.* atque eccum video. adibo. (*cachinnans rursum.*)
*Pa.* Quid est, inepta? quid tibi vis? quid rides? pergin'? *Py.* perii!
Defessa jam sum misera te ridendo. *Pa.* quid ita? *Py.* rogitas [c])?
Numquam pol hominem stultiorem vidi, nec videbo. ah,
Non possum satis narrare [d]), quos praebueris ludos [e]) intus.
At etiam primo callidum ac disertum credidi hominem.
Quid? ilicone credere ea, quae dixi, oportuit te?
An poenitebat flagitii? te auctore quod fecisset

a) *solae.* Do. „*soli* regulariter dicitur, *solae* non recte, sed antique." b) Sic libb. antiq. affirmate. Complur. recentt. *me?* *quaer. haec?* per interrogation. c) Ms. Lips. *rogas?* d) Sic Lindenbr. ex. ms. Reg. In Be. Codd. *Non satis potest narrari.* e) Sic Be. colloc. Vulg. *quos lud. praeb.* C. G. m. sup. script. *de sene quem fecisti domum ingredi.* Huic glossae etiam in Cod. Bruns. edito adduntur haec: *pulsantem ut senes solent.* Haecce adtuli, ut notas, quales illic essent, denotarem.

2. *errans.* „Non gressu *errans*, nec via, sed animo et opinione." Do. Vera enim esse credit, quae commentita est Pythias per Parmenonem.

4. *Quid hoc etc.* Ridentem miratur Parmeno. *nunc id*, i. e. propter *id.*

5. *obsecro*, abunde positum; aut ut ornatum sermonis efficiat.

6. *perii*, ridendo scilicet.

7. *misera.* Comica vox, aut tragica, feminis praesertim etiam in re levi familiaris.

8. *hom. stultiorem.* Sub. quam te, Parmeno, qui temere credideris, qui falsa pro veris narraveris.

9. *narrare*, dicere. Hec. II, 1, 12. *ludos*, i. e. ex errore senis paratos.

10. *disertum. Disertum* dici h. l. pro experto s. prudente, id magis e contextu apparet, quam exemplis scriptorum.

12. *An poeniteb.* pro: *An* parvum videbatur? Cic. ad Attic. I, 20. ubi Heusing. Ad hoc Ernesti: „*Poenitere* nos ejus rei di-

Adolescens, ni miserum insuper etiam patri indicares.
Nam quid illi credis tum animi fuisse, ubi vestem vidit
Illam esse eum indutum pater? quid est? jam scis te periisse[f]). (*denuo in risum effunditur.*)
*Pa.* Hem! quid dixisti, pessuma? an mentita es? etiam rides?
Itan' lepidum tibi visum est, scelus! nos irridere[g])? *Py.* nimium[h]).
*Pa.* Siquidem istuc impune habueris. *Py.* verum. *Pa.* reddam hercle[i]). *Py.* credo.
Sed in diem istuc, Parmeno, est fortasse, quod minare[l]).
Tu jam pendebis, stulte[m]), qui adolescentulum nobilitas[n])
Flagitiis, et eundem indicas. uterque[o]) in te exempla[p]) edent[q]).

f) V. I. *quia illusisti dominum tuum.* g) Par. p. var. *illudere.* h) Par. et We. p. var. *nimirum.* i) Quid. libb. add. *vicem.* l) L. antiq. *minitare.* m) Be. et Bo. *stulte.* Vulg. *qui stultum adolescentulum.* Non recte. Nam non tam Chaerea, uti Anglus censet, pro stulto poterit judicari, quam potius servus, qui pro flagitiis pendeat. C. G. ch. *qui stultum istum denobilitas adol.* n) V. I. *dehonestas.* o) C. G. m. et Bru. C. c. gl. ead. haec: *pater et filius.* p) q) Uterq. ill. Cod. explic. p) *tormentorum.* q) *component.*

cimus eleganter, quae parva est, quacum contenti non sumus." *flagit.*, sc. in re venerea. Tac. Germ. 6. ubi Kapp.

13. *ni* pro nisi. Itid. Liv. 3, 60. „*ni* copia pugnae fieret."

14. *Nam quid etc.* Respiciunt haec ad superiora III, 5, 63.

17. *scelus*, pro scelesta. „Sic enim res ipsa ponitur pro persona." Eu.

18. *imp. hab.* Cum ironia stomachosa. *verum*, assentientis, cum irrisione. *redd.*, sc. vicem, h. e. par pari referam. Ovid. Am. I, 6, 23. „*redde vicem.*"

19. *in diem*, sc. futurum eumq. remotum. Ph. V, 2, 16.

20. *pendeb.*, h. e. pendens virgis caederis vel loris. Scilicet solebant servi vapulantes suspendi ad trabes. Ph. I, 4, 42. *nobilitas*, sc. a *nobilis*, h. e. qui noscitur. Verb. autem *nobilitare* significat, notum facere, et in utramque partem accipitur. Cic. de Offic. II, 7. „cujus est praeter ceteros *nobilitata* crudelitas." Huiusmodi est sup. 5, 31. *insigne facere.*

21. *exempla*, h. e. exquisita supplicia. Sed tota locutio similis est Ovid. Met. III, 579. „O periture, tuaque aliis *documenta dature.*" Id. ibid. IV, 451.

*Pa.* Nullus sum. *Py.* hic pro illo munere tibi honos est habitus. abeo [r]).

*Pa.* Egomet meo indicio miser, quasi sorex, hodie perii.

r) Explic. C. G. m. *patre*, Cod. Hal. *Chaerea.* Longe vero aberrant uterque. Nam *abeo* non est quod, *ab illo*, sed verbum, sicuti discedo. Da. vert. „Adieu.“ Sic fere it. interprett. al.

22. *honos*, pro praemio, mercede; uti gr. *τιμή*. Cic. ad Div. 16, 9. „medico *honos* haberetur.“

23. *Egom. meo indic. miser etc.* Huic dicto confine proverbiale est, *suo ipsius indicio periit sorex*, quod in eos dicitur, qui suapte voce produntur. v. Erasm. Adag. Addo Ausonium, qui hoc cod. utitur in sequentibus: „Latebat inter nugas meas libellus ignobilis: utinam latuisset; neque *indicio* suo, tanquam *sorex, periret.*“

---

## ACTUS V. SCENA 7.

### GNATHO. THRASO.

*G.* Quid nunc [a])? qua spe, aut quo consilio huc imus? quid inceptas, Thraso?

*Th.* Egone? ut Thaidi me dedam, et faciam quod jubeat. *G.* quid est [b])?

a) Par. ms. *facis.* Quod glossema censeo esse. b) Be. hoc *est*, pro sua licentia, emisit ac substituit *ais*, ut monosyllabum. Sed *quid est?* uti supra III, 1, 37. Thrasonicum nobis quidem videtur. Quamquam ego in G. primo inveni, *quid dicis?* Quod Angli sane attingeret conjecturam.

„Inducitur in hac scena miles Thraso ad Thaid. reverti velle, ut recipiatur, quoniam se intelligit exclusum esse, ejus autem posterior vis est, quamquam hoc dissuadet parasitus.“ Eu.

1. *Quid nunc?* Supra IV, 7, 41. *qua spe, aut etc.* Ecce Gnathonem, qui modo facillimus adulator erat, nunc militi desperationis auctorem! *incept.* Cf. supra 4, 45. frequent. verb.

2. *Egone?* Sic interrogando post interrogation. praemissam. *ut Thaidi me ded.* Verb. *dedere* de iis, qui bello victi se tradunt victori. Vide quam subito illa militis magniloquentia, supra IV, 7, ad timiditatem eam animi reciderit, ut mulieri se dedat. Quam

*Th.* Qui[c]) minus quam Hercules servivit Omphalae? *G.* exemplum placet.
Utinam tibi commitigari videam sandalio caput.
Sed fores crepuerunt ab ea. perii[d])! *Th.* quid hoc autem 'st mali?
Hunc ego numquam videram etiam[e]). quidnam hic[f]) properans prosilit?

c) Par. p. var. *Quid.* Totum mavult G. Fabricius dici a Gnathone. At ego Thrasoni tribuo, quippe qui, uti supra IV, 7, 13. *Pyrrho*, itid. hic Herculi ipse se confert. d) *τὸ perii* aptius ego cum Erasmo Gnathoni perturbato exclamandum do, quam quod vulgo fit, Thrasoni, qui causam tantum stuporis illum rogitat, ipse non obstupefactus. e) Antiq. libb. divisim *et jam.* f) *hic* pronom. esse monet Be., non adverb. Al. *hinc.* C. G. m. *hic*, sed ab secunda manu insertum.

vero timiditatem suam iste gloriosus exemplo Herculis ipsius excusat. *fac. quod jub.* Ph. V, 9, 57.

3. *Qui min.*, sc. serviam Thaidi. „Exempla sunt de Hercule ad Thrasonem, de Omph. ad Thaidem." Schol. *Omphalae.* „*Omphale* Lydiae regina fuit, quae Herculem sibi servientem etiam ad lanificium compulit: quum ipsa calathum et colum, cultusq. femineos sagittis et clava leonisq. tegmine mutasset." Do. *exempl. plac.* Approbat Gnatho. Itid. adulator ille ap. Plutarch. *Οὐ παῖς*, inquit, *Ἀχιλλέως, ἀλλ' ἐκεῖνος αὐτὸς εἶ.*

4. *Utinam tibi etc.* Conversum haec ad spectatores dicere parasitum verisimile est. *commitigari*, eleganter dicitur duri militis *caput.* Ad. II, 4, 12. Sic it. Hercules, *παιόμενος ὑπὸ τῆς Ὀμφάλης χρυσῷ σανδάλῳ.* v. Lucian. D. D. XIII. *sandal.* *Sandalium* est soccus vel calceus muliebris, quo etiam puerorum nates caedere solebant; vid. Casaub. ad Pers. Sat. V. ubi versus sonat: „Nugaris solea, puer, objurgabere rubra." Quod exponit Pulmannus, eum vapulaturum *sandalio* meretriculae.

5. *fores crep. ab ea*; cf. supra II, 2, 51. *ab ea*, Thaide, i. e. a Thaidis domo. *quid hoc aut. est mali?* Significat Chaeream habitu ac veste eunuchi insignem horribilemque.

6. *Hunc*, talem.

## ACTUS V. SCENA 8.

### CHAEREA. PARMENO. PHAEDRIA. GNATHO. THRASO.

*Ch.* (*Catastrophe paratur. Chaerea de nuptiis suis laetissimus*) O populares! ecquis me hodie vivit fortunatior?
Nemo hercle quisquam: nam in me plane Di potestatem [a]) suam
Omnem ostendere, cui tam subito tot contigerint commoda.
*Pa.* (*paulo remotior*) Quid hic laetus est? *Ch.* o Parmeno mi, o mearum voluptatum omnium
Inventor, inceptor, perfector. scin' [b]) me, in quibus sim gaudiis?
Scis Pamphilam meam inventam civem? *Pa.* audivi. *Ch.* scis sponsam mihi?
*Pa.* Bene, ita me Di ament, factum. *G.* audin' tu illum, quid ait? *Ch.* tum autem Phaedriae

a) Par. p. var. *potentiam*. b) Al. *scisne*.

„Exultationem haec scena continet, quod Chaerea consilium complere potuerit suum: est ergo hic allocutio gaudentis. Laudat ergo Parmenonem, se atque fortunam etc." Eu.

1. *O populares*, gr. ὦ δημόται. Ph. I, 1, 1. „Qui de populo meo ac civitate mea estis." Schol.

2. *in me plane Di etc.* Descriptio est summae felicitatis; qualis illa, Andr. V, 6, 9.

3. *cui tam sub. tot. etc.* Cf. Hec. V, 3, 35. In quem contulerint Dii tam multa *commoda*.

4. *Quid h. laet. etc.* „Interponitur persona, ad quam gesta haec narret Chaerea, ut populus et miles instruatur, quid intus gestum sit." Do.

6. *spons.* Participium, non nomen est.

7. *audisne tu ill. etc.* „Hoc vultu mutato et turbato dici-

Meo fratri gaudeo esse amorem omnem[c]) in tranquillo: una 'st domus.
Thais patri se commendavit in clientelam et [d]) fidem;
Nobis dedit se. *Pa.* fratris igitur Thais tota 'st. *Ch.* scilicet.
*Pa.* Jam hoc aliud est, quod gaudeamus. miles pellitur foras.
*Ch.* Tum tu, frater ubi ubi est, fac quam primum haec audiat. *Pa.* visam domum. (*abit.*)
Numquid, Gnatho, dubitas, quin ego nunc perpetuo perierim?
*G.* Sine dubio, opinor. *Ch.* (*secum*) quid commemorem primum, aut laudem maxume?
Illumne? qui mihi consilium dedit, ut facerem; an me? qui ausus sim [e])
Incipere; an fortunam collaudem? quae gubernatrix fuit,
Quae tot res, tantas, tam opportune in unum [f]) conclusit diem;

c) V. I. *repulso Thrasone.* d) Par. in marg. *in* Andr. II, 1, 3. e) In uno Codd. Be. *aus. sum* probe propt. *dedit* et quod sequitur *fuit.* f) Par. p. var. *hunc* pro *unum.*

tur." Do. Scheller per graecism. explic. pro: *audin', quid ille ait?*

8. *una est domus* sc. patris et Thaidis. Wc. addit: „post Pamphilae nuptias." Ad. V, 7, 10.

9. *Th. patri se etc.* „Id προστάτην νέμειν Atticis dictum. Qui vero cives non essent, sed inquilini, patronum autem non haberent, eo nomine in jus vocabantur, idque judicium ἀποστασίου δίκη appellatum." Turneb. adv. XII, 10. *in clientel. et fid.* Itid. Liv. 37, 54. Scilicet ex jure applicationis se quis in *clientelam* alicujus commendabat. „*Clientela* est autem defensio et patrocinium, quib. et feminae gaudebant; aut si quis peregrinus se in civis alicuius Romani quasi patroni *clientelam* ac *fidem* dedisset." v. Calvin. Lexic. Jur. Ead. locut. Cic. p. Rosc. A. 57. ubi v. Ernest. clav.

10. *tota.* Ita in potestate fratris, ut ne pars quidem militi relinquatur. Itid. Liv. 3, 59. „Quod adeo *toti* plebis fuissent etc. *scilicet.* Signific.: Nihil dubium est.

14. *quid commem. prim.* Similis magnificae ἀπορίας exempl. Virg. A. XI, 664.

15. *ut facerem.* Supra II, 3, 97. *an me?* sc. magis laudem.

16. *quae gubernatrix.* Cic. Attic. 8, 4. „Fortuna dicitur *gubernaculum* manu tenere." v. Heins. Introduct. ad Hesiod.

17. *Quae tot res.* Do. singulas refert, „eunuchum, pro quo duceretur, commendationem virginis, absentiam meretricis occasionem vitii inferendi, patris interventum in nuptias."

An mei patris festivitatem et facilitatem? o Jupiter!
Serva, obsecro, haec bona nobis [g]). *Ph.* Di vostram fidem! incredibilia
Parmeno modo quae narravit. sed ubi est frater? *Ch.* praesto adest.
*Ph.* Gaudeo. *Ch.* satis credo. nihil est Thaide hac, frater, tua
Dignius, quod ametur. ita nostrae est omni fautrix familiae.
*Ph.* [h]) Mihi illam laudas? (*Secedunt ambo fratres in unam partem theatri; in altera colloquitur Gnatho cum Thrasone.*) *Th.* perii! quanto minus spei est, tanto magis amo.
Obsecro, Gnatho, in te spes est. *G.* quid vis faciam [i]). *Th.* perfice hoc,
Precibus, pretio, ut haeream in parte aliqua tandem apud Thaidem.
*G.* Difficile est. *Th.* si quid conlibitum 'st [l]), novi te. hoc si effeceris,
Quod vis donum [m]), praemium a me optato, id optatum feres.
*G.* Itane? *Th.* sic erit. *G.* si efficio hoc, postulo, ut tua mihi domus,

g) L; antiq. colloc. *nob. bona.* Nota, hic scenam finiri Cod. Goth. membr. h) Be. ex libb. s. *Hui.* Quod quasi juvet sententiam. Sed omitt. Fa. We. Lindenbr. al. i) Par. distingu. ut supra. Vulgo *quidvis faciam.* l) Sic Do. In l. antiq. *conlibuit.* m) Al. *et.* Extrud. Par. Mu. Be. al. Lectum olim ἀσυνδέτως.

18. *festivitat. et facilit.* Cicero de Inv. I, 19. *festivitatem* laudat orationis virtutem; quam Do. it. in dictis quaerit; *facilitatem* vero in animo et factis. Ad. V, 9, 26. II, 3, 8.

20. *Gaudeo - credo.* Sic gratulantur exsultantib. assentientes felicitatem. Andr. V, 4, 43. 44.

22. *fautrix.* Hoc nom. cum eod. casu junctum, quem verb. amat, unde ipsum derivatur. Hoc id. nom. verbale, Hec. Prol. 40. *faut. fam.* Cf. Ph. V, 9, 60.

23. *Mihi ill. laud.* „Scilicet amatori ejus." Do.

24. 25. *perfice hoc precib. pretio.* Formulae speciem habet; cf. Phaed. V, 7, 18. Militi autem h. l. nihil relinquitur praeter *preces*, ut victo; et *pretium*, ut diviti. *haer.* τὸ *haeream* ultimum genus beneficii est. *in p. aliqua.* Aliter supra I, 2, ubi idem primas partes posceret. *tand.* pro saltem.

26. *novi te*, confidentis est et multum ab altero exspectantis. Supra IV, 7, 8.

27. *Quodv. donum etc. Optare* est eligere. *ferre* est accipere. Ovid. Metam. II, 44.

Te praesente absente, pateat; invocato ut sit locus
Semper. *Th.* do fidem [n]), futurum. *G.* accingar. *Ph.* quem hic ego audio?
O Thraso! *Th.* salvete. *Ph.* tu fortasse, quae facta hic sient [o]),
Nescis. *Th.* scio. *Ph.* cur ergo in his ego te conspicor regionibus?
*Th.* Vobis fretus. *Ph.* scin' quam [p]) fretus? miles, edico tibi,
Si te in platea offendero hac post unquam [q]), quod dicas [r]) mihi:
Alium quaerebam, iter hac habui; peristi. *G.* heia, haud sic decet.
*Ph.* Dictum 'st. *G.* non cognosco [s]) vestrum tam superbum. *Ph.* sic erit.
*G.* Prius audite paucis: quod cum dixero, si placuerit,

n) L. antiq. *ita.* Quod quia non in Bemb. est, Fa. delevit. o) C. G. m. sup. script. *sint.* p) V. I. *quantum.* q) In mss. Pall. teste Pareo *nihil est.* r) L. antiq. *nihil dicas.* s) Mss. Pall. tres *vostrum genus.*

29. *Te praes. absente.* „Proverbiale hoc est, ut ultro citro, digna indigna, velit nolit." Do. *invocato*, h. e. non vocato. Itid. Nep. Cim. 4. „ut quos *invocatos* vidisset in foro, omnes devocaret." Ibid. Fischer. „Parasitus desiderat, ut nunquam vocatus, semp. tamen veniat ad coenam." Eu. Itid. Hor. Ep. I, 15, 28. ubi Lambin. „Scurra alienar. mensarum insidiator: qui risum movebat divitib. pastus causa."

30. *accingar*, rem aggrediar. *Accingi* enim dicuntur qui ad magnas res cuvt suscipiendas. Siquid. vett. Romani togam laxam atque defluxam succingere solebant, ut expeditiores essent ad opus aliquod faciendum. *do fid. futurum* sc. esse. Cic. Fam. V, 12. „Quamcunq. ei *fidem dederis*, praestabo."

31. *tu fortasse etc.* Dicit haec minaciter adolescens ac superbe.

32. *in his regionib.* „Intellig. simplicit. vias et plateas urbis. Est autem *regio* major pars oppidi. Sic Roma olim in quatuor, ab Augusto in quatuordecim *regiones* divisa fuit." We.

33. *scin', quam fret.* „Etsi praesumis, inquit, de nobis; praedico, ut scias istam nos habere sententiam." Eu.

34. *in platea hac.* Scilicet circa domum Thaidis. *Si te offendero - periisti.* Simile dictum Cic. p. Rab. Posth. 11. ex persona Caesaris: „*si te* secundo limine hic *offendero*, *moriere.*" *quod*, etsi, quamvis.

35. *heia.* Interject. admirantis. Heaut. V, 5, 19. *haud sic decet*, Cic. orat. 74. „Quod decet, id aptum est tempori et personae."

36. *Dict. est.* Formula comminandi et asseverandi. Ead. significatione *dixi*, Ph. II, 3, 92. *vostrum* Ellipsis. Andr. IV, 5, 22. et Hec. V, 4, 20. Al. suppl. genus. *sic erit.* Significat, ipse experieris.

37. *audite pauc.* Cf. Andr. III, 3, 4. *si placuerit* sc. vobis. Itid. *sis*, si vis; cf. supra IV, 7, 29. not.

Facitote. *Ph.* audiamus. *G.* tu concede paulum istuc, Thraso. (*Abire jubet Gnatho quasi volentem, qui rem sibi confieri aliena opera malit, quam sua.*)
Principio ego vos credere ambos hoc mi vehementer volo,
Me huius quicquid faciam, id facere maxime causa mea:
Verum si idem vobis prodest, vos non facere, inscitia 'st.
*Ph.* Quid id est? *G.* militem ego rivalem recipiendum censeo. *Ph.* hem!
*Ch.* Recipiendum [t])? *G.* cogita modo. tu hercle cum illa, Phaedria,
Et [u]) libenter vivis; et enim [x]) bene libenter victitas.
Quod des, paulum 'st; et necesse est multum accipere Thaidem,
Ut tuo amori suppeditare possit sine sumtu tuo [y]).
Ad omnia haec magis opportunus, nec magis ex usu tuo,
Nemo est. principio et habet, quod det; et dat nemo largius.

t) L. antiq. *Ph. Hem recipiendum?* Hanc oration. sic a Be. uti supra inter duas personas contra o. Cdd. divisam ac distinctam recepi quidem in textum, sed parum abest, ut ab ingenioso viro tam scite persuadente ad vulgat. lectionem recedam. u) Be. ex uno *Ut* pro *Et.* x) Disjungi vult Fa. *et enim.* Be. verba *et enim - victitas* uncinis inclusit. y) Post *tuo* distingu. We. ac Mu. recte. Al. continuant sermonem perplexe.

38. *audiam.* sc. eum. *tu concede p. ist.* Cf. supra IV, 4, 38.
39. *Principio*; cf. Andr. I, 3, 6, not.
40. *huius* sc. rei. Itid. supra I, 2, 122.
41. *idem*, h. e. *quod max. mea causa* facio, v. 40.

42. *recipiend. cens.* „Hoc deliberativum est ut qui suadet, aliquam sententiam dicat." Eu.

43. *modo.* Dubius ipse Do. est, *modo* significet tantummodo, an sit adverb. temporis.

44. *libenter*, „laute, hilariter." Be. Itid. „*libenter* coenare," Cic. Fin. II, 8. *enim*, affirmantis pro vero. *bene libent. victitas.* Plaut. Most. I, 51, 1. „me *victitare* pulchre." *bene viv.* Cf. Hec. III, 5, 11. Signific. laute delicateq. *vivere.* Inde *bona vita* dicitur, Senec. ep. 123.

45. *Quod des, paul. est.* Ph. I, 2, 34. *mult. accip. Thaid.* Quippe quae *sumtuosa* meretrix; uti Heaut. II, 1, 15.

46. *Ut tuo am. supp. etc.* *Ut* abunde tibi sit ad alendum et fovend. amorem. Itid. Cic. de Offic. I, 4. „parare ea, quae *suppeditent* et ad cultum et ad victum."

47. *ex usu tuo*, h. e. „nec est aliquis qui magis sit ex tua utilitate." Eu.

48. *hab.* Eleganter *habere* dicuntur divites. Cic. Fam. VII,

Fatuus est, insulsus, tardus[z]); stertit noctesque et dies;
Neque tu istum metuas, ne amet mulier. facile pellas, ubi velis.
*Ph.* Quid agimus? *G.* praeterea hoc etiam, quod ego vel primum puto,
Accipit hominem[a]) nemo melius prorsus, neque prolixius.
*Ch.* Mirum ni illoc homine quoquo pacto opu 'st. *Ph.* idem ego arbitror[b]).
*G.* Recte facitis. unum etiam hoc vos oro, ut me in vostrum gregem
Recipiatis: satis diu jam hoc saxum volvo[c]). *Ph.* recipimus.
*Ch.* Ac lubenter. *G.* at ego pro isto, Phaedria, et tu, Chaerea,
Hunc comedendum et deridendum[d]) vobis propino[e]). *Ch.* placet.

z) Be. *bardus.* Quam conjectur. Ru. elegantem dicet, sed non necessariam. a) Sic l. antiq. In Be. Codd. 900 annorum *homo nemo.* b) Sic Be. mutavit vices personarum. Da prius, inquit, Chaereae, posterius Phaedriae, qui amator Thaidis ad consensum tardior esse debet. c) Al. *vorso.* Var. etiam Cic. ac. Virg. Editt. in eod. d) Al. *bibendum.* e) Var. mss. Pall. *praebeo. praebebo.* R. *propinabo.*

29. *et dat n. largius.* Sic dederat dudum ipsi Thaidi. Supra I, 2, 40.

49. *Fat. est insuls. tard.* Be. notat, in hoc acervo vitiorum decrescere sententiam. *Tardus* quippe, inquit, minoris contumeliae est, quam aut *fatuus* aut *insulsus.* Do. *tardum* in Venerem esse vult. *Fatuus.* v. Ind. Sunt qui *fatuum* animo putant, *insulsum* dictis. *stertit.* Plus est quam dormit. Hor. Sat. I, 3, 18. „diem totam *stertebat.*"

50. *mulier* sc. Thais.

52. *Accip.*, pascit. *Accipere* enim est, ut excipere, verb. convivale. Hor. Sat. II, 8, 67. „ut ego *accipiar* laute." Laur. Vall. VI, 7. *prolix.*, largius, benignius. Ad. V, 8, 20. A. Gell. VII, 3.

54. *Recte facitis.* Approbatio est, cum gratiarum actione. *in vestr. greg.*, h. e. inter vestros convivales. Ad. III, 3, 8.

55. *sat. d. j. hoc sax. volvo.* „Vel respicit de Sisypho fabulam, vel militem *saxum* vocat, h. e. stupidum. „Heaut. IV, 7, 3. et V, 1, 44. Hec. II, 1, 17. Sed Erasm. in Adag. „Proverbiali tamen hoc, ait, *sax. volvere*, gr. λιθὸν κυλινδεῖν, uti Gnatho videtur; quod in eos dicitur, qui inexhausto quopiam atque inutili labore fatigantur."

56. *Ac lubent.* Partic. *ac* continuat orationem, quae tota esset, *recipimus* te, ac lubenter.

57. *Hunc comedend. et derid. vob. prop.* Phrasis est parasi-

*Ph.* Dignus est [f]. *G.* Thraso! ubi vis, accede. *Th.* obsecro te, quid agimus?
*G.* Quid? isti te ignorabant [g], postquam eis mores ostendi tuos,
Et conlaudavi secundum facta et virtutes tuas,
Impetravi. *Th.* bene fecisti. gratiam habeo maxumam.
Numquam etiam fui usquam, quin me omnes amarent plurimum.
*G.* Dixin' ego in hoc esse vobis Atticam elegantiam [h]?

f) V. I. *ut sit in amicitia nostra.* g) V. I. *quis esses.* h) Pall. Codd. teste Par. *eloquentiam.* Itid. C. G. m. In C. G. ch. fallit scriptura.

tica. Similit. Plaut. IV, 7. 25. „Jamne illum *comesurus* es?" Est enim *comedere* aliquem pro alicujus absumere bona. Heaut. III, 1, 53. Huc pertinet Juven. Sat. I, 28. 29. „— una *comedunt* patrimonia mensa. Nullus jam parasitus erit." *deridend. propino.* Haec duo non nisi per duram catachresin junguntur. Nam *propinare* vel *προπίνειν* proprie dicitur is, qui vinum, quod in poculo est, summis labris delibat, idque alii ebibendum tradit ita ut eum nominet, cui poculum traditurus sit; quod quidem signum erat honoris. v. Fisch. ad Anacr. Od. IV, 3. Insup. vid. Erasm. sub voce, *propinare deridendum.* Add. Plut. *Περὶ κολ. κ. φιλ.* §. 275.

58. *Dign. est*, sc. qui *deridendus* propinetur. *quid. agim.* Sic it. Ctesipho dubius ad Syrum in Ad. IV, 1, 22.

60. *conlaud.* Siquidem parasitus est, *collaudavit.* At stultus et credulus miles non parasitum eum adulatoremve novit, sed Gnathonem amicum. *facta et virtut.* Utrumq. ironice sumendum. Sed *facta* militib. adscribuntur. Liv. X, 22. „Esse praeterea viros natos militiae *factis* magnos etc." *virtutes* per euphemism. pro vitiis posuit.

61. *Impetravi.* Scilicet quod rogaverat Gnatho, v. 42. *grat. hab. max.* Hoc comice satis; quod miles *habet gratiam* iis, qui se illuserunt, eamq. *maxumam.*

63. *Attic. elegant.* „*Elegantiam* morum et sermonis *Atticam*, quae erat summa, uti Romanis urbanitas, ironice dicit, pro ruditate hominis ineptissimi." Omnino autem genus militum ap. Roman. rudis linguae haberi, patet ex Liv. II, 56. dicente: „rudis in militari homine lingua non suppetebat libertati animoque." Id. X, 22. „viros natos militiae, ad verbor. linguaeq. certamina rudes." Nec igitur audiendi sunt qui, Eu. auctore, somniant, hoc versu de Terentio ipso dici, qui comoediam scriberet ita, ut in se haberet *Atticam* h. e. Menandri *eloquentiam*, qui fuerit Atticus. Inde simul patefit hoc certe, tunc temporis lectum esse *eloquentiam*.

*Ph.* Nihil praetermissum [i]) est. ite hac [l]). vos valete et plaudite. [m])

i) Leg. Mu. et G. Fabric. *praeter promissum.* l) L. antiq. *omnes.* Sed nullus lib. scriptus, id quod Fa. monet, hab. diction. *omnes.* Habet autem chartac. Goth., quem ille non vidit. Post voc. *hac* sequitur in. C. G. m. pro glossa, *ad domum illius*; et in contextu signum aut lit. w. m) In C, G. m. finem faciunt verba: *Calliopius recensui.*

64. *Nihil praet. miss.* Incertus est hic Do., quomodo interpretetur. Eu. tamen haec notat: „Omnia quae dixisti, invenimus in milite etc. et nihil est vel erit praeter id quod diximus.“ Vertit Da. „Rien n'y manque;“ cum nota addita: „Phaedria veut dire, il ne manque rien au portrait que tu nous as fait de lui; nous trouvons en lui tout ce que tu nous en as dit.“ *hac*, sc. via. Supra I, 2, 7. Heaut. IV, 4, 21. *vos val. et plaud.* Vid. ad Ph. fin. *valete.* Est verb. salutandi discedentium actorum. Addo schol. Guelf. quod est: „finita comoedia invitat Calliopius auditores ad plausum dicens *valete.*“

# HEAUTONTIMORUMENOS.

# HEAUTONTIMORUMENOS TERENTII.

Acta Ludis Megalensibus, L. Cornelio Lentulo et L. Valerio Flacco Aedilibus Curulib. Egerunt L. Ambivius Turpio et L. Atilius Praenestinus. Modos fecit Claudii. Graeca est Menandru. Acta primum tibiis imparibus, deinde duabus dextris. Acta III. Edita M. Juventio *) et Ti. **) Sempronio Consulibus.

---

*) Al. scr. *Juvencio.*

**) Al. *M.* male. Nam *Ti.* cognomen in antiquis lapidibus extat.

*Modos fecit.* Da. more suo: „fit la Musique." Plura vid. Didasc. Andr.

*Claudii.* Ellipsis graeca, libertus. Flaccus enim erat *Claudii* libertus.

*Graeca est Menand.;* cf. Prol. v. 4.

*deinde*, h. e. secundum. Nam modo *primum* praecessit.

*tibiis imparib.* Quae sunt *impares tibiae*, inaequales habent cavernas, et Serranae quoque dicuntur. Sunt enim bifores non pari modulatione compositae. Unde Varro ait: „Tibia Phrygia dextra unum habet foramen, sinistra duo, quorum unum acutum sonum habet, alterum gravem." Patet igitur, *impares* tibias etiam dici posse sinistras.

*duab. dextris.* „Notum est, veteres musicos duas simul tibias inflasse, dextra manu dextram tibiam,

laeva sinistram." Bo. Quando vero dextrae tibiae gravem sonum edebant, sinistrae acutum, sequitur inde, ut Eunuchus primum acta sinistris tibiis, deinde dextris, e mixta modulatione in seriam verteretur. Quo fere soni tibiarum discrimine observato, illi ap. Herodot. lib. 1.17 αὐλοὶ ἀνδρήϊοι et αὐλοὶ γυναικήϊοι facile intelliguntur.

*M. Juvent. et T. Sempr. Coss.* Hi consules anni ab u. c. DXL. notantur.

## FABULAE INTERLOCUTORES.

*Antiphila*, virgo, Cliniae amata.
*Bacchis*, amica Clitiphonis.
*Chremes*, senex, pater Clitiphonis.
*Clinia*, adolescens, filius Menedemi.
*Clitipho*, adolescens, filius Chremetis.
*Dromo*, servus Menedemi.
*Menedemus*, senex.
*Nutrix*.
*Phrygia*, ancilla.
*Sostrata*, Chremetis uxor.
*Syrus*, servus Chremetis.

## PERSONAE MUTAE.

*Archonides*, senex.
*Crito*, senex.
*Phania*, senex.
*Phanocrates*, senex.
*Philtera*, avus.
*Simus*, senex

## C. SULPITII APOLLINARIS
## PERIOCHA
## IN TERENTII HEAUTONTIMORUMENON.

In militiam proficisci gnatum Cliniam,
Amantem Antiphilam, compulit durus pater:
Animique sese angebat, facti poenitens.
Mox, ut reversus est, clam patrem divortitur *)
Ad Clitiphonem. is amabat scortum Bacchidem.
Cum arcesseret cupitam Antiphilam Clinia,
Ut ejus Bacchis venit amica, ac servolae
Habitum gerens Antiphila, factum id, quo patrem
Suum celaret Clitipho. hic technis Syri
Decem minas meretriculae aufert a sene.
Antiphila Clitiphonis reperitur soror.
Hanc Clinia, aliam Clitipho uxorem accipit.

---

*) Al. *devert.*

# PROLOGUS.

Nē cuī sīt vēstrūm mīrūm, cūr pārtēs a) sĕni b)
Pŏētă dĕdĕrīt, quae sūnt ădŏlēscēntĭŭm,
Id primum dicam; deinde, quod c) veni, eloquar.

In hac Fabula desunt Donati, quod dolendum est, notae atque variae lectiones. Quae vero perierint, an plane nullae ejus fuerint, non constat. Veruntamen in Donati locum substitutae extant Joan. Calphurnii Brixiensis, seculo circiter 16. demortui, animadversiones in hanc Fabulam seu commentarius.

a) In C. G. m. lego, ni scriptura fallor, *praecipuas.* b) V. I. *Menedemo.* Quae supra est metri notatio, ex Prisciano desumsi. c) Par. in marg. ex Pall. *quo.* C. G. m. gl. interlin. *propt. quod inchoavi hunc prologum.*

„*Prologus* concitatus: nam et se purgat, et adversarium acriter tenet.“ Calphurn.

1. *Ne cui sit etc.* Ante omnia conferendi sunt versus in Adelph. Prol. 22. 23., quos Terentius ex Plauto mutuatus est. Ex his vero locis Be. conjicit, prologos ab aliis quibusd. pronuntiari solitos, non ab actoribus, qui primi in scenam veniant, quive primas partes agant; et credit idem, Terentium contra morem prologi *partes* Ambivio, ipsi totius gregis domino eidemq. jam *seni* dedisse. Etiam We. monet cum aliis, prologi *partes*, quas adolescentes agere solerent, *seni* a Poeta esse demandatas. *partes*, h. e. munus aut officium sc. prologi recitandi. Hor. A. P. v. 315. Gallis est id. le róle. *seni* sc. mihi.

3. *Id prim. dicam, deinde etc.* Partitio dupla est, per *primum* et *deinde*; quae torsit jam dudum interpretes. Ego quid. Lindenbrochio assentior dicenti: ut propositio collocata est, ita etiam solutionis est ordo. Nec audio Palmerii et Guyeti inversum ordinem: *Id dicam deinde: primum quod veni eloquar.*“ Igitur nos utrumq. illorum relinquimus, ac potius cum Lindenbr. We. Sincero, aliis censemus, prologum inde ab hoc loco exponere usq. ad v. 16, quae per *primum* indicaret exponenda. Inde rursus quae ad finem sequuntur, referre possumus ad *deinde*. Ceterum fere eund. constructionis ordinem habemus apud Liv. V, 4. „Atque ego, quam hoc consilium necessarium fuerit, *postea* disseram: *nunc* de ipsa conditione.“

Ex integra Graeca integram comoediam
Hodie sum acturus [d]), Heautontimorumenon [e]):
Simplex [f]) quae ex argumento facta est duplici [g]).
Novam esse ostendi, et quae esset; nunc qui scripserit,
Et cuia Graeca sit, ni partem maxumam
Existimarem scire vestrum, id dicerem.
Nunc, quamobrem has partes didicerim, paucis dabo.
Oratorem esse voluit me, non prologum [h]);
Vostrum judicium fecit, me actorem dedit.

d) V. I. *recitaturus.* e) Etiam ceteras, ut hanc, Terentii comoedias graece habemus inscriptas; quamvis haec, latino quoque *se ipsum crucianti*s titulo citata passim obvenit. f) Sic T. Fa. Be. al. Nam vulg. leg. *Duplex.* g) Sic Be. At Eu. *simplici.* Proinde. var. *Duplex-simplici.* Eu. *Simplex - duplici.* Be. *Simplex - simplici.* Lessing. h) V. I. *locutorem.*

4. *Ex integra Graeca.* „A nullo tractata, nunq. e Graeco traducta." We. Not. Calph.: „Terentius Hecyram et Phormionem ab Apollodoro transtulit, reliquas quatuor a Menandro."

5. *acturus*; cf. Eun. Prol. 19. *Heautontim.* Menander Ἑαυτὸν τιμωρούμενον scripsit. Vid. Cic. Tusc. III, 27. Sed quod genus poenae sit τιμωρία, exponit Gellius. Notandum est praeterea, huic Fabulae Menandri Graecae, quae facta est ab Terentio Latina, nomen eundem reservasse, ne Graeci nominis euphoniam perderet: cum Terentius minus laudis existimaret propria scribere, quam Graeca transferre.

6. *Simplex*, „h. e. una fabula, sed argumentum *duplex*: senes duo, adolescentes duo, amicae duae: varii prors. affectus, varii eventus; qui tamen arte Poetae sic copulantur et contexuntur, ut in unam et simplicem fabulam coalescant." Be. Atque ita duplici argumento quamque videmus esse comoediarum Terentii, excepta Hecyra. Nam ex binis Graecis fabulis singulas constat esse factas Latinas; uti ex Andria et Perinthia Menandri Andriam Terentii; similiter ejusd. Eunuchum ex Eunucho et Colace illius.

7. *Novam.* „Scilicet quae nunc primum in scenam procedit." Eu. *ostendi* sc. Latinis. *et quae esset*, h. e. „quo nomine vocaretur." Calph. *qui scripserit.* Latine scilicet Terentius. „Nam etiam Latini scriptoris nomen in Prologo interdum dicebant; quem alioqui pars magna spectatorum ignoraverit." Be. *qui* pro quis; uti multoties ap. Terent.

8. *cuia Gr.* Scilicet Menandri.

10. *didic.* „Docet poeta, *discit* actor, edunt magistri." Calph. Hec. Prol. II, 6. *has. part.* „huius comoediae actus." Schol. *paucis.* „Fastidium tollit." Schol. *dabo*, docebo. Virg. B. I, 19. „iste Deus qui sit, *da* Tityre nobis." Ter. Ph. V, 6, 57.

11. *Oratorem.* Orator est cui causa defendenda mandatur; v. Do. ad Hec. Prol. II, 1.

12. *Vostr. judic. fecit*, vos judices constituit. Sic Liv. 43, 16.

Sed hic actor tantum poterit a facundia [i]),
Quantum ille potuit cogitare commode,
Qui orationem hanc scripsit, quam dicturus sum.
Nam quod rumores distulerunt malevoli,
Multas contaminasse Graecas, dum facit
Paucas Latinas, id esse factum hic non negat [l]),
Neque se id pigere, et deinde facturum autumat.
Habet bonorum exemplum, quo exemplo sibi
Licere id facere, quod illi fecerunt, putat.
Tum quod malevolus vetus poeta dictitat,
Repente ad studium hunc [m]) se applicasse musicum,
Amicum [n]) ingenio fretum, haud natura sua [o]),
Arbitrium vestrum, vestra existumatio

i) Id. *latina eloquentia.* l) C. G. m. sup. script. *Terentius.* m) Id. sup. script. *Terentium.* n) V. I. *amicorum.* o) Id. *quia non est civis romanus.*

13. *poterit* absolute pro, valebit. *a facund.* „Praepositio a eleganter ponitur pro, quod attinet.“ Tursellin.

14. *Quant. ille potuit etc.*, h. e. „non degenerabo ab eo, qui cogitavit.“ Eu. *commode*, bene, pulchre. Hec. I, 2, 33. *cogitare*, meditari. Phaed. III, Prol. 38.

15. *orat.-dict.* Orationem dicere, id significare videtur, quod ap. Cic. orare, i. e. agere dicendo.

16. *Nam quod.* Formula transcendendi et connectendi, ut Cic. Att. III, 10, et Terent. Ad. Prol. 15. *distul.* „in diversum disseminarunt.“ Eu. *malevoli.* Numero plurali utitur pro singulari, sc. veteris poetae. Andr. Prol. 6.

17. *contaminasse*; cf. Andr. Prol. 16.

18. *fact. non neg.* „Non negat factum, sed sibi licere demonstrat, et licere scilicet per aliorum exempla.“ Eu.

19. *autum.* „Non putare tantum, sed et publice profiteri est *autumare.*“ We. Plaut. Men. V, 2, 8. A. Gell. XV, 3.

20. *Hab. bon. exempl. quo etc.* Sic Andr. Prol. 19. *bonor.*, „videlicet *Plauti*, *Naevii*, *Ennii*, quos auctores Terentius habet, ut in Prol. Andr. fatetur.“ Calph. *exempl. quo exemplo.* Hujusmodi repetitio nominis cum relativo pron. familiaris est it. Caesari, B. C. II, 18. „*Loci* natura, quem locum etc.“

21. *Licere id fac quod etc.* Cf. Eun. Prol. v. 41.

22. *malev. vet. poeta.* Luscius scilicet. *vetus*, „per vituperationem, cariosus et quasi rancidus.“ Calph.

23. *musicum*, poeticum. Ph. Prol. 17. „Videlicet poetam elegantem. Nam *musicus* latine dicitur elegans, ἄμουσος vero graece inelegans.“ Calph.

24. *Amic. ingen.* Laelii scilicet ac Scipionis, quorum amicitia ac favore Terentius maximopere usus est. Et ab illis viris Nostrum fama erat in scribendo adjutum. Ad. Prol. 15. *natura.* *Natura* est indoles hominis; cf. Nep. Alcibiad. I.

25. *Arbitr. vestr.* paene id. est quod *Vestr. judic.* v. 12. *existimatio*, judicium; cf. infra II, 3, 41.

Valebit. quare omnes vos oratos volo,
Ne plus iniquum [p]) possit, quam aequum [q]) oratio.
Facite aequi sitis; date crescendi copiam,
Novarum qui spectandi faciunt copiam
Sine vitiis; ne ille [r]) pro se dictum existumet,
Qui nuper fecit servo currenti in via
Decesse [s]) populum: cur insano serviat [t])?
De illius peccatis plura dicet, cum dabit
Alias novas, nisi finem maledictis facit.
Adeste aequo animo; date potestatem mihi
Statariam agere ut liceat per silentium [u]),
Ne semper servus currens, iratus senex [x]),

p) C. G. m. sup. script. *iniquorum*, q) *aequorum*. r) Ibid. gl. *malevolus*. s) Ibid. sup. script. *Decessisse*. t) Ibid. gl. *populus*. u) Ibid. gl. *ne ibi sit murmur, ut audiatur nova fabula*. x) C. G. ch. a dictionib. *irat. sen.* incipit vers. sequentem.

26. *Valeb.* pro praevaleb. „*Valere* dicitur homo, qui gratia superat ceteros.“ We. *oratos volo.* Hec. IV, 2, 14, ubi nota.

27. *Ne plus iniq. p. quam etc.* Itid. Plaut. Rud. III, 2, 4. „ne impiorum potior sit pollentia Quam innocentium.“ Sunt vero *aequi* faventes, *iniqui* adversarii.

28. *date* sc. iis. *cresc.* „Dicitur *crescere* eleganter de hominib., qui famam nominis consequuntur.“ Rn. Itid. Liv. I, 47. „omnib. locis *crescere* (fama augeri) Tarquinium.“ De gerundio *crescendi* pro crescendarum sc. comoediarum vid. Perizon. ad Sanct. Min. l. III, 8.

29. 30. *Novarum qui etc. Sine vitiis.* Sensus est: *qui* poetae novas spectandas praebent vel sane probandas. Hoc fere id. rogat Noster spectatores in Andr. Prol. fin. Constructionem periodi serva hanc: *date c. copiam* iis, *qui fac. copiam* vobis etc. Perturbant hunc sensum, qui post *novarum* commate distinguunt. *Sine vitiis.* Sunt nimirum Terentii fabulae *sine vitiis*, quibus contra scatent comoediae Luscii. Eun. Prol. 4.

31. *fecit*, introduxit, exhibuit. Illud autem vitio datur Luscio, quod populum in scenam induxerit cum servo loquentem. Praeterea idem peccavit, quod *servum currentem*, et populum illi in via decedentem in scenam induxit; quae vero inde abesse debent, et indecora sunt.

34. *novas*, comoedias. *nisi finem etc.* Huiusmodi comminatio in Andr. Prol. 22. 23.

35. *Adeste aequo animo*; cf. Andr. Prol. 24, not.

36. *Statariam* sc. comoediam. *Statariae* opponitur motoria. Illa autem tranquilla est, haec tumultuosior; a statariis actibus vel motoriis. *agere. Agitur* fabula, cum recitatur; *stat*, cum placet.

37. Quae nunc adferuntur vel enumerantur in sequentibus, ea propria videntur esse personarum. Nam servi est currere, senis irasci; parasitus edax est etc. Quorum tamen actionibus

Edax parasitus, sycophanta autem inprudens,
Avarus leno adsidue agendi [y]) sint mihi [z])
Clamore summo: cum labore maxumo.
Mea causa causam hanc justam esse animum inducite,
Ut aliqua pars laboris minuatur mihi.
Nam nunc novas qui scribunt, nil parcunt seni.
Si qua [a]) laboriosa est, ad me curritur;
Si [b]) lenis est, ad alium defertur [c]) gregem.
In hac est pura oratio. experimini,
In utramque partem ingenium quid possit meum.

y) V. I. *introducendi.* z) C. G. m. *seni.* Itid. C. Hal. omisso *mihi.* Sed illa vox *seni* aut pro glossa primo fuisse, aut deinde in textum irrepsisse, aut deniq. per incuriam librarii e versu 43. huc reducta videtur. a) L. Bemb. *Si quae.* Retinet Be. metri causa. b) Sic l. Bemb. In Codd. Be. *Sin.* c) V. I. *stultorum poetarum.*

motoria fit comoedia, propterea seni tranquillo minus conveniens. *serv. currens.* Plaut. Poen. III, 1, 19. „*servile* esse duco festinantem *currere.*" Addo Ter. Hec. III, 4; ubi v. 29. Pamphilus ad servum: „*curre.*" *irat. senex.* Etiam *senes* Terentii ex parte more suo irascuntur, ut Simo, Demea, Laches, Chremes.

38. *edax parasit.* De parasitorum personis ex Graecorum aetate in posteriorem translatis licet passim videre Cic. Hor. Lucian. Plutarch. Athen. Alciphron. al. suo quemque modo agentes. *sycoph.* Cf. Andr. IV, 5, 20. Add. ex Sturz. Lexic. Xenoph. συκοφάντης, calumniator, delator.

39. *Avar. leno.* *Leno* prae ceteris *avarus* est, ut it. Sannio in Terent. Adelphis.

40. *Clam. summo, cum lab. max.* Da. vert.: „aux dépens de mon poumon, et avec bien de la peine."

41. *Mea causa*; cf. infra V, 5, fin. *causa causam.* Paronomasia. Hec. Prol. II, 47.

42. *minuatur,* attenuetur. Andr. II, 3, 18. Aut Hor. Ep. I, 18. *minuat* „pro tollat, evellat." Lambin.

43. *novas* sc. comoedias.

44. *laboriosa est* sc. comoedia agenda. *ad me curr.* Cum stomacho dictum. Sic Andr. I, 5, 16.

45. 46. *Si len. est. Lenis* oratio ac *pura* simul. Vid. Do. in vita Terentii, ubi Caesar narratur illi tribuisse *purum* ac *lenem* sermonem Menandri. Quae vero *pura* sit *oratio* seu purus sermo, de hoc vid. ad Heren. IV. 8. „*Orationis* genus, ad usitatissimam *puri* sermonis consuetudinem demissae." *gregem* sc. histrionum. Ph. Prol. 32. Aut ut Lenzius putavit, adolescentes, Prologum agentes; cf. v. 2. *In hac.* Intellige, stataria; quae vero est Heautontimorumenos. Cuius enim senio suo convenientis princeps actorum petit sibi audientiam placidam atque tranquillam; maxime tamen quod laboriosa sit in agendo. *experimini*; cf. Prol. 25.

47. *In utramq. part.* Quo haec referantur incertum est. Ta-

Si nunquam avare pretium statui arti meae,
Et eum esse quaestum in animum induxi maxumum,
Quam maxume servire vestris commodis;
Exemplum statuite in me [d]), ut adolescentuli [e])
Vobis placere studeant potius quam sibi.

d) Id. *bene audiendo fabulas meas.* e) Id. *poetae provocati meo studio.* Not. Hos binos versus ultimos Gu. immerito addititios vocat.

men We. videtur recte judicare, comoediam innui, qualis Eunuchus, et statariam Heautontimorumenon, laboriosam et lenem.

48. *Si*, pro siquidem. Andr. I, 5, 57. *pretium.* Scilicet quo vendi solent fabulae magistratui *arti meae*; cf. Ph. Prol. 17. *artem musicam.* Ceterum vid. Hec. Prol. 41. seqq. ubi hi tres abhinc versus transscripti.

49. *in anim. ind.* Haec phrasis absq. praeposit. *in*, v. Index.

50. *maxime*, libenter. *serv. vestr. commodis*; cf. Hec. III, 5, 45. *servire* alicui, i. q. saluti alicujus consulere. Itid. Liv. 4, 49. „qui pro *vestris commodis* depugnant." Aut congruentius Cic. in Caecil. 20. „non reip. *commodis serviunt.*"

51. *Exempl.* Sensum horum versuum We. constituit ita: „ut adolescentuli histriones posthac meo *exemplo* potius studeant *servire vestris commodis*, quam suis, vestrumq. judicium anteponant suo quaestui."

## ACTUS I. SCENA 1.

### CHREMES. MENEDEMUS.

*Ch.* Quāmquam haec īnter nōs nuper nōtĭtĭa ādmŏ-dūm 'st,
Īnde ădĕō quŏd ăgrum īn prōxŭmo [a]) hic mĕrcātŭs ĕs,
Nec rei ſere sane amplius quicquam fuit;
Tamen vel virtus tua me, vel vicinitas,
Quod ego esse in aliqua parte amicitiae puto,

a) V. I. *loco.*

„Bene ex arte comica senex opitulator inducitur, qui et miseria et tristitia alterius valde commoveatur. Simul amborum senum conjunctio et familiaritas multum accommodata sequentib. rebus censetur. Simul exprimitur a Poeta mutua miseratio, quae inter senes esse solet, et omnino senilis prolixa." Calph.

*Menedemus.* Hoc nomen Mu. ex Graecis derivat, quod sit, τὸ τοῦ δήμου μένος, vel robur populi.

1. *Quamq. haec etc.* Hunc vers. Cicero allegat de Fin. II, 4. *nuper notitia*, per graecism. uti *semper lenitas* in Andr. I, 2, 4. Quo Mu. tamen gravatus, *nupera*, ex aliquib. libb. praefert. *admodum*, satis, valde; „quia ad modum quod est, satis est." Tursellin.

2. *adeo.* Hanc partic. Antesignanus de tempore interpretatur his: „depuis que vous avez acheté etc." *agrum in prox. m.* Imitari videtur Columella R. R. I, 2. „Censeo — *in propinquo agrum mercari.*"

3. *Nec rei s. ampl.* „Nec aliquid inter nos fuit rei, ex quo facilius jungeremur." Eu.

4. *virt. tua.* Honeste laborem et calamitatem nominat *virtutem.*

5. *Quod ego esse etc.* Consimile huic est, Hesiod. *Ἔρ. κ. Ἡμ.* 339. *τὸν δὲ μάλιϛα καλεῖν, ὅστις σέθεν ἐγγύθι ναίει*, h. e. eum vero potissimum vocato, quicunq. te prope habitat. De commoda vicinitate etiam Cic. de Offic. I, 18. *amicitiae.* Id dativo casu We. sumendum putat, explicans: „Quod ego amicitiae proximum esse puto." Sed non video, cur non potius genitivus intelligatur, quemadmod. Eun. I, 2, 12. *pars aequa amoris.* Vulgo leg. *in propinqua p.*

Facit, ut te audacter moneam et familiariter,
Quod mihi videre praeter aetatem tuam
Facere, et praeter quam res te adhortatur tua.
Nam pro Deum atque hominum fidem! quid vis tibi?
Quid quaeris? annos sexaginta natus es,
Aut plus, ut conjicio. agrum in his regionibus
Meliorem neque preti majoris nemo habet;
Servos complures: proinde quasi nemo siet,
Ita tute attente illorum officia fungere.
Nunquam tam mane egredior, neque tam vesperi
Domum revortor, quin te in fundo conspicer
Fodere, aut arare, aut aliquid ferre b). denique
Nullum remittis tempus, neque te respicis.
Haec non voluptati tibi esse, satis certo scio.
At enim dices c), me, quantum hic operis fiat, poenitet.

b) Be. *facere* ex Edd. vett. et uno C. suorum. Itid. Eu. Sed *ferre* citat Cicero de Fin. I, 1. c) Detracta voce *dices* Mureto haec videtur objectio tacita ac locutio satis perpolita. Hoc id. probatur Bentlejo.

8. *res tua.* Quae *res* sit sc. familiaris, explicatur v. 11. 12.

10. *Quid quaer.* Duo insunt verbo *quaeris*; primo, quid tibi vis? deinde, *quaerere* bona vulgo dicunt pro acquirere; ut etiam possit significare, quid quaeris plura?

11. *Aut plus.* Ovid. Met. V, 130. „Dives *agri* Dorylas, quo non possederat alter Latius. —" *agr. Meliorem etc.* Menand. ἀγρὸν εὐσεβέστερον γεωργεῖν οὐδένα οἶμαι. Sic Hor. Ep. I, 14, 5. *neq. nemo.* Ita Terentius, ut Graeci solent, gravi negatione usus, neque hac affirmatione, more Latinorum.

13. *complur.* Hanc comparativi formam esse negat Be. Et Gu. legi mavult: Servi *complures* sc. tibi sunt. At nos potius ex superiorib. referre suademus, *nemo habet*, v. 12. *nemo* h. l. sc. servorum.

15. *Nunq. tam mane etc.* Quae concinna sermonis elegantia! *tam, tam; mane, vesperi; egredior, revortor.* Itid. II, 3, 70. et Ph. Prol. 25. V, 3, 3.

17. *Fod. aut arare etc.* „Chremes illum non ab industria, sed ab illiberali labore deterret." Sic et plurib. Cic. de Fin. I, 1. judicat de hoc loco. *denique.* Partic. haec est Cic. l. c. transscripta quoque, ita tamen, ut claudat sententiam, non incipiat sequentem.

18. *Null. remitt. temp.* Ad haec pertinet, quod supra dixit, *Nunq. tam mane etc.* v. 15. *neq. te respic.* Spectat ad illud vel quod senex est, vel quod dives. Sens.: Nullam rationem tui habes. Ph. II, 3, 87.

19. *Haec non voluptati etc.* Recte suspicatur, quod infra patet, v. 97.

20. *quant. hic etc.* sc. a servis meis. *operis* sc. rustici. Ph II, 1, 20. *poenitet*, Eun. V, 6, 12.

Quod in opere faciundo operae consumis tuae,
Si sumas in illis exercendis, plus agas.
*M.* Chreme, tantumne ab re tua 'st oti tibi [d]),
Aliena ut cures, ea [e]) quae nihil ad te adtinent?
*Ch.* Homo sum: humani nihil a me alienum puto.
Vel me monere hoc, vel percontari puta.
Rectum 'st, ego ut faciam; non est, te ut deterream.
*M.* Mihi sic est usus; tibi ut opus facto 'st, face.
*Ch.* An cuiquam est usus homini, se ut cruciet? *M.* mihi.
*Ch.* Si quid laboris est [f]), nollem; sed quid istuc mali est?

d) Cicero citat ad Attic. 12, 6. *Chr. tantumne ab re tua est otii tui.* e) Sic Be. Codd. Vulg. *eaque.* f) Be. omitt. *est.* Sed bis positum more videtur Terentii.

21. 22. *Quod in opere etc.* „Qui aliis praeest, aut paterfamilias aut imperator, plus efficit sua adhortatione, quam opera." Calph. *exercend.* Est *exercere* verb. rusticum. Virg. G. I, 210. „*Exercete*, viri, tauros." Itid. Liv. 45, 18. „praedia rustica *exercere.*" *Si sumas* sc. eand. oper. tuam. *pl. agas*, acquires opis.

23. *ab re tua*, eleganter pro: post rem tuam rite curatam. Cic. Attic. XII, 6. it. Hor. Sat. II, 3, 19. hunc loc. imitati videntur. *otii t. Otium* gr. ἀσχολία.

25. *Homo sum etc.* Calph. putat eam esse sententiam Platonis: „ortus nostri partem patriam vendicare, partem amicos." Supra hunc loc. v. Cic. de Offic. I, 9. id. de Legib. I, 12.

26. *Vel me monere.* Similis locus est Cic. Fam. IV, 8. „Illud *vel* tu *me monuisse*, *vel* censuisse *puta*, vel propt. benevolent. tacere non potuisse." *percontari*, interrogare, cum notione arguendi. Volebat nempe Chremes *monere*, ne tantum ille sustineret laborem; *percontari* autem, cur id faceret.

27. *Rect. est, ego ut etc.* Tollo notam interrogationis aliorum, et subaudita particula *si* Sanctii sequor interpretationem hanc: Si *rectum* est, ut ego itid. faciam; si *non est*, *ut te deterream*; cf. Eun. II, 2, 21, not. Itid. Virg. A. VI, 30. *sineret dolor* pro, si *sineret dolor. Rect. est*, sc. quod tu facis.

28. *Mihi sic est usus etc.* Vers. hunc citat Cicero de Fin. V, 10. Explic. Eu. „*Mihi sic* expedit." Hec. III, 1, 47.

29. *An cuiq. est usus etc.* Formula est haec interrogatio ad praecedent. responsionem. Inde miramur artem Terentii, quae dicitur argumentandi ad hominem. *se ut cruciet.* „Indigitat tacite nomen Fabulae." We.

30. *Si quid laboris etc.* Hunc vers. Gu. et Boecler. spreverunt, parum inde boni sensus elici posse fatentes. Sed mihi quidem videtur sententia aperta, et post *nollem*, quod abrupte dixerat Chremes, repetend. esse ex versu 26, *vel monere, vel percont.* Quoad τὸ *laboris* explic. We. molestiae, „si quid in animo molestiae est, quod te habet." Hec. III, 1, 6.

Quaeso, quid de te tantum [g]) meruisti? *M.* oi, ei [h])!
*Ch.* Ne lacruma: atque istuc, quicquid est, fac me ut sciam.
Ne retice, ne verere; crede inquam mihi,
Aut consolando, aut consilio, aut re juvero.
*M.* Scire hoc vis? *Ch.* hac quidem causa [i]), qua dixi tibi.
*M.* Dicetur. *Ch.* at istos rastros interea tamen
Adpone [l]), ne labora. *M.* minime. *Ch.* quam rem agis?
*M.* Sine me vacivum [m]) tempus ne quod dem mihi
Laboris. *Ch.* non sinam, inquam. *M.* ah, non aequum facis.
*Ch.* Hui! tam graves hos quaeso? *M.* sic meritum 'st meum.
*Ch.* Nunc loquere. *M.* filium unicum adolescentulum
Habeo. ah, quid dixi, habere me? immo habui, Chreme.
Nunc habeam nec ne, incertum 'st. *Ch.* quid ita istuc? *M.* scies.

g) V. I. *tormentum.* h) Sic Be. corrigi ac respici jubet ad Eun. IV, 4, 47. C. G. m. *eheu*; ubi sup. script. *dolentis.* i) V. I. *volo scire.* l) Id. *depone.* m) L. Bemb. *vocivom*; mutatum postea in *vacivom.* Al. *vacuum.*

31. *meruisti.* *Mereo* vel mereor in utramq. part. valet; in bonam, ut Eun. IV, 6, 12; in malam, ut in Andr. III, 5, 15. Sensus: „Quid advers. te ipse peccasti, quod tantas a te poenas sumis?" We.

33. *crede mihi*, „committe mihi id secretum, quod retices." Be.

35. *qua*, per atticism. pro quam; vid. Be. ad Hor.

36. *rastros.* „Dicimus rastrum in singulari, et *rastri* in plurali." Calph. Sed et *rastra* dici testatur Servius. Apparet h. l. Menedemum a Chremete deprehensum esse in agro suo radendo occupatum; cf. v. 97.

37. *ne labora*, „Id est, noli te vexare, aut te ita labore conficere." Calph. *quam rem agis?* Hanc formulam esse Ru. putat. Falso. Hoc enim dicto parat Chremes pergentem inhibere. Videlicet manu prehensum detinet illum, qui tum, *Sine me*, dicit.

38. *vacivum.* Quidam graece explicant, εὔσχολον.

39. *non sin. inqu.* „Haec magis gestu exprimuntur." Calph.

40. *graves* sc. rastros. Virg. G. I, 164. „iniquo pondere rastri."

41. *fil. unic.* Itid. Andr. I, 1, 73. Sed Seneca, de ira 21, ait: „*unicis* quo plus indulgetur, corruptior animus fit."

42. *habui.* Plaut. Rud. V, 2, 34. „Miserum verbum est *habuisse.*"

Est e Corintho hic advena anus paupercula:
Ejus filiam ille amare coepit virginem [n]),
Prope jam ut pro uxore haberet. haec clam me omnia.
Ubi rem [o]) rescivi, coepi non humanitus,
Neque ut animum decuit aegrotum adolescentuli,
Tractare, sed vi et via [p]) pervulgata patrum.
Quotidie accusabam: „hem, tibine haec diutius
Licere speras facere, me vivo patre,
Amicam ut habeas prope jam in uxoris loco [q])?
Erras, si id credis, et me ignoras, Clinia.
Ego te meum esse dici tantisper volo,
Dum, quod te dignum 'st, facies [r]); sed si id non facis,
Ego, quod me in te sit facere dignum, invenero.
Nulla adeo ex re istuc fit, nisi nimio ex otio [s]).

n) Ita C. G. m. At C. G. chartac. pro *virginem* hab. *perdite*. o) C. G. m. *id* pro *rem*. p) *via* monosyllab. sicut anglic. way; siquidem Be. v pro w existimat Romae olim pronuntiatum. q) L. antiq. invert. *ux. in loco*. r) Bac. conject. *facis*. Atque verum est, praesens temp. cum *dum* jungi, praesertim cum praesens item antecesserit. s) Vulg. colloc. *ex nimio otio*. Sed Be. voci *nimio*, ob emphasin, primam sedem tribuit.

44. *Est e Corintho hic etc.* „Urbs *Corinth.* quasi colonias meretricum misit Athenas et alio.“ We. Hec. I, 2, 11. Add. Lucian. in *Ἑταίραις*; ubi vide.

46. *ut pro ux. hab.* Cf. Andr. I, 1, 119. Res odiosa patri.

47. *rescivi*; cf. Ad. V, 3, 5. *humanit.* Significat, more humano, clementer; cui oppositum est, *via pervulg. patr.* v. 49. „Hic jam se arguit, quod juste de se exigat poenas.“ Eu.

49. *Tract.* „Proprie *tractatur* materia, unde quid fingunt artifices.“ We. Sic Ovid. A. A. „*Tractabat* ceramq. puer.“ Hinc etiam homines vel animalia *tractari* dicuntur. *via pervulg.* h. e. more vulgari; ut vulgo solent patres.

50. *Quotid. accusab.* Secund. Plaut. Merc. I, 1, 46. „Objurgare pater haec me noctes et dies.“

52. *Amicam.* Ita dicit, ne dicat meretricem. Infra II, 3, 87.

53. *Erras, si id credis.* Similis formula ap. Petron. c. 94. „*erras, si* putas.“

54. *meum* sc. filium. Sic it. suppresso filii nomine, infra V, 4, 11. *tantisp.* „*Tantisper* post se postulat *dum*, pro donec, sive quamdiu.“ Calph.

55. 56. *quod te dign. est*, et, *quod me sit dign.* Hoc oratorie, sed totum cum stomacho dictum. Pater enim minari videtur abdicationem, quemadmodum Simo in Andr. V, 3. 19.

57. *istuc.* Da. ellipsin explet vertendo: „tout ce libertinage.“ *otio.* „Id est, cessatione et requie ab operibus.“ Calph. Desidiam autem *nimiumq. otium* amores fovere illicitos, id satis ex Ovid. noscitur, Rem. A. 135.

Ego istuc aetatis, non amori operam dabam,
Sed in Asiam hinc abii propter pauperiem [t]), atque ibi
Simul rem et belli gloriam armis repperi [u]).“
Postremo adeo res rediit: adolescentulus
Saepe eadem et graviter audiendo victus est.
Putavit me et [x]) aetate et benevolentia
Plus scire et providere, quam se ipsum sibi:
In Asiam ad regem militatum abiit, Chreme.
*Ch.* Quid ais? *M.* clam me est profectus; menses tres abest.
*Ch.* Ambo [y]) accusandi; etsi illud inceptum tamen
Animi est pudentis [z]) signum, et non instrenui [a]).
*M.* Ubi comperi ex iis, qui fuere ei conscii,
Domum revortor moestus, atque animo fere
Conturbato atque incerto prae aegritudine.
Adsido [b]). adcurrunt servi, soccos detrahunt.

t) C. G. m. p. var. *miseriam.* u) *repperi.* Recte; non *reperi.* Nam Priscian. monet lib. 9. positione antepenultimam produci. Id. lib. 10. „*Reperio* duplicavit p in praeterito, quippe diminuta una syllaba *repperi.*“ x) L. antiq. omitt. *et.* Hab. o. libb. Be. elegantius. y) V. I. *et tu et filius.* z) Id. *verecundi.* a) Id. *firmi.* b) Al. *Adsideo.*

58. *ist. aetatis* pro, ea aetate. Sic it. Cic. p. Cluent. 51. „id aetatis.“ Ceterum itid. pater ille in Eun. V, 5, 16. praematurum filii amorem miratur. *am. op. dab.* Cum Veneris libidine; cf. Eun. II, 3, 82.

59. *Sed in Asiam — propt. paup.* Est *pauperies* causa militandi etiam ap. Virg. A. II, 87.

60. *rem.* Praedam significat speratam.

61. *adeo res red.* Cf. Ph. IV, 4, 5. *adeo,* adeo usque.

62. *gravit. aud.* Cf. Andr. I, 2, 20. *vict. est,* cessit. Hec. I, 2, 93.

63. *Putav. me et etc.* Accipit pater in bonam partem quodcunq. fecerit filius. Quinamq. non patris sapientiae obsecutus, sed ejusd. objurgatione perpetua devictus in Asiam abiit.

65. *ad regem.* Significatur rex Persarum, qui et βασιλεὺς dicebatur κατ' ἐξοχήν. Eun. I, 2, 11. Et Cic. Tusc. V, 12. *rex* Persarum veluti rex regum commemoratur. At Da. Seleucum regem intelligit, sicut Eun. III, 3.

68. *animi est pudentis.* Contra Eun. III, 1, 35.

69. *comperi.* Scilicet investigatione ante facta. *qui fuere ei consc.* Cf. Ph. I, 3, 4.

70. *Dom. revort.* Hoc dicens significat, foris se filium ubiq. conquisivisse.

72. *Adsido.* Significat enim, se labore investigandi lassum atq. exhaustum concidisse. *socc. detrah.* Itid. Sueton. Vitell. 2. „*detractumq. socculum* dextrum.“ Per *soccos* autem memores ti-

Video [c]) alios festinare, lectos sternere,
Coenam apparare: pro se quisque sedulo
Faciebant [d]), quo illam mihi lenirent miseriam.
Ubi video haec [e]), coepi cogitare: hem, tot mea [f])
Solius solliciti sunt [g]) causa, ut me unum expleant [h])?
Ancillae tot me vestiant? sumtus domi
Tantos ego solus faciam? qui [i]) gnatum unicum,
Quem pariter uti his decuit, aut etiam amplius,
Quod illa aetas magis ad haec utenda idonea est,
Eum ego hinc ejeci [l]) miserum injustitia mea.
Malo quidem me dignum quovis deputem,
Si id faciam. nam usque dum ille vitam illam colet

c) Be. delet *Video*, quasi superfluum propt. *Ubi video*, v. 76. Non probatur. d) Sic repon. Be. Bo. et sic notavit olim G. Fabricius. Probatur quoque haec lectio ob *lenirent*. Vulgo est *Faciebat*. e) Be. post *video* distinguit. Sed alios magis commode puto post *haec*. f) Al. *mei*. g) Al. *sint* perperam. h) V. I. *mihi satisfaciant*. i) L. antiq. *set*. Omitt. Be. et in ejus locum substituit *qui*, ex ips. orationis filo ac tenore. l) Suavior senat haec collocatio Be. quam quae vulgo est, *Eum ego ejeci hinc*.

mus, comoediam tangi leviter, ubi *soccis* uterentur actores, cum tragoedia haberet cothurnos.

73. *lect. stern.* Ad. II, 4, 21. Ex consuetudine antiqua *lectis* stratis coenabantur. Vid. Lips. de more discumbendi ap. vett.

74. *Coen. app.* Verb. *apparare* ad elegantiam magnificentiamq. vitae pertinet; quam inter alia Menedemus propt. absentiam filii aspernatur; praesertim convivia. Cic. in Catil. II, 9. conviviis *apparatis*, i. e. lautis, splendidis.

76. *haec*. Intellige, quod *adcurrunt servi*, *socc. detrah. etc.* quae antecesserunt. *mea Solius causa*. Similis constructio elegans, Cic. Pis. 6. „Juravi, remp. *mea unius opera* esse salvam.“

77. *ut me un. expl.* Observanda est vis verbi *explere* ad hunc sensum: ut ne una quidem re careat dominus, quam desideret.

78. *Ancillae tot me vest.* „H. e. vestibus mihi conficiendis occupatae sint nendo et texendo.“ We. *sumt. d. Tantos etc.* Liv. 32, 27. „*sumtus*, quos in cultum praetorum socii *facere* soliti erant etc.“

81. *illa*, pro illius, filii.

82. *Eum*, abunde. Jam enim supra posuit *gnatum meum*. Nisi forte emphatice *eum* accipiatur propt. animi affectum. Huc respexit Horatius, Sat. I, 2, 19. *hinc*, e patria, v. 85.

83. 84. *Malo quid me etc. Si id fac.* Haec verba cum illis cohaerere, quae supra sunt, *sumt. d. Tant. ego sol. fac.* We. existimat; quae vero intermedia sint, *qui gnatum etc.* parenthesi esse comprehensa. *vit. colet*, deget. Plaut. Most. III, 2, 41. „Vino et victu *vitam colitis*.“

Inopem, carens patria ob meas injurias,
Interea usque illi de me supplicium dabo,
Laborans, quaerens, parcens, illi serviens.
Ita facio prorsus: nil relinquo in aedibus,
Nec vas, nec vestimentum; conrasi omnia.
Ancillas, servos, nisi eos qui opere rustico
Faciundo facile sumtum exercerent suum,
Omnes produxi ac vendidi; inscripsi ilico
Aedes mercede; quasi talenta [m]) ad quindecim
Coegi; agrum hunc mercatus sum; hic me exerceo.
Decrevi, tantisper me minus injuriae,
Chreme, meo gnato facere, dum fiam miser;
Nec fas esse, ulla me voluptate hic frui,
Nisi ubi ille huc salvus redierit meus particeps.

m) *inscripsi illico Aedeis: mercedem quasi talenta.* Haec est Bembi collocatio et distinctio simul. C. G. m. et Hal. *mercede.*

86. *illi supplic. dabo,* i. q. filio poenas dabo. Ph. V, 9, 40. Cadit in Menedemum, quod Cicero refert de Laerte: „Homerus — Laertem lenientem desiderium, quod capiebat e filio, colentem agrum et stercorantem facit.“ Cato 15.

87. *illi serviens*, h. e. pro illo me affligens. Hec. II, 1, 29.

88. *nil relinq. in aedib.* Similiter Liv. I, 29. „nunc errabundi domos suas, ultimum illud visuri (quod relinquerent) pervagarentur.“

89. *vas. Vasa* dicuntur omnis generis suppellex. *vestiment.*, h. e. non vestes solum, sed et stragulas, tapetas etc. Cf. infra V, 1, 30. *conrasi.* „Cum dicere volumus, aliquem nihil omnino tam parvum reliquisse ex reb. suis, quod non alienaverit, recte dicemus, *omnia conrasit*, quasi etiam raserit parietem.“ Calph. Ad. II, 2, 34.

91. *facile sumt.* Not. Mu.: „Eleganter opere faciundo *victum exercere*, id est, ruri laborando *victum* quaerere.“ Mu. autem *victum* legit, non *sumtum.*

92. *produxi*; cf. I, 2, 54. *inscripsi Aed. mercede.* Item et proscribere dicunt, i. e. publice scriptum proponere, Cic. de Offic. III, 13. Plaut. Trin. I. 2, 131. Est vero *inscribere* simpliciter, venales aut locandas ponere *aedes*: sed *inscribere mercede*, locandas dare; *inscribere* pretio, vendendas ponere. Erat enim tabula inscripta publice suspensa, qui titulus etiam dicebatur. Unde Ovid. Rem. 302. „sub titulum nostros misit lares.“

94. *Coegi*, pro collegi. Proprie dicitur *cogere* pecuniam de reb. venditis confectam.

95. *Decrevi*, judicavi, mihi persuasi. Hos duo versus allegat Cicero de Fin. V, 10. et Tusc. Q. III, 27.

98. *partic. Particeps* in jure romano dicitur filius, vivo patre, bonorum, mortuo illo, possessor; v. Gierig. ad Plin. Et Cic. Verr. I, 44. „Quibuscum *viri bona nostra partimur etc.*“

*Ch.* Ingenio te esse in liberos leni puto,
Et illum obsequentem, si quis recte aut commode
Tractaret. verum neque illum tu satis noveras,
Nec te ille; hoc quod [n]) fit, ubi non vere [o]) vivitur.
Tu illum, nunquam ostendisti, quanti penderes,
Nec tibi ille 'st credere ausus, quae est aequum patri.
Quod si esset factum, haec nunquam evenissent tibi.
*M.* Ita res est, fateor: peccatum a me maxumum [p]) 'st.
*Ch.* Menedeme, at porro recte spero, et illum tibi
Salvum adfuturum esse hic confido propediem.
*M.* Utinam ita Di faxint! *Ch.* facient. nunc, si commodum est,
Dionysia hic sunt hodie [q]), apud me sis volo.
*M.* Non possum. *Ch.* cur non? quaeso tandem aliquantulum
Tibi parce. idem absens facere te hoc [r]) volt filius.
*M.* Non convenit, qui illum ad laborem impulerim s),

n) Be. *quod*, ne claudicet versus. Pro *quod* l. antiq. *ibi.* o) C. G. m. *rite* et sup. script. *vere.* p) L. Vict. *maxime.* Tunc cognoscitur *peccatum* esse participium. q) Al. distingu. *Dion. hic sunt*: *hod. ap. me.* r) V. I. *ut parcas tibi.* s) C. G. m. *compulerim.*

99. *in liberos.* Andr. V, 3, 20, ubi nota. Ad. Gell. II. 13.

101. *Tractar.* Cf. v. 49. Add. Liv. 3, 14. „paulatim permulcendo *tractandoq.* mansuefecerant plebem."

102. *ubi non vere viv.* „Ubi non integre vita ostenditur, ubi non nudatur, ut quis qualis sit agnosci queat." Eu. Aliter Demaenetus in filium, vid. Plaut. Asin. I, 1, 65. 66.

103. *quanti pend.*, i. q. quanti faceres. „Nam antiquorum poenae erant pecuniariae, quas aere vel argento *pendendo* luebant. Inde *pendere* dicimus aestimare." Do.

104. *est aequum*, sc. filium credere.

107. *recte spero* sc. eventurum. Formula consolandi. Ad. III, 1, 2. Sed *recte* in omnib. rebus in bonam partem dicitur; uti *recte* vendere est, bono pretio, v. Cic. Verr. V, 98.

109. *faxint.* „*Faxo* futur. temp. vel promissum modum ostendit." Calph.

110. *Dionysia*; cf. infra IV, 4, 11. Sunt autem *Διονύσια*, *τὰ κατ' ἄστυ Διονύσια* et majora; vid. Theophr. Ch. 4. Duplicia namq. erant Bacchanalia, quae in urbe celebrabantur, et in agris; illa verno tempore, haec autumno, in honorem Dionysii vel Bacchi. De his conf. Hoepfner. ad Aristoph. Nub. *hic*, Athenis. *ap. me sis.* Dicebant, esse apud aliquem pro, coenare. Infra 2, 11. Plaut. Stich. IV, 1, 11.

111. *quaeso.* Prima tantum sing. persona indicativi usurpatur; etsi Ciceroni Fam. XI, 3. etiam pluralis, „Deos *quaesimus.*"

113. *impul.* Cf. Ph. II, 2, 6.

Nunc me ipsum fugere. *Ch.* siccine est sententia?
*M.* Sic. *Ch.* bene vale. *M.* et tu. *Ch.* (*secum*) lacrumas excussit mihi,
Miseretque me ejus. sed ut diei tempus est,
Monere oportet me hunc vicinum [t]) Phaniam,
Ad coenam ut veniat; ibo ut visam [u]), si domi est.
*(abit, sed redit paulo post)*
Nihil opus fuit monitore: jam dudum domi
Praesto apud me esse ajunt; egomet convivas moror.
Ibo adeo hinc intro. sed quid crepuerunt fores
Hinc a me [x])? quisnam egreditur? huc [y]) concessero [z]).

t) V. I. *alterum*; vid. v. 4. u) Al. *et visam*, omisso *ut*. x) V. I. *a mea domo*. y) Id. *in domum*. z) Id. *transeam*.

114. 115. *siccine*, rogantis; Andr IV, 2, 6. *sic*, respondentis est, Ph. II, 2, 2. *lacrum. excuss. mihi.* Sic Plaut. Capt. II, 5, 59.

116. *diei*, abundat. It. Sallust. Jug. 52. „jam *die* vesper erat.“ Veruntamen formula est, *ut diei temp. est*, infra 2, 38. Subaudi: *ad diei tempus*, quo coenare solebant.

117. *Monere.* Eum scilicet, qui jam erat vocatus invitatusve. Veteres enim solebant convivas, si morarentur, per servos, qui *monitores* vel vocatores proprie dicebantur, admonere, ut ad coenam venirent. Appulej. Met. III, 134. Quod ipsum horologiis carentes faciebant. Cujus rei testes sunt complures; sed unus sufficiat Martialis, Epigr. VIII, 67. „Horas quinque, ait, puer nondum tibi nuntiat.“

122. *concessero.* Infinitum temp. pro, concedam. v. Sanct. Min. I, 13.

# ACTUS I. SCENA 2.

## CLITIPHO. CHREMES.

*Cl.* (*ad Cliniam intus, qui redux in vicinam domum Chremis ad Clitiphon. familiarem sibi diverterat, ut ibi amicam ex urbe arcessitam exspectaret.*) Nihil adhuc est, quod vereare, Clinia: haudquaquam etiam cessant,
Et illam simul cum nuntio tibi hic ego [a]) adfuturam hodie scio.
Proin tu sollicitudinem istam falsam, quae te excruciat, mittas.
*Ch.* (*secum mirabundus*) Quicum loquitur filius?
*Cl.* (*secum*) Pater adest, quem volui. adibo. pater, opportune advenis.
*Ch.* Quid id est? *Cl.* hunc Menedemum nostin', nostrum vicinum? *Ch.* probe.

a) Sic l. antiq. Ab uno Codd. Be. abest *hic*, a vet. Lindenbr. utrumq. *hic ego*. Hic vers. novem pedum, *ego* demto, octonarius fit.

„Hic Cliniae, qui ex Asia redierat, ingens de amica sollicitudo exprimitur. Accedit et sodalis opitulator Clitipho, qui adventum amici mira voluptate patri narrat." Calph.

*Clitipho.* Hoc nomine denotatur graece, κλειτὸν φῶς, claritas lucis.

1. *cess.* „Dicuntur *cessare* temere morantes in loco, et serius venientes." We.

2. *cum nuntio.* Scilicet *servolum* miserat Clinia, ad arcessendam virginem ex urbe; cf. infra v. 17. *hodie*; cf. Andr. I, 5, 19, not.

3. *sollicitud. quae te excr.* De hac sollicitudine, quae fuerit Cliniae, vid. infra II, 2, init. *mitt.* Cf. Virg. A. VI, 85. „*mitte* hanc de pectore curam."

5. *quem volui* sc. adesse.

6. *hunc Mened. vicin.* „Sumit exordium a vicinitate patris." Eu.

*Cl.* Huic filium scis esse? *Ch.* audivi esse [b]) in Asia. *Cl.* non est, pater;
Apud nos est. *Ch.* quid ais? *Cl.* advenientem, e navi egredientem ilico
Abduxi [c]) ad coenam: nam mihi magna cum eo jam inde usque a pueritia
Fuit semper familiaritas. *Ch.* voluptatem magnam nuntias [d]).
Quam vellem Menedemum invitatum, ut nobiscum esset hodie [e]) amplius:
Ut hanc laetitiam nec opinanti primus [f]) objicerem ei domi.
Atque etiam nunc tempus est. *Cl.* cave faxis; non est opus, pater.
*Ch.* Quapropter? *Cl.* quia enim incertum 'st etiam [g]), quid [h]) se faciat; modo venit;

b) In l. antiq. deest *esse*. Hab. al. post *Asia*, al. post *audivi*. c) L. antiq. *Adduxi*. d) Hic sequitur in utroq. Cod. Goth. versus, *Quid narr. - cred. est*, qui vulgo ponitur in Edd. et Codd. post hinc octo; confuse tamen, ut opinor, cum hic inconvenientius abruptus, illic positus aptius videatur. Sed et We. notat, integrum hunc v. in ms. Mark. esse ante v. 11. locatum. Etiam itid. invenio in uno Guelferb. e) Al. omitt. *hodie* perperam. Nam retinend. videtur, ut sit certum temp. invitationis. Supra I, 110. f) Al. *primum* mendose. g) Schmied. omitt. *etiam* male. h) C. G. m. *de*.

7. *esse in Asia*; cf. supra I, 1, 65; ubi hoc ex patre illius jam Chremes audivit.

8. *Ap. nos.* Mu. explic. „domi nostrae.“ *quid ais?* „Interrogat, quod audivit, admirabundus.“ Calph. Supra I, 107. *e navi egred.* Sic proprie dicitur, qui navigatus terram conscendit. Liv. 45, 13.

9. *ad coenam.* „Ex more scilicet, quo alter alteri coenam adventitiam dabat.“ We. *inde usque a pueritia*; cf. Ad. I, 1, 16. Et Cic. Cluent. 68. „*usque a* mari supero Romam proficisci.“

10. *volupt. magn.* „Scit enim Chremes, vehementer patrem esse sollicitum.“ Eu.

11. *Quam vellem invitatum.* Haec ead. syntax. Ad. III, 3, 18. *curatum velis.* Itid. Cic. Fin. IV, 66. Sed melior hic mihi sensus videtur, ut jungatur *invitatum amplius*; quia nempe jam invitatus erat Menedemus ab ipso Chremete supra I, 110. Valeret igitur *amplius* pro denuo, iterum.

12. *Ut hanc laet. etc.* Cf. Cic. p. Rosc. Am. 7. „*ut* exoptatum inim. nuntium *primus* adferret.“

13. *Atque*, αὐξητικὸν, pro immo. *etiam*, adhuc. *temp. est* sc. vocandi vel invitandi.

14. *enim*, pro videlicet. Sic Plaut. Truc. II, 2, 11.

Timet omnia, patris iram et animum amicae se erga ut [i]) sit suae,
Eam misere amat; propter eam haec turba atque abitio evenit. *Ch.* scio.
*Cl.* Nunc servolum ad eam in urbem misit, et ego nostrum una Syrum.
*Ch.* Quid narrat? *Cl.* quid ille? miserum se esse. *Ch.* miserum? quem minus credere 'st?
Quid reliqui 'st, quin habeat quae quidem in homine dicuntur bona?
Parentes, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, divitias [l]).
Atque haec perinde sunt, ut illius animus, qui ea possidet.
Qui uti scit, ei bona; illi, qui non utitur recte, mala.
*Cl.* Immo ille [m]) fuit senex [n]) importunus semper; et nunc nil magis
Vereor, quam ne quid in illum iratus plus satis [o]) faxit, pater.
*Ch.* Illene? (*secum*) sed reprimam me: nam in metu esse hunc, illi [p]) est utile.

i) V. I. *qualis*. l) Par. p. var. *ditias*. m) Abest *ille* a quibusd. n) V. I. *Menedemus*. o) Id. *plus quam debeat*. p) Id. *Clitiphoni*. At Par. in marg. *Menedemo* rectius.

15. *Timet - anim. etc. ut etc.* Hac ead. utitur constructione, Eun. III, 5, 62, ubi nota. *se erga.* Anastrophe antiqua pro, *erga se.* Itid. Plaut. Trin. V, 2, 4. „amicum *erga*.“ Sensus: „Timet ne amica eum postergaverit.“ Calph.

17. *in urbem.* „Ergo in suburbano scena fuit.“ We.

18. *quem minus cred. est?* Ordina: *quem credere est minus* miserum sc. quam Cliniam? Aut sic: Quis magis est fortunatus quam Clinia? Quoad locutionem, *credere est*, We. pro hellenismo habet, cujusmodi obveniat Ad. V, 3, 42 et Virg. B. X, 46. „nec *sit* mihi *credere*.“

19. *in hom. dic. bona.* Quae bona dentur hominibus, aut natura aut fortuna auctore, id agit Cicero, Tusc. Q. V, 30.

20. *Parentes etc.* Ead. fere bona Horatius etiam enumerat Ep. IV, 9. „Nec miser est, qui possidet illa.“

21. *Atq. haec perinde etc.* „Externorum bonorum fructus ab animo pendet.“ Mu.

22. *Qui uti scit etc.* Consimilis illa est inter Syri sententias: „Quis nescit uti, perdere est dignus bona.“

23. *importun.* Cf. Andr. I, 4, 4. male generosus.

24. *pater.* Ante hanc vocem posui cum We. κόμματος signum, ut vocandi, non nominandi casu illa accipiatur. Sed verba hujus versus sic construe: *Vereor, ne quid irat. in ill. fax. quam satis.*

25. *Illene? sed etc.* „Hoc utiq. intelligitur propterea di-

*Cl.* Quid tute tecum? *Ch.* dicam: ut ut erat, mansum tamen oportuit.
Fortasse aliquantum [q]) iniquior erat praeter [r]) ejus [s]) lubidinem;
Pateretur: nam quem ferret, si parentem non ferret suum?
Hunccine erat aequum ex illius more, an illum ex huius vivere?
Et quod illum insimulant [t]) durum, id non est: nam parentum injuriae
Uniusmodi sunt ferme. paulo qui est homo tolerabilis,
Scortari crebro nolunt, nolunt crebro convivarier,
Praebent exigue sumtum; atque haec sunt tamen ad virtutem omnia.

q) Sic l. Bemb. In antiq. *aliquanto.* r) Quid. Codd. *propter.* s) V. I. *Cliniae.* t) Sic Be. e Bemb. C. Recte. Scilicet non Clinia solus sed etiam Clitipho. In antiq. l. *insimulat.*

ctum, quia scit Chremes animum Menedemi. Haec ne proderet, repressit se, et reliqua verba conticuit." Eu.

26. *Quid tute etc.* „Quia dixerat Chremes, *reprimam me*, submissa voce, interrogat filius." Calph. *ut ut erat*, qualiscunq. erat pater; cf. Andr. V, 4, 16. *mansum* pro mansisse. Syntax. Terent. Infra II, 3, 6.

27. *iniq.* Cf. Hec. III, 5, 35. *praet. ejus libid.* contra ejus voluntatem. *Libido* est voluntas, Hec. IV, 1, 19. Et Cic. p. Rosc. A. 3. ubi Doering.

28. *Pateretur* pro „pati debebat." L. V.

29. *Hunccine erat etc.* Simili sententia Plaut. Cas. II, 3, 45. „Illum mihi aequius est, quam me illi, quae volo concedere."

30. *durum.* Proprie de patre. Infra III, 1, 30. Ad. I, 1, 39. Et Ovid. Am. I, 15. 17. „Dum fallax servus, *durus* pater etc." *injuriae*, irae, quae filiis quidem injuriae videantur.

31. *tolerabil.* active accipiendum. Hic tamen diversi sunt interpretes. Da. vert.: „je parle des pères qui sont un peu raisonnables." Ante illam Antesignanus ita: „j'entens d'un père qui est un homme un peu tolérable." Si quis est patrum qui tolerabilis sit, is tamen minime vult, *scortari crebro vel convivari* filios etc. Apparet Terentium a numero verbi singulari descendere ad pluralem, cum dicit *nolunt* pro non vult. *homo*, i. e. pater.

32. *crebro.* Vide quam sint tolerabiles illi! Non tam *scortari* nolunt, quam *crebro* tantum *nolunt scortari* filios. *Scortari* — *convivari.* Utrumq. junxit etiam Sallustius B. Cat. 7. „in *scortis* atque *conviviis.*"

33. *Praeb. exig. sumt.* Sic it. servus in Ph. I, 2, 34. tenacitate patris in filium gravatur. *haec.* Scilicet quod *scort. crebro nolunt* filios etc. *ad virtut.* Subaudi, filiorum. Praepositio *ad* finem notat vel propositum; uti Cic. I. Catil. 4. „Jam intelliges, multo me vigilare acrius *ad* salutem, quam etc."

Verum ubi animus semel se cupiditate devinxit mala,
Necesse est, Clitipho, consilia sequi [u]) consimilia. hoc
Scitum est, periculum ex aliis facere, tibi quod ex usu siet.
*Cl.* Ita credo. *Ch.* ego ibo hinc intro, ut videam nobis coenae quid siet [x]).
Tu, ut tempus est diei, vide sis, ne quo hinc abeas longius. (*abit.*)

u) Sic C. G. m. Haec fere unica lectio; qua simul impeditur, quo minus auris syllaba *con* ter deinceps audita percutiatur; quod fit lectione vulgari, *conseq.* Nisi quis id ipsum comicum esse putarit. x) V. I, *paratum.*

34. *anim. se cupid. devinx.* pro, *animus* captus est, et deditus pravae cupiditati.

35. *consil. seq. consim.* Notantur enim consilia, quae animo sunt *mala cupiditate* devincto consimilia.

36. *hoc Scit. est p. ex aliis etc.* Hoc dicto sapientes omni aevo usi sunt, cujus simile est Menandri: *βλέπων πεπαίδευμ' εἰς τὰ τῶν ἄλλων κακά.* Et cf. Ad. III, 3, 62. *Scit. est*; cf. Ph. V, 4, 2. Sensus: Elegans et egregia sententia est, *periculum ex aliis etc.* Andr. III, 3, 6. *tibi q. ex usu s.*, h. e. quod tibi prosit.

38. *ut temp. est d.* Cf. supra I, 1. 116. „prout hora diei postulat." We.

---

# ACTUS II. SCENA 1.

## CLITIPHO.

Quam iniqui sunt patres in omnes adolescentes judices!
Qui aequum esse censent, nos jam a pueris ilico nasci senes;

„Solus Clitipho permansit, qui de patre conqueritur, ut mos est adolescentium, qui paterna praecepta moleste ferunt." Calph.

2. *a pueris*; cf. Ad. III, 4, 48. *senes.* Not. Eu.: „Qui arbitrantur justum esse in pueritia moribus senum nasci." Contra Plutarch. *Οὐδὲ γάρ*, inquit, *τοὺς πατέρας ἔγωγε ἀξιῶ τελέως σκληροὺς - ἑαυτοὺς ἀναμιμνήσκειν, ὅτι ἐγένοντο νέοι.* v. de educ. puer. c. 17.

Neque illarum adfines esse rerum, quas fert [a]) adolescentia.
Ex sua libidine moderantur, nunc quae est, non quae olim fuit.
Mihi si unquam filius erit, nae ille facili [b]) me utetur patre.
Nam et cognoscendi et ignoscendi dabitur peccati [c]) locus,
Non ut meus, qui mihi per alium ostendit suam sententiam.
Perii! is mi, ubi adbibit plus paulo, sua quae narrat facinora [d])?
Nunc ait: periclum [e]) ex aliis facito, tibi quod ex usu siet.
Astutus! nae ille haud scit, quam mihi nunc surdo narret fabulam.
Magis nunc me amicae dicta stimulant: „da mihi, atque, adfer mihi.“

a) Ms. Paris. ap. Par. *sinit.* b) C. G. m. *facillimo.* c) Lindenbr. ed. *peccatis.* d) Hunc vers. Gu. expunxit, improbante Boeclero. e) „*periclum* non *periculum* exigit ratio octonarii, ut et in libro Bembino est.“ Fa.

3. *adfines.* Proprie *adfines* sunt contermini in finib. agrorum. Unde aliarum quoque *rerum adfines* dicuntur, ut sceleris, suspicionis, atq. generis ejusd. interdum, ut consanguinei.

4. *Ex sua libid. mod.* „Modum imponunt adolescentib. de morib. suis quos nunc habent, non quos in adolescentia habuerunt.“

5. *facili.* Ex oppos. difficili, duro, moroso. Ad. V, 9, 29.

6. *Nam et cognosc. et ignosc. d. p. loc.* Cic. p. Rosc. A. §. 3. „tametsi non modo *ignoscendi* ratio, v. et *cognoscendi* consuetudo etc.“

7. *Non ut meus.* „Anacoluthum. Inserendum enim erat, *Non ut* ego meo sub. patre utor.“ We. *per alium ostend.* Supra I, 2, 36 voluit Chremes filium admonitum ex aliorum exemplis.

8. *adbib.* *Αὐξητικὸν* est *τὸ ad.* Itid. Plaut. Stich. II, 2, 58. Imitatus Gellius II, 22. „Quia *plus paulo adbibi.*“

10. *Astutus.* Dicit hoc per sarcasmum. Andr. I, 2, 12. Ab *astu* videlicet, quod urbem denotat, callidiores homines denominantur; quippe rustici sunt simpliciores. Fab. Thes. Cic. Offic. III, 13, fin. *surdo*, negligenti; uti Propert. II, 16, 35. „*surdis* auribus.“ *narr. fabul.* Eod. fere sensu Plaut. Men. V, 1, 24. „ut *narrent fabulas.*“ Fabulas autem res dicunt, quas veluti parum dignas auditu aspernantur.

11. *da mihi, atque etc.* Ex amicarum more. *adfer mihi* sc. argentum. Ph. III, 2, 47.

Cui quod [f]) respondeam, nihil habeo: neque me quisquam est miserior.
Nam hic Clinia, etsi is quoque suarum rerum sat agit [g]), attamen
Habet bene ac pudice eductam, ignaram artis meretriciae.
Mea est potens [h]), procax, magnifica, sumtuosa, nobilis.
Tum quod dem ei recte est; nam nihil esse mihi religio 'st [i]) dicere.
Hoc ego mali non pridem inveni, neque etiam dum scit pater.

f) Sic aliq. Be. Codd. Recte. Itid. Cic. Attic. 7, 19. „Nihil habeo *quod* scribam.“ Vulg. leg. *quid.* g) Be. *sat agitat.* Sed non esse opinor, quod a vulgata cum Be. recedamus. Ad hoc notand. est, scripturam antiq. nec spatium curare inter singula verba, nec interpunctionem. Conjungebant igitur vel sejungebant librarii hoc modo, *satis agitat*, *satis agit at*, *satagit*, *satagitat;* ut cetera praetercam. C. G. m. hab. *sat agit, at tamen.* h) Gu. volebat *patens*, h. e. aditu facilis. Be. ed. *petax.* i) V. I. *ironice*, *non religio*, *sed contumelia.*

12. *Cui quod resp. n. hab.* Ostendit inopiam. Nec enim habet vel quod respondeat vel quod det.

13. *suar. rer. sat agit*, „satis occupatus est rebus suis.“ We.

14. *Hab. bene ac pud. educt.* Cf. Andr. I, 5, 39. „Quod nos *educare* dicimus, antiqui *educere* dixerunt.“ Calph. Sic Virg. A. VIII, 44. „parvos *educere* gnatos.“

15. *potens*, amatori imperans. Hor. Od. I, 5, 1. *procax.* „*Procax* dicit. ab assiduc poscendo.“ We. Verb. enim antiquum est *procare*, i. e. poscere. Hec. I, 2, 84. *magnifica. Magnifica* est quoad suppellectilem, vestes atque convivia. Infra III, 1, 40. *sumtuosa*; cf. III, 1, 43. 44. *nobilis*, „h. e. ab omnib. nota.“ Eu.

16. *Tum quod dem etc.* Prae ceteris placet Pareus explicans: „Nihil habeo quod dem, sed blandis verbis et pollicitis eam lacto, et pro donis quae petit praebeo ei.“ *recte.* Ergo verbum dat pro re. *religio est*, Andr. IV, 3, 15. „Nefas est dicere, mihi nihil esse.“ Par.

17. *Hoc mali* sc. amorem. *non prid.* „quia nuper coepi amare.“ Schol. *neq. dum s.* nec dum pro nondum.

# ACTUS II. SCENA 2.

## CLINIA. CLITIPHO.

*Clin.* Si mihi secundae res de amore meo essent, jam dudum, scio,
Venissent [a]); sed vereor, ne mulier me absente hic corrupta sit.
Concurrunt multae opiniones, quae mihi animum exaugeant [b]).
Occasio, locus, aetas, mater, cuius sub imperio 'st, mala.
Cui nil jam praeter pretium dulce est. *Clit.* Clinia! *Clin.* ei, misero mihi!

a) C. G. m. in marg. *Dromo et Syrus, servi quos misi quaesitum Antiphilam meam.* b) Hunc vers. Be. paene totum mutavit.

„Hic mira amantis sollicitudo exprimitur, cui expectanti hora, dies, annus videtur.“ Calph.

*Clinia*, „adolescens, παρὰ τὸ κλεινὸν, a celebritate.“ Mu. At Far. a κλίνω formatum putat, quod fugiendo declinaret morositatem patris.“

1. *Si mihi secundae etc.*, h. e. felices. Itid. fere Ovid. Heroid. 18, 3. „Dii faciles in amore et *secundi.*“ *de am. meo*, v. Index.

2. *Venissent*; cf. supra I. 2, 17. *corrupta*; cf. Andr. II, 3, 22. „*Corrumpi* adolescentes utriusq. sexus dicuntur, qui a pudicis probatisve morib. in malos detorquentur.“

3. *Concurr.* Cf. Andr. III, 2, 31.

4. *Occasio, loc. aet. mat.* Per haec singula notat, scilicet per *Occasionem*, solitudinem Antiphilae utpote amantib. aptam, per *loc.* Athenas luxuria diffluentes. Deinde *aetas* ita dicit, uti Chrysis de Glycerio, Andr. I, 5, 51. *mater*, quippe quae non vera, (infra 3, 29.) sed putabatur tantum *mater etc.* Cf. IV, 1, 49. *cujus sub imp.* Cf. infra 3, 35. *mala.* Ita dici ab amatore non mirum, qui anum oderit tam religiosam virginis custodem. Nisi *mala* signific. avara; ut quae meretrices vulgo dicantur, quib. comparat iratus Clinia illam. Itid. Tibull. II, 4.

5. *Cui nil jam etc.* Famosam putabat esse mulierem, quippe quae mercedem speraret. *pretium dulce.* Phaedr. III, Prol. 26. „*dulce* lucrum.“

*Clit.* Etiam caves [c]), ne videat forte hic [d]) te a patre aliquis exiens.
*Clin.* Faciam; sed nescio quid profecto mi animus praesagit mali.
*Clit.* Pergin' istuc prius dijudicare, quam scias, quid rei [e]) siet?
*Clin.* Si nil mali esset, jam hic adesset [f]). *Clit.* jam aderit [g]). *Clin.* quando istuc jam erit?
*Clit.* Non cogitas hinc longule [h]) esse? et nosti mores mulierum:
Dum moliuntur, dum comuntur [i]), annus est. *Clin.* o Clitipho,
Timeo. *Clit.* respira. eccum Dromonem cum Syro una: adsunt tibi [l]).

e) C. G. m. *cave.* d) L. antiq. *hinc.* e) Hoc *reï* recte Gu. vidit quod Be. recepit in textum. Vulg. *veri.* f) g) Sic Be. Codd. o. Probe. De sola namq. amica sollicitus est amator, non de servulis, qui arcessitum eam missi erant. Vulg. f) *adessent*, g) *aderunt.* h) Mss. Pall. *longius.* i) Sic Par. We. Mu. etsi parum Codicum auctoritate muniti. Hal. et Goth. C. *conantur.* Itid. edd. Be. Fa. Qui testatur vidisse in paucis *comantur*, lect. *comuntur* in nullo. Sed interest scire, quod notat Mu., „vetustiores *comare* dixisse, ubi posteri *comere.*" Omnino autem est *comere* mulierum, *conari* magis virorum. l) Hanc distinction. recepi a Be. Alii aliam praebent.

6. *a patre*, „δεικτικῶς, ex aedib. patris tui." Par.

7. *Faciam*, h. l. cavebo. Facere verb. saepissime occurrit, quo repetatur id quod alio verbo expressum praecesserit ante. *anim. praesag.* Itid. Plaut. Et Cic. de Div. I, 31. „*sagire*, sentire acute est."

8. *Pergin' istuc etc.* „Perseveras ante hoc quasi certo judicio tenere, quam scias, quid in vero sit." Eu.

9. *Si nihil mali etc.* Angitur suspicione illa, v. 2. *quando ist. j. er.* Impatiens amator urget vocabulum *jam.*

10. *longule.* Plaut. Rud. I, 5, 8. „haud *longule* ex hoc loco."

11. *Dum mol. dum com.* „*Dum* surgunt, movent, promovent, apparant, ornant se." Par. *comuntur.* Itid. Plaut. Mil. III, 1, 195. — „Utiq. eam hic ornatam adducas, matronarum modo Capite *comto*, crines vittasq. habeat." Et Ovid. Met. I, 497 — „Spectat Apollo inornatos Daphnes capillos. Et quid? si *comantur*? ait." Add. Herod. lib. IV. „*Μάχλυες τὰ ὀπίσω κομέουσι τῆς κεφαλῆς.*" *ann. est.* Hyperbolice dictum, ut Eun. IV, 5, 8. *aetatem*; ubi not. Ceterum de ead. cunctatione mulierum cf. Plaut. Mil. IV, 7, 9.

12. *Drom. c. Syro.* Ambo hi servi una missi, una reversi sunt.

## ACTUS II. SCENA 3.

### SYRUS. DROMO. CLINIA. CLITIPHO.

*Sy.* Ain' tu? *Dr.* sic est. *Sy.* verum interea dum sermones caedimus,
Illae sunt relictae. *Clit.* mulier tibi adest, audin', Clinia?
*Clin.* Ego vero audio nunc demum et video et valeo, Clitipho.
*Dr.* Minime mirum [a]), adeo impeditae sunt: ancillarum gregem
Ducunt secum. *Clin.* (*Clitiphonem intuens*) perii! unde illi sunt ancillae? *Clit.* men' rogas?
*Sy.* Non oportuit relictas. portant quid rerum! *Clin.* hei mihi!

a) V. I. *prosequitur Dromonem Syrus in eundo.*

„Haec scena plena est timoris et suspicionis: sed persona servilis utriq. succurrit. Servi autem in fronte scenae ex abrupto colloquuntur, tanquam pergentes in incepto colloquio, quod ultro citroq. in via conferebant." Calph.

1. *sermon. caed.*, h. e. alternis loquimur. Ex ore servili. Graecos it. κόπτειν λόγους dixisse auctor est Priscianus.

2. *Illae s. relictae* sc. Antiphila et Bacchis una cum turba ancillarum. *mulier.* Spectat ad sup. 2, 2.

3. *valeo.* Aliter supra 2, 2.

4. *Minime mirum* sc. si relictae sunt. *impeditae sunt* sc. „ipso ancillarum grege, tum vestib. pretiosis." We. Andr. III, 5, 11. Praeterea Lindenbr. not. „Indecorum nimirum jam olim visum matronis, sine comite in publicum prodire."

5. *perii! unde illi etc.* Scilicet Antiphilae esse gregem illarum suspicatur, quae meretricis sunt. Quo quidem errore Cliniae suspicio illa (2, 9) crescit, corruptam esse Antiphilam. *men' rog.* Ita Clitipho, quasi nesciat; sed se haud nescire, patet ex sup. loco, I, 15.

6. *port. quid rer.* „Quam multas res et magnas *port.* secum." Far. Servi nimirum, quasi soli sint, sermone suo intermisto non desistunt.

*Sy.* Aurum, vestem; et vesperascit, et non noverunt viam.
Factum a nobis stulte est. abi dum tu, Dromo, illis obviam.
Propera! quid stas? *Clin.* vae misero mihi, quanta de spe b) decidi!
*Clit.* Quid istuc? quae res te sollicitat autem? *Clin.* rogitas, quid siet?
Viden' tu c)? ancillas, aurum, vestem, quam ego cum una ancillula
Hic reliqui; unde esse d) censes? *Clit.* vah! nunc demum intelligo.
*Sy.* (*secum*) Di boni, quid turbae 'st! aedes nostrae vix capient, scio.
Quid comedent? quid ebibent? quid sene erit nostro miserius?
Sed eccos video, quos e) volebam. *Clin.* o Jupiter! ubinam est fides?
Dum ego propter te errans patria careo demens, tu interea loci

b) Al. *spe*, omissa praeposit. *de*. V. I. *quia sperabam eam habere pudicam, et soli solam cogitabam esse.* c) Id. *illam habere.* d) C. G. m. *ea.* e) Sic colloc. Be. recte.

7. *Aur. vest.* „Servus quidem fortuito haec dicit, sed ex artificio Poetae, ad augend. perturbationem Cliniae." We. *Auri* vero nomine veniunt ornamenta muliebria. Sunt qui *Aurum vestem* per hendiadyn dicta putant pro vestib. auro distinctis. Ego non ita. Nam singulae voces item sejunguntur infra IV, 5, 30. et V, 1, 20. *non nov. viam.* „Hoc ideo addit, quia ex urbe arcessebantur in suburbanum. Supra I, 2, 17." We.

8. *abi dum.* „Partic. *dum* abundare videtur, et comicum est in verbis maxime imperativis." Tursellin.

9. *quid stas?* Cf. Hec. V, 3, 16. *de spe dec.* Sueton. Oth. 5. „*spe decidit.*" Et Liv. 37, 26. „*a spe decid.*"

10. *quae r. soll. aut.* Particula *autem* cf. Eun. IV, 7, 28, not.

11. *aur. vestem.* Scilicet ejus, Antiphilae, quam etc.

12. *Hic reliqui.* Videlicet cum hinc abirem. *unde*, a quo novo amatore. *nunc dem. intelligo.* Scilicet Cliniam in errore versari. Infra v. 23, 27.

13. *Di b. quid turb. est!* Itid. Andr. IV, 4, 5. 6. *aed. nost. vix cap.* sc. hanc turb. mulierum.

14. *Quid comed. q. ebib.* Plaut. Trin. II, 1, 19. „non sat Id est mali, ni amplius etiam, quod *ebibit*, quod *comest*, Quod facit sumti." *quid sene erit etc.* Hoc servus de *sene* more Terentiano anticipat, quod conquestum illum infra III, 1, 42. seqq. videmus.

Conlocupletasti te', Antiphila, et me in his deseruisti malis;
Propter quam in summa infamia sum, et meo patri minus sum obsequens.
Cuius nunc pudet me et miseret, qui harum [f]) mores cantabat mihi,
Monuisse frustra, neque eum potuisse unquam ab hac me expellere.
Quod tamen nunc faciam, tum, cum gratum mi esse potuit, nolui.
Nemo est miserior me. *Sy.* hic de nostris verbis errat videlicet,
Quae hic sumus locuti. Clinia, aliter tuum amorem, atque est, accipis.
Nam et vita 'st eadem, et animus te erga idem ac fuit;
Quantum ex ipsa re conjecturam fecimus [g]).
*Clin.* Quid est obsecro? nam mihi nunc nil rerum omnium 'st,
Quod malim, quam me hoc falso suspicarier.

f) V. I. *meretricum.* g) Sic l. Bemb. Al. *cepimus.*

17. *Conlocuplet. te.'* Andr. IV, 5, 2.

18. *in sum. infam.* „In querela amatoria consueverunt amatores ab amica decepti commemorare, quae adversa causa illius acciderint.“ Calph.

19. *Cujus*, patris sc. *qui harum.* „Stomachose *harum*, de una tantum, atque ea praesente.“ Mu. Supra I, 1, 99. *cantab.*, praedicabat. Plaut. Trin. II, 2, 10. *Cantare* autem dicuntur oracula, Justin. XI, 7. Ad sensum vero capiendum pertinet Plautinum illud: „Hoc tibi quotidie *canto* ut caveas.“

20. *Monuisse.* Plenius, *me miseret*, *Monuisse* eum *frustra.* Friget inde lectio *Dolet* aliorum. *ab hac.* Dicit *ab hac*, quia forte satis procul illa abesset, ut non audiret.

21. *nunc tum.* Hae duae sibi invicem opponunt. particulae, eod. sensu quo in Andr. V, 5, 11. 12. Sens.: Quod *nunc* demum facturus sum, id prius fecisse me praestaret. *nolui* sc. facere, h. e. contemnere amatam. *cum gratum etc.* „cum gratiam patris meo obsequio demereri potui.“ We. Itid. Phaed. I, 22.

22. *de nostr. verb. err.*, h. e. verba nostra prave interpretatur. Nam quae conseruerant verba, non in Antiphilam cadebant, sed in Bacchidem. Ob priorem autem Clinia metuebat. *videlicet.* „Scilicet et *videlicet* idem significare videntur, quod certe; sed habent usum suum per amaritudinem cum derisu permixtam.“ Calph.

23. *amorem*, h. e. amatam virgin. Infra V, 4, 4. Itid. Ovid. Met, IV, 137.

24. *vita*, salus. Ad. III, 2, 42. *te erga*; cf. sup. I, 2, 15. not.

25. *ex ipsa re*, „ex signis quae dicturus est.“ Calph.

26. 27. *nih. est*, *Quod mal. quam etc.* Haec constructio ead.

*Sy.* Hoc primum [h]), ut ne quid huius rerum ignores: anus,
Quae est dicta mater esse ei ante hac, non fuit.
Ea obiit mortem. hoc ipsa [i]) in itinere [l]) alterae [m])
Dum narrat, forte audivi. *Clit.* quaenam est altera?
*Sy.* Mane: hoc quod coepi, primum enarrem, Clitipho;
Post istuc veniam. *Clit.* propera. *Sy.* jam primum omnium,
Ubi ventum ad aedes est, Dromo pultat [n]) fores:
Anus quaedam prodit; haec ubi aperit ostium,
Continuo hic se intro conjicit [o]); ego consequor;
Anus foribus obdit pessulum, ad lanam redit.
Hinc [p]) sciri potuit, aut nusquam alibi, Clinia,
Quo studio vitam suam te absente exegerit,
Ubi de improviso est interventum mulieri.

h) Ms. Par. *primum dicam.* Hoc *dicam* pro gl. est in C. Hal. i) Cod. R. *ex ipsa.* l) Be. *itere* forma ut putat antiqua. m) V. I. Bacchidi. Et *alterae* est antique declinatum; ut *solae* pro soli. Eun. V, 6, 3. n) Par. p. var. *pulsat.* o) Sic Be. Bo. ob *consequor.* Vulg. *conjecit.* p) Sic in C. G. m. apice quidem mihi viso *Hīc.* Al. *Hic.*

est quae Eun. V, 6, 1. 2. *nih. rer. omn.* Est enim *nihil* loco nominis positum cum genitivo adjecti; vid. infra v. 136, not. *hoc.* Scilicet corruptam esse ejus amicam; cf. 2, 2.

28. *huius* sc. Antiphilae. *rerum.* Gu. expunxit τὸ *rerum*, non sentiens, quid leporis remota hac voce exstingueret. Nam per elegantiam Poeta illam addit, ut ead. ratione Sy. *aliquid rerum* dicat, qua paulo ante Clin. *nihil rerum.*

30. 31. *alterae Dum narrat.* Vide quam commodum initium Poeta narrationi praestruat de Bacchidis adventu.

32. *Mane*, exspecta. Itid. Apollo ad fugientem Daphn. Ovid. Metam. I, 505.

33. *Post ist. ven.* Cf. Eun. I, 2, 44, not.

34. *ad aed.* „Omne aedificium *aedes* dicuntur. Varro locum quatuor angulis conclusum *aedem* vocari docet.“ Far. *pult. fores.* Ovid. Met. V, 447. „parvas *fores pulsavit.*“

35. *An. quaed. prod. etc.* Haec singula quae porro sequuntur, Eu. diligenter enumerat, ostensurus castitatem mulieris inde probari. *Anus quaed.* Lindenbr. citat Juvenal. Sat. VI, 497 seqq. „Est in consilio matrona, admotaq. lanis etc. Nec Ausonius mihi huc respiciens praetereundus videtur, qui vocem romanam: venito in tempore, huic loco subesse existimarit. Sap. Pittac. p. 159.

36. *Cont. hic se intro etc.* Intellige: hunc in finem, ut ignaram nec opinantem deprehenderent; quomodo regii olim invenerant Lucretiam, Liv. I, 17. *se conjic.* Andr. III, 5, 14.

37. *for. obd. pess.* Cf. Eun. III, 5, 55. Et Plaut. Cist. III, 18. „*occludite* aedes *pessulis.*“ *ad lan. red.* Andr. I, 1, 48.

40. *interven.* *Interveniri* proprie dicitur occupato nec opinanti. Eun. III, 5, 5. Eod. fere modo Liv. loco cit. „Id cuique

Nam ea tum res dedit existumandi copiam [q]),
Quotidianae vitae consuetudinem,
Quae, cuiusque ingenium ut sit, declarat maxume.
Texentem telam studiose ipsam offendimus,
Mediocriter vestitam, veste lugubri;
Ejus anuis [r]) causa, opinor, quae erat mortua,
Sine auro, tum ornatam, ita uti quae ornantur [s]) sibi,
Nulla mala [t]) re esse expolitam muliebri;
Capillus passus [u]), prolixus [x]), circum caput
Rejectus negligenter, pax. *Clin.* Syre mi, obsecro!
Ne me in laetitiam frustra conjicias. *Sy.* anus
Subtemen [y]) nebat. praeterea una ancillula
Erat: ea texebat una, pannis obsita,
Neglecta, immunda illuvie. *Clit.* si haec sunt, Clinia,

q) Par. in marg. *locum* pro *copiam.* r) V. I. antique pro *anus.* Sed Gellius N. A. IV, 16. *anuis* Terentium scripsisse monet. s) Al. *ornatur.* t) C. G. m. et C. Hal. *malam* c. gl. *maxillam ejus.* u) Par. p. var. *sparsus.* x) Be. *promissus* mire. C. G. m. gl. *non ligatus mitris.* y) C. G. m. *subtegmen.*

(virorum) spectatissimum sit, quod nec *opinato* viri adventu obcurrerit oculis."

41. *existumandi*, judicandi. Eun. Prol. 5.

44. *Texent. tel. stud. etc.* Andr. I, 1, 48. Cultus et victus vitam familiarem indicant. Dicitur autem *tela* id quod texitur, quasi texilla. vid. Montefalc. in Antiq. Gr. et Rom. *Texere telam* gr. dic. κρέκειν τὸν ἱςον. Add. Ovid. Met. VI, 55.

45. *veste lugubri*, h. e. pulla, longoq. usu detrita. Ph. I, 2, 57.

47. *sibi*, non aliis. Contra illud Ovidii A. I, 99. „spectatum veniunt, veniunt *spectentur ut ipsae.*"

48. *Nulla mala re etc.* Cf. Ph. I, 2, 25. non fucatam. *mala*, „a similitudine mali, h. e. pomi, nomen assumsit. Nam id est, quod praeminet inter nasum, oculos et buccam etc." Calph. *re mulieb.* „*Res muliebres* vocat pigmenta et reliquas offucias, quib. mulieres sese ungere consueverunt, ut pulchriores videantur." Lindenbr.

49. *Capill. pass.* Itid. Hor. Serm. I, 8, 23. „*passoq. capillo.*" Contra pexo *capillo*, cf. Cic. in Catil. II, 10. Sed placent Apollini it. amanti Daphnae „inornati capilli." Ovid. Met. I, 497. Alioqui erant *capilli* mulierum Graec. compositi atque in nodum collecti.

50. *Reject. neglig.* Lindenbr. adfert locum Ausonii hoc Terentianum spectantis: „Totum opus hoc sparsum, crinis velut Antiphilae." *pax*, gr. πάξ, silentii sibi aliisve indicendi interjectio est, valetque, st.

52. *subtem. neb.* Catull. LXIV. „Currite ducentes *subtemina*, currite fusi."

54. *Neglecta*, non curata. *immunda.* Nominativus est casus.

Vera, ita uti credo, quis te est fortunatior?
Scin' hanc, quam dicit sordidatam et sordidam [z])?
Magnum hoc quoque signum 'st, dominam [a]) esse extra noxiam [b]),
Cum tam negligitur [c]) ejus internuntia [d]).
Nam disciplina est iisdem, munerarier
Ancillas primum, ad dominas qui [e]) affectant viam.
*Clin.* Perge, obsecro te, et cave ne falsam gratiam
Studeas inire. quid ait, ubi me nominas?
*Sy.* Ubi dicimus, rediisse [f]) te, et rogare uti
Veniret ad te, mulier telam deserit [g])
Continuo, et lacrimis opplet os totum sibi, ut
Facile scires [h]), desiderio id fieri tuo.

z) Id. invert. *sordid. et sordidat.* a) Ibid. sup. script. *Antiphilam.* b) Mss. Pall. *noxam.* c) d) Ita Be. correxit ex vulg. c) *negli. untur* d) *internuncii.* Sed de ancilla una sermo est; cf. v. 52. „Servos autem nullos domina habuit, ut internuncii esse possent.“ Be. Accedit glossa in C. G. m. „*puellae quae mittuntur.*“ e) Mss. Pall. *quae* pro *qui.* f) We. Par. *redisse.* g) Al. *desinit.* h) Be. *scias* pro monosyll. quo indigeat versus.

56. *Scin'*, cognoscisne *hanc*, ancillulam v. 52. *dicit* sc. Syrus, inde a versu 45. *sordidat.*, h. e. necessitate urgente. *sordidam*, a natura. Utrumq. id. Cic. in Pis. 4. Sed Far. *sordidat.* refert ad vestitum, *sordid.* ad illuviem.

58. *Cum tam neglig. intern.* Abusive dicit, *interruntia.* Nam pudicae mulieres carent *internuntiis*, quae mercede illectae amatores ipsis concilient. Secus est in meretricibus. Ceterum *internuntia* qualis, vid. Tibull. II, 6, 45. 46.

59. *disciplina*, mos, institutum. Eun. II, 2, 32. Eand. *disciplinam* docet magist. amorum, Ovidius A. A. I, 351. „Sed prius, inquit, *ancillam* captandae nosse puellae Cura sit. Hanc tu pollicitis, hanc tu corrumpe rogando.“ *iisd. muner. Ancillas etc.* Ordina, *iisd. qui affect.* Significantur enim amatores. *munerari*, active.

61. *cave ne falsam etc.* Confer quoad sensum, v. 51. Clinia namq. nunc vix credere potest, cum paulo ante tanta suspicione premeretur. *gratiam* sc. vel meam, vel apud me, vel a me. Sic variat constructio, Curt. 5, 9. Liv. 36, 5. Cic. Att. 7, 9.

62. *quid ait?* „Postq. de Antiphilae vita narraverat, nunc de animo ejus erga Cliniam jubetur dicere.“ We.

64. *tel. des.*, „i. e. ad aliquod temp. intermittit.“ Ru. Sic it. Sapph. Fragm. VII, ed. Volg. mulier illa prae amore texere non pergit, *οὔτοι δύναμαι*, inquiens, *κρέκειν τὸν ἱςὸν, Πόθῳ δαμεῖσα παιδός.* —

65. *lacr. opp. etc.* Virg. A. IV, 30. „Sic effata sinum *lacrimis* implevit.“ Nep. Alcib. VI, 4. „Ex nimio gaudio *lacrumatur*;“ ubi Fisch.

66. *scires* pro, quisque sciret. Andr. I, 1, 108. *tuo*; cf. v

*Clin.* Prae gaudio, ita me Di ament, ubi sim nescio:
Ita timui. *Clit.* at ago nil esse scibam, Clinia.
Agedum vicissim, Syre, dic quae illa 'st altera.
*Sy.* Adducimus tuam Bacchidem. *Clit.* hem, quid? Bacchidem?
Eho, sceleste! quo illam ducis? *Sy.* quo illam ego? ad nos scilicet.
*Clit.* Ad patremne? *Sy.* ad eum ipsum. *Clit.* o hominis impudentem audaciam! *Sy.* heus tu,
Non fit sine periclo facinus magnum et commemorabile.
*Clit.* Hoc vide! in mea vita tu tibi laudem is quaesitum, scelus [i])!
Ubi si paululum modo quid te fugerit, ego perierim.
Quid illa [l]) facias? *Sy.* at enim. *Clit.* quid enim? *Sy.* si sinis [m]), dico [n]). *Clin.* sine.

i) Be. vult *scelus*? efferri per interrogat. Al. non ita. l) Sic Be. pro *illo*, quod vulgo est. Subaudit enim *Bacchide*, non *Syro*; uti mox v. 92. m) Be. *sinis* propt. n) *dico*, quod in duob. Codd. invenit. Vulg. *si sinas*, *dicam*.

63. 64. Ad hoc Ovid. Met. VII, 731 — „*desiderioq.* calebat Conjugis." —

67. *ubi sim nescio*; cf. Andr. V, 4, 34. not.

68. *Ita timui.* „Timor mollit animum. Mollitus pertentatur fortius gaudio." Bi. Andr. V, 4, 35.

69. *Aged. vicissim etc.* Ad alteram quaestionem descendit; cf. v. 31. Da. „Dis-moi à mon tour."

70. *Adducim.* Ad. IV, 4, 20. Not. est, verba *adducere*, *abducere* saepenumero inter se permutari. *Adduc. tuam Bacch.* Hoc respondendi concinne ac breviter, non unum est exemplum. vid. Andr. II, 1, 24. V, 6, 5. Eun. IV, 3, 12. V, 4, 27.

72. *impud. audac.* Imitatur Phaedrus, III, 5, 9. „Sed spes fefellit *impudentem audaciam.*"

73. *Non fit sine periculo etc.* Sententia militaris; quam fere eand. vid. Herodot. VII, 50. „Μεγάλα γὰρ πρήγματα μεγάλοισι κινδύνοισι etc." Not. Eu. ad h. l. „In hoc autem *periculum* erat, cum patre praesente in domo futura sit meretrix."

74. *Hoc vide.* „Sic dicere solemus his, qui res maximas aggrediuntur." Calph. *vita*, cf. v. 24. Andr. V, 1, 5. Eu. explic: „Scelus! quam astutus ad gloriam. Siquidem meo periculo tu tibi comparare vis *laudem*."

75. *te* pro, curam tuam.

76. *Quid illa fac.* Cf. Eun. V, 1, 21, not. *at enim.* „Aliquid supplendum. Syrus dicere volebat, aut in ea re non esse periculum: aut se effecturum, quod intendit. Sed illius sermonem Clitipho interrumpit." Calph. *quid enim?* Urget τὸ *enim* prioris, ut dialogi mos est; cf. Andr. II, 1, 14. *sine*; cf. Andr. V, 3, 24. Dictio sermoni comico frequens.

*Clit.* Sino. *Sy.* ita res est haec nunc, quasi cum ... [o]) *Clit.* quas, malum! ambages mihi
Narrare occipit! *Clin.* Syre, verum hic dicit. mitte, ad rem redi.
*Sy.* Enimvero reticere nequeo: multimodis injuriu's,
Clitipho, neque ferri potis es [p]). *Clin.* audiundum hercle est, tace [q]).
*Sy.* Vis amare; vis potiri; vis, quod des illi, effici;
Tuum esse in potiundo periclum non vis: haud stulte sapis.
Siquidem id sapere 'st, velle te id, quod non potest contingere.
Aut haec cum illis sunt habenda, aut illa cum his mittenda sunt.
Harum duarum conditionum nunc utram malis, vide;
Etsi consilium hoc [r]), quod cepi, rectum esse et tutum scio:

o) Not. We. „Ms. Bodl. suprascriptum habet, *aleis ludas*.“ p) C. G. m. *inj. Clit. est, neq. ferr. pot. est.* q) Codd. Be. sicut C. G. m. add. *Clitipho, quid est?* r) Add. Be. *hoc* ex Codd. C. G. m. gl. *ut apud patrem sit Bacchis.*

77. *quasi cum.* Interpellatur iterum a Clitiphone, qui in sola quaestione persistit, *quae illa sit altera?* v. 69.

78. *occipit.* Per tertiam odiose; uti *inceptat* in Andr. V, 4, 22. *ad rem redi.* His Syrus admonetur, qui cum suo, *quasi cum*, v. 77 in eo erat, ut similitudinem quand. daret, qua ostenderetur, quale sit suum consilium. Sed hac servi digressione ambo cupidi amatores gravantur.

80. *neq. ferri pot. es.* „Bene indignationem suam servus extulit, quo facilius sibi adolescentem per suam iracundiam praepararet.“ Eu. *audiund. h. est, tace.* Haec verba Cliniae sunt ad Clitiph., non Syri; etsi We. multa contra disputat.

81. *amare* sc. Bacchidem. *potiri*, Bacchide. Eun. II, 3, 71. *effici*, sc. pecuniam, argentum; cf. infra III, 3, 23.

82. *haud stulte sapis.* Sufficiebat dixisse, *sapis.* Sed in usu erant, non stultus et *non stulte*; Plaut. Most. I, 3, 29. Inest ironia.

83. *contingere*, evenire. Videlicet meretrice uti absque incommodis.

84. *Aut haec* sc. pericula. *cum illis.* Calph. subaud. meretricibus. Falso. Nam virum fugit, quam praeclara sit, *cum illis*, *cum his*, orationis concinnitas. Accedit, *habenda*, *mittenda*. Supra I, 1, 15. Totus autem sermo in illo vulgato, „aut sustine, aut abstine,“ comprehendi videtur. Igitur per diction. *cum illis* videntur ea quae supra sunt, *Vis amare*; *vis potiri etc.* significari; et sic eod. sententiae tenore *illa cum his* intelligi.

85. *Har. duar. condit. etc.* H. e. aut habere meretricem cum incommodis, aut plane dimittere illam. *condit.* cf. Andr. I, 1, 52.

86. *consil. rect.* Cf. IV, 7, 14. *rect.* „Vocatur *rectum*, quod

Nam tua apud patrem amica tecum sine metu ut sit, copia 'st s).
Tum quod illi argentum es pollicitus, eadem hac inveniam via.
Quod ut efficerem, orando surdas jam aures reddideras mihi.
Quid aliud t) tibi vis? *Clit.* siquidem hoc fiet. *Sy.* siquidem, experiundo scies.
*Clit.* Age age, cedo istum tuum consilium. quid id est? *Sy.* adsimulabimus,
Tuam amicam huius esse u). *Clit.* pulchre; cedo, quid hic faciet sua?
An ea x) quoque dicetur huius, si una haec dedecori est parum?
*Sy.* Immo ad tuam matrem deducetur y). *Clit.* quid eo? *Sy.* longum 'st, Clitipho,
Si tibi narrem, quamobrem id faciam. vera causa est. *Clit.* fabulae!
Nil satis firmi video, quamobrem accipere hunc mi expediat metum.
*Sy.* Mane: habeo aliud, si istud metuis, quod ambo confiteamini

s) Hunc vers. Par. uncinis inclusit. t) Be. repon. *alid* antique. Sed ipsum vide ibidem. u) L. antiq. repet. *amicam*; alii non. x) V. I. *Bacchis*. y) L. Bemb. *abducetur*.

quadrat regulae, neq. excedit, nec infra est; itaq. pravo, curvo opponitur." Fab. *tutum*, sine periculo.

88. *argentum* sc. signatum. *ead. hac via.* Intellige, si amica apud patrem est.

90. *siquidem*, repetentis per indignationem. Gravatur enim Syrus dubitatione Clitiphonis. *experiundo*; cf. Ad. V, 4, 4.

93. *hujus*, Cliniae. *dedec. est par.* „Turpe est habere unam amicam, nedum duas." Calph. *una haec.* Antiphilam innuit.

94. *ad tuam matr. deduc.* Hoc artificio Poetae Antiphila ad Sostratam deducitur, ut postea cognoscatur filia Chremetis. *quid eo?* pro, quid tum? Eun. III, 5, 56.

95. *vera causa est.* Subaudi, non ficta. *causa.* Eam scilicet, ut illa *deducatur ad matrem.* Hoc unum se nunc dixisse satis habet; illud alterum, *quamobrem* id faciat, dicere, deesse ait tempus.

96. *Nil sat. firmi etc.* „Nullam rationem video firmitatis in consilio, ut debeam talem metum suscipere, ut apud patrem amica mea sit." Eu.

97. *hab. aliud*, consilium.

Sine periclo esse. *Clit.* huiusmodi [z]), obsecro, aliquid repperi [a]). *Sy.* maxume.
Ibo obviam [b]) hinc; dicam, ut revortantur domum. *Clit.* hem,
Quid dixti? *Sy.* ademtum tibi jam faxo omnem metum,
In aurem utramvis otiose ut dormias.
*Clit.* Quid ago nunc? *Clin.* tune? quod boni.. [c]). *Clit.* Syre, dic modo
Verum. *Sy.* age modo hodie, sero ac nequicquam voles.
*Clin.* Datur [d]); fruare, dum licet: nam nescias..
*Clit.* (*clamans*) Syre, inquam. *Sy.* (*abiturus*) perge porro, tamen istuc ago.
*Clin.* Ejus sit potestas posthac, an nunquam, tibi [e]).
*Clit.* Verum hercle istuc est. Syre, Syre, inquam; heus, heus, Syre!

z) Par. p. var. *istiusmodi.* a) *repperi.* Notand. est, primam syll. produci; id quod aut per geminatum p, aut per accentus notam possis indicare. Supra I, 1, 60. Exempla sunt Virg. A. 5, 598. et 7, 450. ubi incipiunt hexametri, *Rettulit*, *Reppulit*; et sic it. *repperi*: Andr. I, 1, 96. not. b) V. I. *mulieribus.* c) Hic interrupta Cliniae oratio continuatur v. 104 et 106. d) Al. *modo*, quod delend. putat Fa. e) Bentlejum sequor, qui hunc vers. postponit priori, qui in omnib. libb. succedit.

98. *maxume*, valde approbantis. Ad. IV, 3, 18. Hec. IV, 4, 86.

99. *ut revort. dom.* Cf. supra v. 7. Ut retro eant, unde venerint, in urbem.

100. *ademt. faxo metum*; cf. supra v. 96.

101. *In aur. utramv.* Proverb. de iis, qui nihil metuunt in summa securitate.

102. *quod boni.* Hoc initium formulae precandi quidam esse putant ap. Plaut. obviae, „*quod* Di danunt *boni*,“ Rud. IV, 7, 3. *tune?* quid agas? Tunc responsio haec: id *quod boni* (Dii dant). Ad haec Syrus: *age modo.*

103. *Verum.* Dicit *verum*, quia supra dixerat Syrus, *vera* causa est, v. 95. *modo hodie.* Haec duo G. Fabric. jungit non inepte. Et admonitio Syri haec esse mihi videtur: aut *modo hodie* fruaris, aut *sero* posthac *nequicquam voles* frui. In potestate relinquitur juvenis, retineat an dimittat puellam.

104. *Datur.* Quasi a Diis, de occasione oblata; uti Eun. III, 5, 56 etc. *dum licet.* Lambin. ad Hor. Od. IV, 12, 22. expon. „dum vita manet, et dum fert aetas.“

105. *inquam*; cf. Andr. IV, 2, 32. *perge porro* sc. me revocare aut interrumpere. *tamen ist. ago.* Spectat ad superius illud, *Ibo obviam hinc*, 99.

106. *Ejus* sc. rei; aut potiundae puellae. *potestas*, copia, occasio data.

107. *Verum hercle etc.* *Verum* esse Cliniae dictum autumat,

*Sy.* (*secum*) Concaluit. quid vis? *Clit.* redi, redi. *Sy.* adsum, dic, quid est?
Jam hoc quoque negabis tibi placere. *Clit.* immo, Syre,
Et me, et meum amorem, et famam permitto tibi.
Tu es judex [f]): ne quid accusandus sis, vide.
*Sy.* Ridiculum est, te istuc me admonere, Clitipho,
Quasi istic mea res minor agatur, quam tua.
Hic si quid nobis forte adversi evenerit,
Tibi erunt parata verba, huic homini verbera.
Quapropter haec res neutiquam neglectu [g]) est mihi.
Sed istum exora, ut suam esse adsimulet. *Clin.* scilicet
Facturum me esse; in eum res rediit jam locum,
Ut sit necessum. *Clit.* merito te amo, Clinia.
*Clin.* Verum illa ne quid titubet. *Sy.* perdocta 'st probe.

f) *judex.* Lectio indubitata, sufficit commode ad sensum. Tamen revocat Anglus, quod miraberis, *inlex* Pautinum. Adeo parum abest, ut idem ex Terentio nobis faciat Plautum; etsi illius multo elegantior est oratio quam Plautina. g) C. G. m. *neglectui.*

quod placet. *Syre, Syre.* Vehementissime Syrum instigat, a quo ipse instigatus est. Itid. Chaerea Parmenonem, Eun. II, 3, 71.

108. *Concaluit.* Scilicet igne amoris. Eun. I, 2, 5. *redi.* Revocat servum; qui dixerat supra, *Ibo obviam*, v. 99.

109. *Jam hoc quoque.* Scilicet periculo carere, simul amore. Huc refer, v. 85. *Harum duar. condit.*

110. *amorem*; cf. supra v. 23.

111. *Tu es judex.* Cf. Ad. Prol. 4. *judex*, arbiter, qui lites componit judicando. *ne quid accus.* Verb. *accusare* cum accusativo rei it. Plaut. Trin. I, 2, 59. „si *id* me non *accusas.*"

112. *Ridic. est, te istuc etc.* Laborem inanem capis, quod me admones.

113. *Quasi ist. mea res.* Sensus: „In hoc consilio magis mihi periculum propositum est, quam tibi." En. Sic it. in Andria Davus crucem se meritum fatetur, cum filius heri deperiret.

115. *verba, verbera.* Paronomasia. *huic homini*, mihi; δεικτικῶς.

116. *haec res.* Quae sc. nunc nobis est communis.

117. *istum*, Cliniam. Supra v. 91. 92. *scilicet Facturum etc.* Nota veteres *scilicet* et videlicet, quod contracta sunt ex scire licet, videre licet, cum infinitivo jungere. Infra IV, 8, 16.

118. *in eum res etc.* Itid. Plaut. Bacch. IV, 2, 24. „*In eum* nunc haec *res revenit locum.*"

119. *Ut sit necess.* Oportebat enim Cliniam, qui Ctesiphoni suaserat ad accipiendum Syri consilium, sibi adeo constare, ut ipse illum in exsequendo juvaret. *merito te amo*; cf. Eun. I, 2, 106.

120. *ne quid titub.* Proprie pedib. *titubare* dicitur. Sic Phaed.

*Clit.* At hoc demiror, qui tam facile potueris
Persuadere illi, quae solet quos [h]) spernere.
*Sy.* In tempore ad eam veni, quod rerum omnium 'st
Primum: nam miserum [i]) quendam offendi ibi militem,
Ejus noctem orantem. haec arte tractabat virum,
Ut illius animum cupidum inopia [l]) incenderet,
Eademque ut esset apud te hoc quam gratissimum [m]).
Sed heus tu, vide sis, ne quid imprudens ruas.
Patrem novisti, ad has res quam sit perspicax;
Ego te autem novi, quam esse soleas impotens.
Inversa verba, eversas cervices tuas [n]),
Gemitus, screatus, tusses [o]), risus abstine.

h) V. I. *aliquos.* i) Ita Be. Codd. Al. *misere.* l) V. I. *amoris.* m) Sic l. Bemb. Al. vulg. *gratissima.* In l. antiq. totus hic vers. *Ead. ut ess. aput te ob hoc quam gratissima.* n) C. G. m. sup. script. *novi.* Non recte ita. Nam nos cum We. hos et qui sequuntur, accusativos, *Gemitus*, *screatus* etc. cum *abstine*, quod sequitur, jungendos putamus, minime referendos ad *novi* superius. o) Al. *tussis.*

IV, 14, 10. h. l. *titub.* sc. mente, animo, pro dubitet, haesitet. *perdocta*, persuasa. Itid. Plaut. Capt. III, 5, 61.

122. *Persuadere illi*; cf. v. 92. Id scilicet, ut Cliniam sibi amatorem patiatur. *quos.* Vulgo explic. pro aliquos, vel quales, vel quantos. Mira quidem haec videtur significatio, sed Plauto valet item *qui* pro aliquis, vel qualis passim. Cod. Guelfertin. notat, nobiles significari vel divites.

124. *miserum*, ,,parcum, tenacem.'' Be. Infra III, 2, 15.

125. *noctem*, concubitum. Itid. Plaut. Et Ovid. Met. VII, 739. ,,dum census (munera, pretium) dare me pro *nocte* paciscor.'' ubi v. Gierig.

126. *cupid.* proprie de amantibus. Tibull. I, 9, 58. *inopia*, h. e. negatio petitae noctis. Cui opponit. *copia*, v. 87.

127. *ap. te gratiss.*, pro tibi *gratissim.*; uti Cic. Fam. XIII, 42. ,,Illudque mihi *gratissimum est.*''

128. *ne quid impr. ruas* h. e. perimprudentiam temere quid agas.'' Ru.

129. *Patrem nov. quam sit etc.* pro *novisti quam* pater etc. Itid. Plaut. Cist. IV, 2, 64. ,,qui *illam* ait se scire, ubi *sit.*''

130. *impotens.* Cf. Liv. 6, 11. ubi Glossar. ,,vitio ingenii vehemens.''

131. *Inversa verba.* ,,Intelligit ea, quae a vera significatione ad alienam et falsam traducuntur.'' We. *evers. cervic.* ,,Quod jactantis et superbi est penitus.'' Eu.

132. *Gemit. screat. tuss. etc.* ,,Haec omnia adolescentuli faciunt, quotiescunq. videre aut videri volunt ab his, quos desiderant.'' Eu. De verbo *abstinere* Priscianus notat, promiscue construi, *abstinere* illius et illum et illo; ut graece *ἀπέχομαι τούτου καὶ τοῦτο.*

*Clit.* Laudabis. *Sy.* vide sis [p]). *Clit.* tutemet [q]) mirabere.
*Sy.* Sed quam cito sunt consecutae mulieres!
*Clit.* Ubi sunt? (*ad Syrum*) cur retines? *Sy.* jam nunc haec [r]) non est tua.
*Clit.* Scio, apud patrem; at nunc interim [s]). *Sy.* nihilo magis.
*Clit.* Sine [t]). *Sy.* non sinam, inquam. *Clit.* quaeso paulisper. *Sy.* veto.
*Clit.* Saltem salutare. *Sy.* abeas, si sapis. *Clit.* eo. Quid istic [u])? *Sy.* manebit. *Clit.* o hominem felicem! *Sy.* ambula.

p) V. I. *apud te.* q) Id. *tu ipse.* r) C. G. m. sup. script. *Bacchis.* s) Ibid. sup. script. *erit mea.* t) V. I. *ut sit mea interim.* u) Id. *Clinia aget.*

133. *Laud.* sc. me. *vide sis.* ,,Vultuose pronuntiandum.“ Calph.

134. *consecutae mulieres.* Supra v. 2. *mul. tibi adest.*

135. *cur retines* sc. me. ,,Impatientia amantis ostenditur.“ *haec non est tua.* Arrepturus est enim amicam suam Clitipho, verba Syri oblitus. *jam nunc.* Junctae hae particulae item Propert. Eleg. IV, 11, 93.

136. *ap. patr.* Cf. supra v. 129. *nihilo mag.* ,,Vult Syrus eum perpetuo modestum, ne si inceperit, non possit se abstinere, etiam patre vidente.“ Calph. *nihilo mag.* Ph. III, 3, 2. Est autem *nihilo* ablativ. casus post comparativum, a nomine *nihilum*; vid. Sanct. Min. IV, 4.

---

## ACTUS II. SCENA 4.

### BACCHIS. ANTIPHILA. CLINIA. SYRUS.
(*grex ancillarum.*)

*B.* Aedepol te, mea Antiphila, laudo, et fortunatam judico,

,,Non potuit melius conditionem meretriciam exprimere, quam per eam, quae meretrix esset: quae tamen nomini meretricio favet, cum alibi reprehendantur meretrices, nihil aliud ex amore adolescentium quaerere, quam pecuniae extorsionem, hic

Id cum studuisti, isti formae ut mores consimiles forent;
Minimeque, ita me Di ament, miror, si te sibi quisque expetit.
Nam mihi, quale ingenium haberes, fuit indicio oratio [a]).
Et cum egomet nunc mecum in animo vitam tuam considero,
Omniumque adeo vostrarum, volgus quae ab se segregant;
Et vos esse istiusmodi, et nos non esse, haud mirabile 'st.
Nam expedit bonis [b]) esse vobis; nos, quibuscum est res, non sinunt [c]):
Quippe forma impulsi nostra nos amatores colunt.
Haec ubi immutata est, illi suum animum alio conferunt;
Nisi si [d]) prospectum interea aliquid [e]) est, desertae vivimus.

a) V. I. *allocutio tua in itinere.* b) Sic Be. Bo. invitis libb. eleganter pro *bonas* vulg. Unus We. testatur, mss. et impress. quosd. *bonis* habere. c) V. I. *esse bonas illi.* d) Sic l. Bemb. In antiq. et al. plur. *nisi solum*, omisso *si.* e) Mss. We. *nobis.*

quoque jucunda amantium congressio signantissime exprimitur." Calph.

*Antiphila*, ab ἀντὶ et φιλέω, q. d. redamans.

*Bacchis*, „a Βάκχος, quod significat, vel furere percitum, vel Liberum patrem, quasi dicas, vel furibundam, vel temulentam." Far. In hac comoedia Bacchis est artium meretriciarum peritissima atque perdocta.

2. *studuisti, isti.* Aeque terminatur utraq. vox *isti, isti*; quae Graecis παρήχησις dicitur figura. *formae ut mor. c.* Itid. fere Virg. A. V, 344. „Gratior et pulchro veniens in corpore virtus."

3. *miror si.* Haec syntaxis Nostro familiaris. Ead. graeca est, θαυμάζω εἰ; v. Sturz. Lex. Xenoph. Add. Liv. III, 21. „*Miror si* vana vestra auctoritas ad pleb. est." *expetit.* Proprie de rebus bonis et honestis, quales sunt uxores virginesque, non meretrices. Andr. IV, 2, 13. Ph. V, 8, 35.

4. *Nam mihi quale etc.* Sententiae huic respondet ille senarius Graecorum, ἀνδρὸς χαρακτὴρ ἐκ λόγου γνωρίζεται. „Viri nota ex oratione noscitur." Mu.

5. *egom. mec. in animo.* Haec tria cum emphasi.

6. *vestrarum* pro vestrum, gr. ὑμῶν. *volgus* sc. virorum; cf. infra III, 1, 38. Aliter Hec. IV, 2, 24. *ab se segreg.* Scilicet ut uni viro se dedant. Andr. I, 5, 56.

8. *expedit*, prodest, succedit. Sic Plaut. Amph. I, 3, 23.

9. *Quip. forma imp.* „Et hic amor est gratia voluptatis tantum." Calph.

10. *alio conferunt*: cf. Eun. III, 1, 60.

11. *Nisi si prospect.* Cf. Ph. V, 8, 70. Sensus: *Nisi* commo-

Vobis cum uno semel [f]) ubi aetatem agere decretum 'st viro,
Cuius mos maxume 'st consimilis vostrum, hi [g]) se ad vos applicant.
Hoc beneficio utrique ab utrisque vero devincimini;
Ut nunquam ulla amori vestro incidere possit calamitas.
*A.* Nescio alias; me quidem semper scio [h]) fecisse sedulo, ut
Ex illius commodo meum compararem commodum. *Cl.* [i]) ah [l]),
Ergo, mea Antiphila, tu nunc sola reducem me in patriam facis:
Nam dum abs te absum, omnes mihi labores fuere, quos cepi, leves,
Praeterquam tui [m]) carendum quod erat. *Sy.* credo. *Cl.* Syre, vix suffero.
Hoccine me miserum non licere meo modo ingenium [n]) frui!

f) Ejusd. mss. *simul* pro *semel.* g) V. I. *viri.* h) C. G. m. colloc. *me scio semp. quidem.* i) Ibid. gl. *secum.* l) Al. *vah.* m) C. G. m. gl. *praesentia.* n) Sic l. Bemb. In antiq. *ingenio.*

dis *interea* nostris consuluerimus. *desertae.* „Scilicet ab his, qui ob amorem frequentes erant.“ Calph. Ph. V, 1, 24.

12. *Vob. cum uno etc.* Cf. Cic. Fam. IV, 5. „Ut *cum* aliquo adolescente primario conjuncta *aetatem* gereret.“

13. *Cuius mos max. est cons. v.* Cf. Hec. I, 2, 95. *hi*, per enallagen, pro hic; vid. Eun. Prol. 3. *hi se ad vos applic.* Andr. V, 4, 21.

14. *beneficio*, sc. mutuo. Cic. Fam. XIII. 7. „viros optimos summo *beneficio* in perpetuum *tibi tuisque devinxeris.*“

15. *incid.* pro accid. Propert. I, 15, 28. „Si quid forte tibi durius *inciderit.*“ Eu. sensum capit ita: „Ut semper inter vos amor valeat, neque senectute aut ullo morbo discidium possit exsistere.“

16. *Nescio alias.* Bene *alias*; de semetipsa tantum locutura. Atque plurali num. utitur aeque ac Bacchis v. 7. 12. 13. *Nescio* pro, non novi, ignoro; uti Plaut. Aul. Prol. 30.

17. *Ex ill. commodo meum etc.* Contra Andr. IV, 1, 3. 4.

18. *tu nunc sola.* Movet hic We. quaestionem, cur non continuo adolescens ruat in ejus amplexus? Supra 3, 67.

19. *labor. quos cepi.* Verb. *capere* medium est; nam *capere* dicunt vel *laborem* vel fructum.

20. *tui carend.* Sic et praeter consuetudinem Laevius ap. Gell. 19, 7, „*carendum tui* est.“ Quod quidem esse We. existimat per hellenismum, *σοῦ ςερητέον.*

21. *meo modo*, h. e. ut volo. Ph. V, 8, 69.

*Sy.* Immo, ut patrem tuum vidi [o]), partes [p]) diu etiam duras dabit.
*B.* Quisnam hic adolescens est, qui intuitur [q]) nos? *A.* ah, retine me, obsecro.
*B.* Amabo, quid tibi est? *A.* disperii! *B.* perii, misera. quid stupes,
Antiphila? *A.* videon' Cliniam? an non? *B.* quem vides?
*Cl.* Salve, anime mi. *A.* o mi Clinia, salve. *Cl.* ut vales?
*A.* Salvum advenisse gaudeo. *Cl.* teneone te,
Antiphila, maxume animo exoptatam [r]) meo?
*Sy.* Ite intro: nam vos jam dudum exspectat senex.

o) Codd. et Edd. ad unum omnes, *esse habitum.* Sed hoc glossema esse Be. existimat ac magistrorum pruritu antiquitus in text. irrepsisse. Probatur haec mihi Angli omissio quidem, sed non aeque illa, quibus defendatur. p) Restituit Be. *partes* ex Eun. II, 3, 62. Palmer. conject. *puras.* q) Sic antique etiam Lucret. 4, 33. Vulg. *intuetur.* r) Ita Fa. malebat, quo sustentaret senarium. Vulg. *exoptata.*

22. *ut patr. t. vidi.* Talem sc. qualem Menedemus se ipse ante poenitentiam fuisse supra I, 1. Chremeti ostendit. *part. dur. dab.* Cf. Eun. II, 3, 63.

23. *ah, retine me, obs.* Ita Antiphila ad prim. Cliniae conspectum prae nimia laetitia linqui coepit. Sic it. ap. Ovid. Heroid. II, 130. „Linquor, et ancillis excipienda cado."

24. *disper.* Cf. V, 2, 17. Ad. III, 3, 1.

25. *videon' Clin.* His it. verbis, sed contrario animi affectu illud Hec. I, 2, 6.

26. *o mi Clin.* Pronomen *mi* blandiendi causa adjectum.

27. *Salv. adv. gaud.* Cf. Eun. V, 5, 6. Subaudi, te. Par. in marg.: „Elegans formula cum gaudio de alicujus praesentia et usu sibi gratulantis." *teneone te?* Ita amplexus eam interrogat, quemadmod. solebant amici peregre redeuntes, quasi sollicitaturi, pristina fides permanserit nec ne. Itid. fere Sueton. Caes. 59. ubi v. Graev. Est autem sensus: Es tu etiam nunc mea? De hoc basiandi modo cf. Tibull. II, 5, 91.

28. *exoptatam.* Plaut. Curc. II, 3, 27. „Curgulio *exoptate* salve."

29. *Ite intro*; cf. Ph. V, 9, 65. *senex.* Per *senem* Syrus Chremetem intelligit sane incepti sui memor. Supra 3, 94.

# ACTUS III. SCENA 1.

## CHREMES. MENEDEMUS.

*Ch.* (*coelum, quod domo egressus suspicit, circumspectat*) Luciscit[a]) hoc jam. cesso pultare ostium
Vicini[b]), primum ex me ut sciat sibi filium
Redisse; etsi adolescentem hoc nolle intelligo.
Verum, cum videam miserum hunc tam excruciarier
Ejus abitu, celem tam insperatum gaudium,
Cum illi[c]) pericli nihil ex indicio siet?
Haud faciam: nam, quod potero, adjutabo[d]) senem.
Ita ut filium meum amico atque aequali suo
Video inservire, et socium esse in negotiis;
Nos quoque senes est aequum senibus obsequi.

a) Al. *Lucesc.* b) Sustuli post *Vicini* cum Par. notam interrogandi, quae vulgo posita est. c) V. I. *filio.* d) C. G. m. al. *adjuvabo.*

„Veri amici officium pulcherrime a Terentio in hac scena exprimitur, in qua amicus amico simul, et gaudii insperati, maximo cum affectu, nuntium et consilium affert.“ Calph.

1. *hoc.* „Veteres coelum vel mundum appellabant *hoc.* It. Plaut. Amph. I, 4, 45. „Eamus, Amphitruo, *luciscit hoc* jam.“ Ad hoc Cic. in fragm. de universo c. 2. „Commodo namq. inquit nomine carentes coelum vel digitis ostendisse vel adspexisse videntur.“ *Lucisc.* Ob *Luciscit* Eu. suspicatur, hanc comoediam, quod in nulla alia reperiatur, uno die non peractam, in biduum tempus continuari.

2. *Vicini*; cf. supra I, 1, 4.

3. *adolesc. hoc nolle.* Cur autem *hoc* nolit, v. supra I, 2, 15.

4. *cum vid. miserum etc.* Conf. superiora I, 1.

7. *Haud fac.* Haud celabo. Supra II, 2, 7, not.

8. *aequal.* „*Aequalis* est ejusd. aetatis et temporis.“ Fab. Sic Cic. Or. 30. „Demosthenes maximos oratores habuit *aequales.*“ *aequali s. inservire*; cf. supra I, 1, 87.

10. *obsequi*, h. e. operam navare, inservire alicui.

*M.* (*domo egrediens secum*) Aut ego profecto ingenio egregie [e]) ad miseriam
Natus sum; aut illud falsum 'st, quod vulgo audio
Dici, diem adimere aegritudinem hominibus.
Nam mihi quidem quotidie augescit magis
De filio aegritudo; et quanto diutius
Abest, magis cupio tanto, et magis desidero.
*Ch.* Sed ipsum foras egressum video. ibo [f]), adloquar.
Menedeme, salve. nuntium apporto tibi,
Cuius maxume te fieri participem cupis.
*M.* Num quidnam de gnato meo audisti, Chreme?
*Ch.* Valet atque vivit. *M.* ubinam 'st quaeso? *Ch.* apud me, domi.
*M.* Meus gnatus! *Ch.* sic est. *M.* venit? *Ch.* certe. *M.* Clinia
Meus venit? *Ch.* dixi. *M.* eamus, duc me ad eum, obsecro.
*Ch.* Non vult te scire se redisse etiam, et tuum
Conspectum fugitat; propter peccatum [g]) hoc timet,

e) L. Bemb. *egregio*. At auris gravatur o syllaba toties repetita. f) L. antiq. *adibo*. g) Al. *tum*. Omitt. al. Distinctionem Bentleji sequor, Nostro consuetam ac numerosiorem haud dubie, quam quae est aliorum.

11. *ingenio*, h. e. natura. Andr. I, 5, 40. III, 2, 7. Supra Prol. 24. *egregie*, praeter ceteros. Andr. I, 1, 31. *ad mis. Nat. sum*; cf. Ad. IV, 2, 6.

12. 13. *vulgo Dici*, in ore hominum esse, proverbialiter. *diem*, temporis longinquitatem. *diem adim. aegritud.* Dict. non paucis commune. It. Diphilus: *λύπης πάσης γίνεται ἰατρὸς χρόνος*. Similis sententia Ovid. R. A. 131. „Temporis ars medicina fere est." Itid. Cic. et al. plur.

14. 15. *mihi q. quotid. augescit etc.* Sic it. Virg. B. X, 73. — „Gallo, *cujus amor* tantum *mihi crescit in horas*." Huc respex. Horatius, Sat. I, 2, 19 etc. „ita ut pater ille, Terenti Fabula, quem miserum *nato* vixisse fugato Inducit."

19. *Cujus maxume etc.* Supra I, 1, 93. 109.

20. *Num quidnam.* Sic solent interrogantes. Andr. II, 6, 7.

21. *Val. atq. viv.* Admonet Calphurnius prothysteron esse in sensu. Si enim *valeat*, necessario *vivat*. At We. animadvertit Martialis illud exprimi dicentis: „Non est *vivere*, sed *valere*, *vita*."

22. *Meus gnat.* „Magis cum admiratione, quam cum interrogatione legendum." Calph. *certe*, certo.

23. *dixi.* Denunciatio est confirmandae sententiae, nec mutandae, translata de foro et causidicis." Calph.

25. *propt. pecc. h. tim.* Dubium esse potest, utrum verba, *propt. pecc. hoc* conjungantur, an potius separetur *hoc*, cum *timet* jungendum. Quorum posterius pars interpretum amplectitur,

Ne tua duritia antiqua illa etiam adaucta sit.
*M.* Non tu ei dixisti, ut essem [h])? *Ch.* non. *M.* quamobrem, Chreme?
*Ch.* Quia pessume istuc in te atque [i]) illum consulis,
Si te tam leni et victo esse animo ostenderis.
*M.* Non possum: satis jam, satis pater durus fui. *Ch.* ah,
Vehemens in utramque partem [l]), Menedeme, es nimis,
Aut largitate nimia, aut parsimonia.
In eandem fraudem ex hac re atque ex illa incides.
Primum olim potius, quam paterere filium
Commeare ad mulierculam, quae paululo
Tum erat contenta, cuique erant grata omnia,
Proterruisti [m]) hinc. ea coacta ingratiis
Post illa coepit victum volgo [n]) quaerere.
Nunc cum sine magno intertrimento non potest

h) V. I. *paratus.* i) Codd. Be. *in.* In l. antiq. non est hoc alterum *in.* Eun. V, 8, 9. l) Be. *utramq. in part.* V. l. *ad iram et misericordiam.* m) Id. *expulisti filium.* n) Id. *per multos amatores.*

prius Bentlejus, quem sequor. Etiam Da. vertit, „à cause de la faute qu'il a faite."

27. *ut essem.* Ad diction. hanc supplend. vel explicandam, quod alii aliter tentarunt, mihi quidem satis sit Terentius, qui sibi ipse conferatur, ex sup. loco I, 2, 13; et illo insuper Hec. III, 3. 29. His addo Andr. V, 4, 16.

28. *pessume consul.* Nep. Epam. 10. „vide ne tu *pejus* patriae *consulas.*" Not. Eu. „Utroq. genere peccas, dum aut nimium largus es, ut ante nimium parcus, ex hoc ut in unum malum ex diversis morib. venias."

29. *victo animo*; cf. supra I, 1, 62.

30. *Non possum*, absolute; sc. sufferre. Infra V, 5, 18. *sat. j. sat.* Cf. Andr. V, 1, 1,

31. *Vehemens*, intemperans, qui modum non servet.

32. *parsimonia.* Huic nomini adjectum *nimia* jungend. puto, cum *parsimonia* in laude sit ap. Cic. de Offic. II, 24. Praeterea verb. *parcae* Nostro in vituperium accipi videtur, supra I, 1, 87.

34 — 37. *Prim. o. pot. Proterruisti, quam paterere etc.* Hoc ordine facile explicamus ita: *Prim. olim* malebas *proterrere* filium, *quam pati* eum *commeare ad mul.* Significatur autem *muliercula* per contemt. paupercula sc. Bacchis. *Commeare*, ire, venire frequentius. Hec. I, 2, 100.

36. *omnia*, h. e. qualiacunq. essent.

37. *Proterr.* sc. sermonibus tuis acerbis. Gu. exponit, „cum ab ea abegisti." Supra I, 1, 82. *coacta ingr.*, h. e. invita.

39. *intertrim.* „Quoties ex metallis, quae conflantur et liquefiunt, quid perit, *intertrimentum* proprie dicitur." We. Itid. Liv. 32, 2. *non pot. Haberi* es. amica. Andr. I, 1, 58.

Haberi, quidvis dare cupis. nam, ut tū scias,
Quam ea núnc instructa pulchre ad perniciem siet,
Primum jam ancillas secum adduxit plus decem,
Oneratas veste atque auro: satrapa [o]) si siet
Amator, nunquam sufferre [p]) ejus sumtus queat,
Nedum tu possis. *M.* estne ea intus? *Ch.* sit rogas?
Sensi. namque unam ei coenam atque ejus comitibus
Dedi; quod si iterum mihi sit danda, actum siet.
Nam, ut alia omittam, pytissando [q]) modo mihi
Quid veni absumsit! sic hoc, dicens; asperum,
Pater, hoc est; aliud lenius, sodes, vide.
Relevi [r]) dolia omnia, omnes serias.

o) Un. Cod. *satrapas* ap. Be., qui inde facit, eliso s, *satrapa.* Ita esse monet a ποιητής poeta. Vulg. *satrapes.* p) Sic vulgo. Est enim *sufferre* vox Nostro usitata. Inde miror cur Bi. eam relinquant, *sufficere is sumtui* legentes. q) Sic l. Vict. per duo s. Recte; a πυτίζω vel πυτίσσω. Var. script. *pytisando. pitiss.* r) Al. *Relivi.*

41. *nunc.* Hoc *nunc* referend. est ad *olim* supra v. 34. *instructa ad pernic.* Sic Plaut. Bacch. III, 1, 6. Ter. Hec. II, 1, 6. *pulchre* per ironiam; cf. Phaed. I, 10. „quod *pulchre* negas.“

42. *Prim.* Cf. Eun. IV, 4, 28. Per *Primum* comice terret animum Menedemi, quasi singula hujusmodi plura deinceps sequantur. *plus decem.* Intelligit multas, ut quas numerum hunc definitum excedentes. At Antiphilae una ancilla sufficiebat. Supra II, 3, 52. Ridiculum igitur est, Chremetem a Syro seductum de Antiphila credere, quae in Bacchidem solam cadant, sui filii amicam.

43. *Onerat. veste atq. auro.* Ancillae vestes dominae portabant ac pretiosa alia. Eun. IV, 1, 3. *satrapa*, vox Persica, graece terminata. *Satrapae* autem ap. Babylonios appellantur ditissimi et satellites regum. Plura v. ap. We. Addo Lucian. Dial. meret. XIII. ὁ γὰρ σατράπης μέγιστος ὢν, ὁπλομάχων ἄριστος δοκῶν εἶναι.

45. *Nedum.* „Haec particula plerumq. subjicitur, et servit parti deteriori.“ Tursellin.

46. 47. *ei coenam Dedi*; cf. Cic. Fam. IX, 20. „Etiam Hirtio *coenam dedi.*“

48. *pytiss. modo mihi.* „Proprie *pytissare* dicitur, quod gustare, quasi cum quad. probatione expuere.“ Eu. Et Par. in marg. ex Athen. Deipnos. lib. 3. „καὶ τὸν μὲν ὀξὺν οἶνον ἐκπιτύζομεν.“

49. *sic.* Hoc vultu *sic* dicit, ut nec laudet nec vituperet vinum. Ph. I, 2, 95. *asperum*, austerum. Secund. Plin. H. N. XXIII, 1. „tria sunt vini genera, austerum, dulce et tenue.“

50. *Pater.* Sic seniores honoris causa appellabantur; v. Torrent. ad Hor. Ep. I, 6, 34. *vide*, cura praebitos appositosve.

51. *Relevi.* „Id est perforavi, quae perforatio fieri non po-

Omnes sollicitos habui. atque haec una nox.
Quid te futurum censes, quem assidue exedent?
Sic me Di amabunt, ut me tuarum miseritum 'st,
Menedeme, fortunarum. *M.* faciat quod lubet:
Sumat, consumat, perdat; decretum 'st pati,
Dum illum modo habeam mecum. *Ch.* si certum 'st tibi
Sic facere, illud permagni referre arbitror,
Ut ne scientem [s]) sentiat te id sibi dare.
*M.* Quid faciam? *Ch.* quidvis potius, quam quod cogitas:
Per alium quemvis ut des [t]); falli te sinas
Technis [u]) per servolum, etsi subsensi id quoque,
Illos ibi esse, et id agere inter se clanculum.
Syrus cum illo vestro [x]) consusurrant [y]), conferunt

s) Sic Palmer. Gu. al. divisim. Vulg. conjunctim, *nescientem.* t) V. l. *filio.* u) Id. *fraudib. et mendaciis.* x) Id. *Dromone.* y) Sic libb. antiq. Vulg. *consusurrat.*

terat, nisi prius auferretur, aut limus, aut argilla, aut pix, aut resina, aut gypsus, quibus linebantur *dolia*, aut picabantur aut incrustabantur.“ Calph. Ceterum de modo vina condendi cf. Plin. 14, 20. Et Columella XII, 18. „*Dolia*, inquit, et *seriae* ceteraq. vasa picanda sunt.“

52. *Omn. sollicit. hab.* Cf. Plaut. Mil. IV, 2, 95. „Commotos reddidi, variisq. ministeriis districtos.“ We. *haec una nox.* Scilicet quamdiu *intus* fuit, v. 45.

53. *Quid t. futur.* Similit. Cic. Attic. X, 12. „*Quidnam* mihi *futurum* est?“ Ph. V, 3, 28. 29. *quem ass. exed.*, h. e. cujus bona omnia absument. Eun. V, 8, 57.

54. *Sic me Di amab.* Est formula jurandi et optandi. *ut me tuar. miserit. est.* Laur. Valla: „*Me* pro a *me miseritum* dixit.“ III, 46.

56. *Sum. cons. perd.* sc. bona, fortunas. Dixit notabili incremento.

59. *Ut ne scientem etc.* „Melius est velut insciens plurimum perdas, quam sciens minimum.“ Eu. Ordin.: *Ut ne sentiat te scientem etc.*

60. *quod cogitas.* Respiciatur v. 56.

61. *falli per servol.* Id quod dominis saepius accidere solet. Eun. Prol. 39.

62. *subsensi.* Praepositioni *sub* inest temperamentum plenae pronuntiationis.

63. *ibi*, in eo. v. Index. Not. Far.: „In ea officina, in qua fabricent dolum aliquem, quo te argento emungant.“

64. *Syr. c. illo vestro*, h. e. „Syrus et ille vester.“ Ru. Nota *cum* accipi pro, *et.* Itid. Liv. 21, 60. „*Ipse dux cum* aliq. principibus *capiuntur.*“ Ibi Drakenb. alia plura hujus syntax. exempla more suo congessit. *confer. Consil.* Cf. Cic. Phil. II, 15. „*consilia contulit* cum illo.“

Consilia ad [z]) adolescentes [a]): et tibi perdere
Talentum hoc pacto satius est, quam illo minam.
Non nunc [b]) pecunia agitur, sed illud, quo modo
Minimo perriclo id demus adolescentulo:
Nam si semel tuum animum ille [c]) intellexerit,
Prius proditurum te tuam vitam, et prius
Pecuniam omnem, quam abs te amittas filium; hui,
Quantam fenestram ad nequitiem [d]) patefeceris?
Tibi autem porro ut non sit suave vivere [e]).
Nam deteriores omnes sumus licentia.
Quodcunque [f]) inciderit in mentem, volet; neque id
Putabit pravum, an rectum sit, quod petet.
Tu rem perire et ipsum non poteris pati.
Dare denegaris [g]); ibit ad illud ilico,
Quo maxume apud te se valere sentiet,
Abiturum se abs te esse ilico minabitur.
*M.* Videre [h]) verum, atque ita uti res est, dicere.

z) Al. omitt. *ad.* a) In vett. libb. *adulesc.* quomodo scripsisse veteres Mu. suspicatur, cum vellent secundam producere. b) We. ed. *de* ex mss. c) L. antiq. *is.* Colloc. C. G. m. *intellex. ille*, contra jambum. d) C. G. m. *nequitiam.* e) Id. in marg. *propt. dispendium meretricum.* f) V. I. *filio.* g) Ms. Mark. *Dare si deneg.* h) V. I. *videris.*

65. *ad adolescent.* Praepositionem *ad* et versus et sensus requirit. Hunc autem exposuit Be. ita: „*consilia* quae ceperint servi, *ad adolescentes* deferunt."

66. *hoc pacto.* Eo scilicet, *Per al. q. ut des*, cf. v. 61. *quam ill*; cf. v. 56.

68. *id demus.* Neutro genere utitur, *id*; cum praeter pecuniam Menedemus alia multa filio concesserit. Eod. modo, *id sibi dare*, v. 59.

69. *Nam si semel etc.* Haec sunt, quae, ut recte judicat Chremes, maximum in se contineant *periculum.*

70. *proditur*, i. e. periculo expositurum. *vitam*; cf. Andr. I, 3, 5.

71. *abs te amitt.* Comicum est *amittere*, et *amittere a se*, pro dimittere. *hui*; v. Eun. IV, 7, 35, not.

72. *fenestr.* P. Burm. ad Phaed. I, 13, 3. animadvertit ita: „*fenestram* de omni apertura, quae in parietib. est, suni satis est notum." Similit. Plin. Ep. I, 18 „illa januam famae *patefecit.*"

73. *non suave.* Negationem *non* latine urgeri constat, ut sit *non suave* pro gravissime, molestissime.

76. *prav. an rect.* Itid. Liv. 9, 30. „sine *recti pravique* discrimine."

77. *rem* sc. familiarem. Supra v. 54. 55. *et ipsum*, h. e. filium luxuriose viventem.

78. *deneg.* pro *si denag.* Conjunct. si omittitur, ut Hor. Serm. I, 3, 15. „dedisses pro, si dediss." *ad illud*, veluti remedium. In eo namq. erit refugium, ut *ilico* minetur, *se abiturum.*

*Ch.* Somnum hercle ego hac nocte oculis non vidi meis,
Dum id quaero, tibi qui filium restituerem.
*M.* Cedo [l]) dextram: porro te oro idem ut facias, Chreme.
*Ch.* Paratus sum. *M.* scin', quid nunc facere te volo [l])?
*Ch.* Dic. *M.* quod sensisti illos me incipere fallere,
Id [m]) ut maturent facere: cupio illi dare
Quod vult; cupio ipsum [n]) jam videre. *Ch.* operam dabo [o]).
Paulum hoc negoti mi obstat: Simus et Crito
Vicini nostri hic ambigunt de finibus.
Me cepere arbitrum. ibo ac dicam, ut dixeram
Operam daturum me, hodie non posse iis [p]) dare.
Continuo hic adero. *M.*, ita quaeso. (*solus*) Di vostram fidem!
Ita [q]) comparatam esse hominum naturam omnium,
Aliena ut melius videant et dijudicent,
Quam sua? an eo fit, quia in re nostra [r]) aut gaudio

i) Par. p. var. *Cede.* l) Sic colloc. haec in Fa. ac Be. libb. In aliis aliter. m) Ms. Pal. 2. *volo.* Glossatoris videtur, verbi *volo* v. 85. immemoris. n) Al. omitt. *ipsum* pereram. o) Qui vulgo sequuntur versus tres, hinc inde a Be. sunt ad finem scenae commode translati. Quem ego sic ordinantem secutus sum. p) C. G. m. *hiis*, haud dubie pro *his.* Ph. V, 7, 1. q) L. antiq. *Itan.* r) Be. *re in nost.* Quam collocation. fovet; supra 1, 31. et al. loc.

83. *tibi qui fil. restit.* Cf. Eun. I, 2, 66. 67.

84. *Cedo dextram.* Formula foedus et amicitiam pangentium; vid. Serv. ad Virg. A. VII, 226.

86. *quod sensisti illos etc.* Supra v. 62. 63. Far. not.: „*Ἦθος* animi per indulgentiam impotentis."

90. *ambig. de fin.* „Litem vicini habent de limitibus." Eu. *de finibus*, ut verisimile est, agrorum. Sic certe Sueton. Oth. 4. „Cuid. etiam, de parte *finium cum vicino* ligitanti, totum agrum redemit."

92. *Op. daturum me.* Proprie *operam dare* dicuntur judices vel *arbitri*, qui audiunt de controversia disputantes. Itid. Cic. Div. VII, 24. „dixit judicem sibi *operam dare* constituisse."

93. *Cont. h. adero*; cf. Eun. IV, 6, 27.

94. *compar. esse natur.* Liv. III, 68. „*natura comparatum est.*"

95. *Aliena ut mel. videant etc.* Sententia vulgaris est; uti ap. Phaed. IV, 10. Cic. Tusc. Q. III, 30. etiam Menand. *ἐπ' αὐτοῦ* etc. Quae porro latine sic sonant: „Aperte sua mala videt nemo — Sed alterius peccantis conspicabitur."

96. 97. *aut gaudio aut aegritudine.* Has duas animi affectiones adfert, quibus ipse inprimis afficiatur.

Sumus praepediti nimio, aut aegritudine?
Hic mihi quanto nunc plus sapit, quam egomet mihi?
*Ch.* Dissolvi me, otiosus [s]) operam ut tibi darem [t]).
Syrus est prehendendus atque adhortandus mihi.
A me nescio quis exit [u]): concede hinc domum,
Ne nos inter nos consentire [x]) sentiant.

s) L. antiq. *ocius.* t) Da. ed. *oper. ut huic darem*, quasi de Menedemo, non ad Menedem. Non recte. Namq. Chremes, exacto negotio, de quo coram Menedemo ad vers. usq. 93. dixerat, hic redit. Reliquerat igitur Menedemum in scena solum, qui interea secum loquitur, quae inde a versu 93. sequuntur ad vers. usq. 98. continuata. Tum redit Chremes, et excipit filum orationis, quam versu 88. verbis *op. dabo* praeciderat, hoc modo quo videmus. Ita mihi. u) Haec formula, ut recte Be. animadvertit, plerumq. finem scenae indicat. Ergo ponendus erat hic versus in fine. x) Sic Be. pro *congruere* vulg. In hoc verbo desiderabat versus penultimam longam. Quam ut efficeret Faernus detorquebat verb. *congruere* ad secundam declinationem, quasi deduceretur a *congrueo*, *congrues.* Sed hoc pertaesus ego cum Anglo potius *consentire* probabam, quo consuleretur et sententiae verbor. et metro, quod stat, *consentīrĕ sēntĭānt*, jambis ita exiens.

98. *Hic mihi* pro, Chremes in re mea.

99. *Dissolvi*; cf. infra IV, 3, 43. *Dissolvi*, excusavi; „quasi qui foret promissione ligatus sua." Calph.

100. *prehendend.*, i. e. intercipiend. appellandus. Andr. II, 2, 16.

101. *A me*; cf. Eun. V, 7, 5, not. *nescio q. ex. concede.* Talis fere finis scenae, Ad. IV, 4.

## ACTUS III. SCENA 2.

### SYRUS. CHREMES.

*Sy.* (*secum, non viso sene*) Hac illac circumcursa, inveniendum 'st [a]) tamen
Argentum; intendenda in senem est fallacia.
*Ch.* Num me fefellit, hosce id struere? videlicet
Ille Cliniae servus tardiusculu 'st:
Idcirco huic nostro tradita 'st provincia.
*Sy.* Quis hic loquitur? perii! numnam haec audivit? *Ch.* Syre. *Sy.* hem!
*Ch.* Quid tu istic [b])? *Sy.* recte equidem [c]), sed te miror, Chreme,
Tam mane, qui heri tantum biberis. *Ch.* nil nimis.

a) Be. *es* pro *est*, ut Syrus argentum ipsum compellet, vernili facetia. Sed hoc sane magis comicum esset, quam quod poterat exspectari ab Terentio. b) V. I. *agis.* c) C. G. m. *quidem.*

„Jucundus error, in quo herus a servo decipitur, quem credit alteri fallaciam intendere, dum sibi tenditur: et sic eum aggreditur de fallacia in alterum.“ Calph.

1. *Hac illac* sc. via, aut quolibet, ubique. Eun. I, 2, 25. *circumcursa.* Se ipse Syrus vernili modo alloquitur, ut ille servus in Ad. V, 1, 1. *tamen*, h. e. tandem, postq. omnia sum expertus.

2. *senem*, Chremetem. *intend. fallac.* Cf. Andr. IV, 5, 18, not.

3. *Num me fefellit?* „Num me latuit?“ Far. *hosce.* Refer ad scen. 1, 63. *struere.* Jungitur hoc cum *intend. fallac.* per allegoriam. Nam qui *fallaciam intendit*, idem fabricam struit, seu *fingit*, uti v. 34.

4. *tardiuscul.* Ref. ad ingenium. Cic. L. agr. III, 2. „*tardo* ingenio.“

5. *huic nostro* sc. Syro, callido ac solerti prae Dromone. *provincia*, h. e. omne negotium vel urbanum vel privatum.

7. *recte equidem.* Sic solent qui sine injuria interrogantis aliquid reticent. Hec. III, 2, 20.

8. *qui heri tant. bib.* „Scilicet in festo Dionys. supra I, 1,

*Sy.* Nil, narras [d])? visa vero 'st, quod dici solet,
Aquilae senectus. *Ch.* heia! *Sy.* mulier commoda et
Faceta haec meretrix. *Ch.* sane idem visa est mihi [e]).
*Sy.* Et quidem hercle forma luculenta. *Ch.* sic satis.
*Sy.* Ita non ut olim, sed uti nunc, sane bona;
Minimeque miror, Clinia hanc si deperit.
Sed habet patrem quendam avidum, miserum atque aridum,
Vicinum hunc: nostin'? at quasi is non divitiis
Abundet, gnatus ejus profugit inopia.
Scis [f]) esse factum, ut dico? *Ch.* quid? ego nesciam [g])?

d) Al. sine distinctione, *Nil narras?* contra morem Terentii; nam ita solet voce *nil* iterari ad *nil* prioris personae. e) L. Bemb. *tibi* pro *mihi.* Ibid. personae sic notatae: Ch. *sane.* Sy. *id. visa est tibi.* f) L. Bemb. *Scin'*. g) Par. p. var. *ni sciam.*

10." We. Hoc si ita est, nota Eugraphii, quam supra I, 1, adjecimus, sane probabitur. Mihi vero illa magis spectari coena videtur, quam Chremes Bacchidi se dedisse enarravit Menedemo, et quae facile possit hesterna appellari; cf. I, 46. 47. Praeterea vult Syrus, qui modo dixerat, *intend. in sen. est fall.*, hunc, timens ne audiverit, in aliam rem flectere.

10. *Aquilae senect.* ἀετοῦ γῆρας Zenob. Varie interpretati sunt et commentiti. Sed inprimis vid. Erasm. Adag. Boch. Hieroz. Plin. H. N. „Valet autem *Aquilae senectus* pro viridi vividaq. senecta. Et putabatur aquila bibendo usque et se mergendo in fontem redire ab juvenilem vigorem." Bi. *heia*, corrigentis. *commoda.* Scilicet quae novit alteri se accommodare. Sic Cic. Verr. II, 78. „mores *commodi.*"

11. *Faceta.* Dicitur *facetus* conviva in dictis praesertim. Juvenal. IX, 10. h. l.

12. *forma lucul.* „Quodcunq. splendore suo oculos ferit, *luculentum* dicitur." We. Theotisce: „schön wie der Tag." *sic satis.* Formula mediocriter laudandi.

13. *Ita non ut olim.* „Palpatur seni, temporis acti laudatori, quasi illo juvene formosiores essent homines quam nunc sunt." Bi. *sed uti nunc*; cf. Eun. II, 3, 6. *sane bona*; cf. Andr. I, 1, 92.

14. *Clinia hanc.* „Callide Syrus senem in hac opinione firmat, Bacchidem Cliniae esse amicam." Calph. Supra II, 3, 91. 92. *deper.*, h. e. ardenter amat. „Nam amator ejus amore, quam amat, *perire* dicitur." Id. Sic Catull. XXXV, 11. 12. „Quae - Illum *deperit* impotente amore."

15. *avid.* Est enim *avidus*, qui undiq. corradit pecuniam. Eun. I, 2, 51. *miser.* Qui cum habeat, uti non audet, *miser* est. Hor. A. P. 170. *arid.* A terra haec vox traducta, quae nihil profert.

Hominem pistrino dignum [h]). *Sy.* quem? *Ch.* istum servolum [i])
Dico adolescentis. *Sy.* (*secum*) Syre, tibi timui male.
*Ch.* Qui passus est id fieri. *Sy.* quid faceret? *Ch.* rogas?
Aliquid reperiret, fingeret fallacias,
Unde esset adolescenti, amicae quod daret,
Atque hunc difficilem [l]) invitum servaret senem.
*Sy.* Garris. *Ch.* haec facta ab illo oportebat [m]), Syre.
*Sy.* Eho, quaeso, laudas, heros qui fallunt? *Ch.* in loco
Ego vero laudo. *Sy.* recte sane. *Ch.* quippe qui [n])
Magnarum saepe id remedium aegritudinum 'st:
Jam huic mansisset unicus gnatus domi.
*Sy.* (*ad spectatores*) Jocon' an serio ille haec dicat, nescio;
Nisi mihi quidem addit animum, quo lubeat magis.
*Ch.* Et nunc quid exspectat, Syre? an dum hinc denuo
Abeat, cum tolerare illius sumtus non queat?
Nonne ad senem aliquam fabricam fingit? *Sy.* stolidus est.

h) C. G. m. sup. script. *dico esse te*, cum not. marg. *Nam antiqui, quos cruciatib. dare volebant, in pistrinum mittebant.* i) V. I. *Dromonem alium.* l) Id. *avarum.* m) C. G. m. *opportebant.* Itid. Par. in marg. vid. Andr. III, 2, 1. n) Vulgo *quia* pro *qui.*

19. *pistr. dign.* Cf. Andr. I, 2, 28, not. *quem?* „Recte interrogat Syrus. Poterat enim ambiguum videri, de Menedemo loqueretur, an de filio, an denique de alio quodam.“ We.

22. *fing. fallac.* Comice Chremes nescius quidem incitat Syrum ad fallacias contra se ipsum parandas.

24. *invit. serv.* Cf. Hor. A. P. v. 467. Scilicet ne periret pater.

25. *Garris*, jocaris. Infra IV, 6, 19.

26. *Eho.* „Est interjectio interrogantis, modo admirantis, modo denique ad se vocantis.“ Calph. *in loco*; cf. Ad. II, 2, 8. Itid. Hor. Od. IV, 11, 28.

27. *Ego vero laudo.* Laudat ridicule senex, quod mox sentit in semetipsum.

28. *Magn. s. id remed.* *Remedium* dicitur medicorum, qui aegrotos saepe fallunt, salutis causa. Supra I, 1, 71. Ergo si falluntur heri nonnunquam, *aegritudine* levantur.

29. *Jam huic* sc. Menedemo. *mansisset.* Subaudi: Quando scilicet ille servus reperisset aliquid et finxisset in dominum fallacias. Supra v. 22.

32. *quid exspect.* sc. Dromo.

34. *ad*, adversus. *fabr. fing.* Dromo subauditur ex v. 19.

*Ch.* At te adjutare [o]) oportet adolescentuli
Causa. *Sy.* facile equidem facere possum, si jubes;
Etenim quo pacto id fieri soleat, calleo.
*Ch.* Tanto hercle melior. *Sy.* non est mentiri meum.
*Ch.* Fac ergo. *Sy.* at heus tu, facito dum eadem haec memineris,
Si quid huius simile forte aliquando evenerit,
Ut sunt humana, tuus ut faciat filius.
*Ch.* Non usus veniet, spero. *Sy.* spero hercle ego quoque;
Neque eo nunc dico, quo quicquam illum senserim:
Sed si quid, ne quid. quae sit ejus aetas, vides.
Et nae ego te, si usus veniat, magnifice, Chreme,
Tractare possim. *Ch.* de istoc, cum usus venerit,
Videbimus, quid [p]) opus sit; (*concedit domum*) nunc istuc age.

o) C. G. m. *adjuvare.* Supra 1, 7. p) Al. *quod* male.

*fabrica*, pro dolo accipitur. *stolid. est.* „Proprie germina e radicib. nascentia *stolones* vocant, qui quod inutiles sunt et nullius frugis, inde *stolidi* et stulti dicti." Voss.

36. *si jubes.* Eod. fere modo Eun. II, 3, 98.

37. *calleo*, peritus, edoctus sum. Jam enim excogitaverat.

38. *melior*, sc. es. Et est *Tanto h. mel.* formula laudandi alterum. *non est mentiri meum* pro, non soleo *mentiri.* Sic Plaut. Truc. V, 61. Ridicule hoc dicit servus, quod genus hominum est mendacissimum. Juvenal. Sat. lib. III. „lingua mali pars pessima servi."

39. *Fac ergo*; cf. v. 36. *at heus tu.* „Jam providet fallaciae, quam mente conceperat: quo facilius mereatur veniam, si quid struxerit in herum." Calph.

40. 41. His versib. praeparat Syrus astute herum ad nuntium de amore filii accipiendum. *huius simile.* Sub. Cliniae amoris. *Ut s. humana* sc. amare. Andr. V, 3, 25.

42. *Non usus ven.* Ad. V, 6, 7. Pro *usus ven.* alias occurrit, quod id. est, *usu ven.* ablativo casu. Sensus: „Non hoc continget, nec fieri potest." Eu. *Spero h. e. quoq.* sc. non facturum esse, ut simile quid Cliniae amoris in animo paret.

43. *Neq. eo quo*; cf. Eun. I, 2. 16. *illum sens.* Par. explic. „in illo *senserim.*" Nisi subaudiatur, vel cogitare, vel quid tale.

44. *Sed si quid*, sc. evenerit. *ne quid*, sc. succenseas. Sunt aposiopeses. *ejus aetas*, ut quae amori obnoxia.

45. *magnifice.* Hoc sane comicum in ore servili. Nisi forte Syrus facete luserit ad Chremetis verba, *Magnarum saepe etc.* v. 28. 46. Cf. supra 1, 1, 101. Hoc dicit memor superioris, v. 37.

46. *de istoc*, Clitiphone; si quando is peccaverit.

47. *nunc ist. age.* Hoc annuit, ut herum fallere aggrediatur.

*Sy.* Nunquam commodius unquam herum audivi loqui,
Nec, cum malefacerem q), crederem mihi impunius
Licere. quisnam a nobis egreditur foras?

q) Bc. *malefacere*, quae est Mureti emendatio. Sed lucri quid inde sit, de hoc tacent ambo.

48. *Nunq. commodius etc.* Supra 2, 10, not. *unquam* abundat.

49. 50. Sensum horum versuum capio ita: Nec alio tempore crederem, mihi impunius malefacere licere, quam hoc tempore licere videatur.

---

## ACTUS III. SCENA 3

### CHREMES. CLITIPHO. SYRUS.

*Ch.* Quid istuc, quaeso? qui istic mos est, Clitipho? itane fieri oportet a)?
*Cl.* Quid ego feci? *Ch.* vidin' ego te modo manum in sinum huic meretrici
Inserere? *Sy.* acta haec res est. perii! *Cl.* mene? *Ch.* hisce oculis, ne nega.
Facis adeo indigne injuriam illi, qui non abstineas manum.

a) Abest *oport.* a quibusd. V. I. *ut cum alterius amica ludas.*

„In hac scena Syrus hero persuadet, quod multum facit ad extorquendum argentum.“ Calph.

2. *Quid ego feci?* Sic solent objurgati et delictum dissimulantes. Andr. I, 1, 112. *in sin. Sinus* est gremium; vid. Duker. ad Flor. II, 6. Itid. Ovid. Am. II, 15. „Et laevam tunicis *inseruisse manum.*“ Non aliter Aristaenet. Ep. I, 9. ἅπτεσθαι μαστῶν. *meretrici.* Plus intulit quam si dixisset, mulieri.

3. *acta res est*; uti Andr. III. 1, 7. *perii!* Servus merito ita, cum jam supra II, 3, fin. Clitiphonem amicae cupidissimum abegerit. Ac timendum sane erat servo, ne ob id fallacia sua detegeretur. *mene?* negantis, quasi per admirationem. Andr. V, 2, 8. *hisce oculis*, δεικτικῶς, et cum emphasi. Plenissime Plautus: „egomet duob. *hisce oculis* meis vidi.“

4. *Fac. ad. indigne etc.* Junge *adeo qui*, pro *adeo ut.* Itid. Cic.

Nam istaec quidem contumelia 'st,
Hominem amicum recipere ad te, atque ejus amicam subigitare [b]).
Vel heri in vino [c]) quam immodestus fuisti! *Sy.* factum. *Ch.* quam molestus!
Ut equidem, ita me Di ament, metui, quid futurum denique esset.
Novi ego amantium animum [d]): advertunt graviter, quae non censeas.
*Cl.* At fides mi apud hunc est, nil me istius facturum, pater.
*Ch.* Esto, at certe ut [e]) concedas hinc aliquo ab ore eorum aliquantisper.
Multa fert libido. ea facere prohibet tua praesentia.

b) Sic Lindenbr. p. var. Id. ed. *subagitare.* c) Lindenbr. in *convivio* ex Fa. d) Pal. 2. *animos.* e) Be. ex veterrim. *ut.* Itid. C. G. m.

p. Flac. 20. *abstin. man.* Cf. supra II, 5, 132. Et Cic. ad Attic. III, 7. „Quod me ad vitam vocas, unum efficis, ut a me *manus abstineam.*" Propert. II, 7. „Possum ego in alterius positam (puellam) spectare lacerto?"

5. *ist. quid. contumelia.* Partic. *quidem* vim habet affirmandi. *contum.* Supra dixerat, *injuriam*, hic *contumelia* dicit. Est enim *injuria*, Eu. monente, quasi violentia corporis; *contumelia* vero praeter violentiam.

6. *amic. recip.* Nempe receperat illum in domum; cf. I, 2, 8. *subigitare.* „Per *subigit.* Eu. intelligit perfectionem ipsam libidinis. Sic it. Sueton. Caes. 49. „subegit," ambiguo sensu.

7. *Vel heri.* „Ingerit aliud malefactum inter admonitionem ut solent patres." Calph. *factum;* cf. Eun. V, 2, 12.

8. *Ut equid. metui,* pro „quam *metui!*" Boecler. Hanc ego quidem orationem Syri magis, si per Codd. liceret, posuerim quam Chremetis. Hic enim nihil timet de filio, maxime vero Syrus. Supra 2, 42.

9. *advert. gravit.* Scilicet *in amore* vel maxime insunt suspiciones; cf. Eun. I, 1, 14. 15. *quae n. cens.*, sc. *graviter* eos advertere.

10. *fid. mi ap. h. est.* Cf. Ph. V, 3, 27. „Arcta familiaritas, cum alter de altero in re venerea nihil suspicatur." Calph. *istius*, elliptice pro, quod tu times; cf. v. 8.

11. *Esto*, verb. concedentis. *at certe.* „Hic mandat pater, ut discedat a domo filius." Eu. *ab ore*, a conspectu. Cic. p. Rosc. A. 6. „*in ore* omnium versatur." Ter. Ad. II, 4, 5.

12. *Multa fert libido.* Terentiano more etiam sunt, *aetas fert*, *adolescentia fert*, *res fert*, *tempus fert.* Est enim *fert* pro apportat, permittit. *prohib. tua praes.* Sensus: *Tua praesentia prohibet*, sc. multa, quae minus libere, quam ferat libido, ambo amantes faciant inter se vel patiantur.

De me ego facio conjecturam. nemo 'st meorum amicorum hodie,
Apud quem expromere omnia mea occulta, Clitipho, audeam.
Apud alium prohibet dignitas; apud alium ipsius facti pudet [f]),
Ne ineptus, ne protervus videar. quod illum facere credito.
Sed nostrum est intelligere, utcunque, aut ubicunque opus sit, obsequi.
*Sy.* Quid istic narrat? *Cl.* perii! *Sy.* Clitipho, haec ego praecipio tibi,
Hominis frugi et temperantis functus officium [g]). *Cl.* tace, sodes.
*Sy.* Recte sane. *Ch.* Syre, pudet me. *Sy.* credo, neque id injuria.
Quin mihi molestum 'st. *Cl.* pergin'? *Sy.* hercle verum [h]) dico, quod videtur.
*Cl.* Nonne accedam ad illos? *Ch.* eho, quaeso, una accedundi via 'st?
*Sy.* (*secum*) Actum 'st. hic prius se indicarit, quam ego argentum effecero.
Chreme, vin' tu homini stulto mi auscultare? *Ch.* quid faciam? *Sy.* jube hunc
Abire hinc aliquo. *Cl.* quo ego hinc abeam? *Sy.* quo lubet. da illis [i]) locum.

f) Be. ex Codd. *piget.* Itid. Erasm. g) Par. p. var. *sis funct. officio.* h) Ita distingu. Be. bene. At Fa. ed. *Cl. pergis hercle. Sy. verum etc.* i) V. I. *Cliniae et Bacchidi.*

15. *Ap. al. prohib. etc.* „Aut amici dignitate deterreor, ne indicem; aut ipsa certe res propt. sui turpitudinem eam narrationem comprimit." Eu.

16. *inept.* „*Ineptus* est, qui aut temporis aut eorum, quibuscum agit, non rationem habet;" vid. Cic. de Or. II, 4. *quod ill. fac. cred.* Scilicet id *facere credito*, ut non omnino, te praesente, libidini suae indulgeat.

18. *Quid ist. narr.* Antesignanus ambigit de hoc, Syrus ad Clitiphon. loquatur an secum.

20. *Recte sane*; cf. Ad. III, 3, 62. Sub. monuisti filium. *pud. me* sc. illius.

21. *pergisne?* Add. al. „Clitipho." Leg. Bemb. l. *perdis. hercle verum.* Utrumq. it. bene junctum, supra II, 3, 107. *quod videtur* sc. mihi.

22. *ad illos.* Vet. interpres Brunsii Cod. exhibet adscriptum: „ad patrem et amicos illius." Sed We. subaud. „Cliniam et Bacchidem, in aedib. Chremetis." Recte; cf. v. 25. *eho*, ad-

Abi deambulatum. *Cl.* deambulatum! quo? *Sy.* vah, quasi desit locus.
Abi sane istac, istorsum, quovis. *Ch.* recte dicit [l]), censeo.
*Cl.* Di te eradicent, Syre, qui me hinc extrudis [m]). (*abit.*)
*Sy.* At tu pol [n]) tibi istas posthac comprimito manus.
Censen' vero? quid illum porro credis facturum, Chreme,
Nisi eum, quantum tibi opis Di dant, servas, castigas, mones?
*Ch.* Ego istuc curabo. *Sy.* atqui nunc, here, hic tibi adservandus est.
*Ch.* Fiet. *Sy.* si sapias. nam mihi jam minus minusque obtemperat.
*Ch.* Quid tu? ecquid de illo, quod dudum tecum egi, egisti, Syre, aut
Repperisti, tibi quod placeat, an nondum etiam? *Sy.* de fallacia
Dicis? est [o]): inveni nuper quandam. *Ch.* frugi es. cedo quid [p]) est?

l) Al. *dicis.* m) Al. *extrudas.* n) Al. omitt. *pol.* Hos ego vv. 28. 29. recepi a Be. ita ut hic eos constituit. Quorum prior hypermeter est. o) V. I. *inventa a me.* Pro *est* in al. libb. *hem*, in al. *st*, nota silentii. p) C. G. m. *id.* Non hab. l. Bemb.

monentis. *una acced. via*, honesta scilicet, ut manus posthac abstineas. *argent. effec.* Cf. supra II, 3, 81, not.

26. *Abi deambul.* „Ita solebant, ubi quem amotum vellent." We. *quasi desit loc.* „gratulantis." G. Eod. fere modo Andr. II, 2, 35.

27. *istac* sc. via. Antiq. ablativ. est pro, ista. *istors.* Cf. Ph. V, 1, 14. *censeo*, approbantis magnifice id, quo ipse postea eludatur.

30. *Cens. vero?* „Subblanditur domino servus per obsequium." Eu.

31. *servas*, custodis. Phaed. III, 10, 23. „Aetatem adultam *servans* diligentius." *serv. castig.* Utrumq. hoc etiam Plin. Paneg. „*observator* et *castigator.*" Ubi v. Schwarz.

32. *nunc tibi adservand.* „Bene praesens temp. in metu ponit, ut ille sciat jam filium nescio quid moliri." Eu.

33. *minus minusque.* Itid. Plin. XI, 10. „Cum advesperascit, apes in alveo strepunt *minus ac minus.*" Suspicatur We. non inepte, Syrum paedagogum fuisse Clitiphonis.

34. *Quid tu?* „Bene amoto filio de fallacia erga Menedem. exquirit." Calph. *ecq. de illo.* „Sic solent, qui de re aliqua peragenda inter se loquuntur." We. Supra vid. 2, 22. seqq.

36. *frugi es.* Plaut. Mil. IV, 8. „Fac *sis frugi.*" ubi Danz. „Frugi esse, erat formula, qua servi proprie laudabantur."

*Sy.* Dicam; verum, ut aliud ex alio incidit. *Ch.* quidnam, Syre?
*Sy.* Pessuma haec est meretrix. *Ch.* ita videtur. *Sy.* immo si scias.
Vah [q]), vide quod inceptet [r]) facinus. fuit quaedam anus Corinthia
Hic: huic drachmarum argenti haec mille dederat [s]) mutuum.
*Ch.* Quid tum? *Sy.* ea mortua 'st; reliquit filiam adolescentulam;
Ea relicta huic arrhaboni est pro illo argento. *Ch.* intelligo.
*Sy.* Hanc secum huc adduxit, ea quae [t]) est nunc ad [u]) uxorem tuam.
*Ch.* Quid tum? *Sy.* Cliniam [x]) orat, sibi ut id nunc det, illam [y]) illi tamen
Post daturam [z]). mille nummum poscit [a]). *Ch.* et poscit [b]) quidem. *Sy.* hui!

q) Edd. et Codd. aliq. Be. *Hoc vide.* r) Al. *inceptat.* s) V. I. *Bacchis.* t) Al. *eaque.* Be. *eam* invitis Codd. u) L. Bemb. *apud.* x) Sic Be. et pleriq. inde a Fa. In C. G. m. et C. Hal. *Clinia.* y) Be. *illa*, sc. Antiphila. Non placet. z) Vexatissim. loc. Var. *daturum*, *daturus.* Be. *datum iri.* Equid. praefero *daturam*, sc. Bacchidem. a) b) Bi. *spondet* utrobiq. pro *poscit.* Be. *praes sit* ab Ausonio petitum. b) C. G. m. al. *poscet.*

37. *ut al. ex al. incid.* Similit. Quinctil. Instit. IX, 2. e Cicerone: „aliud ex alio succurrit mihi."

38. *Pessuma.* Mire *pessuma*, quam eand. modo laudaverat, supra 2, 10. 11. Consilium autem Syri hoc esse mihi videtur, ut hero persuadeat, quod ipsum superiori repugnet. Quapropt. dicit: *aliud ex alio* incidit, simulata quad. perturbatione. *immo si scias.* Sensus: „Immo magis dicas, quod dixisti, si scias." We.

39. *vide.* Mu. ita: „*Hoc vide* δεικτικόν esse ejus rei, quam animo quis concepit." *fuit quaed. anus.* En initium narrationis, uti supra I, 1, 44 etc. quam servus scopo suo accommodat.

40. *drachm. mille.* Gronov. subaud. pondus. *mille*, substantivum sing. num. vid. Gell. lib. I, c. 16. *mille ded. mut.* Cf. Plaut. Trin. IV, 3, 48. 49. „*talent. mutuum Quod dederam.*"

41. *ea mort. est*; cf. sup. II, 3, 46.

42. *arrhaboni*, pignori. „*Arrhabon* dicitur merces, corrolarium, et est quod prius datur, ut reliquum reddatur." Calph. Vox ipsa est hebrea, ex Genes. 38, 17. it. in re uxoria illic adhibita. Add. Ovid. Met. III, 285. „det pignus amoris Jupiter." *pro illo argento*; cf. v. 40. *Argentum* dicit, non *mille drachmarum.* A materia.

44. *ut id* sc. argentum.

45. *mille num. posc.* It. Cic. in Anton. VI, 5. „Qui L. Antonio *mille nummum* ferret expensum." Notat Ernesti: „*Numus*

Dubium id est? ego sic putavi. *Ch.* quid nunc facere cogitas?
*Sy.* Egone? ad Menedemum ibo, dicam, hanc esse captam ex Caria,
Ditem et nobilem; si redimat, magnum esse in ea [c]) lucrum.
*Ch.* Erras. *Sy.* quid ita? *Ch.* pro Menedemo nunc tibi ego respondeo.
Non emo [d]). *Sy.* quid ais [e])! optata loquere. *Ch.* atqui non est opus.
*Sy.* Non opus est? *Ch.* non herclé vero. *Sy.* qui [f]) istuc, miror. *Ch.* jam scies.
*Sy.* Mane, mane [g])! quid est? quid [h]) tam a nobis graviter crepuerunt fores?

c) Be. add. *re*, quod longe petit e Plauto. d) V. I. *dicet Menedemus.* e) Haec verba, quae vulgo Chremetis esse putant, Be. recte attribuit Syro. f) Sic Be. Codd. Vulg. *quid*. g) Vocem *Mane* geminatam et quae sequuntur Be. Syro dat dicendas, qui Chremetem interpellet locuturum. Probe. h) L. antiq. *quod* prave.

cum simpliciter ponitur, fere sestertius intelligendus." Equidem vero *num.* generaliter poni existimo pro *drachmar.* Cf. v. 40. Haec autem syntaxis, *mille nummum* v. supra eod. v.; not. ex Gellio, qui inter alia exempla ex antiquis adfert: „*mille hominum* occiditur." Hic versus sicuti prior satis obscurus videtur, immo corruptus. Mutandi tamen quae facta sunt pericula non placent. *poscit.* Potestatem hujus verbi usitatam ego certe, quod alii faciunt, non muto, Darieriam secutus, quae vertit: mais c'est qu'elle lui demande adroitement ces trente pistoles etc." *et posc. quidem.* Formula haec est mirantis et suspensi. Sic it. Plaut. Bacch. II, 2, 44. „Nam jam huc adveniet miles. Ch. *et miles quidem.*"

46. *Dub. id est?* Cum interrogatione recte. Calph. „Quod meretrix avara poscat." Eun. I, 2, 49.

47. *capt. ex Caria.* Similiter Eun. I, 2, 49.

48. *in ea* sc. *re.* Exprimitur autem *re*, non omittitur Eun. II, 3, 18.

50. *Non emo* sc. eam. *optata* sc. mihi. *loquere* pro imperativo sumendum. Quodsi vero pro *loqueris* accipiamus, tunc explicandum erit cum Calph.: „dicis quae tu vis." Atque Far. explic. „*Εὐφήμει*, bona verba." Andr. I, 2, 33.

# ACTUS IV. SCENA 1.

## SOSTRATA. CHREMES. NUTRIX. SYRUS.

*So.* (*secum*) Nisi me animus fallit, hic profecto est annulus, quem ego suspicor,
Is, quicum exposita est gnata. *Ch.* quid volt sibi, Syre, haec oratio?
*So.* (*ad nutricem loquitur*) Quid est? isne tibi videtur? *N.* dixi equidem, ubi mi ostendisti, ilico,
Eum esse. *So.* at [a]) ut satis contemplata modo sis, mea nutrix. *N.* satis.
*So.* Abi jam nunc intro, atque illa si jam laverit, mihi nuntia.

a) Mss. et Edd. *vide* ingerunt.

,,Haec scena Antiphilae recognitionem continet: ex qua inter virum et conjugem altercatio oritur: demum reconciliatio. Simul Syro offertur alia ratio extorquendi argentum.'' Calph. *Sostrata*, a *σώζειν*, servare, quia servavit filiam, ex mariti jussu interficiendam.''

*Syrus*, gentile nomen, servi a Syria oriundi. Not. We.: ,,Quum Chremes et Syrus in proscenio remanserint, non videtur Mureto hic novi actus initium esse.''

1. *animus*, opinio. *annul.* Similem recognitionem per *annulum* v. Hec. V, 3. Poterat facile *annulus* inter ea referri, quae Eun. IV, 6, 15. *monumenta* dicuntur.

2. *expos.* v. Andr. I, 3, 14. not. Et Boecler. de v. *exponere.*

3. 4. *d. ubi mi ost. il. Eum esse.* Simili constructione illud est Hec. III, 3, 13. *at ut sat.* ,,Sic dicimus in his rebus, de quib. addubitamus, et praecipue quas jam diu non vidimus.'' Calph. *contempl. sis.* *Contemplari* proprie est a *templo* deductum, h. e. loco undique libero et aperto ita ut ab omni parte conspici possit. Eun. III, 5, 42.

5. *si jam lav.* Balneum significatur, quo uti solebant summo mane. Eun. III, 5, 34. *nuntia*; cf. Hec. III, 1, 34.

Hic ego virum [b]) interea [c]) opperibor. (*nutrix abit.*) *Sy.* (*ad Chrem.*) te volt [d]): videas, quid velit.
Nescio quid tristis est: non temere est; metuo quid sit. *Ch.* quid siet?
Ne ista hercle magno jam conatu magnas nugas dixerit.
*So.* (*irridens*) Ehem, mi vir. *Ch.* ehem, mea uxor! *So.* te ipsum quaero. *Ch.* loquere, quid velis.
Primum hoc te oro, ne quid credas me adversum edictum tuum
Facere esse ausam. *Ch.* vin' me istuc tibi, etsi incredibile 'st, credere?
(*secum*) Credo. *Sy.* nescio quid peccati portat [e]) haec purgatio.
Meministin' me [f]) gravidam, et mihi te maxumopere dicere [g]),
Si puellam parerem, nolle tolli? *Ch.* scio quid feceris.
Sustulisti. *Sy.* [h]) sic est factum, domina. (*cum risu ad auditores conversus*) ergo herus damno auctus est.

b) V. I. *meum.* c) Id. *dum ibis intro.* d) Id. *te Chreme Sostrata.* e) Al. *portet.* f) Vulg. *esse.* Omitt. Be. Bo. g) Pro *dicere* plurimi *interminatum.* Omitt. 1. Bemb. et Vatic. h) Mu. ex Codd. *si.*

6. *te volt*; cf. Andr. I, 1, 2, not.

7. *non temere*, non sine causa. Infra 4, 19. *quid siet.* „Cum stomacho pronuntiandum.“ Eu.

8. *magno con. m. nug. d.* Sic Phaed. IV, 22, 4. „Qui magna cum minaris, extricas nihil.“

9. *Eh. mi vir.* „Hinc exordium sumtum, quod ab obsequio coepit, ut benevolentiam comparare possit.“ Eu.

10. 11. *me adv. edict. t. Fac.* „Inventus est apud quand. puellam annulus; interrogatur, unde sit: illa respondit, ipsum esse, cum quo esset exposita. Hoc cum cognovisset senex, agnitam puellam, quam extingui jusserat, ream facit uxorem, quod adversus edictum suum fecisset.“ Eu.

12. *peccati*; cf. supra II, 1, 6.

14. *Si puellam etc.* Ap. We. Posidippus adfertur, qui ait: *Υἱὸν τρέφει τις κἂν πένης τις ὢν τύχῃ. Θυγατέρα δ' ἐκτιθῆσε, κἂν ᾖ πλούσιος.* *nolle* sc. te.

15. *damno auctus.* „Nove posit. *damno auctus*, quod coheres puella venerit, quam dedit exponendam.“ Eu. Est elegans figura, *ὀξύμωρον*. Dicitur autem quis *augeri liberis*, Plaut. Truc. II, 6, 35. Et Cic. Attic. I, 2. „Filiolo me *auctum*, scito, salva Terentia.“ Sed h. l. recte *damno auct.* dixit, propt. dotem quae datur.

*So.* Minime; sed erat hic Corinthia anus, haud impura: ei dedi
Exponendam. *Ch.* o Jupiter, tantam esse in animo inscitiam [i])!
*So.* Perii! quid ego feci? *Ch.* at rogitas? *So.* si peccavi, mi Chreme,
Insciens feci. *Ch.* id quidem ego, si [l]) tu neges, certo scio,
Te inscientem atque imprudentem dicere ac facere omnia:
Tot peccata in hac re [m]) ostendis. nam jam primum, si meum
Imperium exsequi voluisses, interemtam oportuit;
Non simulare mortem verbis, re ipsa spem vitae dare [n]).
At id omitto: misericordia, animus maternus: sino.
Quam bene vero abs te prospectum est! quid voluisti? cogita.
Nempe anui illi prodita abs te filia est planissume,
Per te vel uti quaestum faceret, vel uti veniret palam [o]).
Credo, id cogitasti. quidvis satis [p]) est, dum vivat modo.

i) Al. *inscientiam.* Eun. V, 8, 41. l) Erasm. *etiamsi* ex antiq. l. Mss. al. *etsi.* m) V. I. *quia contra edictum meum fecisti.* n) C. G. m. sup. script. *non oportuit.* Ecce vero nimia interpretis cura, ne cui nexus elabatur orationis. o) V. I. *ad notitiam amatorum.* p) L. antiq. *satius.*

16. *haud impura.* „Commendatio personae cui data exponenda: ne Chremes ab ea impudice filiam eductam suspicetur.“ Calph. Praeterea constat anus fuisse, quibus meretrices utebantur scortationum ministris et internuntiis.

18. *at rog.* Cf. Hec. IV, 1, 11. Partic. *at* iratum eleganter ostendit.

20. *inscient. atque imprud.* „*Imprudens* est, qui non delectum habet bonorum et malorum; *insciens* vero qui ignorat res.“ Calph.

22. *interemt. oport.* Cf. supra I, 2, 26. Particip. utitur cum verbo *oportet*; quod vero fieri solere in accusativo tantum et ablativo Calphurnius docet.

23. *verbis, re ipsa.* Haec oppositio solemnis. Nep. Phoc. 3. „ap. Philip. *verbo, re ipsa* quidem apud Polysp. etc.“

24. *miseric. an. mat.* sc. te impulerunt.

25. *bene.* Cum ironia. *abs te prospect.* Itid. Cic. Fam. III, 2. *a te prospectum*, h. e. provisum. *quid voluisti?* Cf. Phaed. II, 8, 5.

26. *prodita est.* „*Prodere* est, ut Festus dicit, dare et fallere.“ *veniret*, a veneo petend., non a venio. Servos autem et captos homines uti bona venire notum est.

Quid cum illis agas, qui neque jus neque bonum atque aequum sciunt?
Melius pejus; prosit obsit [q]); nil vident, nisi quod lubet,
*So.* Mi Chreme, peccavi, fateor; vincor. nunc hoc te obsecro,
Quanto tuus est animus natu gravior, ignoscentior,
Ut meae stultitiae [r]) justitia tua sit aliquid praesidii.
*Ch.* Scilicet equidem istuc factum ignoscam; verum, Sostrata,
Male docet te mea facilitas multa. sed istuc quicquid est,
Qua hoc occeptum 'st causa, eloquere. *So.* ut stultae et miserae omnes sumus

q) Ms. Pal. 2. *an pros. an obs.* Prava lectio ac tam eleganti verborum concinnitati adversaria. r) L. Bemb. *in.* Sed *justitia t.* nominativus est. Placet igitur Bembini lectio *in*, praesertim si *in* et *justitia* junctim comprehendatur, ut sit, *injustitia.*

29. *Quid cum illis ag.* Pluralis num. utitur pro sing. ut solet Terentius; e. c. supra I, 1, 99. Andr. V, 3, 20. Uni quidem suae iratus Chremes omnes accusat mulieres. Quae ipsa communicatio, ut bene notant Bi., diminuit de unius culpa. *agas.* Per secund. person. aut in universum dicit aut ad semetipsum. *neq. jus. Jure* not. Ernesti comprehendi ea omnia, ex quibus quid justum sit, quid faciendum, quid omittend. intelligatur. *bon. atq. aeq.* Haec quid valeant conjuncta, ex contrariis singulis, malum iniquum, facile patebit. Sed qui Do. *jus* et *aequitatem* distinxerit, vid. ad Ad. I, 1, 26.

30. *Melius pejus etc.* Hic ingenia mulierum fere ita notantur a Chremete, ut a Lachete in Hec. II, 1. Qua vero omnium notatione uterque maritus suam ferire cupit uxorem. Sensus: Nihil curant, nihil discernunt feminae. Itid. Liv. I, 33. „discrimine recte an perperam facti confuso.“ Ad. V, 9, 33. *prosint, obsint.* Elegans est conjunctio verborum, per asyndeton sibi oppositorum. Haec ead. tamen per et geminatum, Cic. de Offic. II, 5. „et *prosint* et *obsint.*“

32. *animus natu gravior.* Be. in hac locutione offendit, sed non placent ea quae mutavit. Calph. explic. „peritior propt. plures experientias.“

33. *meae stultitiae.* Repete superiora, quae Chremes dixerat in uxorem, v. 17. 20. *justitia tua.* Dubium mihi est, fateor, unde Sostrata *justitiam* viri potuerit laudare, nisi ironice dixerit.

35. *Male doc. te fac.* Hoc modo Quinctil. Decl. 269. „Sed *te male*, ut sic dixerim, *docuit sapientia.*“ *mea facilit.* „Recte; quia cito uxori veniam dedit.“ Calph.

36. *ut stult. et mis.*, „h. e. nimis anxiae et providae.“ We.

Religiosae. cum exponendam do illi, de digito annulum
Detraho, et eum dico ut una cum puella exponeret.
Si moreretur, ne expers partis esset de nostris bonis.
*Ch.* Istuc recte: conservasti te atque illam. *So.* hic is est annulus.
*Ch.* Unde habes? *So.* quam Bacchis secum adduxit adolescentulam. *Sy.* hem!
*Ch.* Quid ea narrat? *So.* ea, lavatum dum it, servandum mihi dedit.
Animum [s]) non advorti primum, sed postquam adspexi, ilico
Cognovi, ad te exsilui. *Ch.* quid nunc suspicare, aut invenis
De illa? *So.* nescio; nisi ut [t]) ex ipsa quaeras, unde hunc habuerit,
Si potis est [u]) reperiri. *Sy.* (*secum*) interii! plus spei video quam volo.
Nostra est, si ita est. *Ch.* vivitne illa [x]), cui tu dederas [y])? *So.* nescio.

s) Sic l. Bemb. In antiq. *Anulum.* Distinguere et ita licet *mihi dedit Anulum. non adv. prim.* maxime tum, cum legeris *Anulum*, non *Animum.* t) L. Bemb. non hab. *ut.* u) Al. *potest.* x) y) V. I. x) *vetula*; y) *hunc anulum.*

37. *Religiosae*, superstitiosae. *de dig. annul. detraho.* Sic fere id. Curt. X, 5, 4. „Alexander moribundus *detractum annulum digito* Perdiccae tradidit."

39. *ne expers.* „Causam subjungit. Neq. enim liberos etiam mortuos fas erat fraudari bonis." Calph.

40. *Istuc recte.* „Εἰρωνικῶς dictum." Calph. *te*, i. e. animum tuum, salva conscientia. Ita Da.

41. *Unde*, a quonam. *quam addux. adolesc.* Supra II, 3. *hem!* „Syrus timet, ne sibi praecipiatur auferendi argenti occasio, agnitione filiae. Itaq. ingemit." Calph.

42. *Quid narr.* Andr. II. 6, 3. *lavat. d. it*; cf. v. 5, not.

44. *exsilui.* „Ostendit nimiam laetitiam de inventa filia; ideo non dixit, accessi." Calph. *quid inv. de illa?* sc. unde cognoscas.

45. *ex ipsa* sc. Corinthia anu. Supra v. 16.

46. *Si pot. est.* Valet *potis* in omni genere et utroq. numero; vid. Sanct. Min. I, 281.

47. *Nostra.* Par. in marg. „Chremetis heri mei filia." Dicitur autem *noster* qui quocunq. vinculo nobiscum junctus est. Ita cives vocantur *nostri* Virg. A. II, 149. Sic solent vernae de dominis, aut eorum adfinibus. Etiam qui favet nobis *noster* dicitur. Inde blandiendi formula, *noster*, o *noster*, *noster esto*; Andr. V, 2, 5. Eun. I, 2, 74. Ad Sueton. Domit. 13.

*Ch.* Quid renuntiavit olim? *So.* fecisse id quod jusseram.
*Ch.* Nomen mulieris cedo quod sit, ut quaeratur. *So.* Philtere.
*Sy.* [z]) Ipsa est. mirum ni illa salva est, et ego perii. *Ch.* Sostrate,
Sequere me intro hac. *So.* ut praeter spem evenit! quam timui male,
Ne nunc animo ita esses duro, ut olim in tollendo [a]), Chreme.
*Ch.* Non licet hominem esse saepe ita ut volt, si res non sinit.
Nunc ita tempus est [b]) mihi, ut cupiam filiam; olim nihil minus.

z) C. G. m. praemitt. *Si*, quod nusqu. alibi invenio. a) Al. *tollenda.* b) Be. *temp. fert.* Improbatur.

49. *ut quaeratur*, mulier ipsa. *Philt.* φιλτέρη. ἰωνικῶς.
50. *salva*, non mortua. „Non potest credere periisse anum, quod maxime vellet ob recognitionem Antiphilae.“ Calph. Dixerat autem idem supra III, 3, 41. *ea mortua est. et* pro tum; v. Tursellin. *perii.* „Quia recognita est, antequam auferrem argentum.“ Calph.
51. *tim. male.* Adjicitur adverb. *male* etiam Hec. III, 2, 2.
53. *Non lic. hom. esse etc.* „Non licet nobis perpetuam gerere voluntatem, maxime cum res non permittat.“ Calph.
54. *cupiam*, absolute, uti supra IV, 5, 26. V, 1, 12. *nihil minus* sc. quam filiam. Forsan ea de causa, quod tunc temporis Chremes minus gauderet divitiis.

## ACTUS IV. SCENA 2.

### SYRUS.

Nisi me animus fallit, haud multum a me aberit infortunium:

„Recognita Antiphila, Syrus anxius novum quaerit consilium de extorquenda pecunia. Et bene deliberantem de re aliqua exprimit. Est enim dialogismus acuti ingenii in multa cogitatione versantis.“ Calph.
1. *Nisi me anim. fall.* Cf. I, 1, not. Ibi nempe haec verba

Ita hac re [a]) in angustum oppido nunc meae coguntur copiae [b]),
Nisi aliquid video, ne esse amicam hanc [c]) gnati resciscat senex.
Nam quod de argento sperem, aut posse postulem me fallere [d]),
Nihil est. triumpho, si licet me latere tecto abscedere.
Crucior, bolum mihi tantum [e]) ereptum tam subito e faucibus [f]).
Quid agam? aut quid comminiscar? ratio [g]) de integro ineunda 'st mihi.
Nil tam difficile 'st, quin quaerendo investigari possiet.
Quid, si hoc nunc sic incipiam? nihil est. quid, si sic? tantundem egero.
At sic opinor. non potest. immo optume. euge! habeo optumam [h]).

a) Al. *hercle* pro *hac re*. b) I. V. *meae fraudes*. c) Id. *Bacchidem*. d) Ms. Mark. *herum*. e) Lindenbr. vet. C. *esse*. f) V. I. *tractum a canibus*. g) Id. *fraus*. h) Ms. Lips. *habeo. euge! optim. habeo*. Itid. C. G. m. injecto *est*. Qui leg. et colloc. ita, *immo optume est, euge, optimam habeo*. Ibid. voci *optimam* sup. script. est, *causam inventam*.

Sostratae sunt, quae hic jocose repetit Syrus. *haud m. a me aberit infortun.* Eod. fere sensu dicit Mercurius, Plaut. Amph. I, 1, 294 — „ita *vix* poteris *effugere infortunium*."

2. *in angust. cog. cop.* Translatio facta ab exercitu, qui in angust. loc. coarctatus se expedire non potest. Sed Calph. legit et explicat, „*in angusto oppido*, i. e. in aliqua munitione, in quam me recipere necesse fuit." At Eu. *oppido* pro adverb. habet, valde significante. Et Fr. Fabricius hoc inter adagia refert, ab Erasmo omissum; quo et Demosthenes usus fuisset, quoque alludi Graecorum locum vulgarem, „*εἰς ςενὸν κομιδῇ αἱ δυνάμεις ἐμοὶ καθίςανται.*"

3. *video*, provideo. *resc.* cf. supra II, 3, 91 etc.

4. *Nam quod de argento*; v. supra III, 2. *posse me fallere*. Huc refer quod excogitaverat Syrus, III, 3, 47. seqq.

5. *triumpho*, i. e. exsulto gaudio. Continuat enim metaphoram inceptam tanq. de imperatore qui, cum permagna sperasset, de recepto suo exercitu magnopere exsultat. *lat. tecto*. Contrarium est, *latere aperto*; vid. Jul. Caes. B. G. 7, 82.

6. *bolum*, praedam. Graece signific. *βόλος* jactum retis; inde omne lucrum. Cic. Catil. III, 1.

7. *quid comminisc.*, quid inveniam, recordar. *rat. in.* Ph. II, 2, 30.

8. *Nih. t. diffic.* Menand. *Ἁλωτὰ γίγνετ' ἐπιμελείᾳ κ. πόνῳ Ἅπαντα.* Soph. Oed. Rex 110

9. *tantund.* *δεικτικῶς*, pro nihilo plus, i. e. nihil.

10. *opinor.* Quae *opinamur*, non certa sunt. *immo.* Corrigit

Retraham hercle, opinor, ad me idem illud fugitivum argentum tamen.

Not. Hanc scenam Mu. Bo. al. cum praecedente continuant male. Ceteris enim discedentibus personis solus hic restitit Syrus.

se, refutato priori. *euge*, vox laetantis. *optumam.* Varie subaudiunt, stropham, viam, rationem.

11. *Retrah.* Proprie de servo fugitivo. Itid. Liv. 2, 12. „Vadentem inde-cum-comprehensum satellites *retraxissent.*" *id. illud* sc. quod quaerito. *fugitiv. argent.* Da. animadvertit, Syrum dicere vernili facetia de argento quasi de servo fugitivo. Praeterea ead. monet, Menandrum scripsisse, *ἀποστρέψω τὸν δραπέταν χρύσον.* Scilicet quod χρύσος, ambigue dictum, et aurum et servi nomen sit. *tamen* pro tandem; cf. supra III, 2, 1.

---

# ACTUS IV. SCENA 3.

## CLINIA. SYRUS.

*Cl.* Nulla mihi res posthac potest jam intervenire tanta,
Quae mi aegritudinem adferat: tanta haec laetitia oborta est.
Dedo patri me nunc jam, ut frugalior sim, quam volt.
*Sy.* (*secum*) Nil me fefellit: cognita est, quantum audio huius verba.
Istuc tibi ex sententia [a]) tua obtigisse laetor.
*Cl.* O mi Syre, audisti obsecro? *Sy.* quidni? qui usque una adfuerim.

a) C. G. m. sup. script. *desiderio.*

„Nimia Cliniae laetitia exprimitur de recognita Antiphila, qua praepeditus vix potest adduci a Syro, ut Clitiphoni succurrat." Calph.

1. 2. *Nulla mihi res etc.* Sensum hujus loci capio ita: Nullum tam magnum malum mihi accidet posthac, quo quidem non majori esset haec mea laetitia oborta. Simile gaudium Pamphili amantis cf. Andr. V, 5, 4. 5.

3. *Dedo patri me.* Itid. Thais in Eun. V, 8, 9. 10. *frugalior*, temperantior.

6. *O mi Syre.* „A blandimento incipit, ut faciunt qui quis-

*Cl.* Cuiquam [b]) aeque audisti commode [c]) quicquam evenisse? *Sy.* nulli.
*Cl.* Atque ita me Di ament, ut ego nunc non tam meapte [d]) causa
Laetor, quam illius, quam ego scio esse honore quovis dignam.
*Sy.* Ita credo. sed nunc, Clinia, age, da te mihi vicissim:
Nam amici quoque res est videnda [e]), in tuto ut collocetur.
Ne quid de amica nunc senex. *Cl.* o Jupiter! *Sy.* quiesce.
*Cl.* Antiphila mea nubet mihi. *Sy.* siccine mi [f]) interloquere?
*Cl.* Quid faciam? Syre mi, gaudeo. fer me. *Sy.* fero hercle vero.
*Cl.* Deorum vitam apti [g]) sumus. *Sy.* frustra operam, opinor, sumo.

b) Sic Be. probe. Nam placet Comico *Cuiquam - quicquam*, ita ut *Nunquam - unquam*, III, 2, 48. Itid. Hec. V, 4, 21. et sic alibi. Vulg. est *Cui*. c) L. antiq. *commodi*. Bemb. *commode*. We. ed. *commodius* lect. Juntar. d) V. I. *mea ipsius*. e) Be. fing. *videndum*, sed contra morem, ut opinor, Poetae, per zeugma etiam h. l. jungentis. Eun. III, 5, 62. f) C. G. m. et Bru. C. e. *me* pro *mi*. g) C. G. m. et Bru. C. e. *adepti*. L. Bemb. *apti*, a verbo *apiscor*, quod idem est, sicut ibi notatur, cum *adipiscor*.

quam speratum secuti sunt.“ Calph. *quidni? qui u. una adf.* Eod. fere modo infra V, 1, 34. *una adfuer.* „Scilicet adfuerat Syrus sermoni Sostratae cum Chremete, de Antiphilae cognitione, supra scen. I.“ We.

7. *Cuiquam*; cf. Andr. IV, 1, 2. et 3, 1. *commode*; cf. Hec. I, 2, 53. *audisti*; vid. in simili re. Andr. V, 6, 11.

10. *Ita credo*, humaniter assentientis. Andr. V, 4, 56. *da te mihi*; cf. Ad. V, 3, 52. Ac similit. Cic. Fam. II, 8. „*da te* homini (Pompejo): complectetur, mihi crede.“

11. Ne versum hunc cum Gu. ut insitium rejiciamus, impedit nota repetitionis, *inquam*, mox vers. 16. *amici*, Clitiphonis.

12. *Ne quid.* Per aposiopes. hoc quod supra 2, 5. plenius expressit. *o Jup.* Exclamatio gaudentis et gratulantis.

13. *Antiph. m. n. mihi.* Perpulchra brevitas summae orationis. Similis Pamphili, in Andr. V, 6, 5. Et cf. Eun. V, 4, 5, not. *interloq.* „Quasi loqueris inter me, i. e. inter meum sermonem.“ Calph.

14. *fer*, tolera. „Tolerandus est, qui ex amore desipit, quia Amor Deus est, et non voluntas etc.“ Calph. *hercle vero.* Hujus locutionis vim ironicam esse, Calph. ex Virg. A. IV, 93. ostendit.

15. *Deor. vit. ap. s.* Cf. Andr. V, 5, 3, not. *sumo*, gr. λαμβάνω, suscipio.

*Cl.* Loquere, audio. *Sy.* at jam hoc non ages. *Cl.* agam. *Sy.* videndum est, inquam,
Amici quoque res [h]), Clinia, tui in tuto ut collocetur.
Nam si nunc a nobis abis, et Bacchidem hic relinquis,
Noster [i]) resciscet ilico esse amicam hanc Clitiphonis;
Si abduxeris, celabitur itidem, ut celata adhuc est.
*Cl.* At enim istoc [l]) nihil est magis, Syre, meis nuptiis advorsum.
Nam quo ore appellabo patrem? tenes, quid dicam? *Sy.* quidni?
*Cl.* Quid dicam? quam causam adferam? *Sy.* quin nolo mentiare.
Aperte, ita ut res sese habet, narrare [m]). *Cl.* quid ais? *Sy.* jubeo [n]):
Illam te amare, et velle uxorem; hanc esse Clitiphonis.
*Cl.* Bonam atque justam rem oppido imperas, et factu facilem.
Et scilicet jam me hoc voles patrem exorare, ut celet
Senem vostrum. *Sy.* immo, ut recta via rem narret ordine omnem. *Cl.* hem,
Satin' sanus es, aut sobrius? tu quidem illum plane prodis [o]).
Nam qui ille poterit esse in tuto, dic mihi.

h) Al. *est*, ut supra v. 11. i) Sic vulg. At Fa. ex Bemb. *Senex*, quod Be. pro interpretamento habet illius. l) V. I. *contrarium quam ducere Bacchidem mecum.* m) Sic scite Be. fingit Syri esse quasi interrupti, vocem *jubeo* additturi. Vulg. *narrato.* n) C. G. m. et Hal. gl. ead. haec, *ut dicas patri tuo.* Andr. II, 5, 20. o) L. Bemb. *perdis.*

16. *at j. h. n. ag.* Non attendes animum ad ea quae dicturus sum. Andr. I, 2, 15. *vidend. est*; cf. Hec. V, 1, 3, not. *inq.* Per *inquam* repetit atque urget, quae dixit supra v. 11.

18. *hic*, apud patrem Clitiphonis.

20. *Si abdux.* Cf. Ad. II, 1, 44.

22. *quo ore.* Ph. V, 8, 24. Itid. *os* ferreum, *os durum*, Eun. IV, 7, 36. „Sic dicimus, quando aliquid pudendum committimus." Calph. Et Cic. Verr. II, III, 80. Quod erat *os* tuum cum id videbas? Videlicet in ore patefit pudor aut impudentia. *tenes*, intelligis. Andr. II, 2, 12.

24. *jubeo.* Itid. Eun. II, 3, 98.

26. *Bon. atq. just.* Ironice accipiend. est.

27. *scilicet.* Hoc *scilicet* dicit indignanter. *ut celet.* Sub. de Bacchide.

28. *ord. omnem*; cf. Eun. V, 4, 48.

30. *ille*, Clitipho. *in tuto.* Hoc *in tuto* reddit Syro, quod is supra dixerat v. 11. et 17.

*Sy.* Huic equidem consilio palmam do: hic me magnifice effero [p]),
Qui vim tantam in me et potestatem habeam tantae astutiae,
Vera dicendo ut eos [q]) ambos fallam; ut, cum narret senex
Voster nostro, esse istam amicam gnati, non credat tamen.
*Cl.* At enim spem istoc pacto rursum nuptiarum omnem eripis:
Nam dum amicam hanc meam esse credet, non committet filiam.
Tu fortasse, quid [r]) me fiat, parvi pendis, dum illi consulas.
*Sy.* Quid, malum! me aetatem [s]) censes velle id adsimularier?
Unus est dies, dum argentum eripio. pax! nihil amplius.
*Cl.* Tantum sat habes? quid tum, quaeso, si hoc pater resciverit?
*Sy.* Quid si redeo [t]) ad illos qui ajunt: „quid si nunc coelum ruat?"

p) Par. ed. *ecfero*, nescio unde. q) V. I. *senes.* r) Al. ing. *de.* s) C. G. m. *tandem* pro *aetatem.* t) V. I. *ironice.*

31. *Huic cons. palm. do.* Sumtum de victoribus, quibus dabatur *palma*; v. Eun. V, 4, 8. *palm. do*, h. e. assentior. „Syrus adhuc pro more suo imperatorie locutus jam triumphum canit, securus victoriae. Putabat hoc ipso, vera quod dicantur, non creditum iri a Chremete; qui jusserat fallere Menedemum." Bi. *me effero*, me jacto. Itid. Flor. I, 26.

33. *cum*, etsi.

35. *At*, particula contradicentibus solemnis. *rursum*; quasi dicat: facis, ut redeam ad ea dicenda, quae supra jam dixi; cf. v. 21.

36. *non committ.* sc. mihi. Andr. I, 5, 6. 7.

37. *quid me fiat* pro, in me fiat; „gr. τί μοι γενοίτο." Priscian. *parvipend.* Cf. Hec. III, 5, 63.

38. *id adsimular.* Huc refer quod supra est, II, 3, 91. 92.

39. *Un. est dies.* Hoc *Unus dies* Da. acute sentit oppositum esse τῷ *aetatem*, v. 38. *argent. eripio.* Dicit *eripio* comice, quia, ut mihi quidem videtur, Clinia *eripis* dixerat, v. 35. Unde sensus gravior exit, non *spem*, sed *argentum eripio* dicentis. *nihil amplius*, sc. quam *unus dies*.

40. *Tant. sat hab.* Signific. fere id, quod *nihil amplius*. Sensus: „*Satis habes*, si *nihil amplius* uno die tibi detur ad eripiendum argentum a patre Menedemo?" We. *pater*, Clitiphonis.

41. *Quid?* Syrus τὸ *Quid* Cliniae exprobrans per imitationem iteratum, ad absurdum eum reducit, reddito verbo illorum ho-

*Cl.* Metuo, quid agam. *Sy.* metuis? quasi non ea potestas sit tua,
Quo velis, in tempore ut te exsolvas[u]), rem facias palam.
*Cl.* Age, age, traducatur Bacchis [x]). *Sy.* optume. ipsa exit foras.

u) Id. *ab hac suspicione.* x) Id. *in domum patris mei.*

minum, qui subtimidi in re quaque peragenda dicere solent, *quid?* si hoc vel illud acciderit, vel ita, *quid?* si *coelum ruat?* v. Erasm. Adag. p. 144.

42. *quasi non ea etc.* pro quasi id non sit in potestate tua.

43. *Quo* sc. metu; id quod recte subaud. Bi. Sed plenior esset oratio haec: *ut te quo* metu *velis* exsolvere, eo opportune exsolvas, simul *rem facias palam.*

44. *age age.* Geminata it. haec vox, supra II, 3, 91. Est instantis.

---

## ACTUS IV. SCENA 4.

### BACCHIS. CLINIA. SYRUS. DROMO. PHRYGIA.

*B.* (*secum*) Satis pol proterve me Syri promissa huc induxerunt [a]),
Decem minas quas [b]) mihi dare est pollicitus. quodsi is nunc me

a) Par. p. var. *addux.* Cave ne ponas cum quibusd. post *indux.* distinctionem commate pleniorem. Intellige potius et construe b) *Decem* minae *quas* etc. quo modo Andr. Prol. 3. et 26.

„Restat ad fallaciam et ad extorquendum argentum, ut Bacchis irata a Syro placetur, et ad Menedemum transeat.“ Calph.

*Phrygia*, ancilla, gentile nomen.

1. *Sat. pol*; cf. Andr. I, 4, 2. „Meretricis conquestio exprimitur, cujus indignatio dependet ex non tradita pecunia.“ Calph. *Syri promissa.* Non Syrum, sed Clitiphonem pollicitum esse, ex oratione Syri quidem constat supra II, 3, 88. *indux.* „*Inducitur* aliquis, cum verbis alterius decipitur.“ Calph.

Deceperit, saepe obsecrans me, ut veniam, frustra veniet.
Aut cum venturam dixero et constituero, cum is certo [c])
Renuntiabit [d]), Clitipho cum in spe pendebit animi,
Decipiam, ac non veniam. Syrus mihi tergo poenas pendet.
*Cl.* Satis scite promittit tibi. *Sy.* atqui tu hanc jocari credis?
Faciet [e]), nisi caveo. *B.* dormiunt [f]); pol ego istos commovebo.
Mea Phrygia, audistin' [g]), modo iste homo quam villam demonstravit
Charini? *Ph.* audivi. *B.* proxumam esse huic fundo ad dextram? *Ph.* memini.
*B.* Curriculo percurre: apud eum miles Dionysia [h])agitat.
*Sy.* Quid haec [i]) inceptat? *B.* dic me hic oppido esse invitam atque adservari,

c) Al. *certe.* d) Sic Be. ob *pendebit.* Vulg. *Renuntiarit.* e) V. I. *quod minatur.* f) Id. *non curant.* g) Id. *ficte hoc dicebat.* h) Id. *festa Liberi patris.* i) Al. omitt. *haec.*

3. 4. Nota verb. id. per diversa tempora deductum *veniam, veniet, venturam.* Sic it. verb. *facio*; cf. Andr. I, 1, 13. 14. *venturam* sc. me esse. *constituero*, certum tempus dixero. Andr. I, 5, 54. *is*, servus.

5. *spe pendeb. animi.* Itid. Liv. 8, 13. „populos inter *spem* metumq. *suspensos animi.*" *Pendere animi* est, anxium et dubium esse. Cic. Tusc. I, 40. Et Ter. Ph. I, 4, 10.

6. *ac non ven.* „Mira meretricis calliditas exprimitur. Jam cogitavit, quemadmod. Syrus videatur ap. Clitiph. vanus et mendax, ex quo ab illo verberetur." Calph. *pendet.* Quam faceta oratio est in his: Clitipho *pendebit*, Syrus *pendet.* Uterq. enim affligitur, et quidem dominus animi, servus corporis cruciatu. Andr. IV, 1, 51. 54.

7. *Sat. scite p. t.* Cum risu efferendum. *promitt.* pro minatur. Itid. Virg. A. II, 95. „*promisit* ultorem."

8. *pol ego.* Commotior loquitur secum, vel cum ancilla. *commovebo*; cf. Andr. V, 3, 22. h. l. e somno expergefaciam.

9. *audist. modo iste etc.* Fingit haec, ut quos ante non vidit audiant.

10. *audivi.* Sic ancilla docta a meretrice respondet. *huic fundo*; cf. supra I, 2, 17.

11. *Curriculo percurre*, h. e. celerrimo cursu, nec intermisso. Plaut. Epid. I, 1, 12. „*curriculo* occepi sequi." *Dionys. agitat.* Ovid. Met. VII, 431. „*agitant convivia* patres." Est enim *agitare* i. q. celebrare. Sic Cic. Verr. II, 114. „apud Siculos dies festi *agitantur*, et praeclara illa Verrea celebrantur."

12. *adservari*, custodiri. Andr. V, 2, 24.

Verum aliquo pacto verba me his daturam esse et venturam.
*Sy.* Perii hercle. Bacchis, mane, mane [l]). quo mittis istanc [m]), quaeso?
Jube, maneat. *B.* i [n]). *Sy.* quin est paratum argentum. *B.* quin ego [o]) maneo.
*Sy.* Atqui jam dabitur [p]). *B.* ut lubet. num ego insto? *Sy.* at scin' quid, sodes [q])?
*B.* Quid? *Sy.* transeundum nunc [r]) tibi ad Menedemum est, et tua pompa
Eo traducenda est. *B.* quam rem agis, scelus? *Sy.* egon'? (*ridens*) argentum cudo,
Quod tibi dem. *B.* dignam me putas, quam [s]) illudas? *Sy.* non est temere.
*B.* Etiamne tecum hic res mihi est? *Sy.* minime; tuum tibi reddo.
*B.* Eatur. *Sy.* sequere hac. (*Clinia cum Bacchide abit*) heus, Dromo. *Dr.* quis me volt? *Sy.* Syrus. *Dr.* quid est rei?
*Sy.* Ancillas omnes Bacchidis traduce [t]) huc ad vos propere.
*Dr.* Quamobrem? *Sy.* ne quaeras. efferant quae secum attulerunt.

l) V. I. *ne mittas Phrygiam ad militem.* m) C. G. m. *istam.* n) L. antiq. *abi.* o) Ms. Lips. *hic.* p) Mss. We. *tibi.* q) C. G. m. *facias.* Idem est quod Be. subaudit. r) Abest *nunc* in quibusd. s) C. G. m. pro gl. *sic.* t) C. G. ch. *traduc.*

14. *Perii hercle.* Haec ad spectatores conversus.

15. *quin.* Illud Syri *quin* Bacchis repetit more iratorum.

16. *ut lubet.* Responsio superbientis. *num ego insto?* Locutio est aviditati speciem urbanitatis praetexentis.

17. *transeund.* Cf. Eun. III, 3, 31, not. *tibi ad Menedemum.* De hoc novo consilio v. supra 3. *pompa,* comitatus ancillarum; cf. sup. III, 1. 42.

18. *traduc.* *Traduci* dicit. et *pompa* et mulier ipsa, uti sup. 3, 44. *quam rem.* Timet scilicet recens inventam. *argent. cudo.* Sic Plaut. Most. IV, 2, 11. „Face, sis, faber, qui *cudere* soles plumbeos Nummos.“

19. *dign. quam illud.* Cf. Andr. IV, 4, 19. Syntaxes Terentianae verbi *illudere* sunt, *illudere* aliquem, in aliquem, in aliquo. *non est temere,* non sine causa praemeditata

20. *tecum res mihi*; cf. Eun. IV, 6, 21. *hic,* in domo Menedemi. *hic,* ut mox *huc*; quia vicinae aedes Menedemi. Nam senes ambo, ut plerumq. fit, proximi sibi habitare ostenduntur. *tuum,* Clitiphonem, amatorem. *reddo,* restituo. Itid. Eun. I, 2, 67.

21. *Eatur,* concedentis. *quid est rei?* cf. Liv. III, 50.

23. *Quamobr.* Similis Dromo Andr. V, 2, 21. *ne quaer.* Hec. V, 3, 2. *quae attul.* Supra III, 1, 42.

Sperabit sumtum sibi senex levatum esse harum abitu.
Nae, ille haud scit, hoc paulum lucri quantum ei damni apportet.
Tu nescis id quod scis, Dromo, si sapies. *Dr.* mutum dices.

24. *sumt. levat.* Cf. supra III, 1, 39. seqq.

25. *hoc paul. lucri.* Id scilicet quod abierint illae. *qu. damni.* Argento nimirum, quo erit Chremes emungendus.

26. *Tu nescis etc.* „Id age, ut nescisse videaris.“ Calph. *mutum* sc. me.

---

## ACTUS IV. SCENA 5.

### CHREMES. SYRUS.

*Ch.* Ita me Di amabunt, ut nunc Menedemi vicem [a])
Miseret me; tantum devenisse ad eum mali.
Illanccine [b]) mulierem [c]) alere cum illa familia?
Etsi scio, hosce aliquot dies non sentiet:
Ita magno desiderio fuit ei filius [d]).

a) Mss. ap. We. *vitam.* b) Lindenbr. Be. script. *Illancine* per unum c. c) V. I. *Bacchidem.* d) Hic integer versus ab uno ex Codd. Be. abest.

„Hic est transacta Syri fallacia, et tandem extorquetur argentum: et idem est Chremes, qui fuit in prima Comoediae parte. Miseretur enim Menedemi, et ejus vicem dolet, credens Bacchidem amicam Cliniae esse.“ Calph.

1. 2. *Mened. vic. Mis. me; tant. devenisse etc.* Vid. Sanct. Min. II, 3. ubi Perizonius: „*vicem* ponit pro, propt. *vicem*, et posterius comma pro nominativo habendum. Consimile est Cic. ad Attic. VIII, 2. „*cuius vicem* doleo.“ *mali*, damni.

3. *alere.* Hor. Serm. I, 3, 11. „*alebat* servos.“ Itid. Aristoph. Lysist. 1205. *βόσκει δ'οἰκέτας.* *familia*, h. e. grex famulorum famularumq. v. Phaed. III, 19, 1.

4. *hosce aliq. d. non sent.* Id est, non tantum *sentiet* Menedemus, quantum Chremes senserat sumtus Bacchidis; cf. supra III, 1, 46.

Verum ubi videbit tantos sibi sumtus domi
Quotidianos fieri, nec fieri modum,
Optabit rursum, ut abeat ab se filius.
Syrum optume eccum! *Sy.* cesso hunc adoriri? *Ch.*
Syre. *Sy.* hem!
*Ch.* Quid est? *Sy.* te mi ipsum jamdudum optabam dari.
*Ch.* Videre egisse jam nescio quid cum sene.
*Sy.* De illo quod dudum? dictum ac factum reddidi.
*Ch.* Bonan' fide? *Sy.* bona. *Ch.* hercle non possum pati [e]),
Quin tibi caput demulceam. accede huc, Syre:
Faciam boni tibi aliquid pro ista [f]) re ac lubens.
*Sy.* At si scias quam scite [g]) in mentem venerit.

e) Ita Be. distingu. commodius fortasse, quam l. antiq. qui habet· *Sy. bona hercle. Ch. non poss. pati.* f) C. G. m. *istac* et sup. script. *fraude.* g) C. G. m. *mihi.* Itid. Hal.

6. 7. *sumt. fieri*; active Andr. II, 6, 19. Et cf. supra I, 1, 78. 79.

9. *cesso*, vox scenica pro, cur moror? Syrus autem modo a Mened. egreditur herumq. se videre non dissimulat. Hinc vocatus exclamat, *hem! adoriri.* Significantius est *adoriri* quam adire. Andr. III, 3, 2.

10. *Quid est?* „Vocati solebant quaerere, *Quid est?* Quare haec fortasse melius Syro tribuuntur quam Chremeti. Sic supra II, 3, 108.“ We. Sed magis probatur ordo textus vulgaris, quo Syrus timide cunctatur, ac sensim sensimq. accedit. *te mi ipsum etc.* Cf. supra 3, 10. *jamdud.* Laurent. Valla *dudum* et *jamdud.* dici monet de parvo tempore unius horae, vel ad summum, quatuor horarum. Subtiliter satis.

11. *Videre* s. videris. *egisse cum sene*, Menedemo. „Credebat autem senex se a servo non optari, nisi gratia fallaciae in Menedemum.“ Calph.

12. *quod dud.* Sup. III, 3, 47. *dict. fact.* redd. Far. not. „Quod dixi, expedivi simul cum dicto: ἅμ᾽ ἔπος, ἅμ᾽ ἔργον.“ *reddidi.* Ambiguitas comica. Nam intelligit Chremes argentum, Syrus amatores; cf. supra 4, 20.

13. *Bonane fide?* Formulae speciem habet; perinde ac si rogaret, serio? vere? Nam servi fides solet esse suspecta. *hercle*, ornativa particula. *non poss. pa. Quin etc.* Elegans formula, cui similis illa: *Vix me contineo quin*, Eun. V. 2, 20.

14. *tibi cap. demulc.* „Quod solet fieri his qui placent, ut manus per caput tractu ducta, quasi quaed. videatur laudatio.“ Calph.

15. *Fac. boni tibi etc.* „Hac formula utuntur, qui quod ab altero factum est sibi gratum esse ostendunt.“ Ru. *ac lubens*; cf. Eun. III, 5, 43.

16. *At si scias quam etc.* Cf. Eun. II, 3, 64.

*Ch.* Vah, gloriare [h]) evenisse ex sententia?
*Sy.* Non hercle vero, verum dico. *Ch.* dic quid est?
*Sy.* Tui Clitiphonis esse amicam hanc Bacchidem,
Menedemo dixit Clinia, et ea gratia
Se eam traduxisse [i]), ne tu id persentisceres.
*Ch.* Probe. *Sy.* dic sodes. *Ch.* nimium, inquam. *Sy.* immo sic satis.
Sed porro ausculta, quod [l]) superest fallaciae.
Sese ipse dicet [m]) tuam vidisse filiam,
Ejus sibi complacitam formam, postquam adspexerit,
Hanc [n]) cupere uxorem. *Ch.* modone quae inventa est? *Sy.* eam;
Et quidem jubebit posci. *Ch.* quamobrem istuc, Syre?
Nam prorsus [o]) nihil intelligo. *Sy.* vah, tardus es.
*Ch.* Fortasse. *Sy.* argentum dabitur ei ad nuptias;
Aurum atque vestem, qui, tenesne? *Ch.* comparet?
*Sy.* Id ipsum. *Ch.* at ego illi neque do neque despondeo.

h) Par. mss. *hariolare.* i) Sic Bc. Vulg. *secum adduxisse.* l) Par. p. var. *quid.* m) Sic C. G. m. In libb. Fa. *dicit.* n) L. antiq. *se.* o) Al. *prorsum.* Sed *prorsus* Bentlejo videtur, abjecta lit. s, trochaeus esse ad Graecor. metri rationem.

17. *Vah*, φεῦ, interjectio admirantis, exsultantis et insultantis. *gloriare evenisse.* „Quia Menedemus nondum circumductus erat argento, sed dolus tantum struebatur." Far.

18. *verum dico.* Huc refer quae supra id. dixerat 3, 32. 33. Ita servi solebant interd. per ipsam veritatem fallere dominos, qui nihil eis credebant.

22. *dic sodes.* „Formula qua postulatur, ut alter magis diserte et bona fide sententiam suam dicat." We. *nimium*, obstupentis. *immo sic satis.* „Sic dixit, ut qui suspicaretur a Chremete dictum, *nimium, inquam*, non serio, sed joco." Calph.

24. *dicet tuam vidisse etc.* Astute praemonet herum de futuro.

25. *complacit.* Cf. Andr. IV, 1, 21. *postq. adspex.* Eun. I, 2, 4.

27. *Et quid. jub. posci.* „Et volet ut filiam tuam pater suus postulet." Eu. *quamobr. ist. etc.* Simulatam rem putat; alioqui intelligeret, quod in aprico est. *tardus*, ad ingenium refertur.

29. *argent. dab.* Cf. 4, 16.

30. *qui*; cf. Andr. IV, 4, 52, not. Hic abrumpit, ut astute seni copiam subministret suspicandi. Herus inde verum invenisse sibi videtur, et tamen fallitur. *compar.* Cf. infra 8, 14.

31. *neq. despond.* „Id est, non permitto: unde sponsa dicitur. Nam et sponsio et dos a patre puellae dabatur." Eu.

*Sy.* Non[p]? quamobrem? *Ch.* quamobrem? me rogas? homini[q]? *Sy.* ut lubet.
Non ego dicebam, in perpetuum[r] illam illi[s] ut dares;
Verum ut simulares. *Ch.* non mea 'st simulatio:
Ita tu istaec tua misceto, ne me admisceas.
Ego, cui daturus non sum, ut ei despondeam?
*Sy.* Credebam. *Ch.* minime. *Sy.* scite poterat fieri:
Et ego hoc, quia dudum tu tantopere jusseras,
Eo coepi. *Ch.* credo. *Sy.* ceterum equidem istuc, Chreme,
Aequi bonique facio. *Ch.* atqui cum maxume[t]
Volo te dare operam, ut fiat, verum alia via.
*Sy.* Fiat. quaeratur aliud. sed illud, quod tibi
Dixi de argento, quod ista debet Bacchidi,
Id nunc reddendum 'st illi, neque tu scilicet
Eo nunc confugies: „quid mea? num mihi datum est?
Num jussi? num illa oppignerare filiam
Meam me invito potuit?" veré[u] illud, Chreme,

p) Be. *Nam* pro *Non.* Non probo. q) Calphurn. leg. *homini fugitivo dabo.* r) Codd. Be. omnes *perpetuo.* Qui ipse more suo codices neglexit *serio* fictum sibi recipiendo. s) Non audiendus est Bo. qui, *illi* deleto, recepit *ei.* t) Var. *tum maxime. quam maxime.* u) Sic repon. Be. pro *verum* vulgo. Probatur ex Ad. I, 1, 3. et V, 8, 32.

32. *homini,* amanti Bacchidem.

34. *non mea est simulatio.* Hoc fere modo, *non est mentiri meum*; cf. supra III, 2, 38. Pro *mea* Be. refinx. *meum*; quod equid. magis graece quam latine esse putarim.

35. *Ita tu istaec tua etc.* Sensus: „Ita igitur haec efficito, ut sine mea persona compleas." Eu. *ne me admisc.* Cf. V, 2, 22.

37. *Credeb.* „sc. te assimilaturum, et fore ut tibi id persuaderetur." We.

38. *tantop. juss.* Cf. supra III, 2, 36 seqq.

39. *Eo,* ideo. Poni solent, ac sibi invicem respondere particulae, *eo*-quod; *eo*-quia. Itid. Cic. Attic. XIII, 35. *coepi,* absolute. Itid. Liv. 2, 6. „pugna *coepit.*"

40. *Aeq. boniq. fac.* „Sensus et constructio est: Accipio id in bonam partem *aequi et boni.* Aestimo tanq. aequum et bonum." We. Cf. v. 15. Callidus servus conatur suspicionem heri omni fide simulata removere. *cum max.* gr. *ὅτι μάλιστα.*

42. *Fiat,* obsequentis. *aliud,* consilium. Andr. IV, 1, 46.

43. *Dixi de argento quod etc.* v. supra III, 3, 40.

44. *neq. tu scilicet etc.* Callide seni, si quas fecerit objectiones, servus occurrit.

45. *Eo nunc confug.* Cf. supra III, 1, 78. *mea* sc. interest.

46. *illa* sc. anus Corinthia. Supra III, 3, 59.

Dicunt, jus summum saepe summa est malitia [x]).
*Ch.* Haud faciam [y]). *Sy.* immo, aliis si licet, tibi non licet.
Omnes te in lauta et bene acta parte putant [z]).
*Ch.* Quin egomet jam ad eam deferam. *Sy.* immo filium
Jube potius. *Ch.* quamobrem? *Sy.* quia enim in hunc suspicio 'st
Translata amoris. *Ch.* quid tum? *Sy.* quia videbitur
Magis verisimile id esse, cum hic illi dabit;
Et simul conficiam facilius ego, quod volo.
Ipse adeo adest. abi, effer argentum. *Ch.* effero. (*abit.*)

x) Mu. testatur in exempl. s. esse *injuria*, uti Cic. de Offic. I, 10. ubi vid. Heusing. y) V. I. *non reddam argentum.* z) Hunc vers. qui tantopere variat, retinui, ut est a Fa. Pro *aucta*, quod vulgo est, hab. al. *facta*, al. *uncta*; pro *parte* Bi. *copia.* C. G. m. *acta parte.* Be. *aucta re.* Addo quod mihi placitum est, *parta re.*

48. *Dicunt* sc. homines; q. d. in ore est omnium. *jus sum. saepe etc.* v. Erasm. Adag. Itid. ex Menandro: καλὸν Οἱ νόμοι σφόδρ' εἰσὶν, ὁ δ' ὁρῶν τοὺς νόμους λίαν ἀκριβῶς, συκοφάντης φαίνεται. Plura v. ap. We. et Lindenbr. *malitia*, h. e. malitiosa juris interpretatio; Gallis, chicane. Et Far. not.: „Rigor, ut vocant, ex verbis juris, non ex mente et sensu ejus qui scripsit."

50. *Omn. te in tanta.* „Hoc a persona persuadet, potius reddere quam negare." Eu. Significat autem servus, Chremet. locupletem esse, bonisq. patriis abundantem, ac talem a quovis haberi. Sed venio ad conjecturam meam, *parta re*; quae praeter quam quod, *male parta* Cic. Phil. II, 27. dicitur, ex ipso Terent. Ph. V, 3, 5. *patris mei bene parta* dicente maxime mihi probatur. Ceterum constat, *re* plenius intelligi pro *re* familiari.

51. *Quin egom.* *Quin*, illativa particula et affirmativa; cf. Plaut. Capt. III, 4, 57. „*quin* tute is es?" *ad eam*, Bacchid. *defer.* sc. argentum. Supra 6, 18.

52. *Jube* sc. deferre. *in hunc*, Clitiphonem. Supra v. 19. Huc enim alludit veterator, ut seni quidem, quid verum sit, sub specie suspicionis insinuet.

55. *confic.* „pro efficiam." Calph. Sed magis placet intelligere argentum, cum *argentum* etiam *conficere* dicunt; ut in Eun. V, 4, 6. Ph. V, 5, 3.

56. *Ipse adeo.* Affirmat *adeo* post pronomen. Sic. Cic. p. Arch. 6. „Atque hoc *adeo* mihi concedendum est." *effer*; cf. Eun. IV, 6, 15.

# ACTUS IV. SCENA 6.

## CLITIPHO. SYRUS.

*Cl.* (*secum*) Nulla est tam facilis res, quin difficilis siet,
Quam invitus facias. vel me haec deambulatio,
Quam non laboriosa ad languorem dedit!
Nec quicquam magis nunc metuo, quam ne denuo
Miser aliquo extrudar hinc, ne accedam ad Bacchidem.
Ut te quidem omnes Dii Deaeque quantum 'st, Syre,
Cum tuo isto invento cumque incepto perduint!
Huiusmodi mihi res semper comminiscere,
Ubi me excarnifices. *Sy.* i [a]) tu hinc quo dignus es.
Quam paene tua me perdidit protervitas!

a) Lib. Vict. *in*, (isne.) Bemb. *is.* Eun. IV, 5, 9.

„Hic exprimitur amantis constantia, qui ob nimium amorem Syro in re sua irascitur: dehinc paulo momento illum demulcet.“ Calph.

1. *Nulla est tam etc.* „Nunc adolescens Clitipho redit, graviter ferens, quod ab amica sit exclusus.“ Eu.

2. *Quam.* Barbare diceres, si eam. *deambulatio*; cf. supra III, 3, 26.

3. *Quam* pro quamvis. *non laboriosa*, q. d. facilis, ut supra. *ad langu. ded.* Sic Plaut. Asin. III, 2, 28. „*ad languorem dederis.*“

5. *aliquo extrud.* Spectat superiora III, 5, 25. Eun. IV, 3, 25.

6. 7. *Ut te q. o. Dii etc.* Cf. Eun. II, 3, 11. not. *quant.* Par. in marg. pro quicunq. quotcunque. Liv. III, 25. „quicquid *Deorum* est.“ *Cum tuo ist. inv.* „Cum contemtu atque odio haec pronunciantur.“ Calph. Andr. V, 4, 38. *invento*, *incepto*; cf. supra III, 3, 36. 39.

8. *comminiscere.* „Pro comminisceris, id est, fingis.“ Calph.

9. *Ubi.* Pronominis loco, quibus. Eun. II, 5, 21. *excarnific.* Terribiliter *excarnifices* dixit pro excrucies. *I tu hinc quo etc.* Similis exsecrandi formula; cf. Eun. IV, 5, 9.

10. *protervit.*, h. e. importunitas. Huc refer. II, 5, fin.

*Cl.* Vellem hercle factum, ita meritu 's. *Sy.* meritus? quomodo?
Nae me istuc prius ex te [b]) audivisse gaudeo,
Quam argentum haberes, quod daturus jam fui.
*Cl.* Quid igitur tibi vis dicam [c])? abisti [d]), mihi
Amicam adduxti, quam non liceat tangere.
*Sy.* Jam non sum iratus. sed scin', ubi nunc sit tibi
Tua Bacchis? *Cl.* apud nos. *Sy.* non. *Cl.* ubi ergo? *Sy.* apud Cliniam.
*Cl.* Perii! *Sy.* bono animo es: jam argentum ad eam deferes,
Quod ei es pollicitus. *Cl.* garris. unde [e])? *Sy.* a tuo patre.
*Cl.* Ludis fortasse me. *Sy.* ipsa re experibere [f]).
*Cl.* Nae ego fortunatus homo sum! deamo te, Syre.
*Sy.* Sed pater egreditur. cave quicquam admiratus sis [g]),

b) C. G. ch. invert. *ex te prius.* c) Ita colloc. Be. ut C. G. m. Vulg. *dic. tibi vis.* d) Be. mutat *abisti* in *adisti*, quippe quod Syrus nusquam abierit. Sed hoc vir ingeniosus non satis habens, *manum* addit post *mihi*, ut Plautino more Nostrum reddat loquentem; ceterum phrasin *adire manum alicui*, pro os sublinere seu fallere, explicaturus. e) L. antiq. *id.* f) *experib.* obsoletum pro *experiere.* g) Huic versui, qui vulgo sequitur posteriorem, Muretus sedem hanc priorem adsignavit. Quod probo. Nam hoc modo quod praecipit Syrus *cave* dicendo, jungitur commode alteri imperativo *obsecundato* et sequentibus. Qui tenor orationis in vulgata collocatione perit. Pro *sis* o. libb. Fa. *sies*; sed ratio versus exigit *sis.* Inde jambus fit in fine solitus, eliso s, ex *admiratus*, ut sit, *a d m i - r ā t ŭ ' s ī s.*

11. *Vell. fact.* Scilicet ut te *protervitas* mea perdidisset.

14. *Quid igit. tibi etc.* Scilicet *quid* aliud nisi hoc. *abisti.* Nempe ad Antiphil. arcessendam; cf. supra I, 2, 17.

15. *quam non liceat tang.* Vetuerat enim Syrus; cf. II, 3, 137.

16. *Jam non s. irat.* „Non potest Syrus prae nimia laetitia diutius reticere quod fecerit. *Iratus* est ex causa, iracundus ex moribus.“ Calph.

18. *Perii.* „Haec vox est amantis, aliquid mali suspicantis.“ *bono animo es.* Itid. alius ille Syrus in Ad. IV, 2, 4. *j. arg. ad eam def.* Supra 5, 51.

19. *Quod ei es pollic.* Cf. II, 3, 88. *garris.* „*Garrire* dicitur, qui inaniter loquitur. Et *garrire* aves dicuntur.“ Calph.

20. *Ludis*, pro illudis; uti Ph. V, 8, 22. Simplex verb. pro comp.

21. *deamo*, valde amo. Infra V, 1, 79, ubi nota.

Qua causa id fiat; obsecundato in loco.
Quod imperabit, facito; loquitor paucula.

23. *Qua causa id fiat.* Haec refert We. ad, *ipsa re exp.* v. 20. At Be. verba, *cave-fiat*, expon., ut opinor, melius ita: „id scilicet quod pater tibi decem minas det ad Bacch. deferendas.“ *obsecundato.* „*Obsecundare* est omnia ad alterius nutum facere.“ Calph. Ad haec schol. Guelf. *obsecund.* obedi. Ille alii *obsecundat*, qui ad interrogata bene respondet.“ *in loco*; cf. Ad. II, 2, 8, not.

24. *loquitor paucula.* „Ne ex sermonib. tuis nascatur ulla suspicio.“ Eu. Et Calph. not.: „*Paucula* dixit, non pauca; et sic majorem vim ista admonitio habitura est.“

# ACTUS IV. SCENA 7.

## CHREMES. CLITIPHO. SYRUS.

*Ch.* Ubi Clitipho nunc est [a])? *Sy.* (*Clitiphoni susurrans*) eccum me, inque. *Cl.* eccum hic tibi.
*Ch.* Quid rei esset, dixti huic? *Sy.* dixi pleraque omnia.
*Ch.* Cape hoc argentum, ac defer. *Sy.* i [b]). quid stas, lapis?
Quin accipis? *Cl.* (*ad patrem*) cedo sane. *Sy.* sequere hac me ocius.
Tu hic nos, dum eximus, interea opperibere [c]):

a) Be. omitt. *est*, sed, ut opinor, contra morem Poetae, qui nusquam *ubi* ponit sine verbo finito. b) L. Bemb. *ii.* At Fa., uno *i* ademto, edid. *i.* Al. *hei.* Par. *ei.* c) Par. pro var. *opperire.*

„Chremes argentum adfert, quod det Clitiphoni. Ad postremum quaeritur de sumtu faciendo filiae causa.“ Mu.

1. *Ubi Cl. n. est?* cf. Andr. III, 5. Eun. II, 3, 3. *inque*, dic. Id raro Calph. monet praeter inquam et inquit reperiri.

2. *Quid r. ess.* Quam rem sc. cum Syro Chremes egerit, vid. sup. scen. 5. *pleraq.* abundat, uti Andr. I, 1, 28, not.

3. *Cape hoc arg.* Cf. Eun. III, 5, 47. *quid stas?* cf. Andr. V, 6, 15. *lapis.* Convicium est in hominem stolidum, ut infra V, 1, 44. Hec. II, 1, 17.

4. *Quin*, cum interrogat. pro, cur non. Tursell. de partic.

5. *Tu hic n. dum etc.* Eod. fere modo, Andr. V, 6, 13. *opperib.* Antiquum est *opperibor* pro opperiar.

Nam nihil est, illic quod moremur diutius.
*Ch.* Minas quidem jam decem habet a me filia [d]),
Quas pro alimentis [e]) esse nunc duco [f]) datas.
Hasce ornamentis [g]) consequentur alterae.
Porro haec talenta dotis adposcet [h]) duo.
Quam multa injusta ac prava [i]) fiunt moribus!
Mihi nunc, relictis rebus [l]), inveniendus est
Aliquis, labore inventa mea [m]) cui dem bona.

d) I. V. *secum loquitur illis recedentibus.* e) L. Vatic. *hortamentis.* Itid. Bas. sed sine aspiratione. C. G. ch. et mss. We. *alimentis.* Placet. Nam praeter ornamenta et dotem etiam *alimenta* requirebantur ad filiam, quae honesta familia orta esset, collocandam. Etiam Da. vertit, ,,pour sa nourriture.'' f) Al. *dico.* g) C. G. ch. *alimentis*; ibid. in marg. p. var. *ornamentis.* h) Sic Bentlejo probatur et mihi, sc. filia, v. 7. Vulg. *adposcent.* i) G. Fabr. *justa injusta.* Quae lect. est Eugraphii. l) In al. mss. Mu. teste *relict. omnibus.* m) Al. *meo.*

6. *Nam nih. est, illic etc.* Pulchre hoc adjecit, ne Clitipho importunus atque impatiens patri proderet suum amorem. *illic.* Par. in marg. ,,apud Bacchidem.''

7. *Minas quid. jam etc.* ,,Consuetudo patris est, ut de damnis cogitet, tametsi filiis det.'' Eu. Erant autem, quod Be. opinatur, *decem minae* statum pretium pro vestimentis. Sic Plaut. Curc. II, 3, 64. 65. ,,quia de eo emi virginem Triginta *minis*, vestem, aurum: et *pro iis decem accedent minae.*''

9. *ornamentis.* Dativus est aut ablativ. suppressa praeposit. pro. *Ornamenta* sunt vestimenta. Haec autem separatim curabantur ab *alimentis.* ,,Nam in venditione et emtione mancipiorum separatim olim agebatur: tantum dabis pro nudo corpore, tantum pro vestimentis sive ornamentis.'' Be.

10. *talenta dotis duo.* Huic *doti* conf. illam in Andr. V, 4, 47. 48. majorem.

11. *Quam multa inj. a. p. fiunt.* Sensus: Quam multa sunt, quae per se improbata nobis, consuetudinem vitae sequentibus, videantur probari. *morib.* i. e. consuetudine. Itid. Adelph. V, 9, 33.

13. *Aliquis.* Supple, qui ducat filiam uxorem. *lab. inv.* Similiter Chremes infra V, 4, 17.

# ACTUS IV. SCENA 8.

## MENEDEMUS. CHREMES.

*M.* Multo omnium me nunc [a]) fortunatissimum
Factum puto esse, gnate, cum te intelligo
Resipisse [b]). *Ch.* ut errat! *M.* te ipsum quaerebam,
Chreme.
Serva, quod in te est, filium, et me, et familiam.
*Ch.* Cedo, quid vis faciam [c])? *M.* invenisti hodie
filiam.
*Ch.* Quid tum? *M.* hanc sibi uxorem dari volt Clinia.
*Ch.* Quaeso, quid [d]) hominis es? *M.* quid est? *Ch.*
jamne oblitus es,
Inter nos quid sit dictum de fallacia,
Ut ea via abs te argentum auferretur? *M.* scio.

a) Sic colloc. Be. libb. recte. Namque *núnc*, ex illius praecepto, in arsi esse debet. Lib. antiq. *nunc me.* b) Al. *Resipiscere.* c) Par. ita: *Cedo*; *quid vis? faciam.* Sed ea distinctio sensum mutat. d) Mss. Pall. *tu.* Al. omitt. Hanc autem Par. putat formulam esse comicam.

„Hic est jucunda expositio erroris senis de verbis Syri, qui Menedemum credit decipi, dum ipse decipitur.“ Calph.

1. *Multo omnium me etc.* Menedemus gaudet plurimum, quod filium videt et integris morib. et uxorem velle ducere, quae honestissimi viri filia sit etc.“ Eu.

2. *gnate.* Apostrophe ad filium absentem.

3. *Resipisse.* Hoc dicit quod animus filii quasi ab amore meretricis alienatus ad pristinum amorem virginis honestae redierit. *Resipisse* antique pro resipuisse; sicuti, „sapisset,“ Plaut. Rud. IV, 1, 8. pro sapuisset. *te ips. qu.* Itid. Andr. III, 2, 1.

4. *quod*, quantum. Ad. IV, 5, 58.

5. *Cedo quidv. f.* Andr. II, 3, 9.

7. *quid hominis.* „Scire nos convenit, cum recto casu profertur interrogatio, non esse contumeliosum; ut si dicas: quis homo est? Si autem in obliquo, contemtum significari, ut, *quid hoc est hominis*? quid mulieris? quid ornatus?“ Calph.

8. *quid s. dict. de fal.* Supra III, 1.

*Ch.* Ea res nunc agitur ipsa. *M.* quid narras [e]), Chreme?
Erravi [f]).
Immò haec quidem, quae apud te [g]) est, Clitiphonis est
Amica. *Ch.* ita ajunt, et tu credis? *M.* omnia.
*Ch.* Et illam [h]) ajunt velle uxorem, ut cum desponderim,
Des, qui aurum ac vestem atque alia quae opus sunt comparet.
*M.* Id est profecto; id amicae dabitur. *Ch.* scilicet
Daturum [i]). *M.* ah, frustra igitur sum gavisus miser.
Quidvis tamen jam malo, quam hunc amittere.
Quid nunc renuntiem abs te responsum, Chreme?
Ne sentiat, me sensisse, atque aegre ferat.
*Ch.* Aegre? nimium illi, Menedeme, indulges. *M.* sine.
Inceptum 'st. perfice hoc mihi perpetuo, Chreme [l]).

e) Sic l. Bemb. In C. G. m. et Edd. recentt. *dixti*. f) Qui vulgo integer sequitur versus, *Erravi. sic res acta est. quanta spe decidi*, in l. Bemb. abest. Cuius Vatic. l. nil nisi hab. dictionem, *Erravi*. g) *apud me*. Sic bene Be. recepit ab Fa.; cf. supra 6, 17. *ap. Cliniam*. Inde prave legit. vulgo *ap. te*. h) Sic Be. recte pro *illum*; cf. supra 3, 25. i) Be. *Datum iri*. Supra III, 3, 45. Al. *Datum*. l) V. I. *ut filius meus filiam tuam habeat*.

10. *Ea res.* Nempe ut quod argentum abs te extorqueatur, Bacchidi detur. *quid nar.* Interrogat mirabundus.

11. *Erravi.* Scilicet quod crediderim, Bacchidem Clitiphonis non esse amicam, sed filii mei.

13. *ita ajunt.* Sic de re dicimus, quam volumus esse falsam. *M. omnia.* Sic it. infra V, 1, 11.

14. *Et illam aj. velle etc.* Cf. supra 5, 26. 29. 30.

15. *compararet*, emat. Itid. Cic. Attic. XII, 19.

16. *amicae*, Bacchidi.

17. *Datur.*, Cliniam. *ah, frustra.* Hic Menedemus, qui modo erat confirmatus, ad dubium reductus gemit, *ah, frustra igitur etc.*

18. *Quidv. tam. j. malo, quam etc.* Constans sibi est Menedemus in his, quae supra dixerat III, 1, 56. 57. perseverando.

20. *Ne sent. me etc.* Eu. explic. „me hoc intellexisse, quod non vero nuptias petit.“ Ego autem credo, Menedemum nunc meliora ac certiora de suo persuasum, Chremeti amico, ut antea consulenti, ficte tantum vel ironice obsequentem se praebere, usque dum ille re ipsa patefacta errorem suum dimittat. Conf. scen. sequ.

21. *indulg.* „Nullum magis proprium verb. invenire potuisset de patre qui omnia filio permittit.“ Calph. Supra I, 1, 99.

22. *Incept. est.* „Nam quod semel *inceptum est*, non potest

*Ch.* Dic convenisse, egisse te de nuptiis.
*M.* Dicam. quid deinde? *Ch.* me facturum esse omnia:
Generum placere; postremo etiam, si voles,
Desponsam [m]) quoque esse dicito. *M.* hem, istuc volueram.
*Ch.* Tanto ocius [n]) te ut poscat, et tu id quod cupis,
Quam ocissime tu des. *M.* cupio. *Ch.* nae tu propediem,
Ut istam rem video, istius [o]) obsaturabere.
Sed haec ita ut [p]) sunt, cautim et paulatim dabis,
Si sapies. *M.* faciam. *Ch.* abi intro; vide, quid postulet [q]).
Ego domi ero, si quid me voles. *M.* sane volo.
Nam te sciente [r]) faciam, quicquid egero [s]).

m) Par. p. var. *Desponsatam.* n) C. G. m. sup. script. *fac.* o) Mss. Pall. *adventui.* C. G. m. *adventu.* At praestat *istius* sc. filii. Construitur autem *obsatur.* c. genitivo. p) Sic l. antiq. In Vatic. *ut ut.* q) Sic l. Bemb. et Vatic. recte. *Clinia* enim subauditur. In l. antiq. *postulent.* Itid. C. G. m. cum apice ita: *postulĕt.* r) L. Bemb. *scientem.* s) V. I. *de nuptiis.*

facile omitti.“ Calph. *perfice.* Plaut. Cist. II, 3, 51. „*perfic.* negotium.“

23. *convenisse.* „Sensus est, vel, nos convenisse, vel, te convenisse me.“ We.

26. *Despons.* Cliniae a me Antiphilam. Aliter sup. 5, 31.

27. *quod cupis.* Supra III, 1, 56. 57.

28. *ocissime.* Significanter dicit *ocius* et *ocissime*; illud a parte filii, hoc a parte patris adeo, ut hic paene prius dare videatur, quam ille poposcerit. Vid. III, 1, 29.

29. *Ut ist. rem video*, quomodo mihi quidem *ista* res se habere videatur, *ist. obsat.* „H. e. satias te et taedium istius capiet.“ We.

30. *haec ita ut s.*, qualiacunq. sunt, quoquo modo se habent. *dabis*, *Si sapies.* Nota, futurum sequi post alterum futurum, item Ad. IV, 2, 6.

31. *postul.* „Tanquam jure: quia jure aliquid postulamus.“ Calph.

32. *me voles*; cf. supra I, 6, not.

## ACTUS V. SCENA 1.

### MENEDEMUS. CHREMES.

*M.* (*solus*) Ego me non tam astutum, neque ita perspicacem esse, id [a]) scio;
Sed hic adjutor meus et monitor et praemonstrator Chremes
Hoc mihi praestat. in me quidvis harum rerum convenit,
Quae sunt dictae [b]) in stultum, caudex [c]), stipes, asinus, plumbeus;

a) Vulg. *certo*. Omitt. s. et e. quidam. b) Sic Be. dedit ex duob. Codd. ob *harum rerum* v. 3., recte. Vulg. *dicta*. c) Par. p. var. *cautes*.

,,Quia jam ad exitum properat Fabula, fallacia detegitur per Menedemum, et Cliniae Antiphila desponsabitur. Et est operae pretium, videre senem, qui antea monebat, indigere admonitione. Et senes se multis ludibriis illudunt ultro citroq., donec aperte loquens Menedemus ostendit, Bacchidem esse Clitiphonis amicam, non Cliniae.'' Calph.

1. *Ego me non tam astutum etc.* ,,Haec jactationis cujusd. species est, fingere se *non astutum*, dum videt alterum stultiorem.'' We. *perspicac.* Cf. II, 3, 129.

2. *adjut.* ,,Dicunt. *adjutores* qui consilio et opera nobis adsunt.'' We. Simul ad scenam alludi verisimile est, ubi *adjutores* ii sunt, qui solent histriones in agendis partib. seu voce seu gestib. adjuvare. Phaed. V, 5, 13. *monit. Monitor* in scena est, qui monet histriones, ne memoria vacillent in agendis partibus. *praemonstr.*, magister, praeceptor; v. Gronov. Obss. Inest ironia.

3. *Hoc m. praest.* Par. ,,In hoc me superat.'' Et Gu. codici suo, We. testante, adscripsit: Hoc me antecedit i. e. stupiditate, stultitia, τῷ *non* esse *astutum* seu *perspicacem.*'' *in me quidv.* Cf. Cic. Verr. I, 49. ,,Quae vitia videntur in *quemvis* potius, quam in istum *convenire.*'' Andr. V, 4, 39.

4. *caud. stip.* Convicia sunt in stultum, et hebetioris ingenii hominem. *plumb.* v. Sueton. Ner. 2. — cui esset cor *plumbeum.*

In illum nil potest: nam exsuperat ejus stultitia haec omnia.
*Ch.* (*domo egrediens ad uxor.*) Ohe, jam desine Deos, uxor, gratulando obtundere,
Tuam esse inventam gnatam, nisi illos ex tuo ingenio judicas,
Ut nihil credas intelligere, nisi idem dictum 'st centies.
(*secum*) Sed interim quid illic jam dudum gnatus cessat cum Syro?
*M.* Quos ais homines [d]) cessare? *Ch.* ehem, per tempus [e]), Menedeme, advenis.
Dic mihi, Cliniae, quae dixi, nuntiastin'? *M.* omnia.
*Ch.* Quid ait? *M.* gaudere adeo coepit, quasi qui cupiunt nuptias.
*Ch.* Ha, ha, he! *M.* quid risisti? *Ch.* servi venere in mentem Syri
Calliditates. *M.* itane? *Ch.* voltus quoque hominum fingit scelus.

d) Vulg. *Chreme.* Abest ab C. Acad. Be. e) Duae hae dictt. *per tempus* in uno Reg. Be.

5. *exsup. ej. stult. h. o.* Cf. Plaut. Bacch. V, 1, 1. 3. „Solus ego omnes *stultos,* stolidos etc. anteeo stultitia etc.“

6. *Ohe.* „Interjectio est satietatem usq. ad fastidium designans.“ Calph. Hor. Serm. I, 5, 12. *uxor.* Notand. est, egredientem Chremetem conversum ad aedes dicere haec *uxori*, quae intus est. Sic Andr. II, 3. *gratul.* gratias agendo.

8. *centies*; cf. Andr. V, 4, 43. *millies.* Haec numeralia, sicut etiam sexcenties, non pro certo numero, quem ipsa indicant, ponuntur, sed pro omni quacunq. frequentia.

9. *Sed int. quid etc.* Supra IV, 7, 4. *illic*, in domo Menedemi. *cess.* „Bene *cessat.* Nam *cessant* desidiosi.“ Calph.

10. *Quos a. h. cess.* Ita Menedemus, qui nullum forsitan verbum, nisi *cessat* submisse dicentis intellexerat. *per temp.*, opportune.

11. *Dic mihi, Cl. quae etc.* vid. supra IV, 8, 23.

12. *quasi qui cup.* Cf. Andr. I, 1, 121. 122. *ut qui Neget etc.*

13. *Ha, ha, he.* In cachinnum erumpit Chremes, falsa ductus opinione, Menedemum decipi de filio et hunc assimulate petere uxorem. *servi ven. in ment.* Vide quibus servus animum Chremetis induxerit, quae is pro mendaciis habet; cf. supra IV, 5, 19. seqq.

14. *itane?* „Sic lege, ut quasi eludat Chremetem: qui passus est se a servo decipi.“ Calph. *vult. q. homin. etc.* „Necdum credit Chremes, Cliniam revera amare Antiphilam, sed ficto vultu simulare amorem, ita scilicet edoctum a Syro servo.“ We. *fing.* format. Ovid. H. XVII, 15. „*ficto* in ore.“ Huic contrarium, *vero vultu*, Andr. V, 1, 20. *scelus* pro scelestus ille.

*M.* Gnatus quod se adsimulat laetum, id dicis? *Ch.* id [f]). *M.* idem istuc mihi
Venit in mentem. *Ch.* veterator! *M.* magis, si magis noris, putes,
Ita rem esse. *Ch.* ain' tu? *M.* quin tu ausculta. *Ch.* mane dum [g]), hoc prius scire expeto,
Quid perdideris. nam ubi desponsam nuntiasti filio,
Continuo injecisse verba tibi Dromonem scilicet,
Sponsae [h]) vestem, aurum, ancillas, opus esse argentum ut dares.
*M.* Non. *Ch.* quid non [i])? *M.* non, inquam. *Ch.* neque ipse gnatus [l])? *M.* nihil prorsum, Chreme.
Magis [m]) unum etiam instare, ut hodie conficerentur nuptiae.
*Ch.* Mira narras. quid Syrus meus? ne is quidem quicquam [n])? *M.* nihil.
*Ch.* Quamobrem, nescio [o]). *M.* equidem [p]) miror, qui alia tam plane scias.

f) Par. p. var. *idem.* Nisi anticipatum sit *idem* quod sequitur. g) Bc. annect. *dum*, ut versus melius procedat. h) *Sponsae* pronuntiand. esse Bc. monet, quasi esset *Sponsai.* i) Be. ed. *qui non?* Amat *qui* prae *quid.* We. *quid? non?* l) V. I. *petiit ista.* m) Ms. Pal. 3. *hoc.* n) V. I. *persuasit tibi.* o) Bc. vocem *nescio* Chremeti adsignavit, pro restituit Venerem sententiae. p) We. ed. *nescio equid. sed te miror.* Al. omitt. *sed te* recte.

15. *se adsimul. laet.* Cum emphasi efferend. est *adsimulat*, quia jam modo Menedemus dixit, filium *gaudere.* v. 12. *id. ist. mihi Ven. in ment.* Imitatio faceta sermonis Chremetis, v. 13.

16. *mag. si mag. n. p.* „Magis qualis sit Syrus, intelligas, si magis quae fecerit cognoscas.“ Eu.

17. *Ita rem esse.* „Vultuose pronuntiandum. Quod si Chremes sciret se a Syro deceptum, vere illum *veteratorem* appellaret.“ Calph. *quin tu ausc.* „Partic. *quin* cum imperativo hortantis est.“ Tursell.

18. *Quid perdid.* sc. argenti. Supra IV, 8, 16.

19. *injec. verba*, mentionem fecisse. Ph. IV, 4, 11. *scilicet* i. q. potero scire. Supra IV, 8, 16.

20. *vest. aur. ancill.* Cf. III, 1, 42. seq. et IV, 8, 16. Menand. ap. Athen. λουτρὸν θεραπαίνας κ. ἀργυρώματα.

22. *instare* pro instabat. „Incipiet paulatim detegi fallacia. Nam hoc signum est, Cliniam non falso velle Antiphilam.“ Calph.

24. *equid. miror*, sc. te tua nescire, cum *alia tam pl. scias.* Minus autem aperte quam acerbe dixit, Chremetem aliena diligentius curare quam sua; qui ne suum quidem servum noverit, quid agat. Atque adeo Terentium ipsum miramur, qui mores Chremetis eosd. inde ab initio huc usque servarit. Nam supra

Sed ille tuum [q]) quoque Syrus idem mire finxit filium,
Ut ne paululum quidem subolat [r]), esse amicam hanc Cliniae.
*Ch.* Quid ais! *M.* mitto jam osculari [s]) atque amplexari [t]); id nil puto.
*Ch.* Quid est, quod amplius simuletur? *M.* vah! *Ch.* quid est? *M.* audi modo:
Est mihi in ultimis conclave aedibus [u]) quoddam retro.
Huc est intro latus lectus; vestimentis stratus est.
*Ch.* Quid postquam hoc est factum? *M.* dictum factum huc abiit Clitipho.
*Ch.* Solus? *M.* solus. *Ch.* timeo. *M.* Bacchis consecuta 'st ilico.
*Ch.* Sola? *M.* sola. *Ch.* perii! *M.* ubi abiere intro, operuere ostium. *Ch.* hem,
Clinia haec fieri videbat? *M.* quidni? mecum una simul.

q) Al. *tuus.* r) Sic veterr. Codd. Be. Unus *subolet*; ceteri o. *suboleat.* s) t) V. I. s) *Clitiphonem* t) *Bacchidem.* u) Var. colloc.

I, 1, 23. 24. illum affatus erat Menedemus: *tantumne ab re tua est otii tibi Aliena ut cures?*

25. *finx.* cf. *fing.* v. 14. Par pari enim Menedemus Chremeti refert.

26. *subol.* Formula est, res mihi subolet. Praeposit. *sub* cf. Andr. II, 6, 16, not. Verb. *olere* etiam tertia conjugatione veteres dixere, ut olat, olant. Fab. Thes.

27. *Quid ais!* metuentis est magis quam interrogantis. *mitto*, omitto. *id nil puto* sc. in comparatione illorum quae sequuntur. *amplex.* Cf. Ovid. Met. IV, 139. „*amplexaq.* corpus amatum."

28. *simulatur.* Perseverat igit. credere, *simulari*, non verum illud esse. *amplius.* Credit nempe, praeter *osculari* et *amplex.* criminis dari nihil.

29. *Est mihi.* Argumenta colligit a factis. *in ultim. aedib.* h. e. in ultima parte aedium. *retro.* „Id additur, ut notetur plane ultima pars aed. unde et divisim pronuntiandum." We. Aliter Ovid. Met. V, 284. „primasq. intravimus *aedes.*"

30. *lat. lect.* Observ. P. Nannius, lectos olim fuisse exemtiles, et deportari potuisse ad alia atq. alia loca. *latus.* Bene: qui satis spatii commode det ambob. amantibus. *vestiment. str. est.* „Vestimentorum sunt omnia lanea lineaq. quae induendi, insternendi incubandive causa parata sunt." Ulpian. in Pandect.

32. *timeo*, „Ita solent in media narratione, ubi quid mali ominantur."

34. *una simul.* Expressius per duo. Itid. Plaut. Most. IV, 3, 43. „i mecum *una simul.*"

*Ch.* Filii est amica Bacchis, Menedeme. occidi!
*M.* Quamobrem? *Ch.* decem dierum vix mi est familia [x]).
*M.* Quid? istuc times, quod ille [y]) operam amico dat suo?
*Ch.* Immo quod amicae. *M.* si dat. *Ch.* an dubium id tibi est?
Quemquamne animo tam communi [z]) esse et leni putas,
Qui se vidente amicam patiatur suam?
*M.* Quidni? quo verba facilius dentur mihi.
*Ch.* Derides? merito mihi nunc ego succenseo.
Quot res dedere, ubi possem persentiscere,
Nisi si [a]) essem lapis? quae vidi! vae misero mihi!
At nae illud haud inultum, si vivo, ferent.
Nam jam ... [b]) *M.* non tu te cohibes? non te respicis?

x) V. I. *vix per decem dies meam potero sustentare familiam, postq. Bacchis venerit cum comitatu suo.* y) Id. *filius tuus.* z) Al. *comi.* a) Pleriq. non hab. *si.* b) V. I. *ulciscar.* Sed non necesse erat, addere aliquid, explicandi causa. Est enim aposiopesis, propt. iram Chremetis verba suffocantem.

35. *F. est amica Bacch. M. occidi.* „Nunc demum et cum Phaedro, ex fab. I, 13. loquamur, ingemit deceptus stupor."

36. *familia*, res familiaris. Sic in legib. XII. tabb. Itid. ad Heren. I, 23. Et not. Far.: „Res mea familiaris infra 10 dies exhaurietur."

37. *op. amico dat.* Facete senex, ne dicam acerbe, alludit ad illud, III, 2, 15 seqq., ubi Chremes crederet, Bacchidem a filio non sua, sed Cliniae causa, apud se esse exceptam.

38. *Im. q. amicae* sc. operam dat. In hoc jocus versabatur ex ambiguo. Et We. putat, *amicae* operam dare, obsceniore sensu esse dictum, quod pateat ex Plaut. Trin. III, 2, 25. Et supra I, 1, 58.

39. *animo tam com.* „*Communis*, ut Graecis, κοινὸς." Lindenbr. De vocib. autem *communis* et *comis* promiscue usitatis vid. We. qui exempla cumulat Ciceronis, Sueton. Nep. aliorum. *leni animo*; cf. supra I, 1, 99.

40. *amic. pat. suam.* „Subaudi, subagitari. Et est honesta ἔλλειψις in re turpi." Calph. Supra III, 3, 6. *Qui se vidente pat.* Sic it. Plin X. 9. „Absumiq. etiam *se inspectante* patitur." Quod ipsum quidem contra grammaticos est, qui praecipiunt, in ablativo, quem vocant absolutum, cavendum esse, ne duae illae orationes sint ejusd. suppositi. Vid. Sanct. Min. II, 7. ibiq. Ciceronis, Horatii etc. exempla.

41. *quo.* Praemitte, Id fiebat.

43. *dedere* sc. se. Aut ita: *Quot res* Clitipho et Syr. fecere. Prius tamen magis placet, ex Liv. 28, 5. „prout temp. ac *res se daret.*" Ad hoc latine esse censeo tenendum, quod ille v. 41. dixerat, *verba* sibi *dari*, cui hic facete respondet, non *verba* solum, sed *res* se sibi dedisse. Hec. III, 3, 20.

46. *non te coh.*, h. e. non comprimis iram tuam. Cic.

Non tibi ego exempli satis sum? *Ch.* prae iracundia,
Menedeme, non sum apud me. *M.* tene istuc loqui?
Nonne id flagitium 'st, te aliis consilium dare,
Foris sapere, tibi non posse te auxiliarier?
*Ch.* Quid faciam? *M.* id quod tu me fecisse aibas parum:
Fac te esse patrem ut [c]) sentiat; fac ut audeat
Tibi credere omnia, abs te petere et poscere,
Ne quam aliam quaerat copiam, ac te deserat.
*Ch.* Immo abeat multo [d]) malo quovis gentium [e]),
Quam hic per flagitium ad inopiam redigat patrem.
Nam si illius [f]) pergo [g]) suppeditare sumtibus,
Menedeme, mihi illic [h]) vere [i]) ad rastros res redit.

c) Vulg. omitt. *ut*. Hab. C. G. ch. et un. C. Be. d) Al. *potius* pro *multo*. e) V. I. *ad quaslib. gentes*. f) Sic duo C. Be. In antiq. *illi*. Quod explic. *illic*. g) L. Bemb. *pergam*. h) Vulg. *illaec*. i) Sic C. G. m. cum Hal. Al. *vero*.

Fam. IV, 5. „visne *tute cohibere etc.*" *non te respic.* Cf. I, 1, 18. not.

47. *Non tibi e. exempl.* Cf. Ad. III, 5, 62.

49. *aliis dare consil.* Cf. Cic. Fam. IV, 5. Phaedr. I, 9, 1.

50. *Foris*, uti gr. *ἔξωθεν*. Sensus: *Aliis* sapere, non sibi. Huc refer. Ennii octonar. versus inter Syri sententias: „Qui ipsus sibi sapiens prodesse non quit, ne quicquam sapit." Ac Menand. ita: *Μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός*. Ut addam Servium, qui ad Ciceron. utitur ead. fere sententia, ep. 5, lib. 4.

51. *fecisse parum*, h. e. non fecisse. Spectat forsitan superiora I, 1, 99 seqq.

52. *Fac te esse pat. etc.* Reddit Chremeti suas admonitiones, I, 1, 104. seqq.

53. *Tibi cred. omnia.* Ad. IV, 5, 6. *petere*, *poscere*. Illius verbi significatus lenior, fortior hujus; cf. IV, 5. 27. *poscere* sc. quibus indigeat.

54. *Ne quam etc.* h. e. *Ne quam* ab aliis hominib. *copiam* auxilii praeter te *quaerat*.

55. *Im. abeat.* Hoc terribiliter pronuntiand. ut ab aspero patre. *abeat malo*. Verb. *malo*, cum conjunctivo alterius, suppressa particula ut, cf. Catull. 24, 4. *mallem* - divitias mihi *dedisses*." *quov. gent.* „*Gentium* in fine superflua adjunctio; sicut interea loci; dat tamen quand. *αὔξησιν* pronuncianti." Calph.

56. *ad inop. redig.* Cf. Eun. II, 2, 7.

57. *suppedit.* Schellerus monet intelligi pecuniam, et *sumtibus*, tertio casu. Hoc fere id. passive, Nep. Alcib. 8. „ipsis pecunia a rege *suppeditabatur*."

58. *ad rastr. res red.*, h. e. non dolore, ut Menedemo, supra I, 1, 36. sed egestate *mihi*, Chremeti.

*M.* Quot incommoditates [l]) in hac re accipies [m]), nisi caves!
Difficilem ostendes te esse, et ignosces tamen
Post [n]), et id [o]) ingratum. *Ch.* ah, nescis quam [p]) doleam. *M.* ut lubet.
Quid hoc, quod volo, ut illa nubat nostro? nisi quid est,
Quod mavis. *Ch.* immo et gener et adfines placent.
*M.* Quid dotis dicam te dixisse filio [q])?
Quid obticuisti? *Ch.* dotis? *M.* ita dico. *Ch.* ah! *M.* Chreme,
Ne quid vereare, si [r]) minus: nihil nos dos movet.
*Ch.* Duo talenta pro re nostra ego esse decrevi satis.
Sed ita dictu est [s]) opus, si me vis salvom esse, et rem et filium,
Me mea omnia bona doti dixisse illi. *M.* quam rem agis?
*Ch.* Id mirari te simulato, et illum hoc rogitato simul,

l) Sic Lindenbr. In Par. mss. *incommoda.* Be. *Quod incommodi* mire. m) Calph. leg. *capies.* n) Al. colloc. *et tamen post ignosces.* o) Ms. Par. *tibi erit.* Gloss. sapit. p) Al. *quid.* q) Be. *filiae.* Miror. Nam genero dos dabatur, non filiae. v. Andr. V, 4, 47. 48. r) Par. ms. *est.* Quod glossema esse mihi videtur. s) Sic numerosior Angli collocatio. Vulg. *est* post opus.

60. *Difficilem*, asperum, morosum. Supra III, 2, 24.

62. *Quid hoc.* „Convertit Menedemus sermonem ad conjugium faciend. Cliniae et Antiphilae.“ Calph. *nisi qu. est.* Honesta petitio: nisi quid aliter videat, quod sibi incommodum sit. Sic Andr. III, 5, 19. V, 4, 47.

63. *gener. plac.* Affirmat nunc, *generum placere*, quem modo simulabat tantum placere. Ita solent animi in comoediis, ut in vita hominum mutari. *adfines*; cf. supra II, 1, 5, not.

64. *Quid dot. dic.* Proprie *dicere dotem* in usu est, pro dotem promittere; vid. Heins. ad Ovid. Fast. VI, 594.

65. *Quid obtic.* Sic dixit, quasi puderet dicere, quod parva dos videretur. Supra IV, 7, 10. Similis est in Andr. V, 4, 47. dotis dicendae cunctatio.

66. *Ne quid etc.* Pulchre occurrit verecundo. *si minus*, absolute. Parsimonia enim utitur verborum modesta. Da. vert. „pour peu qu'il y ait.“ *nih. nos dos mov.* Non desiderio dotis tenemur.

67. *Duo talenta.* Supra IV, 7, 10.

68. *si me vis salv.* Cf. Hec. III, 5, 7, 14. *rem*, salvam; cf. Eun. II, 2, 27.

69. *illi*, filiae. *quam rem ag.* Cf. supra IV, 4, 18. „Hoc est quasi perturbati intercessoris.“ Calph.

70. *simulato.* Hic alterum volebat simulatum, nec tamen

Quamobrem id faciam. *M.* quin ego vero, quamobrem id facias, nescio.
*Ch.* Egone? ut ejus animum, qui nunc luxuria et lascivia
Diffluit, retundam, redigam, ut, quo se vortat, nesciat.
*M.* Quid agis [t])? *Ch.* mitte ac sine [u]) me in hac re gerere mihi morem. *M.* sino.
Itane vis? *Ch.* ita. *M.* fiat. *Ch.* ac jam [x]), uxorem ut arcessat, paret.
Hic ita, ut liberos est aequum, dictis confutabitur.
Sed Syrum... [y]) *M.* quid eum? *Ch.* ego, si vivo, eum adeo exornatum dabo,
Adeo depexum [z]), ut, dum vivat, meminerit semper mei;
Qui sibi me pro deridiculo [a]) ac delectamento putat.
(*Menedemus abit.*)
Non, ita me Di ament, auderet facere haec viduae mulieri,
Quae in me fecit [b]).

t) C. G. m. *ais.* u) Al. non hab. *ac.* Sic in l. Bemb. x) Al. *age jam.* y) V. I. *flagellabo.* z) Tres ex Be. Codd. *usque.* a) Al. *ridiculo.* b) Un. ms. ap. We. add. *tantas illusiones.*

supra IV, 5, 34. aeque se ipsum. *illum rogit.* „Pulchra admonitio, ut perterrefaciat filium." Calph.

71. *quin ego vero*; cf. supra IV, 5, 51, not. Pronom. *ego* urgetur ex oppos. *illum.* Sensus: Filium tuum nescire non miror, sed *ego* quoque *nescio.*

72. 73. *lux. Diffl.* Itid. Cic. Offic. I, 30. „quam sit *turpe diffluere luxuria.*" *retund.* reprimam. Virg. G. II, 301. „*retusum* ferrum." *ut quo se vert. nesc.* „Formula eorum, qui consilii inopes sunt." Ru.

74. *mitte*, permitte. *ger. mihi mor.* Cf. Andr. IV, 1, 17.

76. 77. *Hic*, Clitipho. *dictis.* „Quia liberi verbis objurgandi sunt; servi vero verberib. puniendi." Calph. *confutare*, impetum alicujus reprimere. A. Gell. VII, 3. *Sed Syr.* Cf. v. 46. *quid eum* sc. punies. *exorn. dabo.* *Exornare* aliquem ponunt per antiphrasin pro, foedare verberibus. Sic Plaut. Rud. III, 4, 25. te „*ornatum* amittam."

78. *depex.*, h. e. flagris caesum, comice.

79. *deridicul.*, pro valde ridicul. Liv. 39, 26. ubi Duker.

80. *viduae mulieri.* „Scilicet sequior sexus contumeliis magis expositus." We.

## ACTUS V. SCENA 2.

### CLITIPHO. MENEDEMUS. CHREMES. SYRUS.

*Cl.* Itane tandem, quaeso, est, Menedeme, ut pater
Tam in brevi spatio omnem de me ejecerit animum patris?
Quodnam ob facinus? quid ego tantum sceleris admisi miser?
Vulgo [a]) faciunt. *M.* scio tibi esse hoc gravius multo ac durius,
Cui fit; verum ego haud minus aegre patior, id qui [b]) nescio;
Nec rationem capio, nisi quod tibi bene ex animo volo.
*Cl.* Hic patrem adstare aibas? *M.* eccum. *Ch.* quid me incusas, Clitipho?

a) L. antiq. *id.* b) Be. ex un. C. *idque.*

„Restat ad tranquillitatem rerum omnium, ut Clitipho verbis patris perterritus, in viam redeat, et uxorem ducat." Calph.

1. *Itane.* „Sic incipit, ut qui se a patre abdicatum putet." Calph. *Itane tandem.* Omnino locutiones, *itane tandem*, itane vero, ain tand., inserviunt admirationi alicujus rei, et nonnunq. indignationi.

2. *ejec. animum* sc. paternum. Cic. Fam. 14, 7. „molestias *ejici.*"

3. *facinus,* vocab. medium; cf. sup. II, 3, 37.

4. *Vulgo fac.* sc. adolescentes. Ad purgation. peccati sumit argumentum ab exemplo aliorum. Ad. IV, 5, 54.

5. *Cui fit.* „Quoniam id te propius tangit etc." Calph. *ego haud minus.* Sic Hec. IV, 2, 30. *id qui.* Bi. explic. „cur, quamobrem faciat."

6. *tibi bene volo.* Plaut. Trin. II, 4, 37. „*bene vult tibi.*"

7. *quid me incus.* „Bene *incusas*: quia filio major est pater." Calph.

Quicquid ego huius [c]) feci [d]), tibi prospexi et stultitiae tuae.
Ubi te vidi animo esse omisso, et suavia in praesentia
Quae essent, prima habere, neque consulere in longitudinem;
Cepi rationem, ut neque egeres, neque ut haec posses perdere.
Ubi, cui decuit primo, tibi non licuit per te mihi dare,
Abii ad proxumos tibi qui erant, eis commisi et credidi [e]).
Ibi tuae stultitiae semper erit praesidium, Clitipho:
Victus, vestitus, quo in tectum te receptes. *Cl.* hei mihi!
*Ch.* Satius, quam te ipso herede haec possidere Bacchidem.
*Sy.* (*secum*) Disperii! scelestus quantas turbas concivi insciens!
*Cl.* Emori cupio. *Ch.* prius quaeso disce, quid sit vivere.
Ubi scies; si displicebit vita, tum istoc utitor.
*Sy.* Here, licetne? *Ch.* loquere. *Sy.* at tuto. *Ch.* loquere. *Sy.* quae istaec [f]) pravitas,

c) V. I. *rei.* d) Id. in C. G. m. *dando bona mea Cliniae et Antiphilae pro dote.* e) Id. *bona mea.* f) Lindenbr. *istast.* C. G. m. *est ista.*

8. *Quicq. ego etc.* Eun. I, 2, 122, ubi not. „Gravis est inceptio orationis, quae exordium sumit a pronomine.“ Calph.

9. *animo esse omisso,* h. e. negligenti. Ad. V, 3, 45. Andr. I, 1, 25. Nam *liberius vivere* fere id. est quod *omisso esse animo,* i. e. rem familiar. negligere. *prima,* ad laudem, non ad ordinem. Eun. I, 1, 5. *suavia,* delectabilia.

10. *consul. in longitud.,* h. e. prospicere in longum temp. Cic. Fam. II, 8. ab homine *longe* in posterum prospiciente.

11. *Cepi rationem,* inveni modum. Est enim *ratio* accepti atque expensi computata. v. Calv. Lexic. *haec* sc. mea bona.

12. *Ubi,* quum. *per te.* Signif. morib. tuis obsistentibus.

13. *ad prox.* sc. heredes. „Respicit jus Atticum et Romanum, ubi furiosi et prodigi dabantur in tutelam proxime cognatis.“ We. Nam Chremes leviro Clitiphonis bona sua tradere velle videtur; quod quidem dixit sup. 1, 69.

14. *Ibi tuae etc.* „Circa vict. atq. vestitum: et tectum habeas quo te recipias.“ Eu. His enim comprehendit, quid sit illi *praesidium.*

18. *Emori cupio.* Ph. V, 7, 63. Sic solent quos vitae taedet, male re gesta. *prius disce.* Hunc loc. citat Lactantius, III, 18. *vivere.* „Cum ratione et virtute intelligas.“ Calph.

19. *Ubi scies,* sc. *quid viv. sit.* v. 18. *vita* sc. vera; cf. supra I, 1, 102. *istoc.* Superiori sc. dicto, *Emori cupio.*

20. *Here, licetne?* Similiter Andr. V, 3, 22. *quae ist. prav.*

Quaeve amentia est, quod peccavi ego, id obesse huic? *Ch.* ilicet.
Ne te admisce. nemo accusat, Syre, te; nec tu aram tibi,
Nec precatorem pararis [g])! *Sy.* quid agis? *Ch.* nil succenseo,
Nec tibi, nec tibi [h]); nec vos est aequum, quod facio, mihi.
*Sy.* Abiit? ah [i]), rogasse vellem. *Cl.* quid? *Sy.* unde mi peterem cibum.
Ita nos abalienavit. tibi jam esse ad sororem intelligo.
*Cl.* Adeon' rem rediisse, ut periclum etiam a [l]) fame mihi sit, Syre.
*Sy.* Modo liceat vivere, est spes. *Cl.* quae [m])? *Sy.* nos esurituros satis.
*Cl.* Irrides in re tanta? neque me quicquam consilio adjuvas?
*Sy.* Immo et ibi nunc sum, et usque id egi dudum, dum loquitur pater;

g) Al. *paraveris.* h) Libb. Be. *Nec tibi nec huic.* Sed Erasm. ded. et Fa. *Nec tibi nec tibi.* Hic autem Be. not.: „Videtur tamen verum: nempe vultu et nutu haec aguntur; primo Syrum, dein filium intuetur." i) Var. *hei. vah.* l) Abest *a* in quibusd. m) Ms. Bodl. *quid?*

„Derivatio criminis in se est. Et bene optimi servi fungitur officio." Calph. *at tuto,* i. e. ne mihi fraudi sit, quod dixero liberius.

22. 23. *aram, precatorem.* Par. in marg.: „Servi duo perfugia habebant, *aram* in templis, et *deprecatores* apud dominos." Plaut. Rud. III, 3, 30, „*precator* et patronus."

24. *mihi* sc. succensere. Chremes igitur inde avertitur, quod facere utriq. illorum cogitaverat; cf. 1, 76. seq.

26. *nos abalienav.*, alienos nos reddidit. Infra 4, 6. Est enim *alienus*, qui non pertinet ad familiam. *tibi ad soror.* „Sensus: Tibi exheredato sororis coenam esse captandam intelligo." We. *ad sororem*; cf. Andr. IV, 3, 13.

27. *peric. a fame.* Itid. Hec. V, 1, 10.

28. *Modo lic. v. est spes.* Cic. ad Att. IX, 6. „De isto *licet* bene *speres.*" *nos esur. sat.* Vernili more Syrus jocosa miscet et seria. Id quod *παρὰ προσδοκίαν* vocant, cum aliter respondetur quam exspectatur.

29. *Irrid. in re tanta?* Sic Cic. Attic. XV, 5. „Rides in talib. rebus?"

30. *ibi nunc sum.* Hanc formulam accipe pro, in eo sum, id ago. Supra III, 1, 63. „Ead. ratione, esse in aliqua re quis dicitur, qui intentus est rei." We. *id egi.* Nempe ut adjutarem te consilio.

Et, quantum ego intelligere possum... *Cl.* quid? *Sy.* non aberit longius.
*Cl.* Quid id ergo? *Sy.* sic est, non esse horum te arbitror. *Cl.* quid [n]) istuc, Syre?
Satin' sanus es? *Sy.* ego dicam, quod mi in mentem est [o]); tu dijudica.
Dum istis fuisti solus, dum nulla alia delectatio,
Quae propior esset, te [p]) indulgebant, tibi dabant; nunc filia
Postquam est inventa vera [q]), inventa est causa, qua [r]) te expellerent.
*Cl.* Est verisimile. *Sy.* an tu ob peccatum hoc esse illum iratum putas?
*Cl.* Non arbitror. *Sy.* nunc aliud specta, matres omnes filiis
In peccato adjutrices, auxilio in paterna injuria
Solent esse; id non fit. *Cl.* verum dicis. quid nunc faciam, Syre?
*Sy.* Suspicionem istanc [s]) ex illis quaere; rem profer palam [t]).

n) Be. *qui* pro *quid.* Supra 1, 21. o) Al. *in mente.* p) Mss. quid. *tibi.* Eun. II, 1, 16. q) Be. *vero* pro *vera.* Probe. Nam movet ille merito quaestionem, cur *vera* filia, cum falsam nunquam sustulerint. r) Ms. Par. *qua re.* Quod non alienum a more Terentii. Andr. II, 3, 8, not. s) L. antiq. *istam.* t) Sup. add. Be. *aut*, invitis Codd.

31. *quid.* „Interrumpit Syri sermonem Clitipho." Calph. *aberit.* Ru. cum Eu. subaudit, consilium. Rectius tamen, ut opinor, Calph. subintelligend. putat „pater," qui scilicet non longe discesserit. Alii aliter. Da.: „Les choses n'iront pas bien loin."

32. *non esse hor. te* sc. filium. Oculis enim vel digito monstrat aedes Chremetis, dum *horum*, h. e. parentum, pronuntiat.

36. *vera.* „Cum emphasi expressum, et opposite ad Clitiphonem subditum scilicet." We. *inv. e. caus. q.* Andr. II, 3, 7.

37. *ob pecc. hoc.* „Intelligit scortationem cum Bacchide." We.

38. 39. *matres fil. In pec. adj.* Est ead. fere haec Menandri sententia: *Ἔστι δὲ μήτηρ φιλότεκνος μᾶλλον πατρός.*

40. *id non fit.* „Mater tibi non est adjutrix etc." Calph. *verum dicis.* Persuadetur ad credendum. Modo id. dixerat: *Est verisimile*; igitur gradatim movetur.

41. *Suspic. ist.* „Videlicet an sis eorum filius nec ne." *rem prof. pal.* Ad. III, 2, 41.

Si non est verum, ad misericordiam ambos adduces cito; aut [u])
Scibis, cuius sis. *Cl.* recte suades, faciam. *Sy.* sat recte hoc mihi
In mentem venit: namque adolescens quam in minima spe [x]) situs [y]) erit,
Tam [z]) facillime [a]) patris pacem in leges conficiet suas.
Etenim haud scio, anne [b]) uxorem ducat; ac Syro nil [c]) gratiae.
Quid hoc autem? senex exit foras; ego fugio. adhuc quod factum 'st,
Miror, non jussisse ilico abripi me. ad Menedemum hinc pergam [d]).
Eum mihi precatorem paro; seni nostro nil fidei habeo.

u) Hoc *aut*, quod vulgo in fine huius versus positum est, locatur ab Erasmo, We. ac Be. ab initio sequentis. x) L. antiq. *quam maxime in spe*, omisso *minima*. Fa. omitt. *in*. Qui simul y) *spe situs* explicat pro spe derelictus. Sed *in spe* situs vix latine. Inde Gu. conject. *citus*, h. e. motus. z) Bi. *Tanto* perperam. a) Be. *difficillume*, sed nil notat. b) Ita C. G. m. et Hal. In Bemb. abest partic. *ne*. c) Eu. ing. *sit*. d) Varie hic vers. legitur. Quem supra exhibui, ab Erasmo fere est. Par. ed. *Mir. continuo non jusse me adripi: ad Mened. hunc pergam.* C. G. m. *Mir. hoc non jussisse illico arripi me. hinc j. ad Men. perg.* Et sic alii aliter.

42. *ad misericord.* „Quia parentes veri filiis cito ignoscunt." Calph. *aut.* Supple, posito altero, eorum te non esse.

43. 44. *s. recte hoc etc.* Haec ad spectatores conversum dicere We. existimat. *recte*; cf. sup. I, 1, 107, not. *adolesc. quam etc.* Sensum capimus, utcunq. legatur, hoc modo: *quam* minimam adolescens habeat spem.

45. *Tam facill.* Partic. *tam* cum superlativo etiam Cic. Phil. XII, 5. „*Tam* gravissimis judiciis concisis." *pac. in leges*, h. e. secundum eas leges et conditiones, quas dare patri voluerit in ea pace ineunda." Calph.

46. *ux. duc.* Scilicet jussu patris. Andr. I, 5, 19. *nil grat.* Id est, „pro argento, a senib. erepto, et herili filio dato." We.

47. *Quid h. autem.* Est vox timentis. *quod fact. est.* Explica, propter id, *quod etc.*

48. *abripi*; cf. Andr. V, 2, 20, not.

# ACTUS V. SCENA 3.

## SOSTRATA. CHREMES.

*So.* Profecto, nisi caves, tu homo, aliquid gnato conficies mali:
Idque adeo miror, quomodo
Tam ineptum quicquam tibi in mentem venire, mi vir, potuerit.
*Ch.* Oh, pergin', mulier [a]) esse? ullamne [b]) unquam ego rem in vita mea
Volui, quin tu in ea re mi advorsatrix fueris, Sostrata?
At si rogitem jam, quid est, quod peccem, aut quamobrem id faciam, nescias.

a) L. antiq. *odiosa.* Ms. Mark. *molesta.* Quod utrumq. nec Be. Codd. hab. nec C. G. m. Sed *mulier* cum emphasi accipiendum; quamvis *odiosum esse*, *pergere* etiam Terentianum est; cf. Ph. V, 8, 44. C. G. m. gl. *amplius loqui.* b) Sic interrogando pleriq. At per affirmation. vulg. *ne* pro *nae.*

„In hac scena continetur imago quaed. dissidii inter virum et uxorem, qui natura morosi atque difficiles sunt.“ Calph.

1. *nisi cav.* s. prospicis. Est autem *caveo* verb. juridic. v. Ernest. ad Cic. *tu homo*; cf. Andr. IV, 4, 39. Cum stomacho dicit, et coercitura est uxor maritum, quod exheredationem filii velit errore.

2. *Id'q. adeo*, immo.

3. *mi vir.* Adjectum *mi* ostendit, animum mulieris ad lenitatem redire.

4. *Oh*, irascentis. *mulier*, quoad infirmitatem. Est autem, *mulier es*, convicium, et ab Erasmo positum inter proverbia. „Sic enim solent mariti uxorib. dicere, cum illae adversantur.“ Calph.

5. *advorsatrix fu.* Itid. Plaut. Most. I, 3, 100. „dudum *adversatrix* erat.“

6. *rogit.* sc. te. *quid est quod pecc.* „Notat mulierum imprudentiam, quae ut plurimum ignorant quae prava aut recta sunt.“ Calph.

In qua re nunc jam confidenter restas, stulta? *So.* ego nescio.
*Ch.* Immo scis potius, quam quidem redeat ad integrum haec [c]) eadem oratio.
*So.* Oh, iniquus es, qui me tacere de re tanta postules.
*Ch.* Non postulo; jam loquere, nihilo minus ego hoc faciam tamen.
*So.* Facies? *Ch.* verum [d]). *So.* non vides, quantum mali ex ea re excites?
Subditum se suspicatur. *Ch.* subditum ain tu? *So.* certe sic erit [e]).
*Ch.* confitere [f]). *So.* au, obsecro te, istuc nostris [g]) inimicis siet.
Egone confitear, meum non esse filium, qui sit meus?
*Ch.* Quid? metuis, ne non, cum velis, convincas esse illum tuum?
*So.* Quod filia est inventa? *Ch.* non; sed, quo [h]) magis credendum siet,

c) Exulat *haec*, Par. teste, a mss. Pall. d) V. I. *faciam.* e) Ita ed. Fa. Mu. al. ut est in l. Bemb. Pro *certe sic erit.* hab. Codd. Be. o. *certe inquam vir.* Itid. pleriq. al. f) Vulg. *tuum non esse.* Quae verba Fa. olim emisit. g) Non hab. *nostris* We. Par. al. h) Ms. Lindenbr. *quod.*

7. *rest.*, resistis, advorsatrix es. Ovid. Fast. II, 749. „Post modo victa cades: melioribus Ardea, *restas* Improba." *nescio.* „Sic lege, ut intelligas contrarium." Calph. Itid. We. ironice dict. existimat.

8. *Im. scis pot. quam etc.* Explic. Gu. „*Immo* te hoc scire concedo *potius quam* id. sermo a nob. habitus domi super hac re hic repetatur."

9. *de re tanta*; cf. supra 2, 29.

10. *hoc faciam.* Supra 1, 69.

12. *Subdit.*, suppositum; cf. Eun. Prol. 39. Scilicet *subdere* dicunt falsum in veri locum. Liv. 40, 9. „*subditum* et pellice genitum appellant." Add. prov. gr. ὑποβολιμαῖος εἶ, subdititius es. *ain.* Percontativum verb. *certe* pro certo. Fingitur scilicet Clitipho inde a Syro monente, supra 2, 41. seqq. ad matrem rem detulisse.

13. *Confitere.* Acerbe. Itid. Cic. p. Rosc. Am. §. 61. „*confitere* huc ea spe venisse, quod putares hic latrocinium, non judicium futurum." *ist. n. inimicis s.* Cf. Eun. IV, 3, 13, not. Et de hac abominandi formula v. Broukhus. ad Propert. III, 6.

15. *Quid?* Sic solet Cicero, vehementius instandi gratia, non semel. Igitur Bi. male copulant, *Quid metuis? conv.* „Verb. judicii est. In judiciis *convicti* proprie dicuntur, qui causa ceciderunt." Calph.

16. *Quod filia etc.* Satis obscure dictum, nisi hoc signifi-

Quod [i]) est consimilis moribus [l]),
Convinces facile, ex te esse natum [m]): nam tui similis est probe.
Nam illi nihil vitii est relictum, quin id itidem sit tibi [n]).
Tum praeterea talem, nisi tu, nulla pareret filium [o]).
Sed ipse egreditur, quam severus! rem, cum videas, censeas.

i) Par. ed. *Id quod.* l) Ms. Pal. *tuis.* m) Haec verba inde ab initio huius versus ex antecedentib. interpolata esse mihi cum Bothio videntur. Supra vid. v. 15. n) Hunc v. - Boeclerus insitium vocat vel glossam adjectam. o) Hunc vers. Gu. ut spurium excludit.

cetur, filium quoque credi posse meum, *quod filia est inventa.* Quo quidem ego a crimine sterilitatis defendar. *non*, h. e. minime ob hanc causam, quam tu profers. *sed quo*, h. e. *sed* ob id maxime *credendum* est, ex te natum esse illum, *Quod est consim. morib.* Quadrat proverb. ,,Ad semen nata respondent.“

19. *nihil vitii quin.* Haec ead. syntax. cf. supra v. 4. 5.

20. *talem*, per contemtum. Sic Andr. V, 2, 29.

21. *quam sever.* Bi. explic. ,,tristis vultu.“ *rem c. vid. cens.* Varie capiunt sensum. Be ita: ,,Cum hominem intus noveris, censeas severum esse.“ At Bi. interprett.: ,,Ipsum re vera censeas ex vultu.“ Equid. magis Farnabio assentior notanti sic: ,,Tristis et gravis, abdicatus sc. *re* perdita ad Censorum *severitatem* allusum. Qui scilicet non ex vultu, sed ex *re censent.*“

## ACTUS V. SCENA 4.

### CLITIPHO. SOSTRATA. CHREMES.

*Cl.* Si unquam ullum fuit tempus, mater, cum ego voluptati tibi

,,Adhuc filius matrem sollicitam reddit, dum petit, ut parentes commonstret: et ex hoc facilius pervenitur ad tranquillitatem omnium rerum.“ Calph.

1. *Si unq. ull. f. temp. m. cum etc.* Elegantissima circumscriptio est pro, *Si unq. tibi volupt. fuerim.* Itid. Cic. de Or. I, 1. et sic saepe Noster. *cum ego volupt. tibi Fuer.* Quoad phrasin et argumentum cf. supra I, 1, 19. et V, 2, 34.

Fuerim, dictus filius tuus tua voluntate, obsecro,
Ejus ut memineris, atque inopis nunc te miserescat mei;
Quod peto et [a]) volo, parentes meos ut commonstres mihi.
*So.* Obsecro, mi gnate! ne istuc in animum inducas tuum,
Alienum esse te [b]). *Cl.* sum. *So.* miseram me! hoccine quaesisti, obsecro?
Ita mihi atque huic sis superstes, ut ex me atque ex [c]) hoc natus es.
Et cave posthac, si me amas, unquam istuc verbum ex te audiam.
*Ch.* At ego, si me metuis, mores cave in te esse istos sentiam.
*Cl.* Quos? *Ch.* si scire vis, ego dicam: gerro [d]), iners, fraus, heluo [e]),
Ganeo, damnosus. crede, et nostrum te esse [f]) credito.

a) C. G. m. *aut* pro *et*, ubi antea abrasum esse aliquid videtur. b) V. I. *a nobis*. c) Par. omitt. *ex* invenuste. d) C. G m. *es*. e) L. Bemb. *helluo* per duo l. f) V. I. *in futuro si haec caves.*

2. *voluntate tua*; cf. Andr. IV, 1, 34. Ad. III, 5, 44. Qui *voluntate sua* utitur, contrarius est illi, qui agit aliqua necessitate coactus.

3. *Ej. ut mem. atque etc.* Variat eleganter pronomina, *Ejus*, *mei*, sicut verbi personas, *memineris*, *miserescat*, ut ipsa variata oratione non ab una parte commoveat animum matris. *inopis* seu consilii seu patriae hereditatis.

4. *parent. meos ut etc.* Quibus sc. restituar. Eun. I, 2, 67.

5. *Obs. mi gnate.* „Verba proprie matris desperatae.“ Calph.

6. *Alien.* *Alienus* opponit. propinquo. Cic. Lael. 5. Et Liv. 41, 8. „ne quis quem suum faceret, neve *alienaret*“ i. e. mancipio daret; ubi vid. Gronov. *sum*, emphatice, sc. alienus. Contra *nostrum* v. 11. *hoc. quaes.* „Laudat Boeclerus Gallum, qui vertit: „N'as tu point honte d'avoir fait telle demande?“ We.

7. *Ita mihi etc.* Est enim *Ita ut* in jurejurando usitatum. Cic. Attic. V, 15. „*Ita* vivam *ut* maxim. sumtus facio.“

8. *si me amas.* „Haec verba blandientis matris sunt, et quae valde de filio sollicitata sit.“ Calph. His pulchre opponuntur, *si me metuis*, verba asperi patris.

9. *mores ist.* *Mores* filii a patre objurgantur, meretricis consuetudine usi.

10. *gerro*, proprie piscis nullius saporis; inde homo dicitur, qui nugas gerit. *iners*, „sine arte et industria vivendi.“ *fraus*, fraudulosus. Andr. III, 5, 1. *heluo* i. e. „immoderate bona sua consumens.“ Fest. Sic Cic. p. Sext. 11. „*heluo* patrimonii.“

11. *Ganeo*, tabernis operam dans et conviviis turpioribus. *damnosus*, qui damnum affert facultatibus suis.

*Cl.* Non sunt haec parentis dicta. *Ch.* non[g]), si ex capite sis meo
Natus, item ut ajunt, Minervam esse ex Jove, ea causa magis
Patiar, Clitipho, flagitiis tuis me infamem fieri.
*So.* Di istaec prohibeant! *Ch.* (*ad uxorem*) Deos nescio; ego quod potero[h]), sedulo.
(*ad filium*) Quaeris id quod habes, parentes[i]); quod abest[l]), non quaeris, patri
Quomodo obsequare, et serves quod labore invenerit.
Non mihi[m]) per fallacias adducere ante oculos pudet?
Dicere hac praesente verbum turpe? at te id nullo modo

g) We. per interrogat. *non?* male. Est enim *non patiar* jungendum. h) C. G. m. *enitar.* Non hab. l. Bemb. i) Pro *parentes* script. Bc. *parentis*, ut alibi; it. *mensis*, *omnis*, et huiusmodi alia pro *menses*, *omnes*. Eun. III, 1, 2. l) Ms. We. *a te.* m) Bc. repon. *Tén mi*, cum accentu more suo notatum. At ego pronom. *Te* reticuisse Nostrum putarem, propter *te* posterius v. 19. Praeterea curabimus, ut *mihi* sc. patri, et *hac* sc. matre opposita sibi invicem esse intelligamus. Itaque ego per duas interrogationes factas credo me his suum versibus lumen attulisse.

13. *Nat.* Vult dicere: Et si tu mihi propior esses, quam secundum humanam natur. filii solent esse parentibus, *ea causa* non paterer etc. *ut aj.* „Bene *ajunt*, de re fabulosa et ficta." Calph. Hunc locum respexit Horatius, A. P. v, 93. 94. quem vide. *Min. ess ex Jove:* Nota est fabula poetarum, *Minervam esse* ex cerebro Jovis *natam.*

14. *infam.* Dicitur infamis, qui male audit. Vellej. Pat. II, 45. „*infamis* stupro."

15. *Di ist. prohib.* Formula abominandi ac deprecandi. *Deos nescio.* Iratorum more haec. Sed plenior erit locutio sic: Quid Dii sint facturi *nescio*; ego quidem, *quod potero*, enitar, ne infamis fiam.

16. *quod abest.* Placuit dicere, *quod abest*, quia dixerat, *quod habes.* Oratio maxime numerosa. *patri Quom. etc.* Supra II, 3, 18.

17. *serv.* Cf. Ad. II, 2, 32. *quod lab. inv.* Cf. supra IV, 7, 13.

18. *Non mihi etc.* Supple atque ordina: Non pudet sc. te, *mihi per fallac. adduc. ante ocul.* meretricem. Eun. IV, 7, 24.

19. *Dicere* sc. me pudet. *verb. turpe.* Subaud. Calph. meretricem. Oportet autem, ut mihi videtur, verba *dicere* et *facere* urgeamus ad hunc sensum, *dicere* me pudet, *praesente* matre tua, *verb. turpe*, cum te in conspectu meo *facere* turpia *non puduit*; conf. supra III, 3, 3. Plus est enim *facere* quam *dicere*.

Facere puduit [n]). *Cl.* eheu! quam ego nunc totus displiceo mihi!
Quam pudet! neque quod principium inveniam [o]) ad placandum scio.

n) Aliq. Be. Codd. *Piguit facere.* o) C. G. m. *incipiam.* Itid. Par. In C. Hal. *incupiam.*

20. *tot. displic. mihi*; cf. Hec. IV, 1, 28. Et Cic. Attic. II, 21.
21. *quod princ. inv.* Cf. Andr. III, 1, 10.

---

# ACTUS V. SCENA 5.

## MENEDEMUS. CHREMES. CLITIPHO. SOSTRATA.

*M.* (*domo egressus*, *secum*) Enimvero Chremes nimis graviter cruciat adolescentulum,
Nimisque inhumane. exeo ergo, ut pacem conciliem. optume [a])
Ipsos video. *Ch.* ehem! Menedeme, cur non arcessi jubes
Filiam, et quod dotis dixi, firmas? *So.* mi vir, te obsecro,
Ne facias. *Cl.* pater, obsecro mihi ignoscas. *M.* da veniam, Chreme.

a) Al. *opportune.*

„Intervenit persona, cujus gratia pax concilietur: ita ut omnia tranquilla sint, et composita, prout comoediae finis postulat.“ Calph.

1. *Enimvero*, indignantis, ut Hec. IV, 4, 51. Intelligendum est, Menedemum extrema certe patris et filii verba post scenam audivisse.

2. *pacem*, concordiam. *opt. Ips. vid.* Cf. Andr. II, 1, 55. 56.

3. *cur non arcessi etc.* „Bene *arcessi*; quia proprie *arcessitur* uxor, dum ad virum ducitur.“ Calph.

4. *firmas.* Nondum Menedemus Chremeti *dotem* promittenti dixerat: *accipio*; id quod solenne fuit in sponsalibus. Andr. V, 4, 48.

5. *Ne facias*; cf. supra 3, 10. 11, *obsecro.* „Nil significan-

Sine te exorem [b]). *Ch.* egone mea bona ut dem Bacchidi dono [c]) sciens?
Non faciam. *M.* at [d]) nos non sinemus. *Cl.* si me vivum vis, pater,
Ignosce. *So.* age, Chremes mi. *M.* age quaeso, ne tam offirma te, Chreme.
*Ch.* Quid istic? video non licere [e]), ut coeperam, hoc pertendere [f]).
*M.* Facis, ut te decet. *Ch.* ea lege hoc adeo faciam, si id facit [g]),
Quod ego hunc aequum censeo. *Cl.* pater, omnia faciam, impera.
*Ch.* Uxorem ut ducas. *Cl.* pater! *Ch.* nihil audio [h]). *M* ad me recipio;
Faciet. *Ch.* nihil etiam audio ipsum. *Cl.* perii! *So.* an dubitas, Clitipho?

b) Sic l. antiq. In Bemb. *exorent*; postea deleto n remansit *exoret*. Andr. V, 3, 30. c) We. post *dono* distinxit per interrogat. incommode. d) Vulg. *id.* Omitt. vett. mss. e) V. I. *mihi.* f) Al. *perpendere* male. g) L. antiq. *si faciam.* In Be. libb. *si id faciat.* h) C. G. m. *audio etiam.*

tius. Nam orare est, placidos petere; *obsecrare* vero iratos rogare." Calph. *da veniam.* Eod. modo in Andr. V, 3, 30. seqq. Ibi enim Chremes est inter iratum patrem ac filium precantem conciliator, qui ambos, paene iisd. verbis, quibus hic Menedemus, in gratiam reducat.

6. *ut*, interrogantis pro, quomodo. *sciens.* „Quod pejus esset quam si nesciret." Calph.

7. *si me viv. vis.* „Hoc solo verbo poterat placare patrem. Nam pater filii vitam omnib. rebus anteponit." Calph. Ceterum haec formula videtur, quae fere ead. est supra, 1, 68.

8. *ne tam offirma te*; cf. Eun. II, 1, 11, not. *Ne tam* contumaciter huic rei obsistas.

9. *istic* pro isthic; uti *istaec* pro isthaec. Andr. II, 5, 9. „*istic* pro isto in loco aut ista in re." Tursell. *pertend.* Praepositio *per* terminum denotat, quo vel quem spectemus agendo. Est igit. *pertend.* i. q. eo usq. tendere. Sic it. verb. venire et pervenire.

11. *hunc aequ.* Supple, esse facere. *omnia fac. impera*; cf. Andr. V, 3, 26.

12. *Ux. ut duc.* sc. impero, volo. *nih. audio.* „Aversus et indignatus Chremes haec dixit." Calph. *ad me recip.*, „h. e. polliceor, me praestiturum, ut ille id faciat." We. Haec sonarent theotisce: ich nehme das auf mich.

13. *nih. et. aud. ips.* De sensu verborum ambigunt interpretes. Placet prae ceteris Guyetus, qui simpliciter addendum opinatur, respondere.

*Ch.* Immo utrum volt? *M.* faciet omnia. *So.* haec dum incipias, gravia sunt,
Dumque ignores; ubi cognoris, facilia. *Cl.* faciam, pater.
*So.* Gnate mi [i]), ego pol tibi dabo illam [l]) lepidam [m]), quam tu facile ames,
Filiam Phanocratae nostri. *Cl.* rufamne illam virginem,
Caesiam, sparso ore, adunco naso? non possum, pater.
*Ch.* (*irridens*) Heia, ut elegans est! credas animum ibi esse. *So.* aliam dabo.
*Cl.* Immo [n]), quandoquidem ducenda est, egomet habeo propemodum

i) Id. *mihi*; ita tamen scriptum, ut posterior syllaba, *hi*, pallidiore atramento a seriore manu adjecta videatur. l) L. antiq. *puellam* pro *illam*. Par. p. var. *ellam*. m) V. I. *honestae formae*. n) Sic l. Bemb. In antiq. *Quid istic?*

14. *Immo utr. v.* Corrigit uxorem, quae quasi permittat arbitrio filii, quid ipse facere velit. *haec dum incip.* Haec Nostri verba allegat Lactantius, VI, 25.

16. *ego tibi illam.* „Hic alludit, ut joco tristitia solvatur, cum promittit filiam nescio cujus admod. foedam." Eu. *lepid.* Plaut. Curc. I, 3, 11. „*lepida* virgo."

17. *Phanocratae.* „Phanocrates senex, φανερὸν τὸ κράτος, manifestum seu illustre robur." Mu. *ruf.* „*Rufus* color et ruber idem est." Calph. Vide Martialem XII, 54. in eo genere ludentem sequentibus: „Crine *ruber*, niger ore, brevis pede, lumine laesus."

18. *Caes.* Gellius II, 26. „*Caesia* nostris, inquit, dicta est, quae a Graecis γλαυκῶπις dicitur." Addo Calphurnium, qui explicat: „Dantur *caesii* oculi Minervae." Quod ipsum tamen, ut equidem opinor, magis in laude esset, quam in vituperio. At hic significari debet contrarium. Atque Catullus certe *caesium* notat esse leonem. 45, 7. *sparso ore*, i. e. late diducto. *adunco naso.* Hunc in puero laudat Martialis Epigr. IV, 4, 9. „sit *naribus uncis*." Quamvis in feminis *aduncus nasus* notatur contumeliose.

19. *elegans.* Ad formam refertur, alias ad orationem et verba. Eun. III, 5, 18. Vertit Gu. in scoliis: „qu'il est délicat!" h. e. difficilis in eligendo. *credas.* In universum hoc *credas* accipi debet, nec ad Sostratam trahendum. *anim. ibi esse*; cf. supra 2, 30, not. Significat, *animum* ejus occupatum *esse* in eligenda uxore. Quae quidem blanda ironia est patris, non incerti, quae sit illa filio amata.

20. *Immo.* Ita nunc filius ad matrem, ut modo v. 14. ad hanc ipsam pater. *egom.* Vis inest pronomini *egomet*, ut sensus sit: ego habeo, quam volo; nec tu mihi dederis aliam.

Quam volo. *So.* nunc laudo [o]), gnate. *Cl.* Archonidi [p]) huius [q]) filiam.
*So.* Perplacet. *Cl.* pater, hoc unum [r]) restat. *Ch.* quid [s])? *Cl.* Syro ignoscas volo,
Quae mea causa fecit. *Ch.* fiat. vos valete et plaudite.

o) We. ed. *te*, nescio unde. p) Sic citat Priscian. In l. antiq. est *Archonidis.* In Ital. et Be. libb. *Arconidis.* q) Vox *huius* ex l. Bemb. r) Al. *nunc* pro *unum.* s) Ms. We. *ut.*

21. *Archon. hujus.* *Δεικτικῶς*, de vicino.

22. *restat.* Similiter in fine Andriae, nec non Ad. V, 8, 24.

23. *fiat*, concedentis. Sic Ad. V, 8, 22. Et in simili re Simo pater concedit Pamphilo de Davo precanti, Andr. V, 4, 5.

# A D E L P H I.

# ADELPHI TERENTII.

Acta Ludis Funebribus L. Aemilii Pauli, quos fecere Q. Fabius Maximus et P. Cornelius Africanus *). Egerunt L. Atilius Praenestinus et Minutius Prothimus. Modos fecit Flaccus Claudii, tibiis Serranis **). Facta e Graeca Menandru, L. Anicio, M. Cornelio Consulibus.

---

*) Mu. commemorat antiquitus legi, *P. Cornelio Africano Aedil. Cur.* Quae tamen nomina deleta sunt inde jam ab aetate Donati; siquidem nusquam constat, hos duos L. Aemilii Pauli nepotes simul aedilitatem curulem gessisse.

**) Al. *Sarranis.*

*Acta* sc. Comoedia Adelphi. *Acta Lud. Funebrib.* *Actas* enim comoedias diversis *ludis* manifestum est inscribi. Nam ludorum, uti monet Lindenbruchius, quatuor sunt species, quos Curules Aediles munere publico curant: „Megalenses Diis consecrati, quos Graeci μεγαλεσίους appellant; *Funebres* ad retinendum populum instituti, dum pompa funeri decreta in honorem patricii viri plene instituitur; Plebeji, qui pro salute plebis eduntur; Apollinares, Apollini consecrati." De quorum autem ludorum origine ego quidem Livium inprimis suadeo consulendum, lib. 25. 26. 29. passim. Nunc vero id notatum velim, iisd. Ludis Funebribus Hecyram quoque esse relatam, sed non placuisse. De qua re mentio fit in ejusd. Inscriptione.

*L. Aemil. Pauli.* Hic *L. Aemilius Paulus* Macedonicus ille dicitur esse, Africani minoris pater; v. Ernest. Clav. Cic. Quod vero *Q. Fab. Maxim.* et *P. Cornel. Africanum* attinet, Vellejus illum II, 10. *Pauli* nepotem appellat, eundemq. Plinius 33, 11. fratrem Africani. Igitur ambo Pauli nepotes fuissent, non filii ejus; uti refert Livius l. 44. c. 44. 45

*tibiis Serranis.* „Proprium genus est *Serranarum* tibiarum, quae inde appellantur, quoniam iis saltatores et proferre et referre pedem continuo juberentur, non secus atque sectores, qui serra adacta partiri ligna conantur. Siquidem Pompejus ait, serram id proelium dici, quo frequenter acies accedere et recedere soleret. Hae semper erant sinistrae tibiae, quae sonum acutum emittebant.“ We. Magis placet schol. Guelf. hoc: „*Sarra* piscis est, de cuius ossibus tales fiebant tibiae. Hae autem impares tibiae erant ad Demeae clamositatem et Micionis agendam mansuetudinem.“

*Facta e Graeca Menandru*, h. e. latine facta ex Graeca Fabula Menandri.

*L. Anicio, M. Cornel. Coss.*, h. e. anno u. c. 594.

## FABULAE INTERLOCUTORES.

*Micio*, senex, frater Demeae, pater adoptivus Aeschini.

*Demea*, senex, frater Micionis, pater Aeschini et Ctesiphonis.

*Sannio*, leno.

*Aeschinus*, adolescens, filius Demeae, sed adoptatus a patruo Micione.

*Syrus*, servus Aeschini.

*Ctesipho*, adolescens, filius Demeae, frater Aeschini.

*Sostrata*, mater Pamphilae.

*Geta*, servus Sostratae.

*Hegio*, senex, propinquus Pamphilae.

*Dromo*, servus.

## PERSONAE MUTAE.

*Babylo*.

*Parmeno*, servus.

*Storax*, servus.

*Tibicina*, amica Ctesiphonis.

# C. SULPITII APOLLINARIS PERIOCHA IN TERENTII ADELPHOS.

Duos cum haberet Demea adolescentulos,
Dat Micioni fratri adoptandum Aeschinum,
Sed Ctesiphonem retinet. hunc Citharistriae
Lepore captum, sub duro ac tristi patre,
Frater celabat Aeschinus; famam rei *)
Amorisque in se transferebat: denique
Fidicinam lenoni eripit **). vitiaverat
Idem Aeschinus civem Atticam pauperculam;
Fidemque dederat, hanc sibi uxorem fore.
Demea jurgare, graviter ferre. mox tamen,
Ut veritas patefacta est, ducit Aeschinus
Vitiatam, potitur Ctesipho Citharistriam ***).

---

*) Pro *rei* al. *quoque* al. *famamque.*

**) Al. *eripuit.*

***) Al. libb. add. *Exorato suo patre duro Demea.* Hic vero versus superfluit et summam rei describendam et numerum duodecim linearum Apollinari consuetum.

# PROLOGUS.

Pōstquām pŏētă [a] sēnsīt, scrīptūrām sŭăm
Ăb ĭnīquīs ōbsērvāri, ĕt ādvērsārĭōs [b]
Rapere in pejorem partem, quam acturi sumus;
Indicio de se ipse [c] erit. vos eritis judices,
Laudin' an vitio duci factum id [d] oporteat.
Synapothnescontes Diphili [e] comoedia 'st.
Eam Commorientes Plautus fecit fabulam.

a) V. I. *Terentius.* b) Sic metrum ex Prisciano notatum exhibemus. c) Barth. malebat *ipsa*, referend. ad *scripturam.* d) Sic colloc. l. Bemb. Al. *id fact.* e) C. G. m. sup. script. *sinapothnescontes diffili.* In marg. notata sunt haec: *In comoediis non narrantur res gestae, sed personae loquentes ipsam inter se fabulam agunt.*

1. *Postqu.* pro quoniam. *scriptur.* Cf. Andr. Prol. 1. Par. in marg. „fabulas suas."

2. *Ab iniquis*, *ab* inimicis. Plaut. Aul. Prol. 9. „fatis Junonis *iniquae.*" *adversarios*, sc. Lavinium aliosq. v. Andr. Prol. 7. *observari*, captari.

3. *Rap. in pej. part.* Cf. Cic. Fam. 10, 33. „pium meum consilium *raperent* in contrariam *partem* obtrectatores mei." *quam acturi sumus*; cf. infra v. 12. Refer ad *scripturam.* Ne offendamus in diverso numero verborum, *sensit*, *acturi sumus.* Nam alius est poeta qui *sensit*, alii sunt, qui *agunt* comoediam. Heaut. Prol. 5.

4. *Indic. de se ipse erit.* Not. Far. „Ipse erit sui index etc." Nep. Paus. 4. *vos er. judic.* Cf. Heaut. II, 3, 111.

5. *Laudine an vitio.* Similit. Andr. Prol. fin. *Spectandae an exigendae.* *fact. id* pro, id quod fecit.

6. *Synapothnesc.* Quale fuerit συναποθνησκόντων argumentum, non constat. *Diphili.* „Hic poeta κωμικώτατος και γνωμικώτατος fuisse dicitur tempore Menandri. Qui ita dictus videtur per crasin, pro *Διφιλος.*" We. Mentio ejus fit, ut Menandri ac Philemonis aequalis, Vellej. P. I, 17.

7. *Commorient.* Hanc Plauti esse negat Varro comoediam,

In Graeca adolescens est, qui lenoni eripit [f])
Meretricem in prima fabula; eum Plautus locum
Reliquit integrum; eum hic [g]) locum sumsit sibi
In Adelphos, verbum de verbo expressum extulit.
Eam nos acturi sumus novam. pernoscite,
Furtumne factum existumetis, an locum
Reprehensum, qui praeteritus negligentia 'st.
Nam quod isti dicunt malevoli, homines nobiles
Eum adjutare, assidueque una scribere,

f) Sic in mss. Fa. et Par. In al. *eripuit.* g) Ms. Lindenbr. *hinc.*

sed potior est fides Terentii. Inter eas quidem, quae supersunt, Plauti fabulas illa non est. Id vero est credendum, *Commorientes* fratres significari una die eademq. hora morte suppressos.

9. *in prima fab.*, i. e. in prima parte fabulae.

10. *Reliq. integr.* Cf. Heaut. Prol. 4. *hic*, Terentius. *sums. sibi*, i. e. „libere tulit, non furatus est." Do.

11. *Adelphos.* „Latine declinavit." Do. Sunt qui putant, hanc fabulam a φιλαδελφια Aeschini nomen traxisse. *Adelphi.* Adnot. We.: „Haec fabula palliata, ut ipsum indicat nomen, ex plurali numero, quum sit una; et masculino genere, quum sit comoedia; ex Graeca, quum sit Latina, censetur. Potuit eam Terentius *Fratres* dicere; sed et Graeci nominis εὐφονία perderet, et praeterea togata sc. a toga Romanorum denominata videretur; ad summam non statim intelligeretur Menandri esse; quod Terentius imprimis lectorem scire cupit etc." vid. Heaut. Prol. v. 5, not. His addo quae sunt ex Plauti fragmentis, a Majo doctissimo in cod. Ambrosiano nuper repertis; ubi in fronte hujus Fabulae leguntur: „Graeca Adelphoi Menandru." *verb. de verbo.* Itid. Hor. A. 133. „*verbum verbo* reddere." „Haec approbatio est, de Graeco esse sublatum, non de Plauto, ut dicit adversarius." Do.

12. *Eam*, Adelphos scilicet. Eun. Prol. 32. *novam.* „Veterem Graecam esse intelligimus." Do.

13. *Furtum me fact.*, h. e. „vitio duci." Do. *locum.* Ubi scilicet in Graeca comoedia *adolescens lenoni eripit meretricem*; quem locum Plautus, comoedia ipsa translata, non transtulit, Terentius autem transposuit in Latinum. Qui igitur nec ullum crimen meruisse videtur, si id transtulit, quod apud Graecos intactum manebat. „Insuper hanc, inquit Eu., consuetudinem fuisse poetis Latinis, ut crimen non esset, aliquid de Graeco transferre in Latinum."

14. *Reprehens.*, h. e. de integro tractatum. *negligentia*, Plauti scilicet

15. *malevoli*; cf. Andr. Prol. 6. *homin. nobiles.* „Scipionem Africanum significat et Laelium Sapientem, et Furium Publium." Do. Huc pertinet Cicero ad Attic. VII, 3. dicens: „Cujus (Terentii) Fabellae propt. elegantiam sermonis putabantur a C. Laelio scribi."

Quod illi maledictum vehemens esse [h]) existumant,
Eam laudem hic ducit maxumam, cum illis [i]) placet,
Qui vobis universis et populo placent;
Quorum opera in bello, in otio, in negotio,
Suo quisque tempore usu 'st sine superbia.
Dehinc ne exspectetis argumentum fabulae.
Senes qui primi venient, hi partem [l]) aperient;
In agendo partem [m]) ostendent. facile aequanimitas [n])
Poetae ad scribendum augeat industriam.

h) Omitt. *esse* Erasm. i) V. I. *nobilibus.* l) m) Be. mutat l) m) in *partim.* Sed omnes *partem* utrobique intelligi putant fabulae. Mss. plur. *eam partem.* n) Do. dictionem *vestra*, Be. integrum versum deesse putat, quem refictum interponit ita: *Bonitasque vestra adjutrix nostrae industriae.*

18. *Eam laud.* Dicere, id *laudem*, barbare esset; etsi *eam* spectat ad *quod* v. 17. Exemplum est de multis. Sallust. Catil. 20 „*Idem* velle atque idem nolle, *ea* demum firma amicitia est." *cum ill. placet.* Eod. modo Hor. Serm. I, 6, 62. Addit We.: „Usq. adeo principib. *placuisse* viris non ultima laus est."

19. *vob. univers.* Non idem est, quod, „populo." Recte Do. explicat, *vob. universis*, qui in cavea sunt, h. e. qui propius spectant actionem; vid. Cic. de Senect. 14.

20. *Quorum op. in bello, in otio etc.* „Haec singula singulis tribuit." Do. *in otio*, in pace. Sic Cic. Fam. II, 17. Illustres autem illi homines ostenduntur et belli et pacis artium periti, nec non in officiis praestandis expromti. Posset etiam accipi *negotium* de gubernanda republica, *otium* contra; cf. Cic. Offic. III, 1, 2; ibiq. §. 4.

21. *Suo quisq. temp. etc*, utcunq. cui opus erat opera illorum. *sine superbia* sc. ipsorum nobilium, qui et inferiorum causas sine fastu agebant.

22. *Dehinc.* Transeundi particula. Eun. Prol. 14. *ne exsp. arg. fab.* Itid. Plaut. Trin. Prol. 16. unde sumsit hos duos versus Terentius. *argument. fab.* „In quo enarrando alias Prologus versabatur." Bi. Plauti certe comoediis solent argumenta praemitti.

23. *Senes.* Si *senes* hujus fabulae, Micio et Demea, denotentur, videmus eos in prima et secunda scena *primos venire.* Proinde iidem *partem aperiunt*, priorem fabulae, h. e. rem quasi praelibatam exponunt; *partem* alteram *in agendo ostendunt*, ita ut ante oculos actam rem videamus. Hanc viam simplicem explicandi, duce ipso Poeta, sequi libuit. Sed si quis aliter velit, is commenta adeat doctissimorum.

24. *facile aequanim.*, h. e. aequos animos ut habeatis." Eu.

25. *Poetae ad scrib. etc.* Junge, *Poetae industriam.* Andr. Prol. 1. Et Ovid. Pont. II, 4, 35. „Excitat auditor studium."

## ACTUS I. SCENA 1.

### MICIO [a]).

(*Micio vocat servis suis, sed nullus advenit. Interea loquitur haec secum.*)

Storax! — [b]) non rediit hac nocte a coena Aeschinus,
Neque servulorum quisquam, qui advorsum ierant [c]).
Profecto hoc vere dicunt [d]): si absis uspiam,
Aut ubi [e]) si cesses, evenire ea [f]) satius est,

a) Var. scriptura *Mitio* et *Micio*, ut ex priori mitis cognoscatur, ex altero *μικίων*. Probat posterius Mu. secundum Athen. Deipnosoph. VI. b) V. I. *servus Micionis.* c) Miror signum poni a nonnullis interrogandi, cum nulla Storacis sequitur responsio. d) C. G. m. sup. script. *vulgo.* e) Do. leg. *ibi.* f) Edit. anonym. *tibi.* Quae glossa esse videtur.

,,Videtur hic quanta cura sit de filio cogitare, ac primo conquisitio est, et interrogatio praecedens.“ Eu.

1. *Storax,* ,,vel Styrax, servus olidus, per antiphras., cum styracis odor sit longe optimus.“ Mu. Sed de nominibus comicis Do. haec monet: ,,Nomina personarum in comoediis duntaxat habere debent rationem et etymologiam. Etenim absurdum est, Comicum aperte argumenta confingere vel officium, quod sit a nomine diversum.“ *non red.* De hoc versu et altero incerti sunt interprett. an per interrogation. efferendi sint nec ne; deinde, *Storax* praesens habeatur, an absens. Inde mihi, si adsit servus, sequi videtur, ut versu posteriori ad verba, *Neq. servulor. etc.* responsio aliqua audiatur *Storacis*, quae vero nulla est. Sumamus igitur, quod verisimile est, abiisse *Storacem* quoque cum ceteris. Hoc id. sentit Be. dicendo: ,,Nemo domi manebat cum sene praeter ancillas.“ Ceterum scholion transcribo e Cod. Guelf. hoc: ,,More suo de verbb. senum incipit (Poeta), ubi mores eorum lucide depinguntur; nam et Micionis nimia facilitas et Demeae pingitur austeritas.“

2. *advers. ierant,* obviam *ierant.* Sic dicitur de servis, qui veniunt, ut dominos statuto tempore et loco domum ducant; unde ipsi *adversitores* appellantur.

3. *dicunt*; cf. Heaut IV, 5, 48, not. *uspiam*, h. e. aut in loco, aut ad locum. Virg. A. III, 430. ,,si abis *uspiam.*“

Quae in te uxor dicit, et quae in animo cogitat
Irata, quam illa quae parentes propitii [g]).
Uxor, si cesses, aut te amare cogitat,
Aut tete [h]) amari, aut potare, atque animo obsequi,
Et tibi bene esse soli, sibi cum sit male [i]).
Ego, quia non rediit filius, quae cogito!
Et quibus nunc sollicitor rebus! ne aut ille alserit,
Aut uspiam ceciderit, aut praefregerit [l])
Aliquid [m]). vah! quemquamne hominem in animum instituere, aut
Parare, quod sit carius, quam ipse est sibi?
Atqui [n]) ex me hic non natus est, sed ex fratre. is adeo
Dissimilis [o]) studio est, jam inde ab adolescentia [p]).
Ego hanc clementem vitam urbanam, atque [q]) otium
Secutus sum, et quod fortunatum isti putant,

g) I. C. *declarant.* Subdititium videtur. h) Al. *te.* i) V. I. *dum te non videt.* l) Sic Fa. at Erasm. *perfreg.* m) V. I. *membrorum.* n) L. Bemb. *Atque.* o) Sic veterr. C. Be. In al. mss. et edd. *Dissimili.* Gu. hunc vers., ut saepe alios, delevit immerito. p) I. colloc. *jam ab adolesc.* Cacophonia. q) C. G. m. sup. script. exhib. *urbanum.*

5. *uxor* sc. irata. *in animo cog.* Sic Cic. de leg. agr. II, 24.
6. *parent. propit.,* h. e. amantes liberorum.
8. *tete amari* sc. ab aliena. Phaed. II, 2, 1. *ament, amentur. animo obsequi.* Sic *amori obsequi,* Hec. III, 5, 9.
10. 11. *quae cog. Et quibus etc.* Huc refer. Cic. ad Q. fr. III, 3. *alserit,* „mortuus sit, quia morientes frigent." Eu.
12. *Aut usp. cecid.* Sic Plaut. Mil. III. 1, 24. seqq. „Pol, si habuissem liberos, Censerem emori: cecidissetne ebrius, aut de equo *uspiam.* Metuerem ne ibi *defregisset* crura."
13. *quemq. hom. instit.* Similis constructio cf. Andr. I, 5, 10, ubi nota. Da. gallice supplet, „est il possible qu' —" *in anim. instit.* Similit. Plaut. Most. I, 2, 1. „in pectus *institui,*" animo concepi, in animum induxi.
14. *Parare.* Doctissime ostendit We. *Parare* esse pro emere: cum in adoptione, de qua hic sermo, genus quoddam emtionis intercederet. Eun. III, 2, 35.
15. *Atqui.* Haec particula objectioni inservit. *ex me* non natus est, „non meus est. Quasi dicat, ex me non est, et sic afficior; quid paterer, si genuissem." Do. *is,* Demea frater. *adeo.* „Aut abundat, aut, nimium, significat." Do.
17. *clement. vit.* Per figur. dicit *clement. vit.,* h. e. quae vita facit clementes. Cui opponitur durior vita rustica fratris; infra V, 4, 10. *otium Secut. sum*; cf. Nep. Pelop. 2. et Phaedr. V, 1, 7. ubi v. Schwabe.
18. *fortunat.* sc. uxorem non habere. *isti put.* Romani scilicet, quos spectatores habet. Dicunt enim coelibem quasi coe-

Uxorem [r]) nunquam habui. ille contra [s]) haec omnia,
Ruri agere vitam; semper parce ac duriter
Se habere. uxorem duxit: nati filii
Duo; inde ego hunc majorem adoptavi mihi,
Eduxi a parvulo; habui, amavi pro meo.
In eo me oblecto; solum id est carum mihi.
Ille ut item contra me habeat, facio sedulo:
Do, praetermitto; non necesse habeo omnia
Pro meo jure agere. postremo alii clanculum
Patres quae faciunt, quae fert adolescentia,
Ea ne me celet, consuefeci filium.
Nam qui mentiri aut fallere insuerit [t]) patrem,

r) Distingu. al. post *Uxorem* perperam; nec minus commode quidam s) post *contra.* t) C. G. m. *insueverit.* Al. *insuevit.* Be. vero diversis tempp. *insuerit*, *audebit* merito offensus, mihi tamen mutationem suam, *ita ut fit*, quod quasi in universum diceretur, non probavit. Idcirco equidem pro, *insuerit*, legere ausim, *ut suerit*, sensu ac metro servato. Itid. fere Cic. Fam. XV, 8. „Quod *suesti* peto etc." Ut sensus autem arriperetur facilius, verba collocanda ita cense-

litem. Atque conf. Nep. Epamin. 5. ubi huic objicitur, quod liberos non baberet. Ni magis placet *isti* pro qui habent uxorem.

19. *ille contra etc.* „Ex iis fratribus, qui in *Adelphis* sunt, quanta in altero duritas, in altero comitas." Far.

20. *durit. Se hab.* „Elegans haec locutio. Inde exhibere ἀντὶ τοῦ alere. Lindenbr.

22. „In hoc et septem sequentib. dilectionis vis exprimitur ἐμπαθῶς." We. *adoptavi mihi*, elegi, adscivi. Plaut. Men. Prol. 60. De jure autem adoptandi ac ritu v. Cic. p. domo 13.

23. *habui*, tractavi.

24. *sol. id est etc.* „Scilicet adoptasse mihi hunc majorem, eduxisse." We.

25. *contra*, vicissim. *habeat*, tractet. *facio sedulo*; cf. Andr. III, 4, 18. diligenter curabo.

26. *Do*, nempe sumtum. *praeterm.* delicta. Hic aperit Micio, quod in *agendo ostendet.* Prol. 23.

27. *Pro meo jure ag.* Pro suo *jure agere* dicitur, qui ex jure et consuetudine agit, nemine impediente. Petron. 78. Igitur Do. sensum constituit hunc: „Etsi licet, non necesse est, patrem servire, quia pater est." Nota C. Guelf. 2.: „Non est necesse mihi increpare illum secundum meam voluntatem, quum quaecunq. volo facit ipse." *alii*, filii adolescentes. *clancul. Patr.* h. e. nesciis patrib. Nam *clanculum* ut clam vim habet praepositionis; etsi Perizonius ad Sanct. Min. multa contra disputat.

28. *quae fert adolesc.* Itid. Cic. p. Cluent. 60. „ut aetas illa *fert.*"

30. *mentiri.* Servorum est *mentiri*, non liberorum.

Aut [n]) audebit, tanto magis audebit ceteros.
Pudore et liberalitate liberos
Retinere satius esse credo, quam metu.
Haec fratri mecum non conveniunt, neque placent.
Venit ad me saepe, clamans: „quid agis, Micio?
Cur perdis adolescentem nobis? cur amat?
Cur potat? cur tu his rebus sumtum [x]) suggeris?
Vestitu [y]) nimio indulges; nimium ineptus es."
Nimium ipse est durus praeter aequumque et bonum:
Et errat longe, mea quidem sententia,
Qui imperium credat gravius esse aut stabilius,
Vi quod fit, quam illud, quod amicitia adjungitur.

rem: *Nam qui aut ment. aut fallere, ut suerit, patrem Audebit, tanto m. aud. cet.* u) Partic. *Aut* al. huic vers. praeponunt, al. annectunt priori. Heaut. V, 2, 42. x) Mss. We. *sumtus*. y) Boecler. ex uno C. *vestitui.*

31. *ceteros.* „Quia jam deceperat patrem." Do.

32. *Pudore et liberalit.* Huic simile adfert Lindenbr. ex Menandro: *Οὐ δεῖ λειπόντα τὸ παιδάριον ὀρθοῦν, Ἀλλὰ πειθοῦντα τι. Pudore.* Quo sc. animi flectantur juvenum. *liberalit.* „h. e. lenitate, mansuetudine, quae libere natis et ingenuis convenit." We. *liberos.* Pulchro hoc ipso nomine appellantur, qui ab ipsis *liberis* procreati sunt.

33. *Retin.* „Bene *Retinere*, a vitiis scilicet. Do.

34. *Haec.* Ea scilicet, quae huc usque probata sibi laudavit. *non conv.*, h. e. non congruunt. Andr. IV, 2, 13. „In his ego et frater dissentimus." Do.

35. *Ven. ad me etc.* Andr. I, 1, 117. Importunitatem hominis ostendit. *quid agis?* Formula reprehendendi. Hos quinque ab hinc versus Cicero de Juv. I, 19. laudat, in quorum genere narrationis multam inesse festivitatem.

36. *perdis. Perdere* dicunt modo hominem modo rem; ut Heaut. IV, 6, 10. III, 1, 56. *nobis*, „emphatice, quod uterq. et Demea et Micio pater esset Aeschini." We. Infra 2, 2. *amat.* Ponitur *amare* pro occupatum esse in meretricio amore. Hoc refer ad superius *praetermitto*, v. 26.

37. *potat.* Cic. Phil. II, 27. „totos dies *potabatur*."

38. *Vestitu.* Est dativ. antiquior pro *vestitui.* vid. Voss. Anal. II, 18. *nim. inept. es.* „Utrumq. dure, *nimium* et *ineptus.*" Do. Prosopopeiam hanc laudat Cicero, de Juv. I, 19.

39. *praet. aeq. et bon.* Haec formula ICtorum est, qua *aequum et bonum* pro summo jure stricto accipiunt; v. Duker. ad Flor. I, 22. Sensus: Supra modum *juris* et aequitatis. Agit de hoc loco Cic. de Senect. 18. Nota particulas, *que et*, in confinio esse eleganter. Eun. V, 2, 37.

41. *grav. aut stabil.* Refertur *gravius* ad vim, *stabil.* ad tempus.

42. *Vi quod fit.* „Id est metu ac malo." Do. Supra 33.

Mea sic est ratio, et sic animum induco meum:
Malo coactus qui suum officium facit,
Dum id rescitum iri credit, tantisper cavet;
Si sperat fore clam, rursum ad ingenium redit.
Ille, quem beneficio adjungas, ex animo facit;
Studet par referre; praesens absensque idem erit.
Hoc patrium [z]) est, potius consuefacere filium,
Sua sponte recte [a]) facere, quam alieno metu.
Hoc pater ac dominus interest. hoc qui nequit [b]),
Fateatur [c]) nescire imperare liberis.
Sed estne hic ipsus, de quo agebam [d])? et certe is est.
Nescio quid tristem video. credo jam, ut solet,
Jurgabit. salvum te advenire [e]), Demea,
Gaudemus.

z) Mss. We. *patrum.* a) C. G. m. *recta* minus latine. b) Maleb. Gu. *nescit* probe. c) Mss. We. *se.* d) Al. *ajebam.* e) Edit. 1469, *salvo te adveniente.* Ab his verbis, *M. Salv. te etc.* Bi. incipiunt scenam 2, non inepte.

43. *Mea sic est ratio.* Haec ad superiora pertinere Do. arbitratur confirmanda. Idem verba sequentia, *et sic anim. ind. m.* inferiorib. adsignat, quae dicturus sit Micio. *ratio* sc. agendi seu consuetudo vel institutum.

44. *Malo coact.* Cf. Eun. V, 5, 27. Huc Cicero respexit dicens in Verr. V. „Tu nisi *malo coactus* recte facere nescis."

45. *Dum-tantisp.* Etiam junguntur hae particulae, sed inverso ordine, Heaut. I, 1, 54. 55. *tantisp.* per tantumper. *cavet,* peccare.

46. *fore clam* sc. quod facit. *ad ingen. red.* Hec. I, 2, 38. Et Cic. in Caecil. 17. „*redit* ad se atque ad mores suos." Itid. Juvenal. Sat. V, 247. „ad mores natura recurrit Damnatos."

48. *praes. abs. id. er.* Contra illud, *Si sperat fore clam,* v. 46.

49. *patrium.* Par. in marg. „boni patris officium." *consuefac.,* uti supra v. 29. Non cogere sed *consuefacere* decet.

50. *alieno metu,* h. e. metu alius hominis.

51. *Hoc.* Ablativus est pro, in hoc. vid. Bauer ad Perizon. in Sanct. Min. III, 5. Id sane vult dicere, patrum esse, consuefacere filios lenitate, contra dominorum, metum incutere servis.

53. *Sed istuc hic ips.* Transitus solemnis. Eun. III, 4, 7. Heaut. I, 1, fin.

54. *Nesc. quid trist. vid.* Similiter Eun. II, 2, 36. *Nesc. quid.* „Deest propter, ut sit, *Nesc.* propter *quid.*" Do. *ut solet.* „Causa cur illum aequo animo ferat frater; *ut solet,* inquit." Do. Eun. V, 4, 35.

55. *salv. te adv. Gaudem.* Cf. Eun. V, 5, 6. „Ut asperior ostendatur, etiam salutatur ab eo, quem objurgaturus est." Do.

# ACTUS I. SCENA 2.

## DEMEA. MICIO.

*De.* Ehem! opportune: te ipsum quaerito.
*M.* Quid tristis es? *De.* rogas me, ubi nobis Aeschinus
Siet, quid tristis ego sim? *M.* (*ad spectatores*) dixin' hoc fore?
(*ad Dem.*) Quid [a]) fecit? *De.* quid ille fecerit? quem neque pudet
Quicquam, nec metuit quemquam, nec legem putat
Tenere se ullam. nam illa, quae antehac facta sunt,
Omitto; modo quid designavit? *M.* quidnam id est?

a) Compl. mss. *is*, quod Fa. ex auctorit. Bemb. delevit.

„In hoc actu diversi homines, diversi patres, et diversa studia proponuntur. Hic lenis, hic avarus; hic facetus, hic impolitus; hic facilis, hic pertinax et difficilis.“ Do.

*Demea.* Derivat hoc nomen Mu. ἀπὸ τοῦ δήμου, h. e. antiquus homo moribus.

2. 3. *ubi nob. Aeschin. Siet,* h. e. cum Aeschinus nobis sit filius tam dissolutus. *ubi*, „cum, quoniam.“ Eu. *dix. h. fore.* „Credo jam, ut solet, objurgabit.“ Do.

4. *Quid fec.* pro, *quid* peccavit? Andr. V, 2, 21. *quem neq. pud.* Contra illud, *Erubuit: salva etc.* infra IV, 5, 9.

5. *Quicq.* Hoc Scheller. pro nominativo habet, ex Plaut. Mil. III, 1, 30. „si quidem te *quidquam pudet.*“ Infra IV, 7, 36. *nec met.* pro, qui *nec metuit.* „Varie per casus discurrit.“ Do.

6. *Tenere se ullam.* Frustra Do. ambiguitatem hic quaerit. Patet enim, Ru. monente, hoc dici pro: neq. *putat se* ulla lege teneri. Add. Cic. Phil. XI, 5. „quamq. *leges eum non* tenent.“ Totus autem locus ex Menandro est: "Ος δ'οὔτ' ἐρυθριᾶν οἶδ', οὐδὲ δεδοικέναι, Τὰ πρῶτα πάσης τῆς ἀναιδείας ἔχει; h. e.: Qui neq. erubescere novit, neq. timere, Primas omnis impudentiae tenet.“

7. *modo*, nuper. *designav.* Hoc. verb. ap. vett. duas res significabat: etenim et prave et recte facta *designata* dicebantur.“

*De.* Fores effregit, atque in aedes irruit
Alienas; ipsum dominum atque omnem familiam
Mulcavit [b]) usque ad mortem; eripuit mulierem,
Quam amabat. clamant omnes, indignissime
Factum esse. hoc advenienti quot mihi, Micio,
Dixere! in ore 'st omni populo. denique
Si conferendum exemplum est, non fratrem videt
Rei operam dare, ruri esse parcum ac sobrium?
Nullum huius factum simile! haec cum illi, Micio,
Dico, tibi dico. tu illum corrumpi sinis.
*M.* (*aversus a Demea*) Homine imperito nunquam quicquam injustiu 'st,
Qui, nisi quod ipse fecit, nil rectum putat.
*De.* Quorsum istuc? *M.* quia tu, Demea, haec male judicas.

b) Sic libb. o. antiq. In C. G. m. et Hal. *multav.* Sed P. Victorius censet, ubi *multare* aut *multare* in hac significatione legatur, tunc legendum esse *mulcare*. vid. Taubm. ad Plaut. Most. IV, 2, 23.

8. *Fores effreg.* Itid. Plaut. Asin. II, 3, 4. „*frangit fores.*"

9. *Alienas.* „Bene; quia si lenonis diceret, parva res videretur." Do. *dominum*, h. l. lenonem. Ex consilio reticet nomen personae infamis. *familiam*; cf. Heaut. IV, 5, 3.

10. *Mulcav. usq. ad m.* Exaggerat Demea, et *omnem famil.* et *usq. ad mort.* dicendo.

12. *hoc.* Adverbium Rivio, quod id. pronom. Guyeto esse videtur. Sed We. testatur, in Ms. Lips. et Edit. anni 1469 legi ac jungi, *Fact. esse hoc.* Nec tamen id placet.

13. *in ore est omni pop.* Cic. Lael. 1. „qui sermo *omnibus erat in ore.*"

14. *Si conferend. exempl. est.* Sic it. Plaut. I, 2, 85. „Sed ubi *exempla conferentur* meretricum aliarum." *non fratr. videt etc.* „Satis comice hoc infertur; nam magis in culpa est, quem laudat." Do.

15. *Rei op. dare.* Par. suppl. „familiari augendae." Heaut. V, 1, 67. Et Cic. p. Rosc. A. 15. „Patres fam. optatissimum sibi putant esse, filios suos *rei familiari* maxime servire, et in praediis *operae* plurimum studiiq. consumere."

16. *Null. h. f. simile.* Hoc cum admiratione. Do.

17. *tibi* pro, in te. Sic Phaed. IV, 19, 18. „*Tibi* dico, avare, gaudium heredis tui." *illum*, Aeschinum. *corrumpi sin.* Cf. Andr. II, 3, 22.

18. *Hom. imp. nunq. etc.* Menand. *Οὐκ ἔςʼ ἀνοίας οὐδὲν τολμηρότερον.*

20. *Quors. ist.* Ita Demea, qui submisse dicta Micionis non percepit. *haec male judic.* Haec Micio sedata voce, qua ipsum decet, pronuntiat.

Non est flagitium, mihi crede, adolescentulum
Scortari, neque potare, non est; neque fores
Effringere. haec si neque ego, neque tu fecimus,
Non sivit [c]) egestas facere nos. tu nunc tibi
Id laudi duces [d]), quod tum fecisti inopia.
Injurium 'st: nam si esset, unde fieret,
Faceremus. et illum tu tuum, si esses homo,
Sineres nunc facere, dum per aetatem licet [e]);
Potius quam, ubi te exspectatum ejecisset foras,
Alieniore [f]) aetate post faceret tamen.
*De.* Pro Jupiter! tu homo adigis [g]) me ad insaniam.
Non est flagitium, facere haec adolescentulum? *M.* ah!
Ausculta, ne me obtundas de hac re saepius.

c) Sic l. antiq. In Bemb. *siit.* Par. p. var. *sinit.* d) Sic Be. ex uno Reg. bene. Vulgo *ducis.* e) Par. p. var. *decet.* f) L. antiq. *alieniori.* g) Al. *adiges.* Do. leg. *rediges.* Codd. Be. *redigis.*

21. *Non est flagit.* Cf. Eun. II, 3, 91.

22. *non est* sc. flagitium. Negatio fortius repetita. *neq. for.* Hoc *neque* alterum pro *neque* etiam. Hic notand. est, Micionem non tam floccipendere facinora Aeschini, quam importunitate gravari Demeae increpantis.

24. *tu n. tibi id laudi etc.* Sensus: Quod tu non fecisti propter inopiam, id non laude dignum est.

26. *si esset* pro, fuisset. Si nobis tum fuisset, unde potaremus.

27. *Faceremus* pro, fecissemus. Enallage temporis. Ad hoc videamus, quanta facetia in usu verbi sit *facere* tam saepe repetiti, ac modo committere modo emittere significantis. *et illum tu tuum.* Dixit *tuum*, Ctesiphonem significans, in potestate Demeae patris relictum, adoptato altero Micioni. Hic autem adoptandi mos fere id. in literis sacris commemoratur; ut Genes. 48, 5. *et illum tu.* „Recriminatio est ad superius, *tu illum*, v. 17. *si ess. homo*, h. e. humanus, non tyrannus, erroribus juvenum ceu flagitiis irascens.“ We. Infra IV, 2, 40.

28. *per aetat.* Cf. Eun. I, 2, 33. Contra, *praeter aetat.* ut in Heaut. I, 1, 7.

29. *ubi te exspect. ejec. for.*, h. e. cum te hominem odiosum, cuius mortem diu exspectet, raptim sepeliret. Hunc vero sensum esse, e Cic. suspicor in Pis. cap. 9. sic dicente: „Ab hoc *ejecto* cadavere quidquam mihi aut opis, aut ornamenti expetebam.“ Verum *exspectati* parentes dicuntur, quorum mors in dies singulos exspectatur.

30. *Alien. aetate*, h. e. post juventutem exactam. Sic Plaut. more suo plenius: „Cano capite, *aetate aliena*,“ Cas. III, 1, 4.

31. *Pro Jupit.* „Tragica exclamatio est.“ Do. *homo*, vid. Index.

33. *ne me obtund.* Cf. Liv. II, 15. „neq. ego *obtundam* saepius ead. nequidquam agendo.“

Tuum filium dedisti adoptandum [h]) mihi:
Is meus est factus. si quid peccat, Demea,
Mihi peccat; ego illi [i]) maxumam partem feram.
Obsonat [l])? potat [m])? olet unguenta? de meo [n]);
Amat? dabitur a me argentum, dum erit commodum:
Ubi non erit, fortasse excludetur foras.
Fores effregit? restituentur; discidit
Vestem? resarcietur. est, Dis gratia,
Et unde haec fiant, et adhuc non molesta sunt.
Postremo aut desine, aut cedo quemvis arbitrum:
Te plura in hac re [o]) peccare ostendam. *De.* hei mihi!
Pater esse disce ab illis [p]), qui vere sciunt [q]).

h) Mss. We. *adoptatum.* i) Par. in marg. *illic.* l) Varro L. L. hoc loco citato vocem *Obsonat*, haud dubie memoria fallente, omisit; pro qua hab. *scortatur.* m) Par. in marg. „Sic mss. omnes. At sunt qui totum locum reformare conantur." n) C. G. m. *facit.* Glossam olet. o) Al. *in hanc rem.* Infra II, 1, 20. p) Al. *ab aliis.* q) Be. ed. *qui veri sient.* Nam τὸ *sient* conjecturavit jam ante Palmerius.

34. *Tuum fil. dedisti etc.* „Argumentatur per inductionem, quum per interrogation. pervenimus ad id, quod volumus concludendum." Do.

35. *Is meus est fact.*, i. e. per adoptionem. Sic Plin. Ep. V, 8. „Avunculus meus, idemq. *per adoptionem pater.*"

36. *ego illi max. p. fer.* „Possit sensus esse: Ego ibi max. damnum accipiam. Dixisset igitur, *partem feram*, uti infra II, 1, 24. *ferres infort.*

37. *Obson.* Citat Varro L.L. VI.: „Scortatur, *potat*, *olet unguenta de meo*; addens: *scortari* est saepius meretriculam ducere." Et Plaut. Pseud. IV, 7, 35. „Edunt, bibunt, scortantur." *olet ung.*. Plaut. Asin. V, 2, 79. „Murrham *olet.*" Martial III, 63, 3. „Bellus homo est — Balsama qui semper *olet.*" It. Priscian. Graeca adfert: ὄζει τὰ μύρα. Solebant autem oblini *unguentis.* Sic Cic. in Verr. II, 3, 12. „— cum Apronius caput atque os suum *unguento* perfricaret etc." Respondet Micio haec ad superiora, I, 36. 37.

38. *dum er. commod.*, quamdiu est unde praebeam. Ita Liv. 22, 1. „pecunia conlata quant. conferri cuiq. *commodum* esset."

39. *fortasse.* „Sic dicit indulgenter, quasi filius etiam amari possit ab amica, gratisq. admitti." Be.

40. 41. *For. effreg. rest. discid. etc.* Hunc locum Cicero citat p. Coel. 16. *est* sc. mihi. Supra v. 26.

42. *fiant.* Hoc verb. in usu esse videtur arithmeticorum. Sic fere it. Cic. Agrar. II, 27. „quid *fiet* pecuniae." *et adh. non molesta s.* Scilicet si quae damna fuerint, ob Aeschinum mihi resarcienda.

43. *arbitrum.* „qui litem hanc nostram ex aequo et bono seu pro humanitate dirimat." Bi.

45. *Pat. esse disce* sc. animo, consiliis. Sallust. Cat. 6. „a curae similitudine Patres appellantur." *sciunt* sc. patres.

*M.* Natura tu illi pater es, consiliis ego.
*De.* Tun' consulis quicquam? *M.* ah, si pergis, abiero.
*De.* Siccine agis? *M.* an ego toties [r]) de eadem re [s])
audiam?
*De.* Curae est mihi. *M.* et mihi curae est. verum, Demea,
Curemus aequam uterque partem; tu alterum,
Ego item alterum. nam curare ambos [t]), propemodum
Reposcere illum est, quem dedisti. *De.* ah, Micio.
*M.* Mihi sic videtur. *De.* quid istic? tibi si istuc placet,
Profundat, perdat, pereat! nihil ad me attinet.
Jam si verbum ullum [u]) posthac. *M.* rursum, Demea,
Irascere? *De.* an non credis? repeton', quem dedi?
Aegre 'st: alienus non sum. si obsto — hem! desino.
Unum vis curem; curo. et est Dis gratia,
Cum ita, ut volo, est. iste tuus ipse sentiet
Posterius. nolo in illum gravius dicere. (*abit.*)
*M.* Nec nil, neque omnia haec sunt, quae dicit; tamen

r) C. G. m. *tòtiens.* s) C. I. *te.* t) L. antiq. *amb. cur.* u) L. antiq. *unum.*

47. *Tune consul. quicq.* Hoc acerbius Demea, quia ille dixerat: *consiliis ego.* v. 46. *abiero*, archaice pro abibo.

48. *Sic. ag.* Cf. Eun. I, 2, 19. „Quasi revocantis correptio est.“ Do.

49. *Curae est mihi* sc. Aeschinus. *et*, etiam.

51. *curare ambos.* Intellige, te.

52. *ah, Micio.* „Territus ultimis verbis de reddendo filio ironice concedit, sed mox in iram erumpit.“

54. *Prof. perd. per.* Itid. Menedem. in Heaut. III, 1, 56.

55. *Jam si verb. u. posth.* „Aposiopesis. Deest, tibi fecero, aut tale ejusmodi.“ Do.

56. *an non cred.* Subaudi, me merito irasci. *repeto*, pro reposco, v. 52.

57. *Aegre est* sc. mihi patri. *si obsto*; „facio id affectu paterno.“ Bi. *hem.* Se colligit ab ira.

58. *Unum*, filium. *est*, *Dis gratia.* Ead. fratris locutione utitur v. 41. etsi alio sensu.

59. *Cum ita est*, sc. meus. *sent. Poster.* Comminandi formula, ut in Eun. I, 1, 21.

60. *in illum*, Aeschinum scilicet. „Demea autem satis hoc *grave* existimat *dictum* in eum, qui non provideat in futurum.“ Do.

61. *Nec nihil, neq. omnia etc.* Sensus mihi videtur, isque plenioris orationis hic: *Nec* credere ausim, *nihil* verum, *neque* ausim, *omnia* vera esse, *quae dicit.* Levius tamen Micio loqui-

Non nil molesta haec sunt mihi, sed ostendere,
Me aegre pati, illi nolui. nam ita 'st homo:
Cum placo, advorsor sedulo [x]), et deterreo.
Tamen vix humane patitur: verum si augeam,
Aut etiam adjutor [y]) sim ejus iracundiae,
Insaniam profecto cum illo; etsi Aeschinus
Non nullam in hac re nobis facit injuriam.
Quam hic non amavit meretricem? aut cui non dedit
Aliquid [z])? postremo nuper, credo jam omnium [a])
Taedebat, dixit velle uxorem ducere.
Sperabam jam defervisse [b]) adolescentiam,

x) V. I. *sicut ei videtur.* y) C. G. m. sup. script. *incentor.* z) Id. in marg. *ex meo sumtu.* a) Ibid. gl. *pellicum.* b) Id. explic. *refriguisse.*

tur, *haec sunt*, pro more Platonis, *ἔστι ταῦτα*, quo dicto usus ille dicitur in assentiendo et confirmando. Subinde dictiones *haec quae* pro talia qualia accipi possunt. Ead. vi ac potestate pronominis etiam Cicero utitur, Fam. IV, 2. „sin *ii* sumus, *qui* profecto *esse* debemus.“ Ter. Hec. II, 2, 22.

62. *Non nil molesta etc.* Facinora tangit Pamphili, quib. semetipsum quodammodo gravari fatetur; quod vero nolit coram Demea fateri.

63. *nam ita est homo.* De Demea loquitur, quem parce reprehendit. Sic it. Andr. V, 4, 16, ubi nota.

64. *placo* pro, *placare* volo. Sensus: *Cum placare* volo, videor ei, utpote homini importuno strenue *adversari.* Huc Plauti illud pertinet: „Ille qui aspellit, is compellit; ille qui consuadet, vetat.“ Trin. III, 2, 46.

65. *Tamen.* Haec particula, quae praemittitur, etiam absque quamquam vel etsi, Plautino more valde affirmat. *vix hum. patit.*, h. e. *vix* moderato animo, ut decet hominem, fert. Sic Cic. ad Attic. IV, 15. „Quid ille, inquies, ut ferebat? *humaniter.*“ *verum si aug.* „Argument. a contrario. Nam *placare* contrarium est irritantibus augentibusq. iracundiam.“ Do.

66. *etiam*, insuper. *iracund.* „*Iracundia* a natura est, ira a tempore.“ Do.

67. *Insan. profecto etc.* Simil. sententia Plaut. Amph. II, 2, 69. „Bacchae bacchanti si velis adversarier, *ex insana insaniorem* facies.“ Supra v. 31.

68. *in hac re*; cf. supra v. 44. *nobis.* Itid. Demea v. 2.

69. *Quam hic non etc.* Hyperbolice dictum, non vere. *aut cui non ded.* A patrib. enim sumebant adolescentes, quod darent meretricibus. Ph. I, 2, 54.

70. *Aliquid.* Huic voculae, sicut prioribus, *etsi Nonnull.* indicium inest mitis reprehensionis et indulgentis patris. *credo.* „Hoc verbo utimur vel in re dubia, vel ironice. Prior sensus h. l. occurrit.“ We. *omn. Taed.* Eun. II, 3, 6.

72. *defervisse adolesc.* Cupiditates adolescentiae, cum comminuuntur et extinguuntur, *defervescere* dici solent. Ita fere Cic. Or. 5, 30. „*deferbuisse.*“

Gaudebam. ecce autem de integro, nisi, quicquid est,
Volo scire, atque hominem convenire, si apud forum est.

73. *Gaudeb.* Itid. Simo pater in Andr. I, 1, 33.
74. *de integro.* Subaudit Sincerus: amare coepit. *nisi* pro sed. *homin.* sc. Aeschinum.

---

# ACTUS II. SCENA I.

## SANNIO. AESCHINUS. PARMENO.

*Sa.* Obsecro, populares! ferte misero atque innocenti auxilium;
Subvenite inopi. *A.* (*ad psaltriam a lenone metuentem*) otiose [a]), nunc jam ilico hic consiste.
Quid respectas? nil pericli 'st: nunquam, dum ego adero, hic [b]) te tanget.
*Sa.* Ego istam [c]) invitis omnibus.
*A.* Quamquam est [d]) scelestus, non committet [e]) hodie unquam, iterum ut vapulet.

a) Alloquitur Aeschinus citharistriam. Etiam Gu. codici suo adscripserat, „fidicina, κωφὸν πρόσωπον.“ b) V. I. *leno.* c) Id. *retinebo.* d) Al. *sit.* e) I. *committat.*

„Haec scena vim certaminis continet, sine ulla specie controversiae: tantum in dictis quaed. qualitas habetur.“ Eu. „Estque haec periculi protasis.“ Mu.

*Sannio,* „leno a sannis, vel potius ἀπὸ τοῦ σαννίου, ab hasta, qua valere a jocantibus dicebatur.“ Mu. *Sannio* etiam servi nomen est, ad Heren. IV, 50.

Aeschinus, ἀπὸ τ. αἴσχους, a pudore. Scribitur Graecis, αἰσχίνης.

1. *populares,* „cives seu de populo socii ejusd. conditionis.“ Eu. Cf. Eun. V, 8, 1.

2. *otiose.* Da. explic. secure. *nunc jam,* ad tempus refertur. *ilico hic,* ad locum. Emphatice utrumq. binis synonymis expressum. *consiste.* „*Consistere* est audacter et constanter stare.“ Do.

4. *Ego istam.* „Bona ellipsis. Nemo enim plene loquitur, qui luctatur.“ Do. Subaud. mihi vindicabo.

5. *Quamq. est scelestus etc.* „Anacoluthum. Nam cum praeposuisset, *Quamquam,* non subjecit, tamen.“ Do. *it. ut vap.* „*Vapulaverat* igitur jam intus in ipsis aedibus. Quo spectant Demeae verba supra I, 2, 8. seqq.“ We.

*Sa.* Aeschine, audi, ne te ignarum fuisse dicas meorum morum:
Leno ego sum. *A.* scio. *Sa.* at ita, ut usquam fuit fide quisquam optuma [f]).
Tu quod te posterius purges, hanc injuriam mihi nolle
Factam esse, huius [g]) non faciam. crede hoc, ego meum jus persequar;
Neque tu verbis solves unquam, quod mi re malefeceris [h]).
Novi ego vestra haec [i]): „nollem factum; jusjurandum dabitur, te esse
Indignum indignis [l]); indignis cum egomet sim acceptus modis.

f) V. I. *cum tali fide ego concilio juvenib. amicas, ut nusq. melior leno sit.* g) V. I. *rei* δεικτικῶς. In Par. exemplo, quo utor, adscripta invenio: *ostensa festuca aut alia re nihili.* h) I. *malafec.* perperam. i) Par. ms. *jura haec* prave. Subaudiend. est enim, *verba*, quod modo v. 10, non *jura.* l) Bo. ed. *indignis* pro vulg. *injuria hac.* Atque illi assentior, vulgarem lection. pro glossa habendam esse judicanti vocis *indignis* a simili sequente sine dubio absorptae; praesertim cum Do. comice scriptum moneat, *indignum indignis.*

6. *audi, ne te etc.* Itid. fere Davus in Andr. III, 2, 28. 29. *morum*; cf. Hec. V, 1, 9, pro, vitae generis.

7. *Leno ego sum.* „Postulat jus lenonium, quod ob reditus ex eorum quamvis infami quaestu publicos, tantum erat, ut qui illis vim fecissent, exheredes fierent.“ Bi. „Leno, h. e. qui puellarum mercaturam facit.“ We. *at ita, ut etc.* Periphrasis elegans, pro, *Leno* quidem *sum*, sed leno *optima fide.*

8. *poster. purg.* Cf. Hec. V, 1, 16. *nolle Fact.* Solennis formula, *nollem factum.* Sic it. Liv. 39, 13.

9. *huius non fac.* Cum crepitu digitorum; quomodo: non tanti faciam, Cic. in orat. Catil. I. 9. „Sed est *mihi tanti*; dummodo ista etc.“ Id. in Verr. II, 50. „ne tantulum quidem commotus est.“ *meum jus perseq.* Cf. infra 2, 27. Ph. V. 8, 91.

10. *Neq. tu verb. solves etc.* Cf. Andr. V, 1, 5. *solves*, lues, satisfacies. Ph. V, 7, 80. *re malef.* „Acuendum est *re.* Et plus dixit, *re malefac* quam injuriam feceris.“ Do.

11. *Noll. fact.* pro, poenitet. „Sic enim vett. dicebant, *muto fact.* et *nolo factum*; quum alicuius rei eos poetinebat.“ Do. *jusjurand. dab. etc.* „Elegans mimesis, qua simul juventutis mores tanguntur.“ We.

12. *Indignum.* Indignus, h. e. non dignus *indignis* sc. rebus. *Indigna* autem habentur, quae in liberum aut honestum hominem minime cadant. Unde solennis exclamatio, *o indignum facinus*, quae saepe obvenit. Pulchre nimirum leno ille verba refert juvenum superborum, quibus deprecari soleant injuriam.

*A.* (*ad Parmenonem*) Abi prae strenue, ac fores aperi. *Sa.* ceterum hoc nil facis.

*A.* (*ad psaltriam*) I intro nunc jam. *Sa.* (*retinens psaltriam*) at enim non sinam. *A.* accede illuc, Parmeno:

Nimium istoc[m]) abisti. hic propter hunc[n]) adsiste. hem, sic volo.

Cave nunc jam oculos a meis oculis quoquam demoveas tuos.

Ne mora sit, si innuero, quin pugnus continuo in mala [o]) haereat.

*Sa.* Istuc volo ergo ipsum experiri. *A.* (*innuit Parmenoni*) hem, serva. *Pa.* (*ad lenon.*) omitte mulierem.

*Sa.* (*pugnum servi expertus*) O miserum [p]) facinus! *A.* geminabit [q]), nisi caves. *Sa.* (*denuo percussus*) hei miseriam [r])!

*A.* Non innueram, verum in istam partem potius peccato tamen.

m) V. I. *ab isto loco.* n) Id. *juxta lenonem.* o) Id. *Sannionis.* p) Sic Codd. Be. In l. antiq. *indignum.* q) V. I. *colaphum.* r) Sic Be. libb. Vulg. *hei misero mihi.*

13. *Abi prae* „h. e. *Abi* prior, aut, praei." Do. Id. notat.: „Magna contemtio minarum lenonis, non respondisse Aeschinum ad ea quae dixerat." *cet. h. nihil fac.* „Qui frustra sunt et inanem sumunt operam, *nihis facere*, nihil agere dicuntur." We. Et vid. Erasm. Adag.

14. *I intro.* Scilicet forib. Micionis a Parmenone apertis, Aeschinus fidicinam, quam manu ducebat, ire intro jubet. *non sin.* Manu apprehendit puellam, ne amittat.

15. *propter*, juxta; uti Phaedr. II, 6, 7. *hem, sic volo.* „Mire Comicus, ex alterius verbis, quid faciat alter, ostendit." Do.

17. *si innuero.* Sic Plaut. Rud. III, 4, 26. „Vos adeo, *ubi ego innuero*, si ne ei caput exoculassitis." *pugn. c. in mal. cohaer.* Theocr. Id. XIV, 34. πὺξ ἐπὶ κόῤῥας Ἤλασα, κἄλλαν αὖθις, Pugnum in genam impegi, et alterum in alteram.

18. *Istuc volo etc.* En vero miseri hominis contumaciam ipsa inter verbera loquacem. *serva*, custodi.

20. *Non innueram.* Minatus tantum erat, *geminabit* v. 19. non jusserat.

21. *I nunc j.* Do. est incertus, anne hoc etiam ad Sannionem dicatur. Sed placet hic iterum, quod supra notatum est ad v. 14. *regn. A. h. tu possid.* Contumeliose dictum. Nam Athenis erat regis et regni appellatio non minus odiosa, quam in libera republica Romanorum. Ph. II, 3, 58. Et Sallust. Jug. 31. „Impune quaelibet facere, id est, *regem* esse." Add. Curt. X. 2. „qui de Atheniensibus memorat imperium Alexandri asper-

(*ad psaltr.*) I nunc jam [s]). *Sa.* quid hoc rei est? regnumne, Aeschine, hic tu possides [t])?
(*Parmeno ducit psaltriam liberam a lenone in domum Micionis.*)
*A.* Si possiderem, ornatus esses ex tuis virtutibus [u]).
*Sa.* Quid tibi rei mecum 'st? *A.* nil. *Sa.* quid? nostin' qui sim? *A.* non desidero.
*Sa.* Tetigin' tui quicquam? *A.* si attigisses, ferres infortunium.
*Sa.* Qui [x]) tibi meam magis licet habere, pro qua ego argentum dedi?
Responde. *A.* ante aedes non fecisse erit melius hic convicium.
Nam si molestus pergis esse, jam intro abripiere; atque ibi
Usque ad necem operiere loris. *Sa.* loris liber? *A.* sic erit.

s) V. I. *intro.* Andr. II, 5, 13. t) Id. *qui cum tanta potestate? puellam aufers.* u) Id. *ironice.* x) We. ed. *Quî,* quomodo. Al. *Quid.*

nantibus: „Soli Athenienses *non regio imperio*, sed legib. moribusq. patriis adsueti etc." *hic*, Athenis.

22. *ornat.* Cf. Heaut. V, 1, 77, nota. *ex tuis virt.* Sensus: Habeas praemia tuis similia factis.

23. *Quid tibi mecum etc.* h. e.: „*Quid tibi* debeo, unde in me actionem habeas." Do. Heaut. IV, 4, 20. *nil.* „Facete; quia ipse abstulit." Do. *nost. qui sim*; cf. infra IV, 7, 5. *non desidero* sc. nosse, *qui sis.*

24. *Tetigi*, pro diripui; uti Liv. II, 5. „*contacta* regia praeda." *attigiss.* Plus dixit *attigisses*, quam tetigisses. *ferr. inf.* cf. Andr. III, 5, 4, not. *infortunium*, „malam fortunam." Eu.

25. *Qui tibi meam etc.* Eod. fere modo Cic. Fam. XII, 16. „*Qui magis* hoc Lucilio *licuerit* assumere libertatis, quam nobis?" *habere.* Non eod. sensu, quo Andr. I, 1, 58, ut Do. falso putat; sed *habere aliquem* h. l. significat, mancupio tenere. Itid. Plaut. Mil. I, 1, 23.

26. *Responde.* „Ita solent qui indignantes quid rogant." We. *ante aedes*; cf. v. 14. *non fecisse* sc. te *convicium.* Significat autem *convicium* clamorem tumultuosum, ut Phaedr. I, 6, 5. Add. Kapp. ad Tacit. Germ. 22. „a *con* et *vox* quasi *convocium.*" *erit melius.* Venusta formula pro, auctor tibi sum. Itid. Liv. III, 48. „qui esse *melius erit*"

27. *atq. ibi.* „Δεικτικῶς addidit τὸ *ibi*, respiciens morem veterum, servos et homines nequam flagellantium." We.

28. *loris*, „flagellis, quae ex *loris* fiebant. Haec servilis poena erat." Ru. *liber.* „Duplex indignatio lenonis, primum quod caedendus esset; tum quod serviliter." We. Ut autem magistratus virgis in noxios utebantur, ita domini in servos *loris.*

*Sa.* O hominem impurum! hiccine libertatem ajunt aequam esse omnibus?
*A.* Si satis jam debacchatus, leno, es [y]), audi, si vis, nunc jam.
*Sa.* Egon' debacchatus sum autem [z]), an tu in me? *A.* mitte [a]) ista, atque ad rem [b]) redi.
*Sa.* Quam rem? quo redeam? *A.* jamne me vis dicere id quod ad te attinet?
*Sa.* Cupio, aequi modo aliquid. *A.* vah, leno iniqua me non volt loqui.
*Sa.* Leno sum, fateor, pernicies communis adolescentium,
Perjurus, pestis; tamen tibi a me nulla 'st orta injuria.
*A.* Nam hercle etiam hoc restat. *Sa.* illuc quaeso redi, quo coepisti, Aeschine.

y) Sic libb. Be. At Fa. colloc. *debacch. es*, *leno.* C. G. m. gl. *in me.* z) Pro *autem* l. antiq. *in te.* a) Al. *omitte.* b) C. G. m. colloc. *ad rem atque* mire.

Testis est huius rei Plaut. Poen. Prol. 26. *sic erit.* Responsiones asservantium, *sic erit*, aut, *sic est*, aut *sic.* Ph. V, 3, 18. Hec. III, 3, 19. Ph. II, 2, 2.

29. *impur.* In conviciis erat *impuri* et impurati hominis appellatio. *hic. libert.* sc. Athenis; „ubi communis omnium fuerat *libertas.* Populi enim jussu resp. agebatur.“ Eu. Huc refer Curt. VII, 6, 12. de Scythis: „*Libertatis* modico et *aequali* usu principibus humiliores pares fecerunt.“

30. *debacch.* es, seu, desaevisti, quasi furibundus esses ex vino. *audi.* *Audire* incipit, quem plane contemserat ante.

31. *autem.* „Particula *autem* cum interrogatione est instantis, indignantis etc. Verum cum interrogatio subjicitur, servit correctioni.“ Tursell. Itid. Cic. Attic. XII, 42. „Sed ferendus tibi in hoc meus error: ferendus *autem*? immo vero etiam adjuvandus.“ *ad rem redi*, „h. e. ad negotium, de quo agitur.“ Do. *Res* enim pecunia intelligitur.

32. *quod ad te attin.* Explic. Do.: „Quod tibi prodest et commodum est.“

33. *Cupio.* Ille, *vis*, dixit; hic, *cupio.* Plus autem *cupere* est, quam velle. *aequi m. aliq.* sc. dicas. Heaut. IV, 5, 40. H. l. de pretio puellae. *vah*, indignantis. *leno iniqua etc.* Aegre fert Aeschinus, lenonem male suspicari, ac si ipse ingenuus *iniqua loqui* possit.

34. *pernicies com. adolesc.* Non aliter Plautus de lenone, Asin. I, 2, 7. Sed Noster versum Diphili transtulisse videtur hunc: *Οὐκ ἔστιν οὐδὲ τεχνίον ἐξωλέστερον τοῦ πορνοβόσκου*, Non est ulla ars pestilentior lenonis.

35. *tamen.* Tacetur quamvis. Contra v. 5.

36. *illuc quaeso etc.* Refertur ad superius, *quod ad te attin.*

*A.* Minis viginti tu illam emisti; quae res tibi vortat male!
Argenti tantum [c]) dabitur. *Sa.* quid si ego tibi illam [d]) nolo vendere,
Coges me? *A.* minume. *Sa.* namque id metui [e]). *A.* neque vendundam censeo,
Quae libera 'st: nam ego liberali illam assero causa manu [f]).
Nunc vide, utrum vis, argentum accipere, an causam meditari tuam.
Delibera hoc, dum ego redeo, leno! (*Abit Aeschinus de lenone absolvendo, seu Syri consiliis, seu pecunia patris accepta sollicitus.*) *Sa.* proh supreme Jupiter!
Minime miror, qui [g]) insanire occipiunt ex injuria.
Domo me eripuit, verberavit, me invito abduxit meam,
Homini misero plus quingentos colaphos infregit [h]) mihi.

c) Lindenbr. *tibi* nescio unde. d) I. *ego illam*, omisso *tibi*. e) V. I. *ut cogeres*; ubi *ut* vitiose pro ne. f) V. I. *mea*. g) C. G. m. *quo* pro *qui* prave; nam *qui* pronom. est. h) Hunc vers., qui vulgo sequitur, anteire bene jussit Muretus.

v. 32. hoc verbum lenoni avaro satis intellectum atque jucundum.

37. *quae res tibi etc.* Imprecandi formula. Ph. IV, 3, 73.

38. *nolo vend.* „Nititur jure, quo nemo cogitur invitus rem suam vendere." We.

39. *namq. id metui.* Ironia; qui nempe non poterat cogi.

40. *Quae libera est. Liberum* hominem vel civem vendere legib. et Romanor. et Graecor. maxime prohibitum esse, hoc constat inter omnes. Sed plura vide ap. We. *liberali ill. ass. etc.* Hoc spectat ad actionem seu judicium de libertate hominis constituendum. Videlicet qui liberum homin. e servitute vindicabat, eum coram praetore manu prehensum sibi quasi afferebat i. e. admovebat, et liberum esse dicebat." Ru. De hac re vide Liv. III, 44 seqq. Quod cum ita esset, facile poterat Aeschinus Sannioni pactionem recusanti injicere metum calumniae. *lib. causa* pro, in *liberali causa*.

41. *utrum vis*; cf. Heaut. II, 3, 85.

43. *miror* sc. eos. *qui insan. occip. ex inj.* Menander: *Οἴ μοι, τὸ γὰρ ἄφνω δυςυχεῖν μανίαν ποιεῖ.*

44. *abdux. Abduci* alias dicuntur, quae a viris vel parentibus abstrahuntur, maxime tamen libidinis causa. Sueton. Aug. 69. *meam.* Ellipsis. Non addidit, puellam.

45. *quingent.* Cf. Andr. V, 4, 43, not. *plus.* Ellips. quam. Ita Cic. Plaut. al. *colaph. infreg.* Plin. VIII, 36 de ursis: „Saepe in arena *colapho infracto* exanimantur." Et Juvenal. Sat. III. „Nos *colaphum* incutimus lambenti crustula servo."

Ob malefacta haec tantidem emtam postulat sibi tradier.
Verum enim quando bene promeruit, fiat. suum jus postulat.
Age, jam cupio, modo si [i]) argentum reddat. sed ego hoc hariolor [l]).
Ubi me dixero dare tanti, testes faciet [m]) ilico,
Vendidisse me; de argento somnium. „mox, cras redi." —
Id quoque possum ferre, si modo reddat; quamquam injurium 'st.
Verum cogito id quod res est, quando eum quaestum occeperis,
Accipiunda et mussitanda injuria adolescentium 'st.

i) L. antiq. invert. *si modo.* l) C. G. m. *ariolor.* Sup. script. *divino.* Item Erasm. sine h aspirante. Videamus autem, quomodo Fa. ac Be. dactylos sibi effingant. Ille enim ex *sed*, lit. d elisa, et pronom. *hoc* correpto, dactylum sperat ortum in sexta sede trochaici. Hic deridet Faernum, ut digitis sine ullo auris judicio versum dimetientem; contra se ipsum melius ex *sī modo ăr* - dactylum fecisse gloriatur. m) V. l. *adducet.*

46. *tantid. empt.* Huc pertinet Cicero, in Verr. III, 192, „Mercatores, inquiens, non *tantidem* vendunt, quanti emerunt." *postulat. Postulare* dicitur sensu forensi, pro intendere actionem alicui ap. praetorem; v. Ernest. Clav. Cic.

47. *Verum enim.* „Quamquam ironice haec dicit Sannio, mitescere tamen videtur, et de suo jure concedere." We. *promeruit.* Mente supprimit, de me.

48. *hariolor.* „Fabulas et somnia narro." We. Ph. III, 2, 7.

49. *ubi me dixero etc.* Fallaciam hic subesse autumat, quia Aeschinus dixerat, *neq. vendund. censeo etc.* v 39. *tanti.* Cf. supra v. 37. *Minis viginti. test. fac.* pro *test.* adhibebit. Itid. Plaut. Curc. IV, 4, 9. „Ne *facias testes*: neq. equid. debeo quidquam." *testes* sc. qui dicant.

50. *Vendidisse me.* Hunc scrupulum lenoni Aeschinus ingessit, *neq. vendund. c. Quae lib. est*, dicendo. de *arg. somn.* Cf. Heaut. IV, 2. 4. *somnium* comice i. q. vana res. Ph. V, 6. 34. Sic Lucian. in Harmonide: ὀνείρατα φασι, καὶ ἐπῶν σκιαί.

*mox, cras redi.* „Quae formula est malorum nominum, nec expedire rem expetentium." We. Transit ad mimesin.

51. *Id quoque* sc. moram. *injur. est*; cf. I, 2, 26.

52. *id quod res est*; cf. Eun. IV, 6, 10. *eum quaest. occep.* Cf. Andr. I, 1, 52. Par. explic. „ut leno sis."

53. *mussitanda*, „tacenda et animo continenda." Eu.

Sed nemo dabit: frustra has egomet mecum rationes puto [n]).

n) L. antiq. *deputo*. Elegantissimus hic versus Guyeto suppositius audit.

54. *dabit.* Scilicet argentum a me flagitatum. *mecum rat. puto.* Est enim, *rationes* sc. numarias *putare*, propria arithmeticorum locutio, gr. *λογίζεσθαι*.

---

# ACTUS II. SCENA 2.

## SYRUS. SANNIO.

*Sy.* (*Aeschino intus manenti respondet*) Tace, egomet conveniam [a]) ipsum: cupide accipiat faxo, atque etiam
(*ad Sannionem conversus*) Bene dicat secum esse actum. quid istuc, Sannio, est, quod te audio
Nescio quid concertasse cum hero? *Sa.* nunquam vidi iniquius
Certationem comparatam, quam haec quae hodie inter nos fuit:
Ego vapulando, ille verberando, usque ambo defessi sumus.

a) Al. *jam.*

„In hac scena actus est, exemplum continens vitae avarorum, qui saepe in damnum ipsius avaritiae rationibus ruunt: simul etiam duorum inter se nequam hominum spectanda quaed. vicissim et dolosa captio est." Do.

1. *Tace.* „Quietum esse jubet Clitiphonem, qui de eo, quod cum irato lenone pacto conveniretur, maxime sollicitus est." We.

2. *Bene dic. secum etc.*, h. e. fortunatum *esse*. Cic. Fam. 9, 24. „praeclare *actum* mecum putem."

3. *Nescio quid concert.* „Argute positum, *Nescio quid.* Callide namq. dissimulat se scire quid rei actum sit, ut ita familiariter eliciat omnia ex ipso lenone." We.

4. *Certation. compar.* „Respicit certamen gladiatorum, qui *comparari* proprie dicebantur." We.

5. *Ego vapul. ille etc.* Simile est Juvenal. Sat. III, 289.

*Sy.* Tua culpa. *Sa.* quid facerem [b])? *Sy.* adolescenti morem gestum oportuit.
*Sa.* Qui potui melius, qui hodie usque os praebui? *Sy.* age, scis quid loquar?
Pecuniam in loco negligere, maxumum interdum 'st lucrum. *Sa.* hui [c])!
*Sy.* Metuisti, si nunc de tuo jure concessisses paululum, atque
Adolescenti esses morigeratus, hominum homo stultissime,
Ne non tibi istuc foeneraret. *Sa.* ego spem pretio non emo.
*Sy.* Nunquam rem facies. abi, nescis inescare homines, Sannio.
*Sa.* Credo istuc melius esse, verum ego nunquam adeo astutus fui,
Quin quicquid possem, mallem auferre potius in praesentia.

b) Lindenbr. We. al. ed. *agerem.* c) Multi libb. *τὸ hui* Syro adscribunt, sed lib. antiq. Sannioni.

„Si rixa est, ubi tu pulsas, *ego vapulo* tantum.“ *usque*, diu, multum.

6. *Tua culpa* sc. est. Qui haec verba pro ablativo habet, subaudit, factum. Potest enim esse et primus et sextus casus. Illum tamen desiderat metrum octonarii. *quid facerem*; cf. Eun. V, 1, 15. *adolesc. m. gest. op.* Scilicet qui juvenis assentatione caperetur.“ Do.

7. *Qui pot. mel.* sc. morem gerere. *os praebui*, i. e. me verberari passus sum. Liv. 4, 35.

8. *Pecun. in loco neglig. etc.* „Bene additum est, *in loco*, et, interdum; non enim semper.“ Do. Vult dicere, opportuno loco ac tempore. Infra V, 3, 41. Similis sententia Liv. II, 47. „Spreta *in tempore* gloria, *interdum* cumulatior redit.“ Ut add. Hor. Od. IV, 12. „Dulce est desipere *in loco.*“

9. *Metuisti.* Hunc integrum Syri sermonem We. nota terminavit interrogandi, exemplo quidem, ut ipse fatetur, Aldi, Heinsii, aliorum; sed plurimi non ita. *de t. jure concess.*, remisisses. Supra I, 38. *nolo vendere.*

11. *foen.* *Foeneratum*, „est cum lucro redditum et multiplicatum.“ Do. *istuc*, h. e. *paululum* quod *concessisses. ego spem etc.* Certum lucrum praefert incerto.

12. *rem fac.*, h. e. divitias comparabis. *nesc. inesc. hom.* „Metaphora ab aucupibus, qui avibus capiendis offundunt cibum.“ Do.

13. *Credo istuc.* Par. subaud. „inescare;“ sed equid. potius huc referend. puto superius, *ego spem pret. n. emo*, v. 11. quod sibi Sannio probatum tenet, Syro adversante.

14. *poss.* sc. auferre. *potius*, abundat. At vero etiam Cicero

*Sy.* Age, novi tuum animum: quasi jam usquam [d]) tibi sint viginti minae,
Dum huic obsequare. praeterea autem te ajunt proficisci Cyprum [e]). *Sa.* hem [f])!
*Sy.* Coemisse, hinc quae illuc veheres, multa; navem conductam, hoc scio.
Animus tibi pendet [g]). ubi illinc, spero, redieris tamen, hoc ages.
*Sa.* Nusquam pedem [h]). (*secum*) perii, hercle! hac illi spe hoc inceperunt. *Sy.* timet.
Injeci scrupulum homini. *Sa.* o scelera! illud vide,
Ut in ipso articulo oppressit. emtae mulieres
Complures, et item hinc alia, quae porto Cyprum.
Nisi eo ad mercatum venio [i]), damnum maximum 'st.
Nunc si hoc omitto, actum [l]) agam; ubi illinc rediero,
Nihil est, refrixerit res. „nunc demum venis?

d) Mu. ed. *quidquam* pro *jam usque.* e) Mss. Pall. *in Cypr.* Infra IV, 14. f) V. I. *ajunt.* g) Id. *in dubio est.* h) C. G. m. sup. script. *feram.* i) L. antiq. *veniam.* l) Disjung. Be. *ac tum.*

*potius malle* jungit, Fam. XV, 5. *in praesentia.* Contrarium est, in diem. Addit igit. ms. Mark. *quam in futurum.*

15. *Age.* „Nunc verb. est significans, dic, quia jam prope est, ut consentiat persuadenti." Do. *novi tuum anim.* Cf. Heaut. III, 3, 9. *animum,* quasi liberalem. *quasi j. usq. tibi etc.* Sensus est, *quasi* tu, qui in re lauta es, non multo malis obsequi Aeschino, quam tantulam summam accipere." We.

16. *Cyprum.* „Insula haec Veneri sacra mancipiorum emtione et venditione nobilitata fuit." We.

17. *Coemisse,* puellas. Sed neutro potius genere, *quae multa,* utitur, ut pedetentim ad illum decipiend. accedat. Atque huc refer, quod ipse loquitur leno, *hinc alia quae p. Cypr.* v. 22. *nav. conduct.* Ergo res non moram patitur. *hoc scio.* Ita dixit, ut Ph. V, 8, 60. Id vero ubi dixerit Syrus, leno meditabundus tacet.

18. *hoc ages,* i. e. exiges debitum. Nam *hoc agere* dicimus eum, qui instat negotio suo." Do.

19. *hac illi spe etc.* Verba sunt tandem intelligentis, quid rei sit. Andr. I, 1. 98.

20. *Injeci scrup.* Andr. V, 4, 37. „Hoc leno non audit; simul enim dicitur, cum ille clamat." Do. *illud vide.* Sic solent qui rem magnam vel inopinatam cum admiratione narraturi sunt.

21. *in ipso artic.* sc. temporis; uti Cic p. Quinct. 5. *oppress.* vel Aeschinus vel res ipsa, quam subjicit, id est, quod ait, *emtae mulieres Compl.* Praefero prius, ob vers. 30. *P. oppr.*

24. *Nunc si hoc,* i. e. negotium cum Aeschino exigendum. *act. ag.* Proverb. id est, nihil agam. Erasm.

25. *Nihil est,* nulla spes est. *refrix.* pro refrigescit. *nunc*

Cur passus? ubi eras?" ut sit satius perdere,
Quam aut hic nunc manere tam diu [m]), aut tum persequi.
*Sy.* Iamne enumerasti, id quod ad te [n]) rediturum putes?
*Sa.* Hoccine illo dignum 'st? hoccine incipere Aeschinum?
Per oppressionem ut hanc mi eripere postulet?
*Sy.* Labascit [o]). unum hoc habeo, vide si satis placet:
Potius quam venias in periculum, Sannio,
Servesne an perdas totum, dividuum [p]) face.
Minas decem corradet alicunde. *Sa.* hei mihi!
Etiam de sorte nunc venio in dubium miser.
Pudet nihil. omnes dentes labefecit mihi;
Praeterea colaphis tuber est totum caput;

m) V. I. *donec recipiam.* n) Bru. C. e. *a te*, vitiose. Nisi litera d a simili sequente est absorpta. o) V. I. *secum.* p) *dimidium.*

*dem. venis etc.* „Quasi mimesis est eorum, quae aliquando ab Aeschino vel quovis alio objici poterant lenoni." We.

26. *Cur pass.* tibi eripi. *ubi eras?* tam diu. *ut*, particulà concludendi.

27. *nunc tum.* Nota hic et *nunc* et *tum* esse urgendum. Significat enim *nunc*, quod supra, *in ipso articulo*, v. 21. at *tum* respondet illi, *ubi redieris*, v. 18. *persequi* sc. jus meum, vel *lites*, ut Andr. IV, 5, 16.

28. *Jam enumerasti?* Ironice interrogat. Numerabant autem per digitos. Qua de re vide P. Colvium ad Apulej. *reditur.* „*Redire* dicitur alicunde quod commodi est; ut ex agro, vel ex metallis, vel undequaque sit. Nep. Themist. 2. „pecunia quae ex metallis *redibat*."

30. *Per oppress.* Scilicet quum Aeschinus Sannionem in domo ipsius de puella eripienda opprimeret. *postul.* „pro velit aut speret." Do.

31. *Labasc.* „Non amplius stat ei sententia." Do.

33. *divid. face.* „Hoc est, divide." Do. Itid. Plaut. Rud. V, 3, 52. *dividuum* talentum *faciam.*" Plura Lindenbr.

34. *Min. decem*, dimidiam part. Totum vid. supra I, 37.

35. *de sorte.* „*Sors* est summa, cui extrinsecus acquiritur foenus. Liv. 6, 14. H. l. leno timet de dimidio sortis.

36. *Pud. nihil.* Impersonaliter modeste dixit, ne diceret, Aeschinum *nihil pudet.* Andr. IV, 1, 13, *omn. dent. labef. mihi.* „Injuria lenoni tunc dolet, quum adjuncta damno est." Do. Supra I, 52, 53.

37. *tub. est tot. cap.* Sic it. illud Terent. „*caput* mihi *tuber* fecit," ex comoed. deperdita, haud dubie Menandri. Add. Plut. περὶ κολ. κ. φιλ. §. 233. ποιήσω σπογγιᾶς μαλακώτερον τὸ πρόσωπον.

Etiam insuper defrudet[q])? nusquam abeo. *Sy.* (*frigide*) ut lubet.
Numquid vis, quin abeam? *Sa.* immo hercle hoc quaeso[r]), Syre,
Ut, ut haec sunt acta[s]), potius, quam lites sequar,
Meum mihi reddatur[t]), saltem quanti emta 'st, Syre.
Scio te non[u]) usum antehac amicitia mea:
Memorem me dices esse et gratum. *Sy.* sedulo
Faciam. sed Clitiphonem video. laetus est
De amica. *Sa.* quid? quod te oro. *Sy.* paulisper mane.

q) Sic veterr. Be. Codd. In C. G. m. *defraudat*. Al. *defrudat*. V. I. *pecuniam*. r) I. *scire*. s) Sic Fa. In plerisq. Be. *facta*. t) Bi. leg. *reddat*, ex auctoritate quorund. Codd. u) Ms. Lindenbr. *esse*.

38. *nusq. abeo*; cf. supra v. 19. Comminatio lenonis, quam Syrus contemnit.

39. *Numq. vis.* Nota formula; cf. Eun. I, 2, 111. Cui Syrus servili facetia addit, *quin abeam*; quia clamaverat ille, *nusquam abeo.*

40. *Ut, ut haec etc.* Ita distinguere mihi placuit, non, secundum alios, *Ut ut*, conjunctim. Hoc autem modo construes commode haec: *hoc quaeso, Ut — reddatur.* Sannio nunc ad preces se applicat. *pot. quam lit. seq.* Quia dixerat Aeschinus supra I, 41. *Nunc vide utrum vis etc.*

41. *Meum mihi red.* Hoc solum contentus est, quod suum esse putet, omni foenore neglecto. *saltem.* „τὸ ἔσχατον. Natum est autem a captivis *saltem*, qui nihil aliud praeter *salutem* a victore petunt." Do.

45. *quid? quod te oro.* Haec placuit notatio interrogationis, quae id ipsum ferit, quod interrogatum est. Non ita vulgaris illa: *quid, quod te oro?*

# ACTUS II. SCENA 3.

## CTESIPHO. SYRUS.

*Ct.* Abs quivis homine, cum est opus, beneficium accipere gaudeas;
Verum enim vero id demum juvat, si quem aequum 'st facere, is bene [a]) facit.
O frater, frater! quid ego nunc te laudem? satis certo scio:
Nunquam ita magnifice quicquam dicam [b]), id virtus quin superet tua.

a) Do. *bene* omisisse aut potius non legisse apparet ex verbis ejus, „*bene* subaudiendum est bis numero." Mss. quid. *benefacere-facit*; al. contra, *facere-benefacit.* b) C. G. m. sup. script. *de tuis laudibus.*

„In hac scena gratiarum actio est ex persona ejus qui praestitit, et ejus cui praestitum est, et ex ipsius pretii quantitate. Nam omne quod geritur, aut in rebus est, aut in personis, aut in attributis eorum." Do.

*Ctesipho*, τὸ τῆς κτήσεως φῶς, patrimonii splendor." Mu.

2. *Verum enim vero.* His particulis ita junctis Cicero, quod Ru. monet, raro utitur, at Livius, Sallustius saepe. *juv.* Ostendit plus esse *juvat*, quam gaudium.

3. *O frat. frat.* Ctesipho maxima laetitia affectus geminat vocationem, *frater*; contra Cicero summa calamitate exilii oppressus fratri suo scribit, ter it. posita haece vocatione, *Mi frater, mi frat. mi frater.* Ep. ad Q. fr. I, 13. *quid*, „propter quid." Do. Nisi *quid* est pro quomodo. *nunc te laud.* Eun. III, 5, 17. Et Menand. ὡς ἡδὺ γ' ἐν ἀδελφοῖς ὁμονοίας ἔρως! Atque in eo summam argumenti Fabulae esse, adelphiam videlicet, facile credamus. Prol. v. 11. ubi nota.

4. *Nunq. ita magnifice etc.* Cf. Tibull. II, 6, 9. et 11 seqq. Oratio est cothurno magis quam socco digna, summo animi motu effecta. Cui conferendum est illud Ciceronis in Orat. p. Manil. „Jam vero *virtuti* Cn. Pompeji quae potest *par oratio* inveniri?" *magnifice.* Quasi de praeclaro facinore. Sic Romulus victoria Caeninensium insignis vir *magnificus* appellatur, Liv. I, 10. *virt. tua.* Periphrasis pro, tu.

Itaque unam hanc rem me habere praeter alias [c]) praecipuam arbitror,
Fratrem homini nemini [d]) esse primarum artium magis principem.
*Sy.* O Ctesipho! *Ct.* o Syre! Aeschinus ubi est? *Sy.* ellum, te exspectat domi. *Ct.* hem!
*Sy.* Quid est? *Ct.* quid sit? illius opera, Syre, nunc vivo, festivum caput!
Qui [e]) omnia sibi post putavit [f]) esse prae meo commodo [g]).
Maledicta, famam, meum amorem, et peccatum in se transtulit.
Nil pote supra [h]). sed quisnam [i]) foris crepuit? *Sy.* mane, mane. ipse exit foras.

c) Sic a Be. correctum recepi. Vulg. *alios.* Quae vero lectio a Do. manavisse dicitur, qui moneret, ex composito sic locutum esse Poetam, ut rusticum adolescentem balbutientem induceret. d) Sic l. Bemb. Hec. III, 1, 1. Vulg. *homini neminem.* Sed Do. quoque videtur *homini nemini* legisse, qui subaudiend. putat, „quam mihi.“ Sunt qui, *hominem neminem*, ex libb. antiq. legunt. e) Sic l. antiq. At Do. *Quin.* Al. *Quine* per interrogation. perperam. f) L. antiq. *putarit.* V. I. *postposuit.* g) Id. *propt. meum amorem.* h) Libb. Be. o. *Nil supra potest.* Cum his consentiunt Bru. C. e. et utriq. Gothani. C. G. m. sup. script. *esse.* i) Par. ed. *quidnam.* Be. *nam quid.* pro *sed quisnam.* C. G. m. sup. script. *apperuit*; unde transitiva significatio verbi *crepuit.*

6. *artium.* *Artes* nimirum dicit virtutes. *princip.* h. e. auctorem; cf. Cic. Tusc. I, 22. Phrasi vero, *principem esse* alicuius rei etiam Vellejus utitur lib. I, c. 14. „vel *magnificentiae* vel luxuriae *princeps* fuit.“

8. *quid est? — quid sit?* Itid. supra I, 2, 2. 3. *quid tristis es? — quid tristis sim?*“ vivo, resipisco. *illius*, Aeschini.

9. *prae meo com.* „Id est mei commodi comparatione,“ ut in Eunucho (II, 2, 8.) *Hic ego illum etc.* Do.

10. Maledicta, h. e. aut lenonis, aut Demeae, aut Micionis. *famam* sc. populi. Ph. V, 8, 18. *meum amor.* Heaut. II, 3, 110. *peccatum.* De raptu sc. amatae mulieris. Inter haec praecipue adversabatur *fama* meretricis de morib. certe Graecorum. Aristophan. N. 992. „Μήδ᾽εἰς ὀρχηστρίδος εἰσιέναι etc. — ne *fama* tua detrimentum capiat.“

11. *pote* pro, potest. Sic Valer. Flacc. Arg. IV, 680. *sed quisnam etc.* Itid. Plaut. Mil. II. 1, fin. „*Sed foris concrepuit* hinc a vicino sene. *Ipse exit.*“

# ACTUS II. SCENA 4.

## AESCHINUS. SANNIO. CTESIPHO. SYRUS.

*A.* Ubi ille est sacrilegus? *Sa.* (*secum*) me quaerit [a]). num quidnam effert [b])? occidi!
Nihil video. *A.* ehem! opportune, te ipsum quaero. quid fit, Ctesipho?
In tuto est omnis res: omitte vero tristitiam [c]) tuam.
*Ct.* Ego illam hercle [d]) vero omitto, qui quidem te habeam fratrem. o mi Aeschine,
O mi germane! ah, vereor coram in os te laudare amplius,
Ne id [e]) assentandi magis, quam quo [f]) habeam gratum, facere existumes.

a) L. Bemb. non per interrogat. melius. Vulg. *men* quaerit? b) Var. mss. *effertur. offert.* c) L. Bemb. *tristitiem.* d) Mu. ed. *facile* pro *hercle.* e) I. non hab. *id.* f) Al. *quod.*

„Mire Aeschinus servat advers. lenonem superbiam, qua ostenditur tanto esse alienior ab amorib. meretricis, quanto audacior in lenonem.“ Do.

1. *Ubi ille est etc.* Itid. Andr. III, 5, 1. *me quaer.* Cf. Eun. V, 6, 5. *num quidn. eff.* sc. argenti. Leno videlicet spe pretii accipiendi incitatus, Aeschino nihil efferente, misere exclamat: *occidi! Nihil video.*

2. *ehem.* „Interjectio repentinae rei.“ We. *opp. te ipsum etc.* Supra I, 2, 1. „Aeschinus nimirum fratre viso, cum illo disserit ita, ut animum prodat fraternum.“ Bi.

3. *In tuto est o. res.* Andr. III, 1, fin. He. IV, 3, 11. 30. *vero*, abundat, aut correptivum est.

4. *Ego illam hercle etc.* Ctesipho hic summa laetitia et admiratione affectus, fratrem prae ipsa amica amans, praeclare ostenditur. *te.* Acuitur *te* pronuntiatione. *o mi Aesch.* Suavissime blanditur.

5. *coram*, „ad ipsum pertinet qui laudat.“ Do. *vereor, in os te laud.* Hic congruum est, quod Aristotel. dicit, Rhet. II. ἐπαινεῖν παρόντα κολακείας ἐστι.

6. *assentandi* sc. causa. Huius ellipseos Sanctius exempla

*A.* Age, inepte! quasi nunc non[g] norimus nos inter nos, Ctesipho.
[h] Hoc mihi dolet, nos paene sero scisse, et paene in eum[i] locum
Redisse[l], ut si omnes cuperent, tibi nil possent auxiliarier.
*Ct.* Pudebat. *A.* ah, stultitia 'st istaec, non pudor, tam ob parvulam
Rem paene ex patria[m]? turpe dictu. Deos quaeso, ut istaec prohibeant.
*Ct.* Peccavi. *A.* quid ait tandem nobis Sannio? *Sy.* jam mitis est.
*A.* Ego ad[n] forum ibo, ut hunc absolvam; tu intro ad illam, Ctesipho.

g) Hoc *non* We. omitt. et *nunc* explicat emphatice *esse nunc* demum. h) Al. praemitt. *Sed.* i) Be. ing. *rem*, quasi haec vox ex Heaut. II, 3, 118. desideretur. l) C. G. m. sup. script. *tuum amorem.* Ibid. in marg. *quia tu fugam inires propt. amorem illius.* m) C. G. m. *excessisse.* Glossae speciem habet. n) Id. *apud.* Andr. I, 5, 19.

more suo congessit, Mil. I, 15. *quo hab. grat.* Sic Plautinum, Truc. II, 7, 56. „Dona accepta *grataque habeo.*" Similit. Cic. Q. Tusc. V, 15. *facere* sc. me.

8. *paene sero scisse.* „Intellige, puellam Cyprum esse deportandam, et pro mancipio vendendam." We.

9. *ut si o. cup. tibi etc.* Itid. Cic. Or. p. Rosc. A. 32. „*ut* testes *omnes*, *si cuperent*, interfic. *non possent.*"

10. *Pudeb.* „Sub. amorem meum aperire patri." We. *stultitia est.* „Ideo *stultitiam* vocat Aeschinus, quidquam celare patrem, quod ipse nihil celaret Micionem. Supra I, 1, 29." We.

11. *paene ex patr.* „Quia amatores comici cito comminantur, patriam se deserturos, ut amicas sequantur." Do. *turpe dictu.* Recte: quippe cum libero homini patria ceteris rebus omnibus, ne dicam meretrice, carior esse debet. Heaut. I, 1, 85. *Deos quaeso.* Verb. *quaeso* item adhib. Cic. Fam. III, 2, ut ab eo dependeat accusandi casus. *Di istaec etc.* Hac fere ratione Coenus ille Alexandrum regem, nomine militum, allocuturus, *Dii*, inquit, *prohibeant* a nobis impias mentes. Curt. IX, 3.

12. *tand. nobis*; cf. infra IV, 5, 31. *jam mitis est.* Contra illud I, 30. *mitis*, colaphis contusus. Eun. V, 7, 4.

13. *Ego ad forum — tu intro.* Disce hic, quam eleganter pronomina personarum, *ego*, *tu*, discernendi causa, sibi invicem opponantur; v. Priscian. lib. 10. *ad for. ibo.* Ubi scilicet tabernae erant argentariae, unde, pignore dato, sumere licebat, quantum opus esset argenti. Ph. V, 8, 28. 29. Not. Do.: „Tunc enim *in foro*, et de mensae scriptura magis, quam ex arca do-

*Sa.* (*submissa voce*) Syre, insta. *Sy.* eamus: namque hic properat in Cyprum. *Sa.* ne tam o) quidem;
Quamvis etiam maneo otiosus hic. *Sy.* reddetur: ne time.
*Sa.* At ut omne reddat. *Sy.* omne reddet. tace modo, ac sequere hac. *Sa.* sequor.
*Ct.* (*revocat illos secuturum*) Heus, heus, Syre! *Sy.* hem! quid est? *Ct.* obsecro hercle p), hominem istum impurissimum
Quam primum absolvitote, ne, si magis irritatus siet,
Aliqua q) ad patrem hoc permanet, atque ego tum perpetuo perierim.
*Sy.* Non fiet, bono animo es r): tu cum illa te intus oblecta interim,
Et lectulos jube sterni nobis, et parari cetera.
Ego jam transacta re convortam me domum cum obsonio.

o) Ibid. sup. script. *cito - ibo.* p) Be. ex veterr. *te.* q) V. I. *parte.* r) C. G. m. *esto*, atque insuper, explicandi causa, additum, *sis.* Hinc licet videre, quae nimia est cura glossatorum.

moq. vel cista pecunia numerabatur." *ut hunc absolv.* sc. Sannionem. Itid. Plaut. Epid. V, 1, 25. „*absolve* me atque argentum numera."

14. *insta* „sc. ut mihi argentum renumeretur." We.

15. *Quamv. etiam*, „pro, in quantum vis." Do. Liv. 38, 19. „convectis omnibus, quae ad usum *quamvis* longi temporis subficerent." *otios.*, h. e. sine negotio.

16. *omne*, non *dividuum*, ut supra 2, 33.

17. *impurissim.*, h. e. avarum. Eod. significatu Cic. p. Cluent. 25. „Quae pecunia simulatq. ad eum delata est, homo *impurissimus* statim coepit etc."

18. *Quam prim.* Pro quo Livius more suo diceret, „*primo* quoque tempore." *irritatus* sc. leno, si forte clamorem denuo tollat. Supra I, 26. Nam *irritari* proprie canes dicuntur. *ne hoc permanet*; cf. Plaut. Capt. II, 1, 25. „*Neve permanet* palam haec nostra fallacia."

19. *perp. perierim.* We. opinatur, Ctesiphoni timendam esse abdicationem et exheredationem. Cuius de causis v. Quinctil. Instit. VII, 4.

20. *tu cum illa te oblecta*; cf. sup. I, 1, 24.

21. *lect. jube sterni nob.* „Loquitur ex more servorum, quorum animus, heris vel gravis imis reb. districtis, semper in patinis erat." We.

22. *transacta re.* Par. „cum Sannione scilicet."

*Ct.* Ita quaeso, quando hoc bene successit, hilarem s) hunc sumamus diem.

s) Correx. Palmer. *hilare sumamus.* Qui vero id. *hilare* adverb. ab nomine *hilarus*, hodie *hilaris*, deductum esse probat.

23. *quando hoc etc.* Si *bene* ille fuerit absolutus; cf. v. 18. *hilar. hunc sumam. diem.* Infra V, 3, 68. *sumam.* pro consumamus. Solet autem animus hominum spe prosperi eventus excitari.

---

# ACTUS III. SCENA 1.

## SOSTRATA. CANTHARA.

*So.* Obsecro, mea a) nutrix, quid nunc fiet? *Ca.* quid fiat b), rogas c)?
Recte aedepol spero. *So.* modo dolores d), mea tu, occipiunt primulum.
*Ca.* Jam nunc times, quasi nusquam e) adfueris, nunquam tute pepereris.
*So.* Miseram me! neminem habeo: solae sumus. Geta autem hic non adest,

a) Al. *tu.* b) Sic l. Bemb. In antiq. *fiet.* Andr. V, 1, 21. c) Al. *rogitas.* d) V. I. *parturitionis.* e) Sic Be. e Cod. s. Petr. elegantius quam *nunqu.* vulg.

„Haec scena tragoediae ordinem servat. Nam tragoedia in tria dividitur, exspectationem, gesta et exitum.“ Do.

*Sostrata*, matrona, τὸν ςρατὸν σώζουσα, a salute copiarum.

1. *mea.* Pro blandimento ponitur. *nutrix*, honorificum est, ut Virg. A. IV, 634. „Annam, chara mihi *nutrix*, huc siste sororem.“ *quid nunc f. etc.* Supra II, 3, 8. Imploratio est magis trepidantis, quam interrogatio.

2. *Recte aedep. sp.* Sic Heaut. I, 1, 107. *mea tu.* „Haec pronomina benevolentiam audientis mercantur.“ Eu. *primulum.* Initium doloris diminutive demonstrat.

3. *adfuer.* Cf. Andr. IV, 4, 32.

4. *nemin. hab.* Cf. Eun. I, 2, 67. *solae sumus*; cf. Andr. II, 3, 7. *Geta non adest.* Apparatio est Poetae, qua ostendatur absens, qui superventurus est. *arcess. Aeschin.* Andr. IV, 2.

Nec [f]) quem ad obstetricem mittam, nec qui arcessat Aeschinum.
*Ca.* Pol is quidem jam hic aderit: nam nunquam unum intermittit diem,
Quin semper veniat. *So.* solus mearum est miseriarum remedium.
*Ca.* E re nata [g]) melius fieri haud potuit, quam factum 'st, hera,
Quando vitium oblatum est, quod ad illum attinet potissimum,
Talem, tali genere [h]) atque animo, natum ex tanta familia.
*So.* Ita pol est, ut dicis: salvus nobis, Deos quaeso, ut siet.

f) Be. ing. *est.* Quo nihil opus, quia praecedit *adest*, v. 4. g) Codd. Be. o. *natae.* Itid. C. G. u. h) Pro *genere* Be. fing. *ingenio.* Nihil enim interesse inter *genus* ac *familiam* fortiter contendit; ideo Do., qui in vulgata acquiescat lectione, satis laborare, quomodo *genus* ab *familia* distinguat. Atqui Do. distinguit inter ea, *genus* ad vivos referendo, *familiam* ad defunctos. Sunt qui *genus* pertinere existimant ad nobilitatem, *familiam* ad copias. Infra 3, 55. 57.

7. *solus mearum etc.* Cf. Heaut. III, 2, 28.

8. *E re nata.* Locutio obscurior. Usurpant quidem eodem fere sensu, *ex re nata* vel *pro re nata*, uti Cic. ad Attic. VII, 8. Not. Do.: „Sic dicimus proprie de iis, quae contra voluntatem nostram acciderunt;" ut h. l. ex vitio virginis; Far. ex Budaeo: *rem natam* dici, quae repente accidat, πρᾶγμα νεωστὶ συμβεβηκός." Add. Liv. II, 1. consilium *ex re* natum, h. e. quod ex praesenti rerum conditione capiatur. Ceterum Canthara videtur nostra cum Livio loqui dicente: saepe ex injuria postmodum gratiam ortam;" cum sermo illi est lib. I, c. 10. de Sabinorum virginibus raptorib. suis postmodo conciliatis.

9. *vitium oblat. est.* Sic Hec. III, 2 23. *ad illum* sc. auctorem. *potissim.* Cf. Andr. II, 6, 23.

10. *Talem.* „Laus scilicet a corpore, a fama, a pulchritudine." Do. *genere atq. animo.* Utraq. bona sunt, si quidem illud extrinsecus est, *animus* autem hominis ipsius. Nam Cicero constituit esse tria genera bonorum, maxima *animi*, secunda corporis, externa tertia. Tusc. Q. V, 30. *ex tanta fam.* „ex tam divite domo." Do. Heaut. IV, 8, 4.

11. *salv. ut siet.* Constructio verbor. ead. est, quae supra II, 4, 11.

# ACTUS III. SCENA 2.

## GETA. SOSTRATA. CANTHARA.

*G.* (*ad semetipsum*) Nunc illud [a]) est, quod si omnia omnes [b]) sua consilia conferant,
Atque huic malo salutem quaerant, auxili nil adferant,
Quod mihique heraeque filiaeque herili est. vae misero mihi!
Tot res repente circumvallant, unde emergi non potest,
Vis, egestas, injustitia, solitudo, infamia.
Hoccine saeclum [c])! o scelera! o genera sacrilega! o hominem impium [d])!

a) V. I. tempus. b) Sic Be. ex Codd. s. numerosius, quam Fa. *omnes omnia.* c) L. antiq. *saeculum*, versu repugnante. d) Pleriq. *impurum.*

,,Hic locus, secundum artem comicam, servum currentem exprimit, et nuntiantem mala. Maxima itaq. pars scenae motoria est.“ Do.

*Geta*, ,,servus, etiam gentile, a Getis, qui postea Gothi dicti.“ Mu. *Canthara*, ,,ἀπὸ τοῦ κανθάρου, a poculo, quod nutrix puero praeberet potum.“ Far.

1. *Nunc illud est.* ,,Utrum periculum? an tempus? Est enim ellipsis.“ Do. *quod si* pro, si simpliciter. Malebant olim Gu. et We. quum *si* pro, *quodsi*, ut sanior esset constructio. *cons. conf.* Cf. Heaut. III, 1, 64. 65. *si omnia omn. sua etc.* Locutio desperantis, cuius similis est supra, II, 4, 9.

3. *Quod* sc. malum. *mihiq.* Bene animadvert. Do. miram in servo fidem, quum primum se ponat in herili malo. *mihique heraeque filiaeque.* Poetae particulam *que* eleganter geminant vel ter aut quater repetunt. Sic inter al. Virg. A. 1, 89.

4. *Tot res r. circumv.* Cf. Andr. I, 5, 25. *circumvallare* de castris sumtum obsidendis aut muniendis. *unde emergi.* Quasi e silvis. Sic proprie Liv. 21, 25.

5. *Vis, egestas etc.* Quae singula Donato explicantur: ,,*Vis*, illata, *egestas*, ipsius puellae, *injustitia*, judicum illius temporis, *solitudo*, a defensoribus, *infamia*, ab iis qui credunt pretio vitiatam.“ Ex schol. *injustitia* est, quia, data fide, hanc aliam amat.

6. *Hoc saecl. o scel. etc.* Prius saeculum incusat, deinde

*Sa.* (*ad Cantharam*) Me miseram! quidnam est, quod sic video timidum et properantem Getam?
*G.* Quem neque fides neque jusjurandum, neque illum e) misericordia
Repressit, neque reflexit, neque quod partus instabat prope,
Cui miserae indigne per vim vitium obtulerat. *So.* non intelligo
Satis, quae loquatur. *Ca.* propius, obsecro, accedamus, Sostrata. *G.* ah,
Me miserum! vix sum compos animi, ita ardeo iracundia.
Nihil est quod malim, quam illam totam f) familiam mihi dari obviam,
Ut ego g) iram hanc in eos evomam omnem, dum aegritudo haec est recens.
Satis mi id habeam supplici, dum illos ulciscar modo.
Seni h) animam primum extinguerem ipsi, qui illud produxit scelus;

e) Do. monet, *illum* abundare. Ms. Par. 3. *ulla.* Quod vero, ut opinor, tribuitur magistellis, qui non saperent venustam pronominis, *illum*, abundantiam. f) R. non hab. *totam.* g) A plerisq. mss. *ego* abest. h) V. I. *Micioni.*

homines. Itid. Cicero exclamat, in Catil. I, 1. „o tempora! o mores!“ *o hom. imp.* „Aeschinum scilicet.

8. *illum*, venuste abundat. Sic Virg. A. V, 457. „nunc dextra ingeminans ictus, nunc *ille* sinistra.“ Itid. infra v. 17. *jusjurand.* Cf. infra v. 34.

9. *neq. reflex. neq.* τὸ *neque* saepe repetitum exaggerat crimen admissum. *partus* sc. ejus.

10. *vitium*, stuprum. *non. intell. Satis quae etc.* „Ad hoc Sostrata ignorans inducitur, ut malo nuntio repente feriatur.“ Do.

11. 12. *ah*, *Me mis.* Non desistit exclamare, nec videns nec audiens prae ardore animi mulieres interloquentes.

13. *Nih. est quod malim quam etc.* Cf. Hec. V, 2, 28.

14. *aegrit. h. recens.* Itid. Cic. Fam. X, 23. „Iracundias autem harum rerum *recentes* habebant.“

15. *Sat. m. id hab. etc.* „Moraliter loquitur: nam fere quando quisquam irascitur, sibi videtur fortis, tanq. qui plus audet.“ Do. Describit autem impetum ac deformitatem iratorum Lactantius, de Ira I, 1. *Sat. supplic.* Andr. V, 3, 32. *modo.* Praesentem expetit ultionem, dum fervet iracundia.

16. *produx.*, h. e. et genuit et educavit. Sic Plaut. Bacch. III, 3, 51. „qui illum *produxit* sibi.“ Hinc patet Demeam intelligi patrem, non Micionem.

Tum autem Syrum impulsorem, vah! quibus illum lacerarem modis?
Sublimem medium arriperem, et capite pronum [1]) in terram statuerem,
Ut cerebro dispergat viam;
Adolescenti ipsi eriperem oculos, posthaec praecipitem darem;
Ceteros ruerem, agérem, raperem, tunderem et prosternerem.
Sed cesso heram hoc malo impertiri propere? *Sa.* revocemus. Geta! *G.* hem,
Quisquis es, sine me. *So.* ego sum Sostrata. *G.* ubi ea est? te ipsam quaerito,
Te exspecto [1]): oppido opportune te obtulisti mi obviam,
Hera. *So.* quid est? quid trepidas? *G.* hem mihi! *So.* quid festinas, mi Geta?

i) Palmerius *pronum* restituit primus, quod vero vocabulum ob tantam similitudinem scripturae facile corrumpebatur in *primum*. In C. G. m. quidem script. invenio *pmū*, ut vix constet, utrum illorum verius legatur. Sed *primum* ex versu 16. huc migrasse verisimile est.
l) Be. *expeto* ex Cod. Acad.

17. *Syr. impuls.* Cf. Eun. V, 5, 18. „improbum adolescentis magistrum.“ We. *quib. ill. lacer. mod.* „Sic homo saevire cupit in hominem, ut lupus in agnum.“ Phaed. I, 1.

18. *in terr. stat.* praecipitarem *in terram.* Itid. Catull. 17, 8.

19. *dispergat* pro, dispergeret, in ore servi ejusq. irascentis condonandum.

20. *erip. oculos.* „Bene *oculos*, amoris indices, adjutoresq. flagitii.“ Do.

21. *ruerem.* „Impetum minitantis servi juvant tum litera canina r, saepius iterata hoc versu, tum asyndeton.“ We. Praeterea Sanctius recte monet in Min. I, 13. imperfecta, *arriperem, statuerem etc.* melius facere ad illustrandam rem, quam temp. futurum; dein, si optemus, semper nos futurum innuere, ut: „Utinam hoc contingeret.“ Quoad syllabas aequaliter finientes, cf. Eun. II, 3, 82, not.

22. *impertiri*, „participem facere.“ Eu.

23. *ego sum Sostr.* Cf. Andr. V, 6, 1. Qui fit h. l. ut qui vocatus est, non viderit vocantem? Do. putat, ab ira Getam impediri, quo minus videat. We. opinatur, aversum pallio prehensum a Sostrata.

24. *oppido*, valde. *opp. te obt. obv.* Cf. Andr. IV, 2, 3.

25. *quid festin.* Eun. IV, 3, 8. Omnino notamus, *festinare* dici perturbatos, properare occupatos vel jussos. v. Liv. 22, 49. fin.

Animam [m]) recipe. *G.* (*anima exhausta singultim*) prorsus. *So.* quid istuc prorsus ergo 'st? *G.* periimus,
Actum 'st. *So.* loquere ergo, obsecro te, quid sit. *G.* jam. *So.* quid jam, Geta?
*G.* Aeschinus. *So.* quid is ergo? *G.* alienus est ab nostra familia. *So.* hem,
Perii! quare? *G.* amare occepit aliam. *So.* vae miserae mihi!
*G.* Neque id occulte fert, ab lenone ipsus eripuit palam.
*So.* Satin' hoc certum [n]) 'st? *G.* certum; hisce oculis egomet vidi, Sostrata. *So.* (*lacrimans*) ah,
Me miseram! quid jam credas? aut cui credas? nostrumne Aeschinum?
Nostram omnium vitam, in quo nostrae spes omnesque opes sitae
Erant: qui sine hac jurabat se unum nunquam victurum diem:

m) Sic l. Bemb. In antiq. *animum.* n) Var. *certum. certo. certe.*

26. *anim. recipe*; cf. He. II, 2, 12. *respira. periim. Act. est.* „Bina verba junguntur. Verba sunt desperationis." Do.

27. *loquere.* Do. explic.: „Bene, *eloquere.* Nam conatur tantum, quod non intelligitur. Jam plus gestu quam dictis agitur." Ex his enim explicandi verbis cognoscitur, Do. *eloquere* legisse. *jam.* Exhausta anima nondum se collegit. *quid jam?* Repetit *τὸ jam*, ut supra *prorsus*, v. 26.

28. *alien. est ab n. fam.* Cf. v. 40. „Bene, *alienus.* Getae namq. ipsi jam dominus, Sostratae gener, Pamphilae maritus vocabatur." Do. Hec. IV, 4, 36.

29. *amare occepi.* „Pejus est *amare occepit*, quam amat etc." Do. *vae mis. mihi.* „Mire interponitur mulieris affectus novo nuntio." Id.

30. *occulte fert.* Opp. *palam* ferre, *proferre*, infra v. 41. *ab lenone* pro, lenoni. Sic Cic. p. Marcello 10. „arma *ab aliis erepta* sunt."

31. *hisce oculis eg. vidi*; cf. Heaut. III, 3, 3.

32. *Me miss.* Sostratam lacrimare, ex verbis Getae patet, infra v. 37. *quid j. cred.* Cf. Heaut. II, 3, 15. Tam levia, inquit, nunc sunt ingenia hominum, ut vix sciamus, quid et cui credamus. *nostr. Aesch.* sc. hoc fecisse.

33. *vitam*, gaudium, delicias. *in quo n. spes etc.* Comice junguntur *spes* et *opes.* Infra IV, 9, 35. *qui sine hac jurabat etc.* Itid. Plaut. I, 1, 92. „Profecto nullo pacto possum *vivere*, Si illa a me abalienatur."

Qui se in sui gremio positurum puerum dicebat patris [o]),
Ita obsecraturum, ut liceret hanc sibi uxorem ducere.
*G.* Hera, lacrumas mitte, ac potius, quod ad hanc rem opus est porro, consule [p]).
Patiamurne? an narremus cuipiam? *Ca.* au au, mi homo! sanus es?
An hoc proferendum tibi videtur usquam esse [q])? *G.* mi quidem non placet.
Jam primum illum alieno animo a nobis esse, res ipsa indicat.
Nunc si hoc palam proferimus, ille infitias ibit, sat scio.
Tua fama et gnatae vita in dubium veniet. tum si maxume
Fateatur, cum amet [r]) aliam, non est utile hanc illi dari [s]).
Quapropter quoquo pacto tacito [t]) 'st opus. *So.* ah, minume gentium,
Non faciam. *G.* quid ais? *So.* proferam. *Ca.* hem, mea Sostrata, vide quam rem agas.
*So.* [u]) Pejore res loco non potest esse, quam in quo nunc sita 'st,

o) L. antiq. *patrem.* Al. *patres.* p) L. Vatic. *prospice.* q) Un. Reg. Be. non hab. *esse.* Ceterum haec integra *Cantharae* verba, We. teste, in mss. quibusd. et Edd. vetust. *Sostratae* tribuuntur. r) I. *amat.* s) C. G. m. *dare.* Sed e in fine mutatum apparet a manu alicuius imperiti. Ead. lect. est Bru. Cod. editi. t) Plur. vetusti *celato.* u) Ms. Pal. 3. praemitt. *In.*

35. *Qui se in sui etc.* Ordo est, *Qui diceb. se puer. pos. in grem. patr. sui*, Micionis. *puerum*, nempe qui nasceretur. Hunc morem veterem spectari, quidam ostendere volunt ex Homer. Iliad. 9, 453.

36. *Ita*, postea. *hanc.* Scilicet ex qua suscepisset natum.

37. *ad hanc rem*; cf. V, 3, 2.

38. *Patiamur.* Sub. injuriam illatam.

39. *proferend.* Ellips. *palam*; cf. v. 41.

41. *ille inf. ib.* gravidam a se esse Pamphilam.

42. *vita*, salus. Andr. V, 1, 3.

43. *Fateatur*, vitiasse puellam. *cum amet aliam.* Geta enim audivit, Aeschinum lenoni eripuisse psaltriam, quam suam esse credit amicam. *hanc*, Sostratae filiam.

44. *Quapropt.* Concludendi particula, rationib. inde a v. 40. praemissis. *tacito*, ut taceatur partus.

45. *Non fac.* *Non* tacebo. Eun. II, 3, 98.

46. *Pejore res loco etc.* Hac ratione nititur Sostrata, se rem palam faciendo nec sibi nec filiae majus incommodum esse contracturam, quam quo jam nunc prematur. *sita*, posita.

Primum indotata est; tum praeterea, quae secunda ei dos erat,
Periit: pro virgine dari nuptum non potest. hoc reliquum est,
Si infitias ibit, testis mecum est annulus, quem ipse [x]) amiserat.
Postremo quando ego mihi sum conscia, a me culpam esse hanc procul,
Neque pretium, neque rem intercessisse [y]), illa aut [z]) me indignam, Geta,
Experiar. *G.* quid istuc [a])? accedo, ut melius dicas [b]). *So.* tu, quantum potes,
Abi, atque Hegioni cognato huius rem enarrato omnem ordine.
Nam is nostro Simulo [c]) fuit summus, et nos coluit maxume.
*G.* Nam hercle alius nemo respicit nos. *So.* (*a scena recedit*) propera [d]) tu, mea Canthara,

x) L, antiq. non hab. *ipse.* y) C. G. m. *ullam* ante *intercessisse.* z) Par. p. var. *illam autem.* Etiam C. G. m. hab. *illam*, cui voci subscript. *culpa.* a) L. Bemb. *istic.* b) In uno ms. Leidens. We. teste sup. script. est, *hanc causam.* c) V. I. *merito.* d) Be. ed. *propere*, ut Andr. V, 6, 15.

47. *indotata*, pauper. *secunda dos*, h. e. illibata pudicitia. Sic Plaut. Amph. II, 2, 209.

49. *test. mec. est annul.* „*Annulus* est penes me, *testis*, Pamphilam ab Aeschino esse vitiatam.

50. *quando* „pro quoniam.“ Do. *hanc*, quoad virgin. vitiatam. *a me culp. esse h. proc.* Similit. Phaed. I, 10, 5.

51. *Neq. pret. neq. rem etc.* „Q. d. nihil quod nomine vel specie venire possit.“ We. *neq. rem me indign.* Honeste dicit, *rem me indignam.* Sed nec *illa*, sc. virgine, nec matre *indigna* intercessit *res*, quae omnem spem nubendi auferret.

52. *Experiar.* „Apud judices agam.“ Do. Sic Cic. p. Rosc. 9. „*experiri* judicio.“ *quid ist.* Verb. aegre consentientis. Perizon. ad Sanct. M. explic. *istuc* pro huc, vel hoc, generis neutrius. *accedo ut mel. dic.* Varie capiunt haec interpretes. Quorum vero haud ullum habeo, cui totum me addicam. Certum tamen est, Getam, rationibus Sostratae auditis, de proferenda illa re persuasum, tandem accedere ad dominae sententiam.

53. *hujus*, puellae. *rem en. omn. ord.* Cf. Eun. V, 4, fin.

54. *Simulo.* „*Simulus* Sostratae maritus, pater puellae vitiatae ab Aeschino, hic est ὁ σιμύλος.“ Mu. *summus* sc. amicus; cf. Andr. V, 6, 6. *nos col.* Infra V, 8, 4.

55. *respic. nos.* „Quod dicitur, providet, consulit nobis. Respicit vero potentior humiliorem.“ We.

Curre, obstetricem arcesse; ut, cum opus sit [*]), ne in mora nobis siet.

*) C. G. m. colloc. *op. cum sit.*

56. *Curre.* Servorum est *currere*; cf. Heaut. Prol. v. 37.

---

## ACTUS III. SCENA 3.

### DEMEA. SYRUS.

*De.* Disperii! Ctesiphonem audivi filium
Una adfuisse [a]) in raptione cum Aeschino.
Id misero restat mihi mali, si illum potest,
Qui alicui [b]) rei est, etiam eum [c]) ad nequitiem [d]) adducere.
Ubi ego illum [e]) quaeram? credo abductum in ganeum
Aliquo. persuasit ille impurus [f]), sat scio.
Sed eccum Syrum ire video. hinc scibo jam, ubi siet.
Atque hercle hic de grege illo [g]) est: si me senserit

a) Plurim. mss. *affuisse.* L. Bemb. *fuisse.* b) C. G. m. *alicuius.* Sup. script. *utilitatis.* c) Lindenbr. omitt. *eum*, quod Par. narrante abundat. d) Al. *nequitiam.* Sed Faerno sapit antiquitatem magis illud. e) V. I. *Ctesiphonem.* f) V. I. *Aeschinus.* g) Id. *raptorum.*

„Hic ostenditur, quod severi homines, ac recti et honesti tenaces, vel ridiculi sunt, vel odio habentur, quoquo accesserint.“ Do.

1. *Disp. Ctes. aud. fil.* „Magno affectu et quasi exclamantis, addidit filium: quasi causam redderet cur dixerat, *Disperii.*“ Do.

3. *Id rest. mihi mali*; cf. Ph. V, 5, 3. „Bene *restat*, tanq. jam summum malum sit, Aeschinum esse corruptum.“ Do.

4. *alicui rei est*, idoneus homo frugi. Supra dixerat Ctesiphonem, *Rei op. dare*, 1, 2, 15. *eum*, per pleonasm. uti supra 2, 17. *Syr. quib. illum.*

5. *in gan.* Cf. Heaut. V, 4, 11. Itid. Plaut. Men. V, 1, 3. „Immersit *aliquo* sese in *ganeum.*“ „Veteres *ganeum* meretricium tabernas dixerunt; ἀπὸ τῷ γᾶς, quod ipsa sit in terra.“ Do.

Eum quaeritare, nunquam dicet carnufex.
Non ostendam id me velle. *Sy.* omnem rem modo seni,
Quo pacto [h]) haberet, enarramus ordine.
Nil vidi quicquam laetius. *De.* proh Jupiter!
Hominis [i]) stultitiam. *Sy.* collaudavit filium;
Mihi, qui id dedissem consilium, egit gratias.
*De.* Disrumpor. *Sy.* argentum [l]) adnumeravit ilico,
Dedit praeterea in sumtum, dimidium minae.
Id distributum sane est ex sententia. *De.* hem,
Huic mandes, si quid recte curatum velis.
*Sy.* Ehem, Demea, haud adspexeram te. quid agitur?
*De.* Quid agatur? vostram nequeo mirari satis
Rationem. *Sy.* est hercle inepta, ne dicam dolo,

h) Pleriq. Codd. *se* refragante metro. i) V. I. *fratris mei.* l) Id. *quod daretur lenoni pro puella.*

9. *nunq. dicet*, sc. ubi sit Ctesipho.

10. *Non ostend.* pro, dissimulabo. Ita Simo in Andr. III, 4, 9. *omn. rem*; cf. supra 2, 53. *seni*, Micioni; cf. supra 2, 73, 74.

11. *enarramus* pro, *enarravimus*, quod al. mss. legunt.

12. *Nil vidi quicq. laet.* „Id significat, Micionem non tulisse aegre raptionem fidicinae factam ab Aeschino.“ We. *proh Jup.* Cf. Andr. IV, 3, 17. Syrus Demeam ita illudit, ut in hunc cadat illud Ciceron.: „Sed quia stomachabantur, *ridiculi* videbantur esse.“ Orat. in Verr. I, 46.

13. *stultitiam.* Nempe qua indulgeat flagitiis Aeschini. *collaud.* De Micione agit dissimili fratris. *filium.* „Aeschinum scilicet φιλάδελφον, qui fratris causa id fecerat, ut majus malum averteret.“ Bi.

15. *Disrumpor* sc. dolore. *argent.* Supra II, 1, 37. 38. *adnum. ilico.* Nota utrumque, et *adnumeravit, et ilico.*

16. *in sumt.* Intellige, Syro et conservis; unde viverent lautius. Latini dicunt, cum *in sumtum dare*, tum *in sumtum habere*, ut Cic. Fam. 9, 20. *dimid. minae*; cf. Heaut. III, 1, 66.

17. *distribut.* Sub. in singulos lautiores cibos parandos; uti mox infra ostenditur. *ex sententia*, ex voto. Sic Cic. Qu. Acad. IV, 51. „*ex sententia* navigare.“

18. *Huic mand. si quid etc.* Hoc fere id. Ph. IV, 4, 7. 8. prius tamen in Plaut. Asin. I, 107. „Eid. homini, *si quid curatum velis, Mandes.*“ vid. Lindenbr. Obss. Et Do. not.: „Ironia est majoris stomachi, quia ille dixit, *ex sententia distrib.*, hoc est, ut judicat Demea, dilapidatum.“ Do.

19. *haud adspex.* Dissimulat enim adspexisse.

20. *neq. mir. sat.* Cf. Eun. III, 4, 9. *vestr.* Scilicet non Syri solum, sed etiam sodalium.

21. *Ration.* Signific. aut modum agendi, eumq. malum, ut infra V, 3, 26. aut arithmetice, *rationem* commodi; cf. supra II, 1, 54. Hac enim significatione recte Demea uti videtur, cum Syrum viderit de eo, quod in sumtum suum acciperet, gauden-

Atque absurda. (*avertit se a Demea clamitans conservis*) pisces ceteros purga, Dromo;
Congrum istum maxumum in aqua sinito ludere
Paulisper. ubi ego venero [m]), exossabitur:
Prius nolo. *De.* haeccine flagitia! *Sy.* mihi quidem non placent.
Et clamo saepe: salsamenta haec, Stephanio,
Fac macerentur pulchre. *De.* Di vostram fidem [n])!
Utrum studione id sibi habet [o]), an laudi putat
Fore, si perdiderit gnatum? vae misero mihi!
Videre videor jam diem illum, cum huic egens
Profugiet aliquo militatum. *Sy.* o Demea [p])!
Istuc est sapere, non quod ante pedes modo 'st
Videre, sed etiam illa, quae futura sunt,

*Soph. Oed. rex 130*

m) Al. *rediero.* n) V. I. *testor.* o) Al. *habeat* male. p) V. I. *adulando.*

tem. *est hercle inepta.* Assentit seni, aliter sentiens; quod est comicum. *ne dic. dolo.* Plautinum est pro, ne mentiar.

22. *purga*, desquama, exentera. „Animus ita est Syri in patinis, ut Demeam non nisi παρεργῶς adloquatur." We. Hic locus ex Plaut. est Aul. II, 9, 1. totus expressus.

23. *Congr.* Graece γογγρὸς, piscis in deliciis, maxime ex Sycione advectus. *ludere.* Proprie ludere pisces dicuntur. Cic. Arat. car. v. 328. Et Ovid. Met. IV, 685.

24. *exossab.* Plaut. Amph. I. 1, 162 seqq. „*Exossatum* os oportet." ubi Taubm. „Exos et edentatum ac contritum."

25. *Prius nolo.* Superbe et pro auctoritate. *haec flagitia* sc. servorum. *non plac.* Ambiguitas comica, aut ad ips. senem, aut ad conservos dicentis.

26. *clamo saepe.* „Ergo quae sequuntur, cum clamore et stomacho pronuntianda." We. *clamo*, „repugno." Schol. *sals. h. Steph. Fac etc.* „In hac comoedia opera danda est, ut stomachetur Demea: excepto quod se ipse in fine commutat. Haec ergo causa est, quare Syrus quoque illi objicitur, magnifice inferens se ut luxuriosum licentemq. servum, praesertim qui adolescentum paedagogus fuerit." Do. *salsam.* Cf. Plaut. Poen. I, 2, 33. „*salsa* muriatica; nisi multa aqua et diu macerantur."

28. *Utr. stud. id sibi etc.* Itid. Cic. Rab. 4. „*uter* nostrum, Labiene, popularis est, *tune an ego?*" Non est igit. tmesis, uti Ru. opinatur, pro *Utrumne. stud. id sibi hab.*, h. e. id sibi constituit consultum; aut sciens laedit filium. *hab.* sc. Micio.

29. *si perd. gnat.* Cf. supra I, 1, 36.

30. *Videre videor.* Itid. Cic. Fam. 16, 21. „*videor* enim *videre te etc.*" *egens Profug. aliq. mil.* Cf. Heaut. I, 1, 65. Pro patria namque militare sola laus habebatur, foris minime.

32. 33. *Ist. est sap. non quod etc.* Eod. fere modo Cic. Or. p. Mur. 2. „Est boni consulis, non solum videre, quid agatur, verum etiam videre, *quid futurum sit.*" Et Pindar. Od. Isthm. VIII, 26. 27. τὸ πρὸ ποδὸς ἄρειον αἰεὶ χρῆμα πᾶν. Quae vero sen-

Prospicere. *De.* quid? istaec jam penes vos psaltria est?
*Sy.* Ellam[q] intus. *De.* eho, an domi est habiturus? *Sy.* credo, ut est
Dementia. *De.* haeccine[r] fieri? *Sy.* inepta lenitas
Patris, et facilitas prava. *De.* fratris me quidem
Pudet pigetque. *Sy.* nimium inter vos, Demea, ac
Non quia ades praesens dico hoc: pernimium interest.
Tu, quantus quantu 's, nil nisi sapientia es;
Ille somnium. sineres vero tu illum tuum
Facere haec? *De.* sinerem illum[s]? an non sex totis mensibus
Prius olfecissem, quam ille quicquam coeperit[t]?

q) Par. ms. *Est haec jam.* Quae quidem interpretatio mihi videtur vocis *Ellam* minus obviae. r) Al. add. *flagitia.* s) V. I. *hoc agere.* t) In aliq. libb. script. est *coeperet.* Effertur enim e pro i. Sic est, ut Nahmacherus testatur, in Aletrii marmore: CEPET pro cepit. Ceteram distinctionem Bentleji sequor, non ut vulgo fit, ab *modo*, sed ab *Ut* incipientis versum.

tentia h. l. ea poterat videri, ut servo vix digna haberetur. Vix quidem. Sed servus interdum vulgaria excedit; quemadmod. Davus Horatii docet Crispini sapientiam. Sat. II, 7, 45.

34. *psaltr.* „*Psaltriae* modulata voce canebant, simulq. *psalterium* faciebant, et in ganeis ac fornicibus versabantur.“ Fab. Addend. est Liv. 39, 6. qui dicit, *psaltrias* etiam haberi inter oblectamenta epularum. Et Suidas vid. v. *ψάλλειν.*

35. *Ellam*; cf. Andr. III, 3, fin. ubi not.. *domi est hab.* Proprie; quia *haberi uxor* dicitur, et *haberi mulier*, Andr. V, 3, 18. It. Cicero, Fam. XIV, 4. ad Terentiam: „si te *habebo.*“

36. *inepta lenitas.* Quam scilicet ille nimis ignoscendo ostendat.

38. *nim. inter vos.* „Syrus risor ita adulator seni, ut hunc plane spectatorib. deridendum propinet. Atque is iracundus nihil videt veri.“ Bi.

39. *ades praesens.* Plaut. Amph. III, 3, 23. „praesens non *ades.*“ „Est autem summa assentationis species in eo, qui adulatur maxime, dum se minime adulari ostendit.“ We.

40. *quant. quantus*, pro quantuscunque. Cic. Attic. 12: 24. „*Quanti quanti*, bene emitur, quod necesse est.“ *nil. nisi sap. es.* Do. acute animadvertit, ridicule *nihil* esse praemissum, priusquam veniatur ad *sapientia.*

41. *Ille somnium.* „vana res.“ Schol. Sensus: Micio nihil ad te, prorsus tibi postponendus.

42. *Facere haec*; cf. supra I, 2, 27. 28. Quasi praesens illic adfuisset, hic loquitur. *sex tot. mens.* Eun. II, 3, 41.

43. *Prius olfeciss. quam etc.* Totum ridicule dictum. *olfeciss.* pro sensissem. Sic it. Cic. odorari usurpat, Att. 4, 14.

*Sy.* Vigilantiam tuam tu mihi narras? *De.* sic sit modo,
Ut nunc est, quaeso. *Sy.* ut quisque suum volt esse, ita 'st.
*De.* Quid eum? vidistin' hodie? *Sy.* tuumne filium?
(*ad spectatores*) Abigam hunc rus. (*ad Dem.*) jam dudum aliquid ruri agere arbitror.
*De.* Satin' scis, ibi [u]) esse? *Sy.* oh! qui [x]) egomet produxi. *De.* optume 'st.
Metui, ne haereret hic [y]). *Sy.* atque iratum admodum.
*De.* Quid autem? *Sy.* adortus jurgio est fratrem apud forum
De psaltria hac [z]) *De.* ain' vero? *Sy.* vah, nil reticuit.
Nam, ut numerabatur forte argentum, intervenit
Homo de improviso, coepit clamare, „o Aeschine!
Haeccine flagitia facere te? haec te admittere
Indigna genere nostro?" *De.* oh! lacrumo gaudio.

u) L. antiq. *eum*, quod nec Fa. nec Be. in ullo vidit. x) Var. *quin. quem.* y) V. I. *societati Aeschini.* Mss. quid. *huic* pro *hic.* z) Sic a Be. ego recepi addita ratione perductus. Vulg. *istac.*

44. *Vigilant. t. t. mihi narras?* Indicat, non opus esse, quam noverit, narratam. *sic sit modo*, sc. maneat. Laudat suum filium; quo perductus est ironice a Syro, v. 41.

46. *Quid eum?* Initium interrogationis futurae de persona alicujus. *vidist. hod.* Eun. IV, 4, 45. *tuumne fil.* Producit orationem, ut qui non habet, quid respondeat.

47. *Abigam.* „Ut pecudem, dixit, *Abigam*, non ut hominem." Do. *Abigi* namq. pecudes dicuntur, vel animalia omnis generis, ut „anseres de frumento," Plaut. Truc. II, 1, 41. „muscae," in Phaed. fab. 23, lib. IV.

48. *qui egom. prod.* Quasi magister et paedagogus.

49. *ne haer.* *Haerere.* Verb. de ave translatum, visco decipientis aucupis capta.

50. *Quid* pro, propter quid?

41. *De psaltr. hac.* Supra v. 34. *hac.* Dicit *hac*, opinor, intuens oculis domum Micionis.

52. *ut* pro, dum *numerab.* Cf. supra v. 15.

54. 55. *Haec. flag. fac. te etc.* Comice filium ita loquentem facit, ut supra v. 25. ipsum patrem. Notandum est, ubi infinitivus cum accusativo per interrogation. jungatur, ibi grammaticos putare subaudiendum, credibile est, vel, possibile est. *haec te admitt.* Talia Ctesiphonem et dixisse et fecisse, facile credet pater, qui supra dixit, I, 2, 14. 15. *Si conf. exempl. est etc.* „Unde mira arte Poetae et initia et media et postrema sibi congruunt atque respondent." Do. *lacrumo gaudio.* „Immoderata laetitia interdum lacrimas habet." Do.

*Sy.* ,,Non tu hoc argentum perdis, sed vitam tuam."
*De.* Salvus sit, spero; est similis majorum suum. *Sy.* hui!
*De.* Syre, praeceptorum plenus istorum ille. *Sy.* phy!
Domi habuit unde disceret. *De.* (*falsis laudib. Syri elusus*) fit sedulo.
Nil praetermitto, consuefacio; denique
Inspicere, tanquam in speculum [a]), in vitas omnium
Jubeo; atque ex aliis sumere exemplum sibi:
,,Hoc facito." *Sy.* recte sane. *De.* ,,hoc fugito [b])." *Sy.* callide.
*De.* ,,Hoc laudi est." *Sy.* istaec res est. *De.* ,,hoc vitio datur."
*Sy.* Probissume. *De.* porro autem... [c]) *Sy.* non hercle otium 'st
Nunc mi auscultandi. pisces ex sententia
Nactus sum: hi mihi ne corrumpantur, cautio 'st;

a) Par. ms. *in speculo* male. b) V. I. *dico illi.* c) C. G. m. in marg. ,,*iterum volebat loqui de filio.*" Recte. Syrus enim interpellat.

56. *argent. perd.* Cf. Heaut. III, 1, 65. *vitam*; cf. 2, 42.

57. *Salv. sit sp.* Similis optatio, v. 44. 45. Verb. *spero* prioribus puto jungendum, non, ut alii, sequentibus. In hac distinctione etiam We. mecum consentit. *suum* pro suorum. *hui*, quasi admirantis.

58. *praecept. plenus etc.* Itid. fere Eun. I, 2, 25. Quoad sententiam cf. Cic. de Offic. I, 1. ad Marc. filium: ,,te abundare oportet *praeceptis* institutisq. philosophiae." ubi not. Heusinger: ,,*Abundare* praeceptis non est, eruditum esse, sed copia praeceptorum circumfluere." Itid. hic. *phy*, gr. *φῦ*. ,,Interjectio mirantis est." Do.

59. *Domi hab.* Plaut. Truc. II, 5, 4. ,,*domi* modo docta dictito." *unde*, de quo, i. e. Demea patre.

61. *Inspic. tanq. in spec.* Proprie Plaut. Amph. I, 1, 286: saepe *in speculum inspexi.* Sed hunc Terentii locum plus vel minus spectant Phaedr. III, 8, 14. Horatius, Serm. I, 4. et Cic. de Offic. I, 41. ubi not. Heusing. hanc scilicet liberis suis praecipiendi rationem patrib. olim probatissimam fuisse patere ex hoc loco Terentii. Atque notum est, Socratem monuisse juvenes formosos, ut consulerent *speculum*, et sibi pulchram formam adstruerent.

62. *ex al. sum. exempl. sibi.* Itid. Heaut. I, 2, 36.

63. *recte sane.* Similit. Horat. Sat. I, 4, 133. *callide.* ,,*Callidus* dicitur, qui callum sibi usu artis induxerit." Do.

66. *pisces ex sententia*; cf. supra v. 17. 22. Ad rem suam redit, unde se simulat aberrasse molesto Demeae interventu.

67. *ne corrump.* s. negligantur. Sic Phaed. II, 8, 21. ,,*corruptos boves.*"

Nam id nobis tam flagitium 'st, quam [d]) illa, o Demea,
Non facere vobis, quae modo dixti; et, quod queo,
Conservis ad eundem istunc praecipio modum:
„Hoc salsum 'st, hoc adustum 'st, hoc lautum 'st parum;
Illud recte: iterum sic memento [e])!" sedulo
Moneo, quae possum pro mea sapientia.
Postremo, tanquam in speculum, in patinas, Demea,
Inspicere jubeo, et moneo, quid facto usus sit.
Inepta haec esse, nos quae facimus, sentio;
Verum quid facias? ut homo 'st, ita morem geras.
Numquid vis? *De.* mentem vobis meliorem dari.
*Sy.* Tu rus hinc ibis [f])? *De.* recta [g]). *Sy.* nam quid tu hic agas,

d) V. I. *sicut flagitium est, filium non optemperare patri.* Infra v. 80. e) Al. *mementote.* f) L. antiq. *abis.* g) Sic l. Bemb. solus, ut Fa. testatur; ceteri omnes, *recte.*

68. *flagitium est.* Reddit veterator ille vocem *flagitium,* qua senex familiarissima sibi abutitur ad quaevis peccata juvenum, Aeschini inprimis, designanda.

69. *quod queo.* Non, quod possum, dixit, sed *quod queo.* A *coquendo* enim sumsit παρόμοιον. Sic in Andr. I, 1, 4.

70. *ad eund. ist. mod.* Plenius ita: Ad quem mod. tu Demea tam multa praecepisti filio, ad *eund. ist.* ego *praecipio mod.* conservis.

71. *hoc laut. est parum.* Quasi *lautae* dapes *dimidio minae* pararentur. Supra v. 16.

72. 73. *sedulo Moneo.* Allusio Syri est ad sermonem Demeae, v. 59, 60. Atque Syrus ita, ut illic senex solet, ab aliis vituperatis ad suam ipsius laudationem descendit. *sapientia.* Quod callidus assentator seni attribuerat, supra v. 40, hoc id. nunc sibi assumit. Nam liquet Syrum, per vocem *sapientiae,* proprium sensum gustandi pro coqui more facetius indicare.

74. *tanq. in spec. in patin.* His alludit ad verba senis sup. v. 60. *Postremo.* Ipsum *Postremo* τῷ *denique* senis comice respondet.

76. *Inepta esse etc.* Haec dicendo etiam senem *inepta* facientem redarguit.

77. *Verum quid fac.* Cf. Ovid. Met. II, 187. *Quid faciat?* Sic solent in dubitatione. *ut homo est, ita etc.* Locus ex Plaut. Most. III, 2, 54 desumtus. Q. d. ut hominum ingenia sunt, ita est illis obtemperandum.

78. *ment. v. mel. dari.* „*Bonam mentem* precabantur iis, quos insanire vel sibi male consulere judicabant" Ru. Contra proverb. illud: „Di tibi *dent* tuam *mentem*;" v. Erasm.

79. *Tu rus h. ib.* Magis admonitio quam interrogatio est.

Ubi, si quid bene praecipias, nemo obtemperet? (*abit.*)
*De.* Ego vero hinc abeo, quando is [h]), quamobrem huc veneram,
Rus abiit. illum curo unum, ille [i]) ad me attinet.
Quando ita volt frater, de istoc ipse viderit.
Sed quis illic est, procul [l]) quem video? estne Hegio,
Tribulis noster? si satis cerno, is hercle, vah!
Homo amicus nobis jam inde a puero. Dii boni!
Nae illiusmodi jam magna nobis [m]) civium
Penuria 'st — homo antiqua virtute ac fide.
Haud cito mali quid ortum ex hoc sit publice.
Quam gaudeo! ubi etiam huius generis reliquias

h) V. I. *Ctesipho filius.* i) Alia est Be. lectio, atque ejus distinctio haec, *illum curo: unum illud.* Qua vero mutatione, ut pace viri dicam, sensus magis obscurari quam illustrari mihi videtur. l) Vox *procul* in plur. mss. variam sedem habet. m) Sic colloc. Be. In l. antiq. *nob. magna*, minus numerose.

80. *Ubi si quid b. praec. nemo etc.* Itid. Liv. II, 27. „neque, quum decresset (consul), quisquam *obtemperabat.*"

81. *is quamobrem.* Nova locutio pro *is* propter quem. Hec. III, 5, 22. Sic Do. Al. refer. *quamobr.* ad *rus abiit*, quod minus probatur.

82. *ill. curo un.* Cf. supra I, 2. 50. *ille ad me.* Geminatur *illum* et *ille* emphatice utrumq. ad Ctesiphon. referendum. Ita Cic. ad Attic. I, 16.

83. *de istoc ipse vid.* Par. in marg. „Formula alieno arbitrio rem permittentis etc." vid. Senec. de Benef. II, 14.

84. *Sed quis etc.* „Inventa causa est, cur non abeat Demea, propt. reliquam fabulae partem." Do. est. Heg. cf. 2, 53.

85. *Tribul. nost.* „Non convenit inter scriptores de numero tribuum apud Atticos. Vulgo duodecim statuuntur." We. *Tribulis* ap. Romanos dicitur, qui ex tribu est. Cic. Fam. XIII, 58. Graecis est *tribulis*, ὁμόφυλος, ex ead. tribu. Add. Liv. V, 30. „dissipati per tribus suos quisque *tribules* prensantes." *si sat. cerno*; cf. Heaut. II, 4, 25.

86. *Homo amic. nob. jam etc.* Itid. Plaut. Capt. III, 4, 112. „Philocrates *jam inde* usque *amicus* fuit *mihi a puero* puer." *Homo amicus*; cf. Plaut. Bacch. V, 2, 37. „*amico homini.*" Nomen *amicus*, ut adjectiv. valet cum dativo junctum, more etiam Ciceronis.

89. *Haud cito mali etc.* „Utrum hoc optantis est, ne moriatur? an est testimonium vitae hominis, nunq. obfuturi reipublicae?" Do. Quorum posterius magis verum esse videtur. *cito* pro, facile. *ex* pro, ab. *quid*, aliquid.

90. *huius gen. reliq.* Quoniam dixerat, *illiusmodi civ. Penuria* v. 87. 88.

Restare video. vah! vivere etiam nunc lubet.
Opperiar hominem hic, ut salutem et conloquar.

91. *viv. et. nunc lub.* Hunc locum Plinius poterit illustrare de Imp. Trajano dicens: „Inde alii se satis *vixisse* te viso, te recepto, alii *nunc* magis esse vivendum praedicabant.“ Paneg. 22.

92. *Opper.* Cf. Andr. IV, 2, 31. Ph. IV, 2, 9.

---

## ACTUS III. SCENA 4.

### HEGIO. GETA. DEMEA. PAMPHILA.

*H.* Pro Di immortales! facinus indignum, Geta!
Quid narras? *G.* sic est factum. *H.* ex illan' familia
Tam illiberale facinus esse ortum? o Aeschine,
Pol haud paternum istuc dedisti. *De.* (*secum*) videlicet
De psaltria hac [a]) audivit. id illi nunc dolet
Alieno. pater is nihil pendit [b]). hei mihi!
Utinam hic prope adesset alicubi, atque audiret haec [c]).

a) Un. ex Be. Codd. *hic.* b) V. I. *pro nihilo ducit.* c) Id. *quae loquitur Hegio.*

„Haec scena fidem amici erga defunctum, maturitatem senilis orationis, et accusationem ejus, quem laedere nolit ipse accusator, continet.“ Do.

*Hegio*, „senex, ἀπὸ τοῦ ἡγεῖσθαι, a ductu seu principatu.“ Mu. v. Ind.

1. *Dii immortales.* Cf. Eun. II, 2, 1. Credebant autem Graeci, nullum Deum esse, nisi immortalem; inde vulgo dicentes: ἀθάνατοι μόνοι εἰσὶν οἱ θεοί. It. ap. Roman. Cicero praesertim locutione utitur, *Dii immortales*, quae ead. centies pro exclamatione obvenit.

2. *sic est fact.* Affirmantis est. Eun. V, 2, 12. *ex illa. fam.* Cf. I, 10.

3. *illib. facin.* Cf. infra V, 5, 5. „Id est, laudare homines, factum reprehendere.“ Do.

4. *patern.* sc. facinus, h. e. patre dignum. *dedisti*, fecisti.

5. *De psaltr. h. audiv.* Cf. Heaut. II, 3, 22.

6. *pater.* „Scilicit Micio, qui illum adoptavit jamq. corrumpi sinit.“ Far. *nih. pend.* Eun. I, 2, 14.

*H.* Nisi facient quae illos aequum'st, haud sic auferent.
*G.* In te spes omnis, Hegio, nobis sita est.
Te solum habemus; tu es patronus, tu parens.
Ille tibi moriens nos commendavit senex [d]).
Si deseris tu [e]), perimus. *H.* cave dixeris:
Neque faciam, neque me satis pie posse arbitror.
*De.* Adibo. (*prodit in scenam*) salvere Hegionem plurimum
Jubeo. *H.* oh, te quaerebam ipsum: salve, Demea.
*De.* Quid autem? *H.* major filius tuus Aeschinus,
Quem fratri adoptandum dedisti, neque boni
Neque liberalis functus officium [f]) est viri.
*De.* Quid istuc est? *H.* nostrum amicum noras Simulum,
Atque [g]) aequalem? *De.* quidni? *H.* filiam ejus virginem
Vitiavit. *De.* hem! *H.* mane, nondum audisti, Demea,
Quod est gravissimum. *De.* an quid [h]) est etiam amplius?

d) Id. *Simulus.* e) Ms. Traject. ap. We. *nos.* f) Ms. Paris. *officio.* g) Mu. ac Be. annect. *τὸ Atque* versui priori. h) Sic l. Bemb. In antiq. *quicquam.*

8. *Nisi facient etc.* Haec minaciter, ut Heaut. Prol. 34. *aequum est* sc. facere.

10. *Te sol. hab.* Cf. Eun. V, 1, 19. *patronus*, quid sit, vid. Dionys. Arch. lib. II, et Plutarch. in Romulo. Opus autem erat patrono in causa virginis vitiatae advers. Aeschinum.

11. *Ille tibi moriens etc.* Sic Andr. I, 5, 49. „Servus magnum veritatis indicium addidit dicendo, *moriens.* Nemo enim *moriens* non vera loquitur." Do.

12. *Si deser. tu etc.* Cf. Andr. I, 5, 35. *cave dix. Neq. fac.* Vult Getam *εὐφημεῖν*, neq. uti voce, *deseris*, utpote malae notae et ominis. Unde ipse non ait, non deseram, sed, *neq. faciam.*

13. *pie*, „salvo officio, quod cognatis debetur." Ru.

16. *Quid autem?* Initium interrogationis.

17. 18. *neq. boni Neq. liberal.* Quaerit Do. inter *bonum* et *liberalem* quid intersit; sed verba ejus corrupta videntur. Ceterum fere ead. locutio Ph. II, 1, 51. 52.

20. *aequal.* Cf. Nep. Aristid. 1. „*aequalis* f. f. Themistocli." *quidni.* „Plus est, *quidni*, quam noveram." Do.

21. *hem.* „Interjectio nunc est irati, et est irati vehementer: quippe qui aliud vitium audiebat, praeter crimina quae sciebat." Do. *nond. aud. Quod etc.* Andr. IV, 1, 34. 35.

*H.* Vero amplius: nam hoc quidem[i]) ferundum aliquo modo 'st:
Persuasit nox, amor, vinum, adolescentia:
Humanum 'st. ubi scit factum, ad matrem virginis
Venit ipsus ultro, lacrumans, orans, obsecrans,
Fidem dans, jurans se illam ducturum domum.
Ignotum 'st, tacitum 'st, creditum 'st. virgo ex eo
Compressu gravida facta est; mensis hic[l]) decimus est.
Ille bonus vir nobis psaltriam, si Dis placet,
Paravit, quicum vivat; illam deserit.
*De.* Pro certon' tu istaec dicis? *H.* mater virginis
In medio 'st, ipsa virgo, res ipsa, Geta
Praeterea, ut captus servulorum est, non malus,

i) V. I. *quod illam vitiavit.* l) Be. omitt. *hic* male.

23. *Vero*, affirmantis.

24. *Persuas. nox.* Scholiast. Theocrit. ad Id. II, 10. citat ex Menandro: *ὦ νὺξ σοὶ γὰρ δεῖ πλεῖστον Ἀφροδίτης.* Plura Lindenbr. *amor.* Callimach. epigr. 44. *ἄκρητος κ. ἔρως μ' ἠνάγκασεν.* *vinum.* Itid. Plaut. Aul. IV, 10, 15. „Quia *vini* vitio atq. *amoris* feci.“ Haec cuncta Ovidius comprehendit, nisi propositum sibi habuit ipsum Terentium, ita dicendo: „*Nox* et *amor vinumq.* nihil moderabile suadent.“ Amor. I, 6, 59. Itid. Propert. I, 3, 13.

25. *Human. est.* Itid. Micio quoque infra IV, 5, 53. *ubi scit f. ad matrem etc.* Brevitas elegans narrationis. *fact.* Cf. Eun. V, 4, 32.

26. *lacrum. orans, obsecr.* Ennius Annal. I, 128. „Flentes plorantes *lacrumantes*, obtestantes.“ „*Orare* est, placidos petere; *obsecrare* iratos.“ Do.

27. *Fid. dans.* Itid. Xenoph. H. Gr. *πίστιν διδόναι.*

28. *eo* pro, ejus, et temporis et Aeschini, concinne.

29. *Compressu*; cf. Liv. I, 4. „Vi *compressa* Vestalis etc.“ Et Ter. Ph. V, 9, 29. *mensis.* „Lunaris nimirum, quales ante Jul. Caes. computabantur.“ We. Cf. infra IV, 5, 57. ubi idem aliter. *decimus.* Etiam alibi passim apparet, veteres *decem menses* partui tempestivo tribuisse. Virg. Ecl. IV, 61. „Matri longa *decem* tulerunt fastidia *menses.*“

30. *bonus vir*, ironice. Andr. V, 2, 5.

31. *Parav.* Cf. Heaut. V, 2, fin.

32. *Pro certo dicis.* Sallust. Catil. 15. „pro certo creditur.“

33. *In medio est. In medio esse* pro vivere dicunt. Contra, e medio abire, excedere, pro, mori. Ph. V, 9, 30. *ipsa virgo.* Ad rem confirmandam testes adhibet accusator. *res ipsa*, pondus uteri scilicet et instans partus.

34. *ut capt. serv. est.* „Formula de iis usurpata, qui minus capaces sunt magnae laudis.“ Sic Caes. B. G. IV, 3. „*ut captus est* Germanorum.“ ubi Moris. *non malus*, „i. e. fidelis.“ Do. Quae laus, inquit We., tanto rarior, quod vulgo dicerent: *Δοῦλον δὲ χεῖρον οὐδὲν, οὐδὲ τοῦ καλοῦ.*

Neque iners, alit illas [m]), solus [n]) omnem familiam
Sustentat. hunc abduce, vinci, quaere rem.
*G.* Immo hercle extorque, nisi ita factum 'st, Demea.
Postremo non negabit; coram ipsum [o]) cedo.
*De.* (*secum*) Pudet; nec, quid agam, neque quid huic [p]) respondeam,
Scio. *P.* (*intus*) miseram me! differor doloribus [q]).
Juno Lucina fer opem! serva me obsecro! *H.* hem!
Numnam illa, quaeso, parturit? *G.* certe, Hegio. *H.* hem!
Illaec fidem nunc vostram implorat, Demea:
Quod vos vis [r]) cogit, id voluntate impetret.
Haec primum ut fiant, Deos quaeso, ut vobis [s]) decet.
Sin aliter animus vester est, ego, Demea,

m) Ms. Lindenbr. *illam.* Sed praefero illud, quod supra. Subaudiuntur enim, mater et filia. n) Vulgo distinguitur post *solus*, ab Erasmo melius ante. o) Erasm. ed. *ipso.* Praestat tamen lectio Bembini l. *ipsum*; ut sensus sit: *siste eam praesentem.* Id quod prob. We. ac Be. Hic et prior versus, We. narrante, in ms. Lips. etiam Hegioni tribuuntur. p) V. I. *Hegioni.* q) Id. *clamat Pamphila intus.* r) We. leg. *jus.* Ex scriptura enim, inquit, vix internoscere queas, *ius* scripserit Poeta, an *uis.* s) Ms. Lindenbr. *vos.*

35. *Neq. iners* „i. e. artem habens." Do.

36. *hunc*, Getam servum. *abduce.* Vulgo *abducuntur*, qui damnati sunt poenae capitalis. Infra IV, 5, 35. *quaere rem.* Verb. *quaerere* de quaestione adhibetur per tormenta. Cic. p. Rosc. A. 21.

37. *extorq.* Solebant enim servos *extorquere*, ut vera eruerent. v. Do.

38. *Postremo.* Ultimum significat argumentum, confessionem Aeschini auctoris.

40. *differ. dolorib.* Sic Plaut. Epid. I, 2, 15. „*differor* clamore." Id. Truc. IV, 1, 3. „*differor* laetitia." differor, gr. *διαφέρομαι*, huc illuc trahor doloribus, *ὠδίναις*, supra 1, 2.

42. *illa.* Scilicet *illa*, de qua agitur.

43. *implor.* „Cum ploratu et vociferatione auxilium alicujus expetere, proprie *implorare* dicitur." We. Liv. 29, 9. *vis.* Ex reliquis Menandri sunt: *Τρία ἐςὶ δι' ὧν ἅπαντα γίγνεται, ἢ κατὰ νόμους, ἢ ταῖς ἀνάγκαις, ἢ γε τρίτον ἔθει τινί.*" *cogit*, *voluntate.* Opposita sibi haec sunt, uti Liv. 35, 45. — „*voluntate* remittere, quae bello — *cogi* non possunt." Andr. II, 5, 11.

45. *ut vobis decet.* Infra V, 8, 5. *Decet* cum dativo etiam Cic. de Or. Itid. A. Gell. 9, 15. „*aetati* ejus *decebat.*" Sanct. explic. pro *ὑμῖν πρέπει.*

Summa vi defendam hanc[t]) atque illum mortuum[u]).
Cognatus mi erat; una a pueris parvulis[x])
Sumus educati; una semper militiae et domi
Fuimus; paupertatem una pertulimus gravem.
Quapropter nitar, faciam, experiar, denique
Animam relinquam potius, quam illas deseram.
Quid mihi respondes? *De.* fratrem conveniam, Hegio.
Is quod mihi de hac re dederit consilium, id sequar[y]).
*H.* Sed, Demea, hoc tu facito cum animo cogites,
Quam vos facillime agitis, quam estis maxume
Potentes, dites, fortunati, nobiles,
Tam maxume vos aequo animo aequa noscere
Oportet, si vos vultis perhiberi probos.
*De.* Redito: fient, fieri quae aequum 'st, omnia.

t) C. G. m. sup. script. *Sostratam.* u) Ibid. gl. *Simulam herum meum.* x) In l. antiq. *parvoli.* y) Hunc v. alii putant, qui ex Ph. II, 4, 21. inculcatus sit, eliminandum.

46. 47. *defend. hanc.* H. e. pro defensore; cf. Andr. IV, 5, 18. *mortuum.* „Ita et *mortuus* ab ead. injuria defendebatur, a qua filiae vita.“ Bi. Supra v. 11.

48. *Cognat. mihi erat.* „Ita quidem Terentius, sed Menander Sostratae fratrem facit.“ We. *a puer. parv.* He. II, 1, 2.

49. *militiae et domi.* Locutio it. Ciceroni, Liv. Sallust. aliisq. solemnis.

50. *paupert. pertul.* Plaut. Rud. IV, 2, 14. „*paup.* tolerare.“

52. *Anim. relinq. pot. quam etc.* Cf. Heaut. III, 1, 70. 71. Gravis est comminatio.

53. *Quid mihi respond.* „*Respondere* proprie dicitur, quum lis intenditur.“ Do. Liv. 8, 32. „Ad haec, quae interrogatus es, *responde.*“ *fratr. conv. Is quod mihi etc.* Quod Demea nunc facit, indicium est et sedatae iracundiae et prudentiae insuper, quod fratrem pertineat, ad eum deferre. Accedit, quod Aeschinus in potestate Micionis est, non Demeae.

55. *cum animo cogit.* Itid. Cic. leg. agr. II, 24. praepositione *cum* adjecta, „Vos tam. id potestis *cum animis* vestris *cogitare.*“

56. *Quam vos facillime etc.* Notat We. usum particularum *quam* et *tam*, sequente superlativo. Heaut. V, 2, 44. 45. Est autem, *facillime agere*, rebus ad vitam necessariis abundare. Cic. Fam. VI, 5. „Res et fortunae tuae etc. quae quidem quotidie *faciliores* mihi et meliores videntur.“ We. Et Do. locutionem *facillime agere* illi similem judicat esse, quae est Eun. II, 2, 30. *Tam facile vict. quaerere.* Ad *agitis* subaud. vitam. v. Sanct. Min. IV, 4. Addo, si opus est, Liv. 23, 11. init. ed. Drakenb.

59. *si vult. perhib. prob.* Sic Cic. de Offic. III, 4. „Qui bonos se viros haberi volunt.“ Haec stomachose Hegio dicit abiens. Unde mox Demea eum placaturus ait, *Redito: fient etc.*

*H.* Decet te facere. Geta, duc me intro ad Sostratam.
*De.* (*solus loquitur, recedentibus illis*) Non me indicen-
te [z]) haec fiunt. utinam hoc sit modo
Defunctum! verum nimia illaec licentia
Profecto evadet in aliquod magnum malum.
Ibo, ac requiram fratrem, ut in eum haec evomam.
(*abit.*)

z) Lindenbr. ms. gl. *praecipiente*, *hortante.*

61. *duc me intro ad S.* Cf. Heaut. III, 1, 23. *intro*, „in proscenio." Do.

62. *Non me indic.* Notamus, *indicente* poni pro, non dicente, ut Liv. 22, 39. „etiam me *indicente*;" ubi vid. Drakenb. Add. Ter. Ph. V, 7, 58. *utinam*, „desperandi vim habet." Do. Sit ita. Sed *utinam modo* magis optantis est, pro, *modo* absolute, vel *modo ut*; cf. Eun. I, 2, 105. Andr. II, 4, 6. *utin. hoc s. modo Def.* Eun. Prol. 15. Ph. V, 9, 32. *hoc*, ablativ. est, sc. malo, negotio; cui junge *Defunctum.* Id vero videtur significari, Demeam velle, hoc ultimum esse peccatum Aeschini. Sed quid constructio, *sit defunctum*, sibi velit, ignoratur. Cui tamen Livii illud compararem, lib. II, c. 35. „ut unius poena *defungendum esset* Patribus;" nisi ibi pariter lectio *defungendum* non exercitaret interpretes. Ceterum, *defungi* aliqua re, eleganter dicuntur, qui, minori malo suscepto, majus a se moliuntur ac demovent; vid. Doering. ad Liv. IV, 52.

63. *nim. il. licentia.* „Quam illi dat Micio." Do.

65. *haec.* Ea scilicet quibus auditis gravatus sum. *evomam*; cf. sup. 2, 14. Rustice satis loquitur Demea.

---

## ACTUS III. SCENA 5.

### H E G I O.

Bono animo fac sis, Sostrata; et istam, quod [a]) potes,

a) C. I. *quoad.* Al. *quam.*

„Senex ingressus domum, vidit parturientem puellam, ejus matrem consolatur, promittens, se conventurum Micionem, Aeschini patrem, et coacturum, ut vitiatam ducat uxorem ille, qui vitiavit." Eu.

1. *Bono animo etc.* Supra 4, 61. *istam*, tuam gnatam. *ist.*

Fac consolere [b]). ego Micionem, si apud forum 'st,
Conveniam, atque, ut res gesta est, narrabo ordine.
Si est, facturus ut sit officium suum,
Faciat; sin aliter de hac re est ejus sententia,
Respondeat mi, ut, quid agam, quam primum sciam.

b) V. I. *consoleris.*

Not. Do. ad locum: „Hi sex versus in quibusd. non feruntur." Quos tamen cave, ne propt. hoc, quod Do. monuit, cum Gu. spurios existimes. Praeterea scenam hanc, quam C. G. membr. adjunctam priori, C. G. chart. separatam a ceteris mihi exhibet, We. judicat esse genuinam, et locutiones ea comprehensas Terentio dignissimas.

*Fac. consol.* Poterat enim Pamphila sollicitari aut de nuptiis cum Aeschino, aut de raptu psaltriae.

2. 3. *Micion. conven.* Haec phrasis supra I, 2, fin.

4. *Si est fact. ut sit etc.* Periphrasis est pro, *si est facturus*; cf. Hec. IV, 1, 41.

6. *ut quid ag. q. pr. sciam.* „Videtur cogitasse de Micione et Aeschino in jus vocandis, et de re ad judices referenda." Do.

# ACTUS IV. SCENA 1.

## CTESIPHO. SYRUS.

*Ct.* Ain', patrem hinc abisse rus? *Sy.* jam dudum. *Ct.* dic sodes. *Sy.* apud villam 'st.

„Haec scena deliberationem habet, quid faciat, cum pater rus iturus sit, et quidnam respondeat patri, si se non invenerit apud villam." Eu.

1. *Aisn. patr. h. ab. rus.* „Compendio ostenditur, quid sit jam locuturus Syrus." Do. *ap. vill.* pro, in villa Eutrop. 6, 17. „Praepositio enim *apud* urbium et regionum nominibus addi consuevit."

Nunc cum maxume [a]) operis aliquid facere credo. *Ct.* utinam quidem,
Quod cum salute ejus fiat, ita se defatigarit velim,
Ut triduo hoc perpetuo prorsum e lecto nequeat surgere.
*Sy.* Ita fiat, et istoc si quid potis est rectius. *Ct.* ita. nam hunc diem
Nimis misere [b]) cupio, ut coepi, perpetuum in laetitia degere.
Et illud rus nulla alia causa tam male odi, nisi quia prope 'st.
Quod si abesset longius,

a) Sic l. Bemb. In antiq. *eum maxume.* H. l. sane tironum causa scriptura vocis *maxume* vel *maxime* digna erit, de qua notetur. In fragmentis enim Jul. Caesaris extant haec: *Lacrumae* an *lacrimae*, *maxum.* an *maximus*, et si quae similia sunt, scribi debeant, quaesitum. Ter. Varro tradidit Caesarem per i ejusmodi verba solitum esse enuntiare et scribere. Sed jam ante Caesarem Romanos constat in tali re frequentius esse usos litera u. Sup. addo Drakenb. ad Liv. VIII, 33, fin. b) Ita un. ex Be. Codd. Vulg. invert. *Misere nimis.* Ex qua lect. equid. suspicor venisse, ut illa oriretur, quam mss. Pall. habent, *Mi Syre nimis.*

2. *cum max.* pro, praesenti tempore. *op. aliq. fac.* Cf. Eun. II, 1, 14.

3. *Quod cum salute etc.* „Εὐφημισμὸς„ quem pietas expressit, ne durior imprecatio vitio non careret." We.

4. *triduo.* Tantum, non plus temporis desiderabat amori. *perpetuo*, continuo. Hec. I, 2, 12.

5. *Ita fiat, et istoc etc.* Haec ambigue dicta interpretantur esse a Syro, quo servi malignitate optante, ut ille nunqu. inde surgat, h. e. moriatur. *si quid pot. est.* „Ctesipho metuens, ne diceret pejus, vultu interminatur, vultque eum εὐφημεῖν. Unde adeo exprompta astutia addit servus, *rectius*; quae vox cum placeret Ctesiphoni, *ita*, respondet." We. *nam hunc diem Nimis etc.* „Moriatur scilicet." Do. Poterat quidem, ut ego putarim, tale quid mente sua capere adolescens, de quo Micionem supra I, 2, 29. audiveris dicentem: *ubi te exspect. ejeciss. foras*, sc. patrem. Sed h. l. per *hunc diem* intelligimus spatium temporis ipsum, dum pater ruris abesset.

6. *Mis. nim. cup.* „*Nimis* abundat, more Comicorum, qui hoc dicto asseverationem inculcabant." Do. *perpet. in laet. deg.* Cf. supra II, 4, 23.

7. *illud rus odi quia etc.* Contra senex ille in Eun. V, 5. *male odi.* Itid. Cic. Fam. VII, 2. Id. ad Attic. XIV, 1. „Non dubito, quia me *male oderit.*"

8. *Quodsi abess. long.* sc. rus.

Prius nox oppressisset illic, quam huc reverti posset iterum.
Nunc ubi me illic non videbit, jam huc recurret, sat scio;
Rogabit [c]) me, ubi fuerim: quem ego hodie toto non vidi die.
Quid dicam? *Sy.* nihilne in mentem [d])? *Ct.* nunquam quicquam. *Sy.* tanto nequior.
Cliens, amicus, hospes, nemo 'st vobis? *Ct.* sunt. quid postea?
*Sy.* Hisce opera ut data sit. *Ct.* quae non data sit? non potest fieri. *Sy.* potest.
*Ct.* Interdiu; sed si hic pernocto, causae quid dicam, Syre?
*Sy.* (*facete*) Vah, quam vellem etiam noctu amicis operam mos esset dari.
Quin tu otiosus [e]) es; ego illius sensum pulchre calleo.

c) L. Bemb. *Rogitab.* d) Id. add. *est.* Heaut. V, 2, 55. In antiq. l. *nih. in mente est?* Ex eo autem, quod Do. notavit, omittendum *est* videtur. e) C. G. m. gl. *securus.*

9. *oppress.* pro deprehendisset. Supra II, 2, 21. *iterum,* abunde; uti *rurs. redire,* supra I, 1, 46. Et Plaut. Poen. Prol. 79. „*Revortor rursus denuo* Carthaginem."

10. *illic*, ruris. *recurr.* „Mire de sene, *recurret*, dixit, ut ejus instantiam monstraret." Do.

11. *quem ego h. toto.* „Est occupatio verborum Demeae, quasi is rogaturus sit: ubi fuisti, Clitipho, *quem ego etc.*" We.

12. *nunq. quicq.* Παρέλκον pro *nunquam*, i. e. non. *tanto nequior.* Formula reprehendendi alterum. Plaut. Men. II, 3, 79. „*Tanto nequior* es." Contra ibid. Bacch. II, 2, 33. „*Tanto melior.*"

13. *Cliens.* Officia, quae *clientibus* fuerint praestanda, v. A. Gell. V, 13. Ad h. loc. comparetur Cicero de Senect. 10. „Non curia vires meas desiderat, non Rostra, non *Amici*, non *Clientes*, non *Hospites.*"

14. *Hisce opera etc.* „A superiore subauditur: „veniat in mentem." v. 12. h. e. cogita, dari potuisse operam: et datam dicito." Do. *quae non dat. s.* Sic religiose adolescens, qui mentiri nescit. Menand. *Ἐλευθέρου γαρ ἀνδρὸς τ'ἀληθῆ λέγειν.*

16. *quam vellem*, „proprie dicimus in his, quae non videmus fieri." Do. *etiam noctu etc.* Ad amorem meretricum alludit. Similit. Cic. de Offic. I, 35, 7. „liberis *dare operam.*" Ceterum modeste *amicis* dicit, ne dicat, amicabus. Heaut. V, 1, 37.

17. *Quin*; cf. Heaut. V, 1, 17. *illius* sc. patris.

Cum fervit [f]) maxume, tam placidum, quam ovem [g]) reddo. *Ct.* quo modo?
*Sy.* Laudarier te audit libenter. facio te apud illum Deum:
Virtutes narro. *Ct.* measne? *Sy.* tuas. homini ilico lacrumae cadunt,
Quasi puero, gaudio. (*trepide*) hem tibi autem ... *Ct.* quidnam est? *Sy.* lupus in fabula.
*Ct.* Pater est? *Sy.* ipsu 'st. *Ct.* Syre, quid agimus? *Sy.* fuge modo intro; ego videro.
*Ct.* Si quid rogabit, nusquam tu me [h]). audistin'? *Sy.* potin' [i]) ut desinas?

f) C. G. m. et al. *fervet.* Sup. script. illic, *ira tui patris.* g) Be. accusativo *ovem* offensus corrigit, *quam ovis est.* Cui assentio. Nam non *ovem* ille placidam reddere volebat, quae natura sua est placida. Nisi forte existimamus Poetam paululum indulsisse aurium judicio. Attamen ingeniosi viri causam Terentius ipse infra V, 3, 63. agere videtur. h) V. I. *dices vidisse.* i) Al. *potin' es.*

18. *tam placid. quam ov.* Itid. Plaut. Poen. I, 2, 142. „illam *tam* tranquillam facis, *quam* mare est."

19. *Laud. te aud. lib.* Do. notat: „Quod de Demea dicitur, in omnes parentes dici puta. Nam nemo tam asper est pater, ut non statim mitescat, laudato filio." *fac. t. ap. ill. Deum.* Hyperbole laudationis. Itid. Cic. de Or. II, 42. „in qua (dispositione argumentorum) tu (Antonius) mihi (Catulo) semper *Deus* videri soles." Vid. Erasm. Chil.

20. *Virtutes*, tanq. hominis perfecti. *meas, tuas.* Cum gestu pronuntiatur ita, ut irrisio inde appareat.

21. *gaudio*, h. e. prae *gaudio. hem tibi autem.* Abrumpitur oratio Syri monentis. Suppleri potest, cave. *quidni est?* cf. Andr. III, 2, 9. *lup. in fab.* „Silentii indictio est in hoc proverbio." Do. Proverbium, inquit Eu., cum ipse advenit, de quo loquimur." v. Erasm. Adag.

22. *ego videro*; cf. infra 2, 12.

23. *potisne, ut desin.* Objurgantis est, *potisne ut etc.* Sic Plaut. Merc. V, 2, 49. „*potin' ut* animo sis tranquillo?" *desinas*, absolute. Itid. Andr. V, 6, 8.

## ACTUS IV. SCENA 2.

### DEMEA. CTESIPHO. SYRUS.

*De.* Nae ego homo sum [a]) infelix! primum fratrem nusquam invenio gentium:
Praeterea autem, dum illum quaero, a villa mercenarium [b])
Vidi; negat is, filium esse ruri, nec quid agam scio.
*Ct.* (*a tergo*) Syre. *Sy.* quid est? *Ct.* men' quaerit [c])? *Sy.* verum. *Ct.* perii. *Sy.* quin tu bono animo es.
*De.* Quid hoc, malum! infelicitatis? nequeo satis decernere [d]):
Nisi me credo huic esse natum rei, ferundis miseriis.
Primus sentio mala nostra, primus rescisco omnia,
Primus porro [e]) obnuntio; aegre solus, si quid fit [f]), fero.

a) Be. omitt. *sum*, ut facilius versum sibi fingat. At formula *homo sum* Terentii est, quae adimi non debet. b) Par. ms. *redeuntem* mire. c) V. I. *pater meus*. d) Id. *cur evenerit*. e) Par. p. var. *porto*. f) C. G. m explic. *ferendum*.

„In hoc actu exemplum est, neminem facilius quam optimum quemq. falli atque deludi.“ Do.

1. *nusqu. gent.* Cf. Heaut. V, 1, 55, not. Itid. Graecis est, **οὐδαμοῦ τῆς γῆς**.

2. *a villa mercenar.* Comicum est pro, villae *mercenar.* Eun. V, 7, 5. Sic Plaut. Amph. III, 3, 12. „gubernatorem a navi,“ pro gubern. navis.

3. *neg. is fil. esse ruri.* Ubi nimirum Syrus esse Ctesiphonem dixerat Demeae, supra III, 3, 47.

5. *neq. sat. decern.* Liv. 21, 4. „haud facile decerneres, utrum imperatori, an exercitui carior esset.“

6. *huic rei* pro, ad hanc rem. Do. *ferund. miseriis*, in appositione est locutionis, *huic rei*.

7. *Prim. sentio.* „Ridiculus error Demeae.“ Do.

8. *Prim. p. obn. a. solus.* „*Primus* ad ordinem, *solus* ad nu-

*Sy.* (*ad spectatores*) Rideo hunc: primum ait se scire: is solus nescit omnia.
*De.* Nunc redeo. si forte frater redierit, viso. *Ct.* Syre,
Obsecro, vide, ne ille huc prorsus se irruat. *Sy.* etiam taces?
Ego cavebo [g]). *Ct.* nunquam hercle hodie ego istuc committam tibi.
Nam me [h]) in cellulam aliquam cum illa concludam; id tutissimum 'st.
*Sy.* (*prodit*) Age, tamen ego hunc amovebo. *De.* sed eccum sceleratum Syrum.
*Sy.* Non hercle hic quidem durare quisquam, si sic fit, potest.
Scire equidem volo, quot mihi sint domini. quae haec est miseria?
*De.* Quid ille gannit [i])? quid volt? quid ais [l]), bone vir? est frater domi?
*Sy.* Quid, malum! mihi bone vir narras? equidem perii. *De.* quid tibi est?
*Sy.* Rogitas? Ctesipho me pugnis miserum, et istam psaltriam

g) Ibid. sup. script. *ne irruat.* h) Vulg. *jam.* Non est in Be. Codd. i) Al. *garrit.* l) Par. ms. *agis* pro *ais.*

merum dicitur." Do. *obnunt.* „Qui malam rem nuntiat, *obnuntiat.* Nam proprie *obnuntiare* augures dicuntur, qui aliquid mali ominis viderint." Do.

9. *scire* sc. omnia. Supra v. 7.

10. *si f. f. red. viso*; cf. Enn. III, 4, 7.

11. *h. prors. se irr.* Ita Eun. III, 5, 51. Patrem digito monstrat importunum, ipse forte in angulo quod. latens aedium Micionis. *et. tac.* Sic iterum monet, uti sup. 1, fin.

12. *nunq. h. hodie etc.* „*Nunquam committam* tibi negotium patris amovendi." Diffidit namque, Syrum id valiturum.

13. *in cellul. conclud.* Eun. IV, 3, 25. Est autem *cellula*, in qua penus vel utensilia conduntur, cella promtuaria. Plaut. Amph. I, 1, 4.

14. *tamen.* Intellige: Etsi tu diffidas, me posse illum amovere, *tamen etc.*

15. *Non hercle hic etc.* Consilium hoc sumsit Syrus ad purgandum, quod in villa non erat filius. Fingit enim se verberatum ab Aeschino ceu raptae virginis auctore. *durare* gr. ἐγκρατεῖν.

16. *quae h. est miseria.* „Deest, quam patior." Do.

17. *gannit. Gannire* proprie vulpium est, h. l. fremere, queri. Ph. V, 9, 41.

18. *mihi bone vir.* Μιμητικῶς illud *bone vir*, v. 17. Demeae reddit.

Usque occidit. *De.* hem, quid narras? *Sy.* hem, vide ut discidit labrum!
*De.* Quamobrem? *Sy.* me impulsore hanc emtam [m]) esse ait. *De.* non tu eum rus hinc modo
Produxe [n]) aibas? *Sy.* factum; verum venit post insaniens.
Nil pepercit. non puduisse verberare hominem senem?
Quem ego modo puerum tantillum in manibus gestavi meis.
*De.* Laudo [o]), Ctesipho, patrissas [p]). abi, virum te judico.
*Sy.* Laudas? nae ille continebit posthac, si sapiet, manus.
*De.* Fortiter. *Sy.* (*ironice*) perquam, quia miseram mulierem et me servulum,
Qui referire non audebam, vicit, hui! perfortiter.
*De.* Non potuit melius. idem quod ego sensit te esse huic rei caput [q]).

m) I. *ereptam* pro *emt.* n) C. G. m. *produxisse.* Ibid. in marg. al. *produxe.* Syncope. o) I. *te.* Infra V, 2, 1. p) C. G. m. in marg. *more patris agis.* In πατερίζω lit. ζ latine effertur per ss. q) V. I. *ut emeretur psaltria.*

20. *vide ut disc labr.* „Haec dicens servus os sibi distorquet et Demeam parum prospicere credit, neq. adeo animadvertere fallaciam." We.

21. *me impulsore*; cf. Eun. V, 5, 18. *eum Produx.* Memoriter ipsa verba reddit, quae sibi dixerat servus, supra III, 5, 48. Stultus senex cum sapere videtur, multo magis delectat auditores, quam si stultus appareret per omnia. *fact.* cf. Eun. V, 2, 12. *venit post* pro, redit.

23. *Nihil peperc.* Ut supra, *nihil reticuit*, III, 3, 51. *puduisse*, sc. Ctesiphonem. *senem* sc. me.

24. *tantill.* Plaut. Poen. V, 3, 48. „Quantae e *quantillis* jam sunt factae," sc. filiae. Et, *tantillum*, gestu ostendit. *in manib. gest.* Aliter, *in oculis gestare*, Eun. III, 1, 11. 12.

25. *Laudo.* Supra I, 19. *patriss.* „patri similis es." Eu. *abi, vir. te jud.* Gu. explic.: „Dimitto te, absolvo te culpa, Ctesipho, ab hoc factum." Sed We. monet, ubi veteres laudarent, *abi* dixisse. Quae quidem We. assertio carere videtur exemplis. Ad hoc contrarium obvenit infra 4, 2.

26. *contineb. posth. manus. Continere man.* ut *abstin.* aut *comprim. man.* Cf. Heaut. III, 5, 4. et 29.

27. *Fortiter* sc. egit. *perquam.* Per hoc et quae sequuntur, Syrus seni more suo ironice assentit. *quia miseram et etc.* Similiter Ovid. Met. III, 654. „quae gloria vestra est; si puerum juvenes, si multi fallitis unum?" *mis. mul.* sc. citharistriam.

29. *Non pot. melius.* Supple, seu fieri seu facere. *huic rei*

Sed estne frater intus? *Sy.* non est. *De.* ubi illum quaeram [r]), cogito.
*Sy.* Scio ubi sit, verum hodie nunquam monstrabo. *De.* hem, quid ais? *Sy.* ita.
*De.* Diminuetur tibi quidem jam cerebrum. *Sy.* at nomen nescio
Illius hominis, sed locum novi, ubi sit. *De.* dic ergo locum.
*Sy.* Nostin' porticum, apud macellum, hac [s]) deorsum? *De.* quidni noverim?
*Sy.* Praeterito hac recta platea sursus. ubi eo veneris,
Clivos deorsum vorsum est; hac te praecipitato; postea
Est ad hanc manum sacellum; ibi [t]) angiportum propter est;
[u]) Illic ubi etiam caprificus magna est [x]). *De.* novi. *Sy.* hac pergito.

r) L. Bemb. *inveniam.* s) Par. ed. *hanc.* t) I. *ubi.* u) Vulg. praemitt. *D. Quonam?* C. G. m. *D. Quodnam?* Utrumq. cum Be. omitto. x) Vulgo *nostin?* Abest ab uno C. Be. Nec edid. Par.

*cap.* Sic Plaut. Asin. III, 158. „Ego *caput huic* argento fui reperiundo.“ Andr. II, 6, 27. Et Liv. 8, 31. „in *caput* consilii, in ducem incurrere.“

30. *ubi ill. quaer. cog.* Cf. Ph. IV, 5, 15.

31. *hodie.* „Aut abundat *hodie*, aut *nunquam hodie* pro, nullo tempore hujus diei.“ Do. *nunq. monstr.* Astute hic servus seni subministrat, quo ipso is decipiatur.

32. *Dimin. tibi etc.* Ita infra V, 2, 7. Eun. IV, 7, 3. „Baculum intentasse videtur senex.“ Far.

33. *dic ergo loc.* „*Ergo* semper addimus, ut hortemur tarde quid facientes.“

34. *Nost. port. ap. macel.* „Falsum in locum mittit longe positum, ut circumeat civitatem.“ Eu. *portic.* De harum usu in evitandis imbribus, umbra captanda et deambulationib. vid. Jodoc. Willichium, ad quem We. allegat lectorem. *Nost. — quidni.* Sic it. Eun. II, 3, 37.

35. *hac recta,* proprie, hac parte: ut manu viam ostendere videatur. Do.

36. *Cliv. deors. vers. est.* „Deversus dicebant veteres, quasi deorsum versus.“ Fest. Itid. Cato, R. R. c. 156. „Ubi *deorsum versus* ibit.“ Ceterum respicit situm Athenarum; cf. Andr. II, 2, 19. *praecipitato,* „cito descende.“ Do.

37. *ad hanc man.* „Non certum, destram an sinistram.“ Do. At ego puto, Syrum gestu vel vultu adjuvasse. *sacell.* „Ut Varro ait, *sacra cella* est.“ Do. Atqui *sacella,* Festo narrante, loca sunt sacrata sine tecto. *propt.* adverb. prope significans.

38. *caprific.* „*Ficus* est sylvestris, nunq. maturescens, et sa

*De.* Id quidem angiportum non est pervium. *Sy.* verum hercle, vah!
Censen' hominem me esse? erravi. in porticum rursum redi:
Sane hac multo propius ibis, et minor est erratio.
Scin' Cratini huius ditis aedes? *De.* scio. *Sy.* ubi eas praeterieris,
Ad sinistram hac recta platea. ubi ad Dianae veneris,
Ito ad dextram: priusquam ad portam venias, apud ipsum lacum
Est pistrilla, et exadvorsum fabrica: ibi est. *De.* quid ibi facit?
*Sy.* Lectulos in sole ilignis [y]) pedibus faciundos dedit.
*De.* Ubi potetis vos? *Sy.* bene sane. *De.* sed cesso ad eum pergere [z]).

y) L. Bemb. *illign.* C. G. m. et Be. Codd. *illigneis.* z) Be. totam hanc lineam Demeae attribuit. Non placet. Namq. melius assentit Syrus interpositus comice dicendo, *bene sane.*

xis ruptis fere innata." We. Et Plin. H. N. 15, 19. *hac*, via, parte. Eun. V, 8, 55. *pergito*, absolute, uti Liv. I, 60. „quum rex *pergeret* Romam."

39. *Id quid. angip. non etc.* Id scilicet Demea, sana mente quasi redeunte, reminiscitur, hoc *angip. non* esse *pervium*, id est, non posse transiri. *verum hercle, vah! Censen etc.* „Calliditas est maxima, deprehensum mendacium non defendere, sed fateri." Do.

40. *Cens. hom. me esse?* an potius similem bruti? *in portic.* „Romae in singulis regionib. aliquot erant *porticus*, ubi ad imbres subitos evitandos, aut in umbra ad cavendos solis ardores deambularent." Far.

42. *Crat. hujus dit. aed.* Hic We. subdistinguit, *Cratini, hujus ditis, aedes.* Qua tamen distinctione non opus.

43. *Ad sinistr.* sc. pergito v. 38. *ad Dianae.* Ellipsis graeca sc. templum. Vid. Lambert. Bos.

45. *pistrilla.* Diminutivum videtur esse a pistrino; cf. Andr. I, 3, 9. *ex advers.*, h. e. e regione. Ph. I, 2, 38. *fabrica*, proprie officina fabri; cf. Lucret. IV, 514. vel officina armorum, qualis commemoratur Veget. II, 11.

46. *Lectul. in sole.* Junctim accipere jubet Be. „ut lectorum speciem tum notam et sic appellatam." Et Par. not.: „Quia Athenis vere interdum et aestate sub sole et dio coenare solebant." His addo ex Pers. Sat. VI. „Aprici meminisse senes." ubi v. Turneb. Quam facile igitur poterat fieri, ut senibus praecipue apricatione gaudentib. hujusmodi *lectuli* usui essent *in sole.* Supra II, 4, 21. *ilign. pedib.* Par. in marg. „durissimis, firmissimis."

47. *Ubi*, in quibus sc. *lectulis. potetis.* Sup. I, 1, 57.

*Sy.* (*solus*) I sane: ego te exercebo hodie, ut dignus es, silicernium.
Aeschinus odiose [a]) cessat; prandium corrumpitur;
Ctesipho autem in amore est totus. ego jam prospiciam mihi:
Nam jam adibo, atque unum quicquid, quod quidem erit bellissimum,
Carpam, et cyathos sorbilans [b]) paulatim hunc producam diem.

a) Be. *odiosus*, sicut Eun. IV, 6, 16. Un. C. Be. *otiosus.* b) Sic Be. ed. ex uno C. secunda brevi, ut *ventĭlans.* Al. *sorbillans.*

48. *I sane.* „Aut abundat *sane*, aut inferiorib. jungitur.“ Do. *exercebo.* Sic Andr. V, 2, 23. *silicernium.* „Particulae sunt inferiarum, quae mortuis dantur.“ Eu. Est autem exsecratio servilis in senem veluti morte dignissimum.

49. *Aesch. odios.* molestus. *prand. corrump.* Sic Plaut. Pseud. III, 2, 102. „*Corrumpitur* jam coena.“ Significat enim Syrus illud *prandium*, cui apparando tantopere supra III, 3, intendebat. *prand.*, h. e. quod ante meridiem capiebatur, ut vult Plutarch. in Problem. composit. ex *πρὸ* et *ἔνδιον.*

50. *in amore est tot.*, h. e. amicae amandae maximore intentus. Itid. Hor. Serm. I, 9, 2. „*totus in illis*, nugis.

51. *adibo* sc. ad prandium. *bellissim.* „Proprie *bellissimum* dixit. Unde et hujusmodi ad irritand. gulam cibi, *bellaria* dicuntur.“ Do.

52. *Carpam* pro, fruar, h. e rebus dulcibus. Sic certe Persius, Sat. V, 151. „Indulge genio: *carpamus* dulcia.“ *cyath. sorbil.* „Est enim *cyathus* ordinaria mensura, qua bibentes utebantur, uno fere haustu exsiccantes.“ We. vid. Martial. I, 72. *sorbilans.* Nec sorbebo dicit, nec ebibam; sed *sorbilans*, unde ova *sorbilia.* Celsus IV, 3. *paul. h. produc. diem*, h. e. sensim conterere ac consumere, producta quasi voluptate fruendi.

# ACTUS IV. SCENA 3.

## MICIO. HEGIO.

*M.* Ego in hac re nil reperio, quamobrem lauder tantopere, Hegio.
Meum officium facio; quod peccatum a nobis ortum 'st, corrigo;
Nisi si me in illo credidisti esse hominum numero, qui ita putant,
Sibi fieri injuriam ultro, si quam fecere ipsi, expostulant,
Et ultro accusant [a]); id quia non est a me factum, agis gratias?
*H.* Ah, minume: nunquam te aliter atque es, in animum induxi meum.
Sed quaeso, ut una mecum ad matrem virginis eas [b]), Micio,

a) Distinctionem huc usq. verbor. sequor, quam R. Stephani Westerhovius optimam laudavit. Legit. in l. Bemb. *expostules* pro *expostulant*, v. 4. ap. Priscian. *expostulent.* b) In I. *eas* omiss.

„Haec scena est plena sententiarum senilium ad officia demonstranda." Do. Addit We haec: „Videbatur Hegio a foro rediens cum Micione multo gestu significare suum prolubium, eumq. gratulando quasi obtundere. Cui igitur initio huius scenae respondet Micio."

1. 2. *Ego in h. re etc. Meum offic. facio.* Haec fere ead. sententia animi liberalis; cf. Andr. II, 1, 30. seqq. Add. III, 5. *peccatum*; cf. II, 3, 10. *a nob.* „Indulgenter dicit, *a nobis*, quasi ipse in culpa sit." We. *ortum*; cf. III, 3, 89.

4. *ultro, si quam etc.* Huic loco illustrando conf. Phaedr. I, 1. ubi lupus auctor injuriae agnum ultro expostulat et ultro accusat, cui illata fuerat injuria a semetipso. *fecere*, aliis.

5. *id quia non est.* Quae scilicet supra sunt v. 3. 4. comprehensa.

6. *minume.* Intellige, *minime* te credo *esse* illorum *in numero*, v. 3.

7. *quaeso ut una mecum etc.* „Servavit τὸ πρέπον, adjicien-

At istaec eadem, quae mihi dixti [c]), tute dicas mulieri,
Suspicionem hanc propter fratrem [d]) esse [e]); ejus esse illam psaltriam.
*M.* Si ita aequum censes, aut si ita opus est facto, eamus. *H.* bene facis.
Nam et illi jam animum rellevaris [f]), quae dolore ac miseria
Tabescit, et tuo officio fueris functus. sed si aliter putas,
Egomet narrabo, quae mihi dixti. *M.* immo ego ibo. *H.* bene facis.
Omnes, quibus res sunt [g]) minus secundae, magis sunt nescio quo modo
Suspiciosi, ad contumeliam omnia accipiunt magis.
Propter suam impotentiam se semper credunt negligi [h]).

c) Mss. We. *narrasti.* d) C. G. m. sup. script. *Ctesiphonem.* e) Illud *esse* Be. intulit pro *et*, quod vulgo est. Quae mutatio Angli mihi placet. f) I. *revelobis.* Al. *relevab.* Sed Be. nullo quidem Cod. consulto edit, ut supra, idq. recte, opinor, propt. *fueris functus*, particula *et* conjunctum. Id. simul monet, praepositionem *re* in compositione fere duplicare consonantes, ut redduco, repperio, *rellevo.* Heaut. I, 1. u) g) C. G. m. colloc. *sunt res.* h) Ibid. sup. script. *ab amicis.* Pro *negligi* leg. l. Bemb. *claudier*; unde Fa. formavit *calvier*, quod

do, *una mecum eas*: quippe ad incognitam matrem familias.“ Do.

8. *quae mihi dix.* Nos quidem non scimus, quae dixerit Micio Hegioni, sed consideremus, quod initio hujus scenae praemonitum est.

10. *Si ita aeq. cens.* „A justo et utili est tota sententia.“ Do.

11. *illi.* Par. „virgini seu potius matri.“ *anim. rellevar.* Cic. in Catil. I, 23. „Videbim. cura et metu esse *relevati.*“ *dolore* sc. animi. Sic it. Cic. de Offic. II, 22. „qui accipit injuriam, prae se fert *dolorem* suum.“

12. *tuo offic. f. funct.* Cf. v. 2. *sed si alit.* Supra III, 4, 46. „Artificiose, remittendo quod petebat, extorsit magis.“ Do.

13. *Egom. narr.* Scilicet si tu non ipse convenire eam volueris.

14. 15. *Omn. quib. res s. minus etc.* „Videntur haec expressa e Menandrianis, quae Stobaeo laudantur: *Πρὸς ἅπαντα δειλὸν ὁ πένης ἐςὶ πράγματα, Καὶ πάντας αὑτοῦ καταφρονεῖν ὑπολαμβάνει.*“ We. *min. secundae.* „Dicere sic maluit, ne miserae diceret.“ Do. Fallitur Do. Nam τὸ *minus* τοῦ *magis* sequentis gratia positum est. Ac proinde plenior mihi esset oratio haec, quo *minus* res *secundae*, eo *magis* ipsi *sunt suspiciosi.* Eun. I, 1, 14. *ad contumel. o. accip. mag.* Sic Phaedr. III, 8, 8. „*Accipiens cuncta in contumeliam.*“

16. *impotent.* sc. Sostratae. Contra *potentes* Micio et Demea dicuntur, III, 4, 57.

Quapropter te ipsum purgare ipsi [i]) coram placabilius est.

*M.* Et recte, et verum dicis. *H.* sequere me ergo [l]) hac intro. *M.* maxume.

est verb. antiqu. in legg. XII. tabb. Be. ed. *ludier*, qui his de variantib. multa disseruit. i) Sic l. antiq. sc. matri. Libb. s. et ed. *ipsis coram*, h. e. matre et virgine; cf. III, 4, 35. l) I. non hab. *ergo*.

17. *te ipsum.* Quaerit Do. divisene *te ipsum* accipiatur, *te* Micionem, *ipsum* Aeschinum. *placabilius*, ad placand. aptius. Lactant. IV, 28.

18. *maxime,* libenter.

---

## ACTUS IV. SCENA 4.

### AESCHINUS.

Discrucior animi [a]),
Hoccine de improviso mali mi objici,
Tantum? ut neque quid [b]) me faciam, neque quid agam, certum siet.

Notandum est, inprimis versuum novem, qui hic sequuntur deinceps, dimensionem in singulis fere libb. diversam inveniri; atque Faernus de his praedicat ita: „Primi huius scenae versus sane difficiles sunt." Equidem vero ita recepi, ut a Be. distinctos illos habemus.

a) In veterr. Cod. Be. hic vers. clausula est, quo modo, *Occidi*, Eun. II, 3. b) C. G. m. *de*. Itid. tres Be. Codd. cum Edd. vett.

„Aeschinus hac scena ostenditur pro ingenii bonitate maxime sollicitus de suo amore, ob turbam quam faciebat psaltriae raptio, indeque orta suspicio. Trepidus tandem accedit ad fores Sostratae, se ipsum purgaturus, sed a patre redeunte ex ipsis aedibus excipitur." Bi.

1. *Discruc. animi.* Supplendum, dolore. Aut Graecorum syntaxis est genitivi; vid. Sanct. Min. II, 3.

2. 3. *Hoc. de impr. m. mihi obj. Tant.* Cf. Andr. IV, 3, 1, not. Id enim mali significatur, quod Aeschinus propt. raptum virginis opinionem excitarit, se sibi potius psaltriam rapuisse,

Membra metu debilia sunt, animus [c]) timore
Obstipuit [d]), pectore consistere nil consili quit [e]). vah,
Quomodo me ex [f]) hac expediam turba, nescio: tanta nunc
Suspicio de me incidit:
Neque ea immerito. Sostrata credit, mihi me psaltriam hanc emisse; id
Anus [g]) mi indicium fecit.
Nam ut hinc [h]) forte ea [i]) ad obstetricem erat missa, ubi eam vidi, ilico
Accedo, rogito, Pamphila quid agat? jamne [l]) partus adsiet?
Eone obstetricem arcessat? illa exclamat: „abi, abi jam, Aeschine.
Satis diu dedisti verba [m]); sat adhuc tua nos frustrata 'st [n]) fides."
Hem! quid istuc, obsecro, inquam, est? „valeas, habeas illam, quae placet."

c) Be. ing. *prae* invitis Codd. d) C. G. m. script. *Obstup.* Hunc vers. choriambicum esse Be. observat, quem dimetitur hoc modo, *Ōbstĭpŭīt |pectore con|sistere nil | consili quit.* e) V. I. *valet.* f) C. G. m. non hab. *ex.* g) V. I. *Canthara.* h) Par. in marg. *a Sostrata.* i) V. I. *anus.* l) In l. antiq. abest *ne*, quod duo Codd. Be. habent. m) C. G. u. *nobis.* Non hab. Do. nec l. Bemb. n) V. I. *decepit.*

non fratri. *Tant.* Hoc *tantum* subdistinguend. putavi, ad quod referretur iterum *mali.*

4. 5. *Memb. metu etc.* Cf. Andr. I, 5, 21. *pect. consist. n. c. q.* Plaut. Pseud. II, 1, 2. meo in *pectore* conditum est *consilium.* Et Cic. Cat. maj. 20. „Mortem timens, qui poterit animo *consistere?*"

6. *me ex hac expediam etc.* vid. ad Andr. III, 5, 11. *nunc Suspicio.* Modo ostenditur causa trepidationis Aeschini. Sed quae fuerit ista suspicio, cf. v. 2. 3. not.

8. *psaltr. emisse.* Supra II, 2, 41. *id An. m. indic. fec.* Cf. supra III, 2, fin.

10. 11. *erat missa*; cf. III, 2. *ubi eam vidi, il. Accedo.* Heaut. I, 1, 76. Haec Aeschini narratio tam plana est, ut inde metus adolescentis et ejus afflictio animi facile cognoscatur.

12. *Eone. Eo* pro, ideo. *exclam.* Non respondet, sed *exclamat*, ejusq. clamorem tristis reddit Aeschinus. *abi abi.* „Formula fastidiose rejicientium quem." We.

13. *adhuc.* Quod quidam „adhoc" interpretantur, gr. *μέχρι τούτου.* Cic. Verr. I, 17. itid. pro, ad hoc tempus usque. *fides.* Quae data est scilicet puellae. Supra III, 2, 34, seqq.

14. *Hem*, mirantis, immo obstupentis. *quid ist. est?* Solet

Sensi ilico id illas suspicari, sed me reprehendi [o]) tamen,
Ne quid de fratre garrulae illi dicerem, ac fieret palam.
Nunc quid faciam? dicam [p]) fratris esse hanc? quod minume 'st opus
Usquam efferri. age, mitto [q]): fieri potis est, ut ne qua exeat.
Ipsum id metuo, ut credant: tot concurrunt [r]) verisimilia:
Egomet rapui [s]); ipse egomet solvi argentum; ad me abducta est domum.
Haec adeo mea culpa fateor fieri [t]). non me hanc rem patri,
Ut ut [u]) erat gesta, indicasse? exorassem [x]) ut eam ducerem.

o) Par. pro var. *repressi.* Hoc id. exhib. C. G. m. suprascriptum. V. C. Lindenbr. *me pallio repreh.* p) Al. *dicamne.* q) C. G. m. *age omitto.* Sup. script. *se ipsum hortatur.* r) Al. *occurr,* s) V. I. *psaltriam.* t) Posuit hic Schmieder notam exclamandi. Sed placet punctum aliorum. u) Mss. Pall. non geminant *ut.* x) Duo Be. Codd. *exorasse.*

ea esse interrogatio novae rei audiendae intentorum. *val. habeas.* Itid. Andr. V, 3, 18. *illam*, psaltriam.

15. *illas* sc. mulieres, ad domum Sostratae pertinentes. *suspic.* Supplent quidam: ,,Quod Pamphilam abjicerem."

16. *de fratre.* Etiam in ipsa turba animum fraternum non dimittit. *garrulae*, anui scilicet. *ac fieret pal.* cf. He. IV, 3, 43. Iterand. est *ne*, quod antecessit.

17. *dic. fratr. esse hanc*, psaltriam. Huiusmodi dubitatio cf. supra III, 3, 38 seqq.

18. *Usq. efferri.* Synoym. est, *palam proferre*, supra III, 2, 41. *ut ne qua exeat.* ,,Vocula *qua*, quae solet esse post *ne*, item ut aliqua, declarat *qua*, vel aliqua ratione, vel forte." Tursell. Itid. Liv. 9, 35. si *qua* posset, sc. ratione. *exeat.* Id est, ne divulgetur ille raptus. ,,*Exire* proprie dicitur, quod in vulgus emanat." Ru. Sic it. Nep. Datam. 6. ,,si in turbam *exisset*, innotuisset multitudini."

19. *ut credant.* Me mihi nimirum rapuisse illam, non fratri. *tot concurr.* Sic it. Heaut. II, 2, 3.

20. *solvi argentum.* Puta enim a Mic. patre adnumeratum; cf. III, 3, 15. *abd. e. dom.* Supra II, 1, 14.

21. *adeo* pro, vero; v. Tursell. *hanc rem*, vitium Pamphilae oblatum. *patri.* Quem noverat sat. indulgentem; cf. I, 1, 26, *non-indicasse?* cf. supra III, 3, 54, not.

22. *ut eam duc.* ,,Sic enim promiserat se Sostratae facturum." Do. Supra III, 2, 54.

Cessatum [y]) usque adhuc est, nunc porro, Aeschine, expergiscere!
Nunc hoc primum 'st: ad illas ibo, ut purgem me. accedam ad fores.
Perii! horresco semper, ubi pultare [z]) hasce occipio miser.
Heus, heus! Aechinus ego sum. aperite aliquis actutum ostium.
Prodit nescio quis: concedam huc. —

y) V. I. *neglectum.* z) Al. *pulsare.* Heaut. II, 3, 34.

23. *Cessatum*; cf. Heaut. I, 2, 1, not; *nunc p. A. experg.* Sic it. Davus se ipse exhortans, in Andr. I, 3. *experg.* quasi e somno.

24. *ad ill. ibo etc.* Sic it. Syrus in He. II, 3, 91 etc. explanat suum consilium.

25. *horresco semp.* Cic. div. 13. „commoveor animo, toto corpore *perhorresco.*" *hasce*, δεικτικῶς, sc. fores.

26. *aperite aliquis.* „Vim plural. habet *aliquis.*" Do. Eun. Prol. I. Plaut. Pseud. V, 1, 37.

## ACTUS IV. SCENA 5.

### MICIO. AESCHINUS.

*M.* Ita ut dixti [a]), Sostrata,
Facito [b]); ego Aeschinum conveniam, ut, quomodo acta haec sunt [c]), sciat.

a) Ita Codd. Be. quatuor; at duo ejusd. *dixisti.* Vulg. *dixi.* b) Fa. ed. *Facite.* c) L. antiq. *sint.*

„Hujus scenae non integrum est initium, sed de multis, quae jam dixerit, quasi continuatum. Deinde catastrophe coepta est, sed prius quam eam absolvat, mire faceto commento novum metum Aeschino incutit pater. Qui vero illud commentum, quod non habet veram querelam, breviter adeo tractat, ut et patris et filii animus ostendatur satis honestus ac liberalis.

1. 2. *Ita ut dix. S. Fac.* Cf. Eun. II, 1. *ut quomodo etc.* Itid. Ph. II, 4, 23.

Sed quis ostium hoc pultavit? *A.* (*secum*) pater hercle est, perii! *M.* Aeschine.
*A.* Quid huic hic negoti 'st? *M.* tune has pepulisti fores?
(*secum*) Tacet. cur non ludo hunc aliquantisper? melius est,
Quandoquidem hoc nunquam mihi ipse voluit credere.
Nil mihi respondes? *A.* non equidem istas [d]), quod sciam.
*M.* Ita: nam mirabar, quid hic negoti esset tibi.
(*ad spectatores*) Erubuit: salva res est. *A.* dic, sodes, pater,
Tibi vero quid istic est rei? *M.* nihil mihi quidem.
Amicus quidam me a foro [e]) abduxit modo
Huc advocatum sibi. *A.* quid? *M.* ego dicam tibi:
Habitant hic quaedam mulieres, pauperculae,
Ut opinor, has non nosse te; et certo scio;

d) C. G. m. ut al. *instas.* Non placet propter *equidem.*
e) C. G. m. colloc. *a foro me.* Bene: quo nempe vitaretur hiatus.

3. *Sed quis ostium etc.* Cf. 4, 25. seqq. Itid. Aristoph. R. 38. *τίς τὴν θύραν ἐπάταξεν*; *pat. h. e. perii.* Novitate rei, quippe quod pater a domo Sostratae egressurus ipsi ostenditur, perculsus exclamat.

4. *Quid h. hic etc.* Cf. Andr. V, 2, 8. „Haec Aeschinus ad spectatores conversus cum pavore pronunciat.“ We.

5. *Tacet.* Sic tacent etiam interrogati, Eun. III, 2, 25. IV, 4, 28. *cur non ludo*; cf. II, 2, 38.

6. *Quandoq. hoc nunq. etc.* Contra illud quod laudat supra I, 1, 27. seqq. *hoc.* Scilicet quod vitiavit virginem. *credere*, committere vel patefacere.

7. *non eq. ist.* sc. pepuli, pulsavi fores. *quod sciam.* Perturbate ac sinistre.

8. *Ita.* „Accepit negationem Micio, ut ludere Aeschinum possit.“ Do.

9. *Erub. salva r. est.* Menander: *Ἐρυθριῶν πᾶς χρηστὸς εἶναί μοι δοκεῖ.* Add. Ter. Eun. II, 2, 37, not.

10. *Tibi v. quid etc.* *Τῷ tibi* Aeschini interrogantis respondet illud *mihi* Micionis. Particulae *vero, quidem* eleganter sunt positae, ut graecae, *μεν, δε.*

11. *Amic. quid me etc.* Cf. III, 5, 2.

12. *quid?* sc. ait.

13. *Habit. hic etc.* Andr. IV, 5. „Addit, *pauperculae*, ut magis desperet Aeschinus impetrari posse has nuptias a patre.“ Do.

14. *Ut opin.* Etiam Cicero inter loquendum asserit, quod primo pro dubio posuerat, ad Attic. VI, 3. „Q. Cicero puer legit, *ut opinor*, et certe epistolam.“ Add. Ter. And. II, 2, 30.

Neque enim diu huc commigrarunt. *A.* quid tum postea?
*M.* Virgo est cum matre. *A.* perge. *M.* haec virgo orba 'st patre.
Hic meus amicus illi genere est proxumus:
Huic leges cogunt nubere hanc. *A.* perii! *M.* quid est?
*A.* Nil-recte-perge. *M.* is venit, ut secum avehat:
Nam habitat Mileti. *A.* (*sui non compos*) hem, virginem ut secum avehat?
*M.* Sic est. *A.* Miletum usque? obsecro. *M.* ita. *A.* (*aversus a Micione*) animo male 'st.
Quid ipsae? quid ajunt? *M.* quid illas censes? nihil enim.
Commenta mater est [f]), esse ex alio viro
Nescio quo puerum natum, neque eum nominat.
Priorem esse illum, non oportere huic [g]) dari.
*A.* Eho, nonne haec justa tibi videntur postea?

f) V. I. *excogitavit.* g) Id. *supervenienti a Mileto.*

15. *Neq. en. diu etc.* Cf. Andr. I, 1, 43.
16. *perge.* Hoc verbo proditur Aeschinus cupidissimus audiendi.
17. *Hic meus amic.* Quem sc. commemoravit v. 11. *illi gen. est prox.* Cf. infra V, 8, 24.
18. *Huic leg. cog. n. hanc.* Ph. I, 2, 75. Lex Solonis est ap. Demosthen. „Orbae qui sunt genere proximi, eis nubunto; aut iis orbis dotem danto." *perii!* „Hoc audit Micio, sed dissimulat." Do.
19. *Nil-recte.* Ut suspicionem omnem perturbatus Aeschinus a se moliatur, interponit hoc utrumq. *Nil-recte* quorum alterum alteri parum convenit. *is ven. ut etc.* „Aliud pejus in amatam, ut nec Athenis saltem alteri nuberet." Do.
20. *hem, virg. ut etc.* Gestu commotior prodit Aeschinus, quod verbis negat.
21. *Milet. usq.* Adverb. *usque* saepe postponitur nomini a se recto. Cic. Attic. 6, 2. „Principes Ephesum *usque* venerunt." „*Miletus* colonia est Atheniensium in Ponto." Do. *ita*, confirmantis. *animo male est*; cf. Plaut. Amph. V, 1, 6. „*Animo male 'st*, aquam velim." Do. explic.: „*Animo male* fieri dicitur, cum ictu alicujus moeroris perculsus animus non sustinet corpus, sequiturque ruina membrorum."
22. *Quid ipsae* sc. mater et filia. *quid ill. cens.* Andr. V, 2, 12. Do. subaud. „posse dicere."
25. *Priorem*, h. e. potiorem. Eun. I, 2, 71. *Priorem.* Non cognationis, sed jure tori et partus.
26. *Eho*, querentis, conturbati, vocantis interjectio. *postea.* Hoc adverb. Do. et ab eo inde plurimi abundare putarunt; cum praesertim ad sententiam nihil faciat. At Bi. notant, illud *po-*

*M.* Non. *A.* obsecro! non? an illam hinc abducet, pater?
*M.* Quid illam ni [h]) abducat? *A.* factum a vobis duriter,
Immisericorditerque, atque etiam, si est, pater,
Dicendum magis aperte, illiberaliter [i]).
*M.* Quamobrem? *A.* rogas me? quid illi tandem creditis
Fore animi misero, qui cum [l]) illa consuevit prior [m])?
Qui infelix haud scio an illam misere nunc amat [n]),
Cum hanc sibi videbit praesens praesenti eripi,
Abduci ab oculis? facinus indignum, pater.
*M.* Qua ratione istuc? quis despondit? quis dedit?

h) Be. ex uno C. *Quidni illam.* i) C. G. m. colloc. *illib. aperte* satis confuse. l) Par. omitt. *cum* male. m) L. antiq. *prius.* n) Id. *amet.*

*stea* in vet. Edit. Argent. post notam interrogandi separatim legi a ceteris, perinde ac si Aeschinus plura dicturus interrumpatur hoc modo: *videntur? postea....* Atque supplent Bi. haec: „*postea* etiam illam hinc abducet?"

27. *Non,* vultuose pronuntiandum. *an ill. h. abd.* Cum singultu ploraturi. *pater.* Quasi hoc ad supplicandum.

28. *Quid ill. ni etc.* Tmesis comica, pro *Quidni illam. duriter,* dura mente, inflexibili.

29. *Immisericorditer.* Hujusmodi voces multarum syllabarum comica amat etiam Aristophanis oratio, sed h. l. juvenis ex amaritudine animi usurpat illam, sicut ceteras in *ter* exeuntes, *duriter, illiberaliter.* Andr. I, 1, 47. *si est, pater.* Far conjung. verba, *si est pater,* nec interposito commate; quibus addit explicationem: „Ex quo natus est filius." At copulare, *si est Dicend.*, magis convenit. Ad hoc conf. Andr. II, 6, 25. Eun. V, 1, 3.

30. *mag. aperte.* „Dicit *magis*, quia jam *aperte* dixerat: *duriter* et *immisericorditer.* Ceterum Aeschinus bene praefatus est, ne contumax adversus patrem videretur." Do.

31. 32. *quid illi tand. cred. etc.* Cf. Eun. V, 6, 14. *tandem* pro, igitur. *qui cum illa consuev.* Cf. Hec. IV, 1, 40. Honesto vocabulo res turpis significatur. Cic. Verr. V, 12.

33. *haud scio an.* Quae formula cum dubitationem habere videatur, tamen simpliciter affirmat. v. Ernesti cl. Cic. *mis. amat.* „Ita affectu proditur, qui ut alienus vult loqui." Do. Andr. III, 2, 40.

34. *praes. praesenti.* Similit. Virg. A. IV, 83. „Absens absentem audit."

36. *Qua rat. ist.* sc. dicis. Latenter ex obliquo perstringit Aeschinum, qui sine patris consensu et auctoritate se nuptiis illaqueaverat. *quis despond.* „Quia non interfuit pater." Do. *quis ded.* Rapuit enim prius quam peteret. Dicitur autem *pater uxorem dare,* Andr. II, 2, 15. item *despondere,* Andr. I, 1, 75.

Cui? quando nupsit? auctor °) his rebus quis est?
Cur duxit alienam? *A.* an sedere oportuit
Domi virginem tam grandem, dum cognatus hinc p)
Illinc q) veniret exspectantem? haec, mi pater,
Te dicere aequum fuit, et id defendere.
*M.* Ridiculum: advorsumne illum causam dicerem,
Cui veneram advocatus? sed quid ista, Aeschine,
Nostra? aut quid nobis cum illis? abeamus. quid est?
Quid lacrumas? *A.* pater, obsecro, ausculta. *M.* Aeschine, audivi omnia,
Et scio: nam te amo, quo magis, quae agis, curae sunt mihi.
*A.* Ita velim me promerentem r) ames, dum vivas, mi pater,
Ut me hoc delictum admisisse in me, id mihi vehementer dolet,
Et me tui pudet. *M.* credo hercle: nam ingenium novi tuum

o) I. *actor.* p) Fa. ed. *huc.* Sed elegantius *hinc* ex Rivii Codd. q) V. I. *ex Mileto.* r) C. G. m. *ut.*

37. *auctor.* Inter *auctores* nuptiarum parentes numerantur, cognati, tutores.

38. *alienam.* Scilicet quae cognati esset, non Aeschini. *sedere.* Sic de virgine dicitur, quae conditionem non reperit.

39. *grand.* ,,Ad aetatem veteres retulerunt, non ad corpus.“ Do. *hinc Illinc* proverbialiter pro, alicunde. *haec Te dic. aequum etc.* Vide quam sedatior nunc Aeschinus.

41. *defendere,* cohibere, ne cognatus illam abduceret.

42. *advers. illum.* Nove hoc dictum, ex Do. adnotant, cum hoc sit proprie rei ac defensoris. Eun. Prol. 10. 11.

43. *Cui ven. advocat.* Cf. v. 12. Cic. Off. I, 10. ,,Si constitueris te *cuipiam advocatum,* in rem praesentem esse *venturum.*“ *quid ist. Nostra.* Bene *Nostra.* Memor est enim, se respondisse Aeschino, *nih. mihi quidem,* v. 10.

45. *pater, obsecro etc.* ,,Haec ultima desperatio cogit Aeschinum fateri verum.“ *Aesch. aud. omnia.* ,,Ita victus pietate et lenitate pater eloqui filium non sinit, ne confessione delicti torqueatur.“ We.

46. *te amo;* cf. He. II, 3, 119. *curae s. mihi;* cf. sup. I, 2, 49.

47. *Ita vel. me prom. am.* ,,Merito *ames.* Multi enim necessitate amant.“ Eu. *Ita velim etc.* Fac ut conjunctionem membrorum ab *Ita* et *Ut* incipientium observes. *velim* pro, volo. *promerent.* Cf. supra II, 1, 47. *delict. adm. in me;* cf. Ph. II, 1, 40. Praeterea ne omittas, quod sit in vocib. *scio, amo, quo magis, quae agis, ames, vivas,* auri suave atque canorum.

49. *Et me tui pud.* ,,Sensus est, pudore confundor, pr...

Liberale; sed vereor ne indiligens nimium sies.
In qua civitate tandem te arbitrare vivere?
Virginem vitiasti, quam te non jus fuerat tangere.
Jam id peccatum primum magnum; magnum [s]) et humanum tamen:
Fecere alii saepe, item boni. at postquam id evenit, cedo,
Numquid circumspexti? aut numquid tute prospexti tibi,
Quid fieret [t])? qua fieret? si te ipsum mihi puduit dicere,
Qua resciscerem? haec dum dubitas, menses abierunt decem.
Prodidisti et te, et illam miseram, et gnatum, quod quidem in te fuit.
Quid? credebas, dormienti haec tibi confecturos Deos?

s) Fa. credebat *magnum* geminari debere, sed non audebat recipere duplum. Recepit Mu. velut neglectum a librariis. t) Ms. Par. *et*.

te, quem offendi graviter." We. *credo hercle.* Humana agnitio pietatis alternae. Andr. V, 4, 36. *inq. n: t.* Eun. IV, 7, 42.

50. *Liberale.* Dicit. *liberale*, quod *liberum* decet virum atq. honestum. *indilig. nim.*, h. e. socordem, ut v. 61.

51. *In qua civitate etc.* Not. Minelli: „An utique oblitus es te Athenis esse, ubi vivitur legibus?" Vid. Meurs. de legg. Athen. Et supra v. 18. *tandem.* Praecipit Do. pro, tamen, sumend. at We. emphatice.

52. *quam non tangere*; cf. Eun. IV, 7, 27. 28. Sed h. l. *tangere*, eod. sensu quo Eun. II, 3, 82.

53. *peccatum* sc. est. Andr. V, 3, 25. *magn. magn.* Hoc itid. geminatum, sicuti *peccatum* Eun. Prol. 27. Eod. modo Ovid. Met. II. 284. „tantum, tantum." *human.* Cf. Plaut. Merc. II, 2, 48. „*Humanum* amare est."

54. *Fec. alii.* „Moris est, exemplo lenire, quod purgare non possis." Do. Heaut. V, 2, 4. *evenit.* Ita leniter dicit, non, commissum est.

55. *circumspexti* per syncop. pro, circumspexisti. Hoc verb. proprie Andr. II, 2, 20. Ita vero Micio Aeschinum, quid eveniat, facit recordantem, quemadmod. Sostratam Chremes in Heaut. IV, 1, 25 seqq. *prosp.* „Circumspicimus praesentia, *prospicimus* futura." Do. *qua.* Ellips. ratione. *fieret.* Intellige: ut eam duceres uxorem.

57. *Qua* „i. e. per quos." Do. *mens. ab. dec.* Supra III, 4, 29. „Ita non sine causa Micio, puero jam eo mense nato. *Decimo* enim mense perfectum edi partum, ex Hippocrate docent veteres ICti." We.

58. *Prodid.*, h. e. perdidisti. Heaut. III, 1, 70. *quod,* quantum.

59. *Quid? credeb. etc.* Instantis est, *Quid?* uti Cicero centies. *dormienti,* i. e. socordi et indiligenter rem agenti. Heaut. IV, 4, 8.

Et illam sine tua opera in cubiculum iri deductum domum?
Nolim ceterarum rerum te socordem [x]) eodem modo.
Bono animo es, duces uxorem hanc. *A.* hem! *M.* bono animo es, inquam. *A.* pater!
Obsecro, num [y]) ludis tu nunc me? *M.* ego te? quamobrem? *A.* nescio:
Nisi quia tam misere hoc esse cupio verum, eo [z]) vereor magis.
*M.* Abi domum, ac Deos comprecare, ut uxorem arcessas: abi.
*A.* Quid? jamne uxorem [a])? *M.* jam. *A.* jam? *M.* jam, quantum potest [b]). *A.* Di me, pater,
Omnes oderint, ni magis te, quam oculos nunc ego [c]) amo meos.
*M.* Quid? quam illam? *A.* aeque [d]). *M.* perbenigne [e]). *A.* quid? ille ubi est Milesius?

x) V. I. *negligentem esse.* y) Pro *num* al. *non.* z) Al. *ideo.* a) Ms. Paris. teste Par. *ux. ducam.* b) Veterr. Be. C. *potest*, pro *potes* vulg. Eun. II, 3, 86. c) Be. *ego* ex Codd. Al. omitt. d) V. I. *et te et illam.* e) Id. *facis.*

60. *in cubic. iri deduct. dom.* v. Hec. I, 2, 60. *Deduci* proprie dicitur virgo, quae viro conciliatur, Ovid. Ep. 16, 313.

61. *ceterar. rer. te socord.* Par. suppl. „causa.“ Al. explic. in ceteris rebus.

62. *hem.* Cum fletu et gaudio dixit.

63. *quamobr.* Gu. vert.: „je ne say pas, pour quoy je le feroy.“

64. *Quia tam misere etc.* Hoc modo Pamphilus, Andr. V, 5, 1. 2. Quapropt. non placet ms. Helmstad. qui distinguit, *cupio. verum ideo.*

65. *Abi dom. ac etc.* Cf. Andr. II, 5, 13. pat. ad fil. in ead. re *Deos comprec.* „Scilicet rite non contrahebantur nuptiae, nisi re divina prius facta.“ We. Add. Val. Flacc. VIII, 243. etc. „Inde, ubi sacrificas cum conjuge venit ad aras Aesonides, unaq. adeunt, paritérq. *precari* Incipiunt etc.“ *abi.* Hoc posterius, *abi*, dicit moranti cunctantique. Andr. I, 1, 1.

66. 67. *jamne ux.* „Accessit ad beneficium tempus. Et ideo *jam* quasi gestiens repetit adolescens.“ Do. *Di me O. od. ni etc.* Formula jurisjurandi. *mag. te quam oculos etc.* Infra V, 7, 5. Et recte monet Ru. in exprimenda vi amoris crebram fieri *oculorum* mentionem etc.

68. *quam ill.* Plene, me magis amas, *quam illam?* Grate hoc et jocose. *perbenigne* sc. dicis. Ph. V, 9, 62. Formula gratias agentis. Hor. Ep. I, 7, 15.

*M.* Abiit, periit, navem ascendit. sed cur cessas [f])?
*A.* abi, pater,
Tu potius Deos comprecare: nam tibi eos, certo scio,
Quo vir melior multo es, quam ego, obtemperaturos magis.
*M.* Ego eo intro, ut, quae opus sunt, parentur; tu fac ut dixi, si sapis [g]). (*abit.*)
*A.* (*secum*) Quid hoc est negoti? hoc est patrem esse? aut hoc est filium esse?
Si frater aut sodalis esset, qui [h]) magis morem gereret?
Hic non amandus? hiccine non gestandus in sinu est? hem,
Itaque adeo magnam mi injicit sua commoditate curam,
Ne forte imprudens faciam quod nolit. sciens [i]) cavebo.

f) Id. *praeparare nuptias.* Sed verius subaudi, arcessere uxorem, ex versu 65. g) Hic vers., tu Do. ait, in quibusd. non invenitur. h) V. I. *quo.* i) Al. disting. post *sciens* perperam.

69. *Ab. per. nav. ascend.* Simile illud Cic. de Catil. Or. II, „*Abiit*, excess. evas. erupit.“ *periit*, i. e. abiit, ut nesciamus, ubi locorum sit.

71. *Quo vir melior etc.* Mira sententia, Deos obsequi bonis. Credeb. enim veteres, pietatem Deorum atque parentum auxilio liberis esse. Plaut. Poen. V, 4, 106. „Mi pater, tua pietas plane nobis auxilio fuit.“ *magis* pro, *eo magis.*

72. *intro*, in meas domos. *quae op. sunt.* „Intellige sacrificium, vasa, vestes candidas, obsonia, vocationem genere proximorum, coquorum conductionem, tibicinas, lampadas et similia; uno verbo, quae turbam faciunt nuptiarum; cf. Andr. II, 2. 26 etc.“ We. *si sapis.* Suadendi formula. Eun. I, 1, 31. IV, 4, 53.

73. *Quid h. est neg.* „Et mirantis haec et laudantis oratio est. Et bene videtur hujusmodi patrem Terentius probare.“ Do. Ph. V, 3, 33. *hoc est patr. ess. aut etc.* H. e. vices istiusmodi patris ac filii bene feliciterque experiri atque probare.

74. *Si frat. aut etc.* Cf. Plaut. Cist. I, 1, 5. „soror si mea esses, *Qui magis* potueris mihi honorem ire habitum? *mor. ger.* sc. mihi. Supra II, 2, 6. III, 3, 77. „Qua ratione magis mihi indulgeret.“ Far.

75. *gestand. in sinu. Gestare in sinu* sicut in oculis, et ferre in oculis, caritatis summae locutiones esse, per se facile patet. Cic. ad Q. fr. II, 11. „Mihi crede, *in sinu* est.“ ubi vid. Manut. Add. Homer. Il. VI, 399. παῖδ' ἐπὶ κόλπον ἔχουσ'. — Et Ovid. Met. VI, 338.

76. *mihi inj. curam*; cf. supra II, 2, 20. Ph. IV, 4, 10. *sua commoditate*, i. e. facilitate, obsequio. Heaut. III, 2, 10.

77. *Ne f. imprud. fac.* Heaut. II, 3, 128. „*imprudens*, pro insciens.“ Eu. Recte: „opponitur enim sciens.“ Id. *cavebo*, „inspiciam et providebo.“ Eu.

Sed cesso ire intro, ne morae [1]) meis nuptiis egomet sim?

1) Sic l. Bemb. In antiq. *mora*. Al. *in mora*.

78. *Sed cesso*; cf. Heaut. I, 1, 121. III, 1, 1, not. *ne morae sim*; cf. Andr. II, 5, 13. III, 1, 9.

## ACTUS IV. SCENA 6.

### DEMEA.

Defessus sum [a]) ambulando, ut, Syre, te cum tua
Monstratione magnus perdat Jupiter.
Perreptavi usque omne oppidum, ad portam, ad lacum:
Quo non? neque ulla fabrica illic [b]) erat, nec [c]) fratrem homo

a) C. G. m. sup. script. *dum fratrem quaero.* b) Id. colloc. *fabr. ill. ulla.* Plurimi edid. ex Fa. *illic fab. ulla.* c) L. antiq. *neque.*

„Hic exemplum inducitur saevi patris ex affectu vero, et ob hoc invisi omnibus. Non autem tantum amare vultu, quam ipsa re inducitur: nam neque sibi, neque cuiquam alii, sed filio tantum consultum capit.“ Do. „Haec scena integra, paucis mutatis, exscripta videtur ex Plauti Amphitruone, IV, 1.“ We.

1. *Defess. sum*; cf. Hec. III, 4, 29. „*De* valde significat.“ Do. *ambulando*; cf. Hec. V, 3, 17. Sed proprius h. l. diceret, errando per totam urbem. Supra IV, 2. *cum tua Monstr.* Cf. And. V, 4, 38, not. *Monstr.* Simpliciter senex *Monstrationem* Syri vocat, cujus per fraudem fuerit seductus atque delatus. Supra 2, 31. *perd. Jup.* Sic Plaut. Pseud. III, 2, 47. „at *te Jupiter*, Diique omnes *perdant*, cum condimentis tuis, Cumq. tuis omnib. mendaciis.“ Et Ter. III, 1, 41.

3. *Perrept. usq. o. oppid.* „Compendio dixit, quae Plautus plurib. verbis, Epid. II, 2, 13.“ We. Atque qui tardo et segni gradu incedunt, *repere* dicuntur. Phaedr. V, 1, 8. *ad port. ad lac.* Scilicet ubi fuerit errabundus, atque delusum se misere animadvertit. Supra 2, 44.

4. *Quo non?* Supple, *perreptavi*. Sed utrum *quo*, pro, quo in loco? an pro quem in locum? valeat, incertum est. *neque* pro, nec tamen. Praenotand. videtur, etsi *perreptavi*. Amanda-

Vidisse se [d]) aibat [e]) quisquam. nunc vero domi
Certum obsidere est usque, donec redierit.

d) Fa. in aliq. libb. non vidit *se*. e) Sic Be. ut alias pro *ajebat*.

rat enim Syrus dominum ad fabricam usque, quae plane nulla erat; cf. sup. 2, 45.

5. *domi.* Par. in marg. „Micionis."

6. *obsidere* „pro diu sedere." Do. Sic Plaut. Poen. Prol. 23. „Servi me *obsideant*, liberis ut sit locus."

---

# ACTUS IV. SCENA 7.

## MICIO. DEMEA.

*M.* Ibo, illis dicam, nullam esse in nobis moram.
*De.* Sed eccum ipsum. te jam dudum quaero, o [a]) Micio!
*M.* Quidnam? *De.* fero alia flagitia ad te ingentia
Boni illius adolescentis. *M.* ecce autem. *De.* nova,
Capitalia. *M.* ohe, jam... *De.* ah [b]), nescis qui vir sit. *M.* scio.

a) Partic. o Be. ex Codd. s. Al. non habent. b) C. G. m. *ha*, idque correct. atramento alieno.

„In hac scena est exemplum intempestivae objurgationis, ac per hoc ridiculae." Do.

1. *Ibo, ill. dicam.* „Moris est secum loqui vel senes, vel maxime aliquid ex animo agentes." Do. *illis*, Sostratae et filiae. *in nobis* sc. me et Aeschino; cf. 5, fin.

3. *fero al. flagitia etc.* „Magno sonitu ac ingenti ostentatione accusationis exorsus est." Do. *fero* pro, adfero. Plaut. Bacch. II, 3, 94. *flagitia.* Cujusmodi sint, vide supra I, 2, 21. seqq. *ingentia*; cf. Eun. III, 1, 2.

4. *Boni*, ironice. *ecce autem.* „*Ecce* dicitur, quum repente triste aliquid rebus intervenit laetis etc." Do. *nova*, inaudita. Sic Liv. 5, 49. „Galli *nova* re trepidi."

5. *Capitalia.* Liv. 24, 37. Ad quem loc. in Ernest. Glossar. notatur: „Est scilicet *capital* seu capitale commissum ejusmodi, quod cum poena capitis conjunctum est." *ohe jam.* Suspicari licet, Micionem h. l. *desine* additurum, ut in Heaut. est, V, 1, 6.

*De.* O [c]) stulte! tu de psaltria me somnias
Agere: hoc peccatum in virginem est [d]) civem. *M.* scio.
*De.* Oho [e]), scis? et patere? *M.* quidni patiar? *De.* dic mihi,
Non clamas? non insanis? *M.* non. malim quidem.
*De.* Puer natu 'st. *M.* Di bene vortant! *De.* virgo nihil habet.
*M.* Audivi. *De.* et ducenda indotata 'st [f]). *M.* scilicet.
*De.* Quid nunc futurum 'st? *M.* id enim quod res ipsa fert:
Illinc huc transferetur virgo. *De.* o Jupiter!
Istoccine pacto oportet [g])? *M.* quid faciam amplius?
*De.* Quid facias [h])? si non ipsa re [i]) istuc tibi dolet,
Simulare certe est hominis. *M.* quin jam virginem
Despondi [l]); res composita est; fiunt nuptiae;

c) Pro *O* l. antiq. ac Be. Codd. *Ah.* C. G. m. *Ha.* Ubi verba abhinc quae huius ac sequentis versus sequuntur, in marg. inveni addita; quod quidem codicis minime optimae esse videtur notae. d) Al. colloc. *est in virg.* e) L. antiq. *Eho.* f) Sustuli cum Be. notam interrog. aliorum. g) C. G. m. gl. *fieri.* h) L. antiq. inger. *rogitas?* Delet Fa. i) I. et V. *re vera.* l) C. G. m. sup. script. *Aeschino.*

ab impetuoso Demea esse interruptum. *vir*, ironice. Demea autem dicto, *nescis qui vir sit*, intelligi vult omnia quae flagitia nominavit Aeschini, v. 3. Quod idem et Micio sentit, et ad *nescis* Demeae respondet consentiendo, *scio.* Satis ridicule *scio* dicit, nec, quod ille cupit, abnegat.

6. *de psaltria*; cf. sup. III, 4, 31. *somnias*, per errorem existimas. Plaut. Pseud. IV, 7, 91. „quid *somniatis*?"

7. *hoc peccatum.* Par. in marg. „quod fero ad te." *civem.* Significanter. Eun. V, 2, 19. *scio.* Frigide pronuntiandum.

8. *patere* pro pateris. Irascitur etiam Micioni, non solum Aeschino.

9. *Non clam. Non clamas?* dicit, quippe quod Demea clamare consuevit; cf. supra I, 1, 35. *insanis*, expostulas, debaccharis; eod. fere modo quo Geta, sup. III, 2. *malim quidem.* Do. dubitat, haec verba Micioni tribuantur an Demeae. Sed quando *malim quidem*, ut vulgo, explicueris, „si fieri posset, aliter esse etc." tunc Micioni profecto attribues.

11. *ducenda indot. est.* Ex lege Attica si quis puellam devirginasset, aut ducere aut mori cogebatur. Plaut. Aul. IV, 10, 62.

13. *Illinc*, a Sostrata. *huc*, in domum Micionis; cf. 5, fin. *Jupit.* „Tragice adjecit, a Micione versus." Do.

16. *Simulare certe.* „Debes saltem vel fingere." Eu. *hominis.* Sincerus suppl. „prudentis."

Demsi [m]) metum omnem. haec mage [n]) sunt hominis.
*De.* ceterum,
Placet tibi factum, Micio? *M.* non, si queam
Mutare; nunc, cum non queo, animo aequo fero.
Ita vita 'st hominum, quasi cum [o]) ludas tesseris [p]).
Si illud, quod maxume opus est jactu, non cadit;
Illud quod cecidit forte, id arte ut corrigas.
*De.* Corrector! nempe tua arte viginti minae
Pro psaltria periere, quae, quantum potest,
Aliquo abjicienda est; si non pretio [q]), gratiis [r]).
*M.* Neque est, neque illam sane studeo vendere.
*De.* Quid illa [s]) igitur facias [t])? *M.* domi erit. *De.*
pro Divum fidem!

m) Par. ms. *depressi.* n) Ita Be. ed. ubiq. locor. pro *magis.* o) Ita l. antiq. Sic it. Syr. Mim. citat. At Be. *quasi si.* Lindenbr. et We. *quasi cum.* p) V. I. *tabulis.* q) L. antiq. *at.* Mss. Pall. *vel.* r) Al. *gratis.* Sed Fa. ex ratione versus legend. esse putat superius, ut Ph. III, 2, 15. s) Pronom. *illa* recepi, suadente Be. Acute enim dicit: responsum, *domi erit*, postulat *illd.* t) Ita veterr. Be. Vulg. *facies.*

18. *Demsi met. omnem.* Scilicet cum intraverat ad Sostrat. filiamque ejus, supra 3. fin. *haec m. sunt hom.* Bene repetit, *hominis*; ille enim dixerat: *Simulare certe est hominis.* Quo sensu autem Micio suum *hominis* velit acceptum, ex illo loco facile cognoscitur, I, 2, 27 seqq.

19. *Plac. tibi fact. Mic.* Formula expostulandi. Eun. V, 2, 12. *si queam Mutare*; cf. v. 9.

21. *Ita vita est hom. quasi etc.* Varias ejusmodi fere argumenti sententias non tantum We. sed etiam Lindenbr. adferunt partim eorum, unde hauserit Terentius, partim eorum, qui ipsum imitati sint. Alexis ap. Stobaeum: *Τοιοῦτο τὸ ζῆν ἐστιν ὥσπερ οἱ κύβοι, Οὐ ταὔτ' ἀεὶ πίπτουσιν* etc. Talis est vita ut tesserae etc. Hanc similitudinem vitae factam cum tesseris videmus etiam ap. Plat. de Rep. X. Haec est quoque inter Syri Sent. 400.

22. *non cad.* Transfertur ad aleae lusum, ubi casus valentior est arte.

23. *id arte ut corrig.* Ars adhibenda pro fortuna. *corrig.* Corriguntur prava vel quae non recta sunt.

24. *Correct.* „Ita profligatum se sentit Demea, ut nesciat, quid fratri objiciat, nisi virulentam irrisionem." Bi. Itid. Cic. Philip. II, 17. *tua arte.* In voce *artis* ambiguitas inest, sicut Andr. I, 1, 5. *vig. minae.* Scilicet quanti emerat Aeschinus psaltriam, parata Micionis pecunia; cf. supra III, 3, 15.

26. *Aliquo.* Signific. aut in locum aliquem, aut sc. pretio. *abjicienda*, h. e. vilivendenda. Plaut. Most. III, 3, 2. Nondum scit Demea amicam Ctesiphonis filii esse hanc psaltriam.

27. *Neq. est.* Subaudi ex sup. versu, *abjicienda.* Dicitur autem *abjicere* vili quovis pretio, *vendere* justo.

28. *Quid illa fac.* Sic Eun. V, 1, 21. Hec. IV, 4, 46. *domi er.*

Meretrix et mater familias una in domo?
*M.* Cur non? *De.* sanum credis te esse? *M.* equidem arbitror.
*De.* Ita me Di ament, ut video tuam ego ineptiam;
Facturum credo, ut habeas, quicum cantites.
*M.* Cur non? *De.* et nova nupta eadem haec discet. *M.* scilicet.
*De.* Tu inter eas restim ductans saltabis. *M.* probe.
*De.* Probe [u])? *M.* et tu nobiscum una, si opus sit. *De.* hei mihi!
Non te haec pudent [x])? *M.* jam vero omitte, o Demea,

u) Diction. *D.* *Probe?* Be. omittit tanq. a glossatore l. Bembini putide iteratum. Sed errat vir magnus. Nam simili modo resonat supra IV, 5, 66. vocula *jam* in ore iterantis comice. Sic it. centies. x) Sic antique. „Veteres enim forma personali utebantur.“ We.

Psaltria nempe, quae jam intus est cum Ctesiphone; cf. supra II, 4, 20. *pro Div. fid.* sc. imploro. *Div* s. Divor. pro Deorum. Distinguunt quidem inter *Divos* et Deos, sed Horatius *Diva* quoque dixit pro Dea, Od. I, 3, 1. Et Cic. de Leg. II, 8. „Ad *Divos* adeunto caste.“

29. *Meretr. et mat. fam.* Sic Cic. Philip. II, 41. „scorta inter *matres familias* versabantur.“ *mat. fam.*, h. e. uxor.

30. *san. cred. te etc.* Cf. Andr. V, 4, 9. sana mente es?

31. *ut*, utpote. Non aliter Cic. in Caecil. 9. „Illi quidem, *ut* est hominum genus suspiciosum, arbitrantur etc.“ Itid. supra III, 3, 35. 36.

32. *Factur.* sc. te. *quicum*, vid. Ind. *cantit.* sc. amatoria cantica et meretricia. Et Do. explic.: „Quasi turpius sit, *cantare* senem cum psaltria quam coire.“ Sed equid. putarim, eo *cantites* dixisse, quod psaltria est. Supra III, 3, 34.

33. *nova nupta disc.* Mire *nova nupta*, utpote quae docilior sit matronà. *scilicet*, per ironiam.

34. *restim duct. saltab.* „H. e. saltationis genus, quo funem tenentes saltabant et in diversum se invicem trahebant.“ Ru. Et notat Minelli: *Κόρδακα ἕλκων*, *ductans* funem in saltatione comica, quam natam volunt ab eo fune, quo in Trojam introductus erat equus Durius.“ Quae vero Minellii notata ex ipso Aristoxeno auctore clarius cognosces. Cujus librum vide, *Περὶ τραγικῆς ὀρχήσεως* inscriptum. De ead. re cf. Schmied. ad Arrian. 7, 8. Atque notari insuper debet, impudicam haberi illam saltationem a veteribus, ut inde satis acerbe dictum pateat in senem. *Tu inter eas etc.* Neq. vero praetereundi sunt Horatius, Ep. I, 10, 47. et Liv. 27, 37. „per manus, inquiens, *reste ducta* virgines etc.“ Quo saltandi genere, We. narrante, etiam amatores studebant placere amicae. Plura Lindenbr. Postremum moneo, id *restim ductare* etiam posse ad senis pueros imitantis ineptiam convenire vel importunitatem.

36. *Non te haec pudent?* Item *pudeo* personali forma, Plaut. Cas. V, 2, 3. Est autem *haec* nominandi casu sumendum; cf.

Tuam istanc iracundiam, atque ita uti decet,
Hilarum [y]) ac lubentem fac te gnati in nuptiis [z]).
Ego hos [a]) conveniam; post huc redeo. (*abit.*) *De.* o
Jupiter!
Hanccine vitam! hoscine mores! hanc dementiam!
Uxor sine dote veniet; intus psaltria est;
Domus sumtuosa; adolescens luxu perditus;
Senex delirans. ipsa si cupiat Salus [b]),
Servare prorsus non potest hanc familiam.

y) Sic pleriq. libb. s. C. G. m. *Hylarem.* z) L. antiq. *in nati nupt.* absque synaloepha. a) V. I. *Sostratam, filiam, Hegionem alloquar.* b) Id. *dea salutis.*

Bauer ad Sanct. Min. III, 1, not. *omitte Tuam ist. iracund.* Cf. infra V, 3, 8. *ita uti decet.* Andr. II, 5, 10.

38. *Hilar. ac lub. fac te.* Hoc fere idem infra V, 3, 56. Et Plaut. Pers. V, 1, 8. „Omnes *hilaros, lubentes*, laetificantes faciam ut fiant.“ Ubi notant interpretes, *lubentes* convivii verb. esse proprium. Atque Gellius *lubentia* conviviorum pro hilaritate dixit; vid. N. A. I, 5, 2.

39. *Ego hos conv.* Referenda haec sunt ad initium huius scenae, ubi Micio, in Demeam incidens, incepto suo erat prohibitus. *huc* Par. explic. „ad meas aedes, ad te.“ *o Jupit.* Haec exclamatio Demeae videtur familiaris atque consueta. Supra v. 13. Itid. III, 3, 12.

40. *Hanc vit. hosc. mores etc.* „Crebra ellipsis convenit in stomachantem.“ Bi. Supra III, 2, 6. *hosc. mor.* Similit. Pers. Sat. I. „*o mores!*“ Ubi notant, stultos homines, vanos, pessimos e re flagitiosa ac turpi laudem et gloriam captare. *dement.* Cf. supra III, 3, 35. 36.

41. *Ux. sine dote v. int. psaltr.* Horum utrumq. Demeae magnopere dolet. *Ux. sine dote.* Id ex Plauto videtur expressum, Trin. II, 2, 93. Longe aliter, quam Demea avarus, sentit Megadorus senex in Plaut. Aul. II, 2, 62. ita dicens: „Dummodo morata recte *veniat*, dotata est satis.“

42. *Dom. sumt.* Cf. Heaut. II, 1, 15. *perdit.* Cf. Eun. II, 2, 27.

43. *senex delirans.* Ph. V, 8, 8. Et Cic. Cat. maj. 11. „*senilis* stultitia,“ quae *deliratio* appellari solet, senum levium est, non omnium.“ *ipsa si cup.* „Pronom. *ipsa* est ἐπιδεικτικόν.“ Par. *Salus.* „Locutio ab impossibili pro, ut si velit ipsa servare salus, nunqu. possit familiam.“ Eu. Itid. Plaut. Capt. III, 5, 14. Est autem *Salus* Dea Romanis, quae ead. Graecis Ὑγίεια.

44. *Serv. famil.* Cf. supra III, 4, 34. Ceterum Demea anxius animi ita ostenditur de sumtib. sustinendis, quemadmod. Chremes in Heaut. V, 1, 36.

# ACTUS V. SCENA 1.

## SYRUS. DEMEA.

*Sy.* (*secum*) Aedepol, Syrisce, te curasti molliter,
Lauteque munus administrasti tuum.
Abi. sed postquam intus sum omnium rerum satur,
Prodeambulare [a]) huc libitum est. *De.* (*visum intuens Syrum*) illuc [b]) sis vide
Exemplum disciplinae. *Sy.* ecce autem hic adest [c])

a) *Prodeamb.* gr. προπεριπατεῖν. Mss. We. *porro deamb.* Bru. C. e. disjunctim *pro* (exclamatio) *deamb.* It. C. G. m. *proh.* b) L. antiq. *illud.* c) Variat series verbor. in hoc versu. Plurimi enim finiunt ex Bemb. in *adest*, al. in *senex.*

„Hic exemplum inducitur licentiae servorum sub miti domino." Do.

1. *Syrisce.* Per diminution. nominis sibi ipse blanditur, ut Plaut. Cas. III, 6, 14. Olympio per adulationem Olympiscus dicitur. Atque servus, ut Eu. monuit, egreditur vinolentus, quod nomen ita pronuntiavit ut ebrius. *te curasti.* Sic Liv. 34, 16. „*curati vino et cibo* legati." Ibid. 9, 37. modo eod. Est autem *curare* et mensae et convicii verbum. *te cur. mollit.* Itid. Plaut. Poen. III, 3, 80. „ubi ego *curer mollius*." De locutione, *corpus curare*, vid. Broukhus. ad Tibull. I, 5, 33. Ceterum observat Priscianus, saepissime apud Comicos induci personas, quae ipsae ad se loquantur. lib. 8.

2. *Laut. mun. etc.* „Magnifice tanqu. de *munere* publico, quum intelligat de edendi et bibendi provincia." We. Ac jam supra IV, 2, fin. visus est Syrus praelibata cupidine luxuriari.

3. *Abi.* Hoc verb. esse Do. exponit vel sibi vel alteri cum laudatione blandientis. *intus.* Hoc adverb. pro vernili sermone est, ad plenissimam saturation. indicandam. *omn. rer. sat.* „plenus omnium rerum." Eu. Supra IV, 2, fin.

4. *Prodeambulare*, „delicatorum est." We. En vero delicias servi, cui gemina opus est praepositione, *Pro de*; ut molliter sensa explicet atque ostendat. *vide.* Ita solent stomachantes. Ph. II, 3, 11.

5. *Exempl. discipl.* Varie interpretantur. Sed praecipue, si quid judico, huc referendus erit locus in Andr. III, 1. 19.

Senex noster. quid fit? quid tu es tristis? *De.* oh, scelus!
*Sy.* Ohe, jam tu verba fundis hic sapientia [d])!
*De.* Tu si meus esses [e]), *Sy.* dis quidem esses, Demea,
Ac tuam rem constabilisses [f]). *De.* exemplo [g]) omnibus
Curarem ut esses. *Sy.* quamobrem? quid feci? *De.* rogitas [h])?
In ipsa turba atque in peccato maxumo,

d) Dacieriae videtur *sapientia* secund. Do. vocativo casu positum; cf. supra III, 3, 40. e) Vide ne comma negligas, quod signum a Be. positum est interruptae Demeae orationis. f) Al. *stabiliss.* g) Sic Be. In l. Bemb. *exempla.* Verius tamen *exemplo* ibi fuisse scriptum Be. certo credit. Insuper latine. Vulg. ed. *exemplum.* h) Al. *rogas.* Supra III, 1, 1.

Quemadmod. enim illic Mysis, Lesbia, Pamphilus Davi significantur discipuli; sic etiam h. l. Aeschinus subaudiri videtur discipulus Syri servi, a quo tanqu. magistro suo documentum sumat perditae *disciplinae* atque *exemplum.* Ubi autem disciplina, ibi etiam discipuli esse putantur. Eun. II, 2, 32. Heaut. II, 3. 59. Accedit quod infra patet, V, 9, 5. Syrum fuisse paedagogum fratrum amborum, Aeschini et Ctesiphonis. *quid fit?* Cf. inf. 5, 3. *quid tu es trist.* Eun. II, 3, 13. „Mire securitatem ebrii expressit." Do.

7. *Ohe.* Sic solent qui aspernantur plura audire. Hor. Sat. I, 5, 12. *fundis*, ironice, h. e. in abundantia. Plaut. Pseud. IV, 1, 33. „mera mendacia *fundes.*" Aut sumitur eod. sensu, quo perdere praecepta vel frustra dare dicatur, supra III, 3, 80. *sapientia* pro sapientissime. Supra III, 3, 40.

8. *Tu si meus ess.* Plaut. Cas. III, 6, 15. „*tuus sum* equidem." *dis quid. ess.* Vocis *dis* declinatio est, Eu. monente, hic *dis*, hujus *ditis.* Significatur: „dives esses, re tua familiari bene administrata." Syrus namque, pro calliditate sua, occupat Demeam, triste aliquid vel minaciter dicturum; ac simul illudit ejus avaritiam.

9. *tuam rem*; cf. Eun. II, 2, 27, not. *rem constab.*, h. e. ut Cicero loquitur Phil. XI, 2. „Non ad spem constituendae *rei* familiaris, quam tenere eum posse negant, qui norunt etc." Itid. Plaut. Capt. II, 3, 92. „aedep. *rem meam Constabilivi.*" *exemp. omnib. Curar. ut ess.* Similis constructio Heaut. V, 1, 47. „Id autem vult *exemplum* in te ederem, quod ceteris documento esset, quid sit pericli, herum fallere, gnatum perdere." We. Eun. V, 4, 24. 26.

10. *quamobr.* Cf. supra IV, 5, 63. *rogit.* Ridiculus satis Demea ostenditur, qui adversus ebrium tam graviter peroret.

11. *In ipsa turba.* De raptu psaltriae loquitur. *in pecc. max.* Ita Demea pro more suo de vitio Pamphilae oblato. Supra IV, 7, 7.

Quod vix sedatum satis est, potasti [i]), scelus!
Quasi re bene gesta. *Sy.* (*secum*) sane nollem huc [l]) exitum.

i) Do. leg. *potastis*, cum explicatione hac: „oratorie *potastis* dicit, quum unum ebrium cernat." l) C. G. m. et Bru. C. e. al. *hunc*.

13. *Quasi re b. g.* Scilicet quia dixerat Syrus: *Lauteq. mun. etc.* v. 2. *noll. exitum.* Haec fere ead. syntax. cf. II, 1, 11.

---

## ACTUS V. SCENA 2.

### DROMO. SYRUS. DEMEA.

*Dr.* Heus [a]), Syre! rogat te Ctesipho, ut redeas. *Sy.* abi.
*De.* Quid Ctesiphonem hic narrat? *Sy.* nil. *De.* eho, carnufex,
Est Ctesipho intus? *Sy.* non est. *De.* cur hic nominat?
*Sy.* Est alius quidam [b]), parasitaster paululus [c]).

a) C. G. u. geminant *Heus*; quod nullibi ita vidi. b) Par. p. var. *quidem*. c) Sic Be. ut in Bemb. l. fuisse credit. At Fa. *parvolus*, de aetate scilicet, cum illud, Be. monitu, de statura dicatur.

„Puer missus a Ctesiphone adolescente, ignorans patrem praesentem, revocat Syrum, et dicit, se missum a Ctesiphone, ut cognoscat pater intus esse filium. Quapropter ille vehementer irascitur, et cupiens introire tenetur a servo, sed impetu facto ingressus filium intus esse cognovit." Eu.

1. *Heus, Syre.* „Quam clare dicat, ostenditur ex eo, quod praemisit *Heus*, antequam loqueretur." Do. *abi.* Supprimit addenda: in malam rem, qui Ctesiphonem nominas praesente Demea. Atqui Dromo prodit ebrius, quod Syrus diu celavit. Qui idem filium supra IV, 2. a patre quaeritante abegit.

2. *Ctesiphonem.* Ellips. comica sc. velle.

3. *intus*, in domo Micionis.

4. *Est al. quid.* Non alius *parasitaster*, sed alius *Ctesipho*,

Nostin'? *De.* jam scibo[d]). *Sy.* quid agis? (*retinet eum*) quo abis? *De.* mitte me.
*Sy.* Noli inquam. *De.* non manum abstines, mastigia?
An tibi jam mavis cerebrum dispergam[e]) hic? *Sy.* abit.
Aedepol comissatorem[f]) haud sane commodum,
Praesertim Ctesiphoni. quid ego nunc agam?
Nisi dum hae silescunt turbae, interea in angulum
Aliquo abeam, atque edormiscam hoc villi[g]). sic agam.

d) C. G. m. sup. script. *si intus est Ctesipho.* e) Mss. Pall. *dispergi.* f) C. G. m. script. *commessatorem.* Gu. vult nominativum, *comessator*, quippe cum *Aedepol* non accusativum desideret. Facile tamen refutatur ille ex Plaut. Trin. II, 2, 54. „*Aedepol* hominem.“ g) Mss. Pall. et Paris., ut Par. testatur, *vini.* Itid. C. G. u. et Bru. C. e.

qui est *parasitaster.* Ac parasitastrum esse parasiti imitatorem, hoc admonet L. Valla.

5. *Nostine?* sc. eum. Eun. II. 3, 58. 60. *jam scibo.* „Haec cum stomacho dicit Demea, simul in aedes Micionis introrumpere parans.“ We. *quid ag. quo etc.* Cf. Ph. I, 4, 38.

6. *Noli* sc. intrare. *inquam*; cf. Andr. V, 2, 21, not. *non man. abstin.* Cf. Heaut. III, 3, 4. *mastigia*, gr. μαςιγίας. Significat qui est flagellis dignus. sic Plaut. Trin. 4, 3, 14.

7. *cerebr. disperg.* Utitur Noster duplici syntaxi, *dispergere* et *cerebrum* et *cerebro.* Supra III, 2, 19. Reapte vero exprimitur ead. comminatio, quae supra IV, 2, 32. et Eun. IV, 7, 33. *abit.* Quia detinere non potuit, tristi vultu *abire* Demeam pronuntiat.

8. *comissat.* „*Comissatores* dicuntur, qui post coenam veniunt ad laetitiam et ad voluptatem.“ Eu. *comiss. haud sane commod.*, h. e. convivam ingratum. Modo enim dixerat de convivio lautissimo. *commodum*; cf. Andr. V, 2, 3, not.

9. *quid ego n. ag.* Cf. Heaut. IV, 2, 7.

10. *silesc.* pro sopiuntur, componuntur. Itid. Plaut. Mil. II, 6, 100. *turbae.* „Hae scilicet, inquit Do., non quae jam sunt, sed quae erunt,“ postquam ingressus Demea offenderit filium.

11. *Aliquo*; cf. supra IV, 7, 26, not. Andr. II, 1, 29. *villi.* Diminutiv. pro vini. *sic agam.* „Ita solent post deliberationem, quod facere certum sit statuentes.“ We. Sic it. Cic. Fam. 14, 4;

# ACTUS V. SCENA 3.[a])

## MICIO. DEMEA.

*M.* (*ad Sostrat. intus manentem*) Parata a nobis sunt, ita [b]) ut dixi, Sostrata,
Ubi vis. quisnam a me pepulit tam graviter fores?
*De.* (*irrumpit furibundus*) Hei mihi! quid faciam? quid agam? quid clamem? aut querar?
O coelum! o terra! o maria Neptuni! *M.* hem tibi!
Rescivit omnem rem; id nunc clamat scilicet [c]).
Paratae lites: succurrendum 'st. *De.* eccum adest

a) Bipontini abhinc demum nescio qua ratione inducti cum Da. actum quintum ordiuntur. b) Al. libb. s. et e. exhib. *ita*, al. non. Sed conf. Eun. II, 1, 1. c) Par. ed. *ilicet*. Nil notat.

„In hac scena collatio est personarum, mitis parentis ac servi.“ Do.

1. *Parata a nob. ita ut etc.* „De verbis abeuntis vult ostendere Poeta, quam orationem cum Sostrata habuerit ingressus Micio.“ Do. *Parata a nob.* Cf. supra IV, 5, 72.

2. *Ubi vis.* Subaudi, fiant nuptiae; aut, adduci filiam, vel tale quid. *a me fores* pro, fores meas; cf. Heaut. I, [illegible] 122. *pepul. t. grav.* Cf. sup. IV, 5, 4.

3. *Hei mihi! quid ag. qu. fac.* Cf. Andr. I, 5, 28. 29. Varro de L. L. distinguit inter *agere* et *facere*, ut *agere* genus sit, *facere* species. *quid clam.* En Demea, quem novimus solitum *clamare*. Supra I, 1, 35. IV, 7, 9. et alibi. Est autem rusticorum *clamare*.

4. *O coel. o terra etc.* Sic Plaut. Trin. IV, 3, 63.

5. *Resciv. omn. rem*; cf. Heaut. I, 1, 47. Nempe Ctesiphonis esse psaltriam audivit amicam, non Aeschini. *id*, ob *id*. Dicendum erat, ob eam rem, sed ab uno ad alterum genus transire solet. Andr. II. 3, 8. ubi nota.

6. *Paratae lit.* Cf. Eun. IV, 5, 8. Non parantur dicit, sed *paratae*, quae quasi jam instent ab litigoso fratre. *succurrend. est* sc. Ctesiphoni. *ecc. adest Comm. c. n. l.* Itid. fere in Eun. I, 1, 34. Similius Plaut. Asin. V, 2, 17. „Is apud scortum *corruptela est liberis*.“ Major est ista accusatio in, *Communi*, de ambobus, quam prior, de uno filio. Omnino autem notand. est,

Communis corruptela nostrum liberum [d]).
*M.* Tandem reprime iracundiam, atque ad te redi.
*De.* Repressi, redii, mitto [e]) maledicta omnia:
Rem ipsam putemus. dictum inter nos hoc [f]) fuit,
Ex te adeo est ortum, ne tu curares meum,
Neve ego tuum? responde. *M.* factum 'st, non nego.
*De.* Cur nunc apud te potat? cur recipis meum?
Cur emis amicam, Micio? nam qui [g]) minus
Mihi idem jus [h]) aequum 'st esse, quod mecum 'st tibi?
Quando ego tuum non curo, ne cura meum.
*M.* Non aequum dicis. *De.* non [i])? *M.* nam vetus verbum hoc quidem 'st,

d) V. I. *nostror. libror.* e) I. *omitto.* Supra IV, 4, 18. f) Colloc. l. Bemb. *hoc int. nos*, probante Fa. g) Var. Codd. *num qui*; al. *numquid.* Sed placet *nam*, particula probandi. h) Bo. *tecum* a Be. recepit, ex antithesi *mecum* sequentis. i) Hoc *non* posterius We. attribuit etiam Micioni male ex Do. Nam Terent. more est, ut supra; cf. Heaut. III, 3, 50. 51. IV, 5, 32.

*liberos* et vero et adoptanti patri, Romanorum more, dici *communes.* Plin. ep. VIII, 18. „Nam-reliquit filiam heredem, quae illi cum fratre *communis*, quia genitam fratre adoptaverat."

9. *Repressi, redii.* „Non quid dicatur, sed quo gestu dicatur, specta: et videbis, neq. adhuc *repressisse* iracundiam, neq. ad se *rediisse* Demeam. Sed quam mira est, atque perspicua moralitas, in hujusmodi rebus, apparet." Do. *mitto* pro omitto; cf. sup. IV, 7, 36.

10. *Rem ips. putem.* Hoc quid sit, e contrario patebit, *alias res agis*; Eun. II, 3, 57. *putemus.* „*Putare* proprie est falsa et cassa a veris et utilib. resecare; unde arborum purgatores *putatores* dicuntur." Do. *dict. inter nos etc.* Refer huc quae dixerat Micio supra I, 2, 50. 51. *dict. int. nos* sc. ex composito, s. ex consulto.

13. *potat.* Hoc id. jam supra I, 1, 37. exprobravit de filio fratri. *recip.* sc. domo. Hec. V, 1, 17. *Recipi* dicuntur fures aliiq. scelerati; vid. Brisson.

14. *Cur em. amic. Micio.* Inclamatio ista nominis, *Micio*, magnam invidiam significat. Hujusmodi est, *Aeschine*, supra II, 1, 21. *qui*, quare, cur.

15. *Mihi id. jus etc.* Sensus: *Mihi jus idem* aequum est esse Ctesiphonis filii, *quod tibi est* Aeschini. *aequ. est*, decet, vel oportet. *mecum.* Dictio haec Nostro familiaris; ut supra I, 1, 34. III, 2, 49. Hec. IV, 4, 34.

16. *Quando ego tuum etc.* Sic Plaut. Capt. III, 4, 100. „*Meam rem non cures*, si recte facias. num ego *curo tuam*?"

17. *Non aequ. dicis.* Minime videtur Micio sibi constare, qui supra dixerat, I, 2, 50. 51. *tu alterum*, *Ego it. alterum.* Sed verisimile est rem, sedato contendentium ardore, in jocum

Communia esse amicorum inter se omnia.
*De.* Facete [l])! nunc demum istaec nata oratio est.
*M.* Ausculta paucis, nisi molestum 'st, Demea.
Principio, si id te mordet, sumtum filii,
Quem faciunt, quaeso, hoc [m]) facito tecum cogites:
Tu illos duo [n]) olim pro re tollebas [o]) tua,
Quod satis putabas tua bona ambobus fore;
Et me tum uxorem credidisti scilicet
Ducturum. eandem illam rationem antiquam obtine [p])!
Conserva, quaere, parce, fac quamplurimum
Illis relinquas; gloriam tu istam [q]) obtine.

l) V. I. *ironice.* m) C. G. m. *haec* c. gl. *quae dicam.* n) Al. *duos.* o) Al. *tolerab.* Explic. Fa. *alebas.* p) C. G. m. script. *optine.* Ibid. gl. *ut ei relinqueres tua bona.* Par. pro var. *retine.* q) C. G. m. ing. *tibi.* Itid. Be. Codd. et Edd. vett.

verti a Micione, qui scilicet, ut Do. opinatur, non habeat rationem, quam subjiciat, nisi quod vocis recordetur Pythagoreae, *Communia* esse etc. v. 18.

18. *Communia esse etc.* Sententia haec item Menander utitur, *ἐν τοῖς Ἀδελφοῖς: Τὰ τῶν φίλων κοιν᾽, οὐ μόνον τὰ χρήματα* etc. Quam et Cicero commemorat, de Offic. I, 16; it. de Legib. I, 12. ut a Pythagora pronuntiatam.

19. *nata est.* „Bene: nam sic dicimus de rebus repentinis." Do. Supra III, 1, 8. *oratio.* „Quod ille dixit verbum, hic *orationem* per ironiam vocat." Bi. *istaec oratio*; cf. supra I, 2, 51. *nam ambos etc.*

20. *nisi molest. est.* Sic it. urbano more Eun. III, 2, 31. Jam desinit jocari Micio, ac rem serio agere cum fratre coepit.

21. *mordet*, eod. sensu quo gr. *δάκνει.* Eun. III, 1, 55. *sumtum fil. Quem etc.* pro, *si te mordet* sumtus, *Quem filii faciunt.* Ead. constructio vid. Eun. IV, 3, 11. Ponitur autem *id* abundanter.

23. *illos duo.* „Servius ad Virg. Aen. XI, 285 *illos duo* legit; quod et Pierius et Cerda firmant, variis exemplis hanc declinationem graecissantem adstruentes. Id. in, ambo, accidit." We. Neque vero rejiciendi sunt accusativi, duos, ambos; vid. Priscian. lib. VII. *pro re tua*, i. e. „pro commodo facultatum tuarum." Ru. Supra 1, 9, not. *tolleb.* Cf. Hec. IV, 4, 82.

24. *Quod sat. put. tua etc.* Junge, *satis fore.* Cic. p. Rab. „*satis* - multa hominib. haec *esse* debent." *ambob.* filiis.

25. *tum*; cf. *olim* v. 23.

26. *rationem*, computationem. Cato R. R. 5. „Villicus *rationem* cum domino saepe putet." *antiqu.* pro, optimam. Sensus: Quam semper optimam putabas *rationem*, *eand.* etiam nunc *obtine*, ut *conserves*, *quaeras etc.* Similit. Heaut. I, 1, 87. *eand. ill.* Refertur ad illud temp. cum Demea ambos sibi soli putaret esse alendos.

27. *Conserva* sc. parta. *quaere*, nova bona. *parce*, omnibus.

28. *relinq.* sc. hereditate; cf. Eun. I, 2, 40. *Relinquere* enim

Mea [r]), quae praeter spem evenere, utantur sine.
De summa nil decedet; quod hinc accesserit,
Id de lucro putato esse. omnia [s]) haec si voles
In animo vere [t]) cogitare, Demea,
Et mihi et tibi, et [u]) illis demseris molestiam.
*De.* Mitto rem; consuetudinem ipsorum... *M.* mane:
Scio, istuc ibam. multa in homine, Demea,
Signa insunt, ex quibus [x]) conjectura facile fit [y]),
Duo cum idem faciunt, saepe ut possis dicere:
Hoc licet impune facere huic, illi non licet;
Non quo [z]) dissimilis res sit, sed quo [a]) is qui facit.

r) V. I. *bona.* s) Sic l. antiq. At Bemb. *omne*; quod praefert Be. et quidem cum *esse* jungendum. Sed praestat *omnia*,, per quae potius intelliguntur, quae hactenus Micio fratri cogitanda proposuit. t) Bo. mutat in *vera*, quod nemo ante. u) Id. conjunction. *et* ter positam tollit. Qui vero in demendo vel addendo sane audacior est ipso Bentlejo. x) Be. colloc. *quib. ex*, ut metrum sibi fingat. y) V. I. *quales sint futuri.* z) a) Sic l. antiq. Id. lib. pro *quo* utrobiq. hab. *quod.*

dicuntur, qui vita sunt decessuri. *gloriam.* Non una ratione *gloria* hominib. paratur; uni militia, ut Heaut. I, 1, 60; alteri facultatib. quaerendis.

29. *praet. spem even.* Bene *praeter spem*, cum credere posset Demea, Micionem esse uxorem ducturum. *evener.* quasi fortuita, non sperata. *utantur sine.* ,,Aut deest his, ut sit, his utantur: aut, *mea utantur*, antique locutus est.“ Do.

30. *De summa.* ,,Rei tuae scilicet.“ Do. *hinc*, δεικτικῶς, i. e. a me. *access.* sc. ad tuos reditus.

31. *de lucro*, h. e. quod praeter spem evenit. Ph. II, 1, 16. Liv. 40, 8. et Cic. Fam. 9, 17.

33. *dems. molest.* Huic contrarium est, Hec. III, 2, 9.

34. *rem*, ,,pecuniam.“ Do. *consuetud. ipsorum.* Subaudit, filiorum cum meretricib. suis. *mane*, adhortantis, ut audiat sequentia.

35. *ist. ibam*, h. e. hac de re dicere volebam; vid. ad Eun. I, 2, 44. *multa in homine etc.* Sensum obscurissimum Do. et re et verbis esse autumat. At Eu. explicuit ita: ,,Quod facile adolescentes corrigi possunt, dixit inesse in eorum moribus indicia melioris disciplinae.“

36. *conject. facile fit.* Heaut. II, 3, 25. Notat Minelli: ,,Homini intelligenti facile est de vita et morib. adolescentum aestimare animum ipsorum et ingenium; adeo etiam ut, *cum duo idem etc.* dicat tamen peritus rerum aestimator, *hoc licet huic impune* facere, qui sc. liberali ingenio praeditus est, nec facile corrumpi potest; *illi non licet*, quippe qui per naturae improbitatem obsequio abutitur.“

37. *Duo c. i. fac.* Simile dict. Juvenal. XIII, 104. Et conf. Cic. de Offic. I, 25.

39. *Non quo*; cf. Heaut. III, 2, 43. *sed quo* sc. dissimilis.

Quae ego in illis esse video, ut confidam fore
Ita ut volumus. video eos [b]) sapere, intelligere, in loco [c])
Vereri, inter se amare: scire est liberum
Ingenium atque animum [d]). quovis illos tu die [e])
Reducas. at enim metuas, ne ab re sint tamen
Omissiores paulo. o noster Demea,
Ad omnia alia aetate sapimus rectius.
Solum hoc unum vitium senectus [f]) adfert hominibus [g]):

b) Dictio *eos* non est in Bemb. 1. c) V. I. *oportune*. d) Id. *illorum*. e) C. G. m. pro *tu die* exhib. *studio*; quam lection. miror singularem. At quae vulgata est, ea in marg. ibi notatur. f) Praecipit Anglus, ut *senectus* pro dissyllabo pronuntietur, *snectus*, quemadmod. snex pro senex. g) Par. mss. *omnibus* pro *hominib.*

Andr. Prol. 11. 12. Non tam rei natura spectatur, quam hominis qui facit.

40. *Quae ego in illis etc.* Quid verba haec significent, aut quo referantur, id se We. confitetur latere. At vero nos non inepte referamus *quae* ad *signa*, quae *in homine* sc. *inesse* v. 36. dicuntur. Deinde pronom. *quae* cum emphasi ac vi majore putamus sumendum pro, ea, talia, vel ejusmodi. Aut explenda est constructio verborum hoc modo: *Quae* signa *ego in illis* filiis hujusmodi *esse video*, *ut etc.* His ita verbis constructis sensus sane facilior prodibit et clarior. Itaque Micio ostendit, in filiis ambobus *signa* apparere, unde cognoscatur, non ita esse, ut, quod supra monuerit in universum, uni liceat facere impune, quod non alteri idem :{ sed contra utriq, illorum pariter licere impune, quod non alteri idem} sed contra utriq. illorum pariter licere impune facere unum idemque. Ac Micio etiam in sequentib. docet, utrosq. filios indole animi non esse dissimiles. *confid. fore.* Cf. He. I, 1, 108.

41. *Ita ut*, pro tales quales. Supra I, 2, 59.

42. *Vereri*, absolute pro, pudore affici. *int. se amare*, „quod est, cum alter alterum in vicem amat.“ Do. Plaut. Capt. II, 3, 60. *scire est* pro *scire* licet. Subaudi, hinc, inde. *liberum*; cf. Eun. III, 2, 24. Et recte Be. exponit, „*ingen.* eorum atque *animum* liberalem esse et nobilem.“

43. *Ingen. atqu. anim.* Hoc utrumq. saepissime jungitur. Itid. Liv. I, 18. *quovis die*, q. d. facile, nullo negotio.

44. *Reduc.* absolute, sc. ad sanam mentem. Cornel. Dat. 2. „ut sine armis propinquum ad officium *reduceret*.“ *ne ab re sint etc.* h. e. ne rei familiaris sint *paulo* negligentiores. Heaut. V, 3, 9. Contra senes dicuntur *attentiores ad rem.* v. 48.

45. *o nost. Dem.* Cum blanditie, et quasi dicat: multa te latent, Demea, simplex homo es.

46. *Ad omnia alia.* „Praeterquam ad avaritiam.“ Do. *aetate* sc. provecta. Infra 3, 31.

Attentiores sumus ad rem [h]) omnes [i]), quam sat est;
Quod illos sat aetas acuet. *De.* ne [l]) nimium modo
Bonae tuae istae nos rationes, Micio,
Et tuus iste animus aequus subvortant [m]). *M.* tace,
Non fiet. mitte jam istaec; da te hodie mihi;
Exporge frontem. *De.* scilicet ita tempus fert,
Faciundum 'st. ceterum rus cras cum filio
Cum primo lucu [n]) ibo hinc [o]). *M.* immo [p]) de nocte
censeo.
Hodie modo hilarum te face [q]). *De.* et istam psaltriam
Una illuc mecum hinc abstraham. *M.* pugnaveris.

h) V. I. *ad substantiam retinendam.* Ph. II, 1, 41. i) V. I. *senes.* l) Par. ed. *nae.* At ego malim Do. amplecti explicationem, qua Demea jam mitior factus ironice dicat plenius ita: Timeo, *ne nim. m. - nos r. - subvort.* m) Sic plur. mss. Sed varie leg. *subvortat. subvertant. subvortit. evertant.* n) Sic ed. Fa. In C. G. u. Hal. Be. libb. et ms. Pal. 5. *cum prima luce.* Be. ed. *luci*, quod Cod. G. Fabricii in textu habere testatur. o) *ibo hinc.* Haec verba a Fa. sunt, sed in libb. quibusd. per aposiopesin omittuntur. p) Vocem *immo* Fa. delevit. Retinuit Be. ut sententiae necessariam. Recte. q) L. antiq. *fac te.*

48. *Attentior qu. sat est etc.* Da vertit: „nous avons plus d'attachement au bien qu'il ne faudroit.“ Cic. Rosc. Am. 15. „*attenta* vita et rusticana;“ ubi v. interprett. *ad rem*; cf. 1, 9, not. Itid. Cic. de Offic. 2, 21. „qui *rem* haberent.“ *quam sat est*; cf. Ph. V, 5, 14.

49. *aetas* pro, senectus. *acuet*, urgebit. Dicit autem *acuet*, quia dixerat supra *omissiores*, v. 45. *ne* Aut prohibentis est, aut omissum verbum timeo.

50. *Bonae ration.* Ironia. Supra II, 1, 54, ubi nota.

51. *iste anim. aequ.* Reprehendit Demea *ist. animum* fratris, qui nulla re adversa afficiatur. *subvort.* Raddant nobis rem perditam ac dissipatam. *tace.* „*Tace* nunc pro εὐφημισμοῦ positum est: quasi diceret, non *subvertet.*“ Do.

52. *da te hod. mihi*; cf. Heaut. IV, 5, 10. Explic. Do.: „Accommoda te ipsum voluntati meae.“

53. *Exporge* s. *Exporrige front.*, h. e. ostende te hilarem; quia homines tristes et saevi contrahere *frontem* dicuntur. Proinde Plaut. Cas. II, 4, 5. *frontem* explicare. Add. Lambin. ad Hor. Ep. I, 18, 94. *scilic. ita temp. fert.* Da. vert.: „le temps le veut ainsi.“ Ita solent nimirum, qui post longam contentionem vinci se patiuntur.

55. *lucu.* „Veteres dicebant *lucum* pro luce, pro sole ponentes.“ Do. *de nocte.* Contra illud infra 9, 8. *de die.* Sed cum praeposit. *de* etiam J. Caes. B. G. 7, 45. „*de* media *nocte* mittit.“ *censeo* sc. eundum. Ph. II, 4, 17.

56. *hilar. te face*; cf. IV, 7, 38.

57. *illuc.* „Hoc *illuc* eo animo dixit, quo supra, *ibo hinc.*“ Do. *abstrah.* „quasi invitum et reluctantem.“ We. Andr. I, 5, 8. *pugnav.* magnam rem feceris, illa abducta.

Eo pacto prorsum illic alligaris filium.
Modo facito, ut illam serves. *De.* ego istuc videro:
Atque [r]) illi [s]), favillae plena, fumi ac pollinis,
Coquendo sit faxo et molendo; praeter haec
Meridie ipso faciam ut stipulam [t]) colligat:
Tam excoctam reddam atque atram, quam carbo 'st [u]).
*M.* placet.
Nunc [x]) mihi videre sapere. atque [y]) equidem filium [z])
Tum etiam, si nolit, cogam [a]), ut cum illa una cubet.
*De.* Derides? fortunatus, qui isto [b]) animo sies.
Ego sentio. *M.* ah, pergisne? *De.* jam jam desino.
*M.* I ergo intro; et cui rei [c]) est, ei rei [d]) hunc sumamus diem.

r) Be. voce *Atque* finit, ut saepe alias, vers. priorem. s) Cod. Reg. Be. *ibi* pro *illi*. Supra I, 2, 36. C. G. m. *illá*. t) Par. p. var. *stipulas*. u) Id. p. var. *quam carbonem*, non recte; cf. IV, 1, 18. x) Un. ms. Pall. *Tunc* perperam. y) Dictionem *atque* et quae sequuntur C. G. m. et Hal. Demeae dant, sed cett. omnes melius Micioni. z) Pauci Codd. *tuum*. a) L. antiq. *cogas*. Sed praestat *cogam* vulg. quod Be. explicat, „cogerem si ego essem tu." b) L. antiq. *istoc* c) Al. *opus*. Omitt. l. Vatic. et Bemb. d) Retinuit *rei* Be. cum Par. ex l. Bemb. Id. lib. non hab. *hilarem*, quod vulgo sequitur. Hos tres ultimos versus Gu. immerito expunxit.

58. *illi allig. fil.*, h. e. feceris, ut illic semper maneat filius.
59. *ut ill. serv.* Vide ne forte tibi illa aufugiat, et filius una. *ego ist. vid.* Cf. Andr. II, 6, 25, not.
60. *favillae plena etc.* Lindenbr. ex Homero adfert, καὶ γραῦ καμινοῖ ἴσος.
61. *Coquendo et molendo.* Labores ejusmodi ancillarum enumerat Plautus Merc. II, 3, 62.
62. *Merid. ipso.* „Quum sol vehementior est." Do. *ut stip. collig.* Quod in sole fit.
63. *excoct.* ex sole scilicet. *placet*; cf. Eun. V, 8, 57.
66. *Derid.* „*Deridet* qui cum alterius irrisione et contemtu ridet." Do. *qui isto an. sies.* „Hoc verbum vultu Demeae sic profertur, ut subrisisse videatur invitus." Do.
67. *Ego sentio.* Itid. Eun. I, 1, 21. Amare enim hoc Demea dicit atque severe. *pergisne?* Cf. sup. I, 2, 47. *jam j. des.* Sic it. supra I, 2, 57. „Et hic velut necessitatem queritur imponi sibi." Do.
68. *intro*, in aedes meas. *cui rei, ei rei.* Similit. Cic. Or. p. Rosc. Am. „Qui de *ea re* posset dicere aliquid, in *qua re* nulla subesset suspicio." De tali autem repetitione nominis v. Sanct. Min. II, 9. *ei rei.* Par. not.: „in nuptiis Aeschini." *sumamus*, consumamus, absumamus. Sic Plaut. Pseud. V, 1, 36. et supra III, 4, 23.

# ACTUS V. SCENA 4.

## DEMEA.

Nunquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit [a]),
Quin res, aetas, usus semper aliquid adportet novi.
Aliquid moneat, ut illa quae te scire credas, nescias,
Et quae tibi putaris prima [b]), in experiundo ut [c]) repudies:
Quod nunc mihi evenit. nam ego vitam duram, quam vixi usque adhuc,

Nota. Ab hac scena Schmieder incipit drama, quod secundarium appellat, ubi agendo ostendatur, nihil homini melius esse quam facilitatem vel comitatem morum. Sed quo jure ille vir ex parte comoediae faciat comoediam veluti separatam, equidem vix scio.

a) Be. offendit in eo, quod post *fuit* sequatur *adportet*, *moneat*, non adportaret, moneret, et ideo in antiquum more suo excedit, *fuat* ponendo. Quod vero, ut opinor, nec aliis de causis, nec ob *nunquam* probabitur. b) V. I. *optima*. c) Abest *ut* a multis.

Demea coepit, perpenso, quod vita fratris laeta sit ac suavis, mutare suam tristem et aerumnosam. Et quia re bene considerata necessitatem mutationis sibi invenerit, Terentius inde a crimine novae conversionis Demeae facile defenditur.

1. 2. *Nunq. – quisq. fuit Quin etc.* Sic it. Cic. Verr. V, 54. „*Nemo – fuit*, *quin* viderit." *bene subd. rat.* Cf. Cic. N. D. III, 29. „inita *subductaq. ratione.*" Verb. *subducere* arithmetic. est, et significat fere id quod digitis computare. Columell. V, 2. *ad vitam.* Praepositio *ad* usurpatur pro, quod attinet. Cic. Verr. III, 22. *res.* Ea scilicet, qua se dicit esse mutatum. Huc refer quod mox id. dicit, *re ipsa repperi*, v. 6. *aetas.* Convenit hic Pindari sententia: *αἱμέραι ἐπίλοιποι μάρτυρες σοφώτατοι.*" *usus. Usus* videtur a re ita differre, ut ille sit in homine ipso, *res* veniat extrinsecus.

3. *Aliq. mon.* „Syllepsis est per casus. Subauditur enim „quem." Do. At ego malim, *quin* eum; aut, quod magis latine esset, quem non pro, *quin.* Similiter Heaut. IV, 6, 1. 2.

5. *vitam d. quam vixi.* Haec syntaxis it. Eun. III. 5, 38.

Probe decurso [d]) spatio omitto. id quamobrem? re ipsa repperi,
Facilitate nihil esse homini melius, neque clementia.
Id esse verum, ex me atque ex fratre cuivis facile 'st noscere.
Ille suam semper egit vitam in otio, in conviviis,
Clemens, placidus, nulli laedere os [e]), adridere omnibus,
Sibi vixit, sibi sumtum fecit; omnes benedicunt, amant.
Ego ille agrestis, saevus, tristis, parcus, truculentus, tenax,
Duxi uxorem: quam ibi miseriam vidi! nati filii,
Alia cura. heia [f]) autem, dum studeo illis, ut quam plurimum
Facerem, contrivi in quaerendo [g]) vitam atque aetatem meam.

d) L. antiq. *jam excurso.* Sed *decursum* dicitur spatium, non *excursum.* Sic Plaut. Merc. III, 2, 4. e) V. I. *in praesentia.* f) Sic l. Bemb. In antiq. *porro* pro *heia.* g) V. I. *acquirendo bona.*

6. *decurso sp.*, h. e. vita prope exacta vel in senectute; cf. v. 16.

7. *Facilit. nih. esse etc.* „Jam *facilem* se infert. Inter *facilitatem et clementiam* hoc interest: facilis enim cujus ira cito solvitur, clemens, qui non irascitur." Do.

8. *est noscere.* Ponit. *est* pro licet. Sanct. Min. IV, 4.

9. *Ille suam semp. egit etc.* „Hic jam quasi comparativa qualitas inducitur de utroque: et ut ille in initio Fabulae collocutus est, sic in fine hic loquitur." Do. *in otio. Otium* hic opponitur labori seu operi rustico; cui Demea est addictus. Supra IV, 1, 2. *in conv. Convivia* dicuntur a vitae conjunctione, Cic. Senect. 13. Id. conf. de hac re prolixius disserens ad Div. IX, 24.

10. *placidus*, ex oppos. ferus. Supra IV, 1, 18. *nulli laed. os*, „h. e. neminem coram offendere." Ru. *adrid. omnib.* Quo fere modo parasitus solet, Eun. II, 2, 19.

11. *Sibi vixit.* Quia nec uxorem habet, nec liberos.

12. *Ego ille.* „Bene addit *ille*, quasi jam notus. *agrest.* Opponitur urbanus. *saev.* Plaut. Merc. II, 3, 20. „*saevus*, homo ac durus." *tristis*, animo; *truculentus*, vultu." Do. *parcus*, non prodigus; uti explic. Do. ad I, 2, 15. *tenax*, avarus. Contra Cicero de vita rust. vid. in Or. p. Rosc. Am. 27.

13. *ibi*, in matrimonio. Nam partic. *ibi* ad *uxor.* refert. quasi uxor locus sit. Eod. modo Liv. 40, 15. „in eo fratre etc. ubi praes. *ibi* exit. est." Supra I. 1, 18. 19. *quam miser. v.* Itid. Menander: *τὰ γυναῖκα ἔχειν, εἶναι τε παίδων πατέρα, μερίμνας τῷ βίῳ πολλὰς φέρει.*

14. *Alia cura. Alia* dicit, non altera.

15. *Facerem*, compararem, corroderem. *in quaerendo*; cf. supra 3, 27.

Nunc exacta aetate hoc fructi [h]) pro labore ab eis [i]) fero,
Odium. ille alter sine labore patria potitur commoda:
Illum amant; me fugitant. illi credunt consilia omnia,
Illum diligunt [l]), apud illum sunt ambo; ego desertus sum.
Illum ut vivat optant; meam autem mortem exspectant scilicet.
Ita eos meo labore eductos maxumo, hic fecit suos
Paulo sumtu. miseriam omnem ego capio; hic potitur gaudia.
Age, age nunc jam [m]) experiamur [n]) porro contra, ecquid ego possiem,
Blande dicere aut benigne facere, quando huc [o]) provocat.
Ego quoque a meis me amari et magni pendi postulo.
Si id fit dando atque obsequendo, non posteriores [p]) feram.

h) V. I. „pro *fructus*.“ C. G. m. gl. *remunerationes*. i) C. G. m. script. *hiis* c. gl. *filiis*. l) Mss. Pal. 5. *porro*. m) Sic l. Bemb. Al. sine *jam*. Sed utrumq. *nunc jam* nec a more Terentii nec animo Demeae mutati concitato est alienum. n) Al. *experiar*. o) Al. *hoc* pro *huc*. p) Par. suppl. *partes*. Id. in marg. exhib. lection. *posteriorem*. Al. *posterioris*.

16. *ab eis fero*; cf. Andr. III. 5, 4, not. Et Cic. p. Sext. 31.

17. *pat. potitur commoda*. „Accusativo casu extulit, quod nos ablativo dicimus; id est, patrio potitur commodo.“ Do. At exempla praebet Hirt. bell. Afr. 36 et 89.

18. *illi cred. cons. o.* Cf. I, 1, 29. 49.

19. *ap. ill. sunt a.* Nempe Micio etiam Ctesiphonem receperat; quod quidem Demea fratri exprobravit, supra 3, 13.

20. *Illum ut viv. opt.* „Σύλληψις. Nam sic vett. dicebant. Nos vero dicimus, illi optant, non *illum*.“ Do. Sed Donatum verisimile est, ille scripsisse pro illi; cum praeter alios Pareus explicat: „Ille *ut vivat*.“ Andr. III, 2, 23, ubi nota. *meam mort. exspect.* Cf. I, 2. 29.

21. *Ita* pro, itaque. *fecit suos*, sibi obstrinxit, conciliavit. *suos*. Hoc enim eo animo notatur, quo *tuus*, in Andr. V, 6, 12.

22. *Paulo sumtu*. Contra idem dixerat supra I, 2, 54.

23. *exper*. „Magis comice pluraliter *experiamur* dixit, quam si diceret, experiar.“ Do.

24. *Blande dicere ac etc.*, h. e. humaniorem esse ac liberaliorem, quam antea, et verbis et factis. Ita Liv. I, 22. „excepti legati — *blande ac benigne*.“ *huc*, ad hanc rem s. contentionem, uter nostrum superior sit. *provocat*. Micio scilicet.

26. *non poster. fer.* pro, primus in his ero.

Deerit: id mea minume refert, qui sum natu maxumus.

27. *Deerit.* Per ellipsin, pro, si *deerit*, sc. facultas, patrimonium. Redit ad ingenium Demea. *qui sum natu maxim.* Hoc per euphemism. dicit, ne odiose loquatur: qui sum propior morti. Haud fere aliter Cic. p. Coel. 16. „— mihi sat est qui aetatis quod reliquum est oblectem meae.“ *natu maximus.* Hic superlativus gradus Sanctium offendit, de duobus tantum fratrib. cogitantem; vid. Min. II, 11. ubi isd. accumulatis exemplis probatum hoc ostendere studet. Sed errat vir doctus, siquidem verba, *qui sum natu maxim.* ad diction. illam, *a meis,* v. 25. potius referri videantur.

---

## ACTUS V. SCENA 5.

### SYRUS. DEMEA.

*Sy.* Heus, Demea, rogat frater, ne abeas longius.
*De.* (*vultu ac voce quam potest blandissima*) Quis homo? o Syre noster! salve. quid fit? quid agitur?
*Sy.* Recte. *De.* optume 'st. (*ad spectatores*) jam nunc haec tria primum addidi
Praeter naturam: o noster! quid fit? quid agitur?
Servum haud illiberalem praebes te; et tibi

„Hic ostendit Poeta, quam absurde blandus conetur esse, qui non soleat: et quam immodica sit repentina largitas, ubi animus a parcitate nimia in contrarium vitium profusionis excurrerit.“ Do.

1. *Heus, Demea etc.* En Syrus, qui crapulam nunc demum edormivisse videtur; cf. supra 2, fin. *abeas long.* Cf. Eun. IV, 2, 5.

2. *Quis homo?* Plenius in Andr. II, 2, 7. *o Syre noster etc.* Acerbe magis, quam blande, Demea imitatur salutationem Syri, quae supra est, 1, 6.

3. *jam nunc haec etc.* „Est vero omnis scenae elegantia in iis, quae secum Demea loquitur.“ We.

4. *Praet. natur.* „Expressit mores, non voluntates.“ Eu.

5. *Serv. haud illiberal.* Cf. Andr. I, 1, 11. *tibi Lub. benefax.* Plaut. Trin. II, 2, 47. „*Bene* volo ego illi *facere.*“ *Lubens*, ex animo.

Lubens benefaxim [a]). *Sy.* gratiam habeo. *De.* atqui, Syre,
Hoc verum 'st [b]), et ipsa [c]) re experiere propediem.

a) Haec verba repetit Demea infra 6, 8.[1] adversus alterum servum Getam. b) I. *esse* pro *est*. c) Vocis *ipsa* priorem syllab. Be. corripit, ut versum sustentet.

6. *atqui*, abundanter.

7. *Hoc verum est.* „Quasi falsum fuerit illud quod jurgabat." Do.

# ACTUS V. SCENA 6.

## GETA. DEMEA.

*G.* Hera, ego huc [a]) ad hos proviso [b]), quam mox virginem
Arcessant. sed [c]) eccum Demeam. salvus sies.
*De.* O! qui vocare [d])? *G.* Geta. *De.* Geta, hominem maxumi

a) In l. antiq. *Era ego hinc.* Bas. *hunc* pro *huc.* b) L. antiq. *provisam.* c) I. omitt. *sed* male. Nam *sed eccum* locutio est Comico nostro familiaris, visa adventante persona. d) V. I. *vocaris.*

Demea hac in scena memor personae suae laborat fidem facere; ut credi possit, quam bonus sit.

1. *Hera, ego huc etc.* Ad heram, quae intus est, loquitur extrema. Nam verisimile est, Getam audivisse Micionem de parandis nuptiis cum Sostrata communicantem, supra 3, ab init. *ad hos*, Micionem et Aeschin. *proviso.* „Hoc verb. duas res significat, procedo et video." Do.

2. *salv. sis.* Ita h. l. prior salutans, sed in Andr. IV, 5, 7. posterior.

3. *O.* „Hac interjectione utimur, ubi et intervallo notos videmus." Do. *qui vocare?* pro, quod tibi nomen est? Senec. ep. 95. *Geta, hominem etc.* Hunc servum fidelem senex supra III, 4. cognoverat, nominis oblitus. *max. Prot.* Cf. Andr. V, 2, 15.

Preti te esse hodie judicavi animo meo [e]):
Nam is mihi profecto est servus spectatus [f]) satis,
Cui dominus curae 'st, ita uti tibi sensi, Geta.
Et tibi, ob eam rem, si quid usus [g]) venerit,
Lubens benefaxim. meditor [h]) esse affabilis;
Et bene procedit. *G.* bonus es, cum haec existumas.
*De.* Paulatim plebem primulum [i]) facio meam.

e) C. G. m. colloc. *te an. jud. hod. meo.* Alii aliter. f) Par. p. var. *spectandus* perperam. *Spectatum* enim invenerat Demea illum, non demum spectandum. g) I. C. *usu.* h) V. I. *secum.* i) Par. mss. *primum.* C. G. m. gl. *inprimis.*

4. *animo meo.* „H. e. secundum animi mei sententiam." Do.

5. *spect. sat.*, h. e. bonitatis probatae. Quae formula esse de servo videtur frugi ac libertatem merito.

6. *tibi*, sc. dominum seu dominam esse *curae.*

8. *Lubens benefax.* Cf. supra 5, 6. Propositi memor quidem repetit dicta, sed ut rusticus sine gratia.

9. *bene proced.*, q. d. ex voto succedit. *bonus es*, Notat Barthius Advers. VII, 14.: „Latina consuetudine quum gratum quis alieni quid dixisset, *bonus es*, vice alicujus gratiarum actionis responsum."

10. *Paul. pleb. prim. fac. m.* „Videtur respicere prensationes ambitiosorum candidatorum." We. *primul.* Cf. III, 1, 2. *facio meam*; cf. supra 4, 21, not. Atque Ovid. A. A. II, 259. ead. formula: „*Fac plebem, mihi crede, tuam.*"

## ACTUS V. SCENA 7.

### AESCHINUS. DEMEA. SYRUS. GETA.

*A.* (*secum*) Occidunt [a]) me quidem [b]), dum nimis sanctas [c]) nuptias
Student facere; in apparando [d]) consumunt diem.
*De.* Quid agitur, Aeschine? *A.* ehem, pater mi, tu hic eras?
*De.* Tuus hercle vero et ánimo et natura pater,
Qui te amat plus quam hosce oculos. sed cur non domum
Uxorem [e]) arcessis? *A.* cupio, verum hoc mihi morae [f]) 'st
Tibicina, et hymenaeum qui cantent [g]). *De.* eho!
Vin' tu huic seni auscultare? *A.* quid? *De.* missa haec face,

a) V. I. *paventes.* b) L. Bemb. *equidem.* Sed bene monet Be. etiam ultra Augusti seculum perdurasse morem, *τὸ equidem* non nisi primae personae jungendi. Supra IV, 5, 7. c) V. I. *religiosas.* d) V. I. *totum hoc.* e) C. G. m. quaeso. f) Sic l. Vatic. „Subscript. est postea diphthongo, *a*; cum prius esset *mora 'st.*" Fa. Supra IV, 5, 78. g) Var. *canat. cantitet.*

„Adolescens et Demea inter se affabiles imaginem praebent, et quam dulcis sit juniorib. assentatio, et quam ingrata censura." Do.

1. 2. *Occidunt me q. dum etc.* „Erant mores, uti cum nuptiae agerentur, symphonici canerent. Verum adolescens cupidus nuptiarum, et volens ducere uxorem, contemnit illam religionem in nuptiis suis." Eu. *Occid. me*, gravant me, fatigant. Cf. Andr. IV, 1, 36. *in appar.* Cf. sup. 3, 1.

3. *Quid agitur?* Hoc tenet Demea, blandimentorum suorum haud immemor. Supra 5, 4. *ehem pater.* Non sine consternatione Aeschinus respondet, sed blande addit *mi.*

5. *hosce ocul.* Cum gestu.

7. *Tibic.* A. Gellius I, 11. „Halyattes, rex Lydiae, ait, feminas *tibicinas* in exercitu habuit." *hymenaeum* sc. carmen.

8. *Visne tu etc.* „Contemsit se ipsum dicendo, *huic seni*, ceterum laetissimo vultu dicit." Do.

Hymenaeum, turbas [h]), lampadas, tibicinas,
Atque hanc in horto maceriam jube dirui,
Quantum potest; hac transfer; unam fac domum [i]),
Traduce [l]) et matrem et familiam omnem ad nos. *A.* placet,
Pater lepidissime. *De.* (*ad spectatores*) euge, jam lepidus vocor.
Fratri aedes fient perviae. turbam domum
Adducet, sumtum admittet [m]); multa. quid mea [n])?
Ego lepidus ineo gratiam. jube [o]) nunc jam
Dinumeret ille [p]) Babylo [q]) viginti minas.

h) L. antiq. *turbam.* i) C. G. m. gl. *fratris mei Micionis et Sostratae diruta maceria quae in medio erat.* l) Mu. ed. *Transduce.* m) L. antiq. *amitt.* Mira est quam Schmieder edid. praepositio *ad*, ut sit, *ad sumt. ad mitt.* n) V. I. *refert.* o) Id. *o Aeschine.* p) Ita l. antiq. In plerisq. *illi.* Quod vero respuit Do. incertus, cui? an Aeschino? an Syro? an lenoni? an Ctesiphoni? q) C. G. m. *Babillo* c. schol. *servus meus.*

9. *Hymen. Hymenaeum* quidam Liberi et Veneris filium dicunt esse, qui primus certas nuptias instituerit. Conf. prae ceteris Catull. c. nupt. 60, 3. et Theocr. Id. 18, 58. „Ὑμὰν, ὦ Ὑμέναιε, γάμῳ ἐπὶ τῷδε χαρείης. Hymen, o Hymenaee, nuptiis hisce gaudeas." Add. Apulej. Met. IV. „Domus tota lauris obsita, taedis lucida, constrepebat *Hymenaeum.*" Virg. A. 7, 398. *turbas*; cf. Andr. II, 2, 28, not. *lampad.* „His utebantur in nova nupta domum ducenda. Scilicet qui faces hasce praeferebant, δᾳδοῦχοι dicti." We. Observat etiam Do.; „Bene totum pluraliter: ut qui reprehendit sic multa." Hujusmodi nuptt. apparat. v. Ovid. Met. IV, 757 etc.

10. *in horto macer. dirui.* Itid. Liv. 45, 6. „Rex ipse nocte media, per posticum aedium *in hortum* atque inde *maceriam* aegre transgressus, ad mare pervenit."

11. *unam fac dom.* Cic. Amic. 27. „*Una domus*, idem victus etc."

14. *perviae. Diruta maceria* scilicet. *turb. dom. Abduc.* Invidiose loquitur, significans Sostratam cum filia, et familiam omnem traducendam. *admittet*, concedet, sustinebit. *multa.* Rhenius suppl. „alia incommoda fient."

16. *ineo gratiam*, „amicos comparo." Do. *jube.* „Insultantis est verb. ut age; et de absente loquentis tanq. de praesente.

17. *Dinumer. ille*; cf. supra III, 3, 15. *Babylo.* Haec vox ingenia sane interpretum vario et legentium et explicantium acuit atque vexavit. Sed equid. praetereo ceteros, et unum Be. sequor, cui Babylo s. Babylonius pro prodigo valet; quia Medi ac Persae tum omnium ditissimi et luxuriosissimi esse viderentur. Proinde senex alludit ironice ad prodigentiam putatam Micionis.

Syre, cessas ire ac facere? *Sy.* quid ergo[r])? *De.* dirue. (*Syrus abit.*)
Tu illas[s]) abi et traduce. *G.* Di tibi, Demea,
Benefaciant, cum te video nostrae familiae
Tam ex animo factum velle. *De.* dignos arbitror. (*dimisit et hunc; inde ad filium se convertit*)
Quid ais tu? *A.* sic opinor. *De.* multo rectiu 'st,
Quam illam puerperam hac[t]) nunc duci per viam
Aegrotam. *A.* nil enim vidi melius, mi pater.
*De.* Sic soleo. sed eccum, Micio egreditur foras.

r) Var. *quid ego. quid ago. quid agam.* s) Bi. *illac*, invitis Codd. t) Sic Be. ex Codd. s. concinnius quam *huc*, quod vulg. est. Nam voce *hac* significatur per scenam, quae ipsa est platea.

*viginti minas.* Quas quidem Micio solverat pro psaltria; cf. IV, 7, 24. 25.

18. *dirue*, maceriam; cf. supra v. 10.

19. *Tu illas abi etc.* Trajectio verbor. pro *Tu abi et illas traduce. Di tibi benefac.* Formula precandi.

21. *dignos arbitr.* „Multa desunt, et vos, et esse et qui fiant.“ Do.

22. *multo rectius est.* Id scilicet, puerperam maceria diruta in domum Micionis transferri. v. 25. *Sic soleo* „sc. dare bonum consilium.“ Schol.

---

## ACTUS V. SCENA 8.

### MICIO. DEMEA. AESCHINUS.

*M.* Jubet frater[a])? (*ad Aeschin.*) ubi is est? (*conspecto Demea*) tune jubes hoc, Demea?

a) V. I. *dirui maceriam.*

„Haec scena deliberantis personam tenet. Deliberat enim Micio, an provecta aetate ducat uxorem, ac primum videt dirui maceriam, quaerit causas. Responsio est: Jubet frater.“ Eu.

1. *Jub. frat.* Cf. 7, 18. „Apparet Micionem dixisse, cur diruis? Syrum respondisse: Quia hoc *jubet frater* tuus.“ Do.

*De.* Ego vero jubeo, et [b]) hac re et aliis omnibus
Quam maxume unam facere nos hanc familiam,
Colere, adjuvare, adjungere. *A.* ita quaeso, pater.
*M.* Haud aliter censeo. *De.* immo hercle ita nobis decet.
Primum huius uxori [c]) est mater [d]). *M.* est. quid postea?
*De.* Proba et modesta. *M.* ita ajunt. *De.* natu grandior.
*M.* Scio. *De.* parere jam diu haec per annos non potest;
Nec qui eam respiciat [e]), quisquam est; sola est. *M.* (*secum*) quam hic rem agit?
*De.* (*ad Mic.*) Hanc te aequum est ducere, (*ad Aesch.*) et te operam, ut fiat, dare.
*M.* Me ducere autem? *De.* te. *M.* me? *De.* te inquam. *M.* ineptis. *De.* si tu sis homo [f]),
Hic faciat [g]). *A.* mi pater. *M.* quid? tu autem huic, asine, auscultas? *De.* nihil agis:

b) L. antiq. *in.* Non hab. Codd. Fa. c) Sic un. C. Be. recte. Vulg. *uxoris.* d) V. I. *Sostrata.* e) Mss. Pall. *recipiat.* f) V. I. *vertit se ad Aeschinum.* g) L. antiq. *faciet.*

2. *vero*, affirmantis. *hac re.* Primum ut transferatur puerpera; cf. 7, 11.

3. *Quam maxume etc.* ,,Quod utiq. pertinet ad matrem puellae, uti Micio ducat uxorem.“ Eu.

4. *Col. adjuv. adjung. Colere* Do. refert ad nurum, *adjuvare* ad Hegion. *adjung.* ad Sostratam. *ita quaeso.* Blande rogantis vel consentientis. Heaut. III, 1, 93.

5. *Haud alit. cens.* Affirmat comice, nesciens se ipsum spectari. *nob. decet*; cf. supra III, 4, 45, not.

7. *ita ajunt.* ,,Hoc ita respondet, quasi dicat: Sed quid mea?“ Do. *natu grandior.* Ph. II, 3, 15. Qui *natu* grandis est, plures annos habere putatur, quam qui aetate provectus. Sic Cic. Senect. 4.

8. *Parere jam diu etc.* Recte ita: ne contra filios nuptias suadeat, coheredum respectu. *per annos*; cf. Eun. I, 2, 53.

9. *qui eam respic.*, h. e. curam ejus gerat. Supra III, 2, 55. *quam hic rem ag.* Eun. IV, 7, 13. Nescio quid *hic* sibi velit.

11. *Me duc. autem?* Sic instantium interrogationes ac responsiones deinceps. Hec. II, 1, 17. V, 4, 7. *autem*; cf. Eun. III, 2, 22. *si tu sis homo.* ,,Formula leviter reprehendendi.“ We.

12. *Hic faciat.* ,,Si etiam cedas ad id quod cupio, continuo consentiat pater.“ Eu. *asine.* ,,Aptum convicium grandi et fatuo.“ Do. *nih. agis*, inanem operam pendis.

Fieri aliter non potest. *M.* deliras. *A.* sine te exorem, mi pater.
*M.* Insanis? aufer[h]). *De.* age, da veniam filio. *M.* satin' sanus es? ego
Novus maritus anno demum quinto et sexagesimo
Fiam, atque anum decrepitam ducam? idne estis auctores mihi [i])?
*A.* Fac; promisi ego illis [l]). *M.* promisti autem? de te [m]) largitor, puer.
*De.* Age, quid, si quid te majus oret? *M.* quasi non hoc sit maxumum.
*De.* Da veniam. *A.* ne gravare [n]). *De.* fac, promitte. *M.* non omittitis [o])?
*A.* Non, nisi te [p]) exorem. *M.* vis [q]) est haec quidem. *De.* age, prolixe, Micio.
*M.* Etsi hoc mihi pravum, ineptum, absurdum, atque alienum a vita mea

h) C. G. m. et Bru. C. e. non hab. *aufer.* Al. add. *te.* i) V. I. *ut hoc faciam.* l) Id. *matri et filiae.* m) Al. *sis.* n) L. antiq. *gravere.* o) Id. *omittis.* p) I. hab. *rem,* non *te.* q) V. I. *violentiam quam agis.*

14. *auf.* Hoc id. plene Ph. III, 3, 26. ubi nota. *ego Nov. marit.* „Apud Menandrum senex de nuptiis non gravatur. Ergo Terentius εὑρητικῶς." Do.

16. *decrepit. Decrepitus* dicitur etiam eunuchus in Eun. II, 1, fin. ut appareat, utrumq. et istum et Sostratam, h. l. significari vi procreandi destitutos. Verum praetereo quas varias hujus vocis Do. attulit significationes. *auctores mihi*, h. e. suasores. Plaut. Pseud. I, 3, 2. „Quid *mihi es auctor*, huic ut mittam?"

17. *Fac.* Supp. hoc. Sic Plaut. Aul. II, 1. 30. „eia hoc *face.*" *promisti* pro promisisti. *largitor*, „verb. est imperativi modi, fut. temp." Do. *de te*, de tuo scilicet, quod in tua potestate est, non de alieno. Bene *largiri* it eum, qui justo facilior fuerit puellae conjunctionem suam pollicendo. *puer.* Aut blanda objurgatio est, aut paulo stomachantis.

18. *quid, si quid te maj. or.* Formula persuadendi. Cujus quidem vestigium We. nusquam nisi a sacris litt. petivit, 2 Reg. V, 13.

19. *promitte* sc. te ducturum. *non omittitis.* Altrinsecus agentium, fatigantiumq. verba atque instantiam propulsaturus est Micio.

20. *Non* sc. omitto. *vis est haec qu.* Formula videtur eorum, qui vehementius premuntur vel vi externa vel verbis vel oratione. Sueton. Caes. 82. It. Plaut. Capt. III, 5, 92. *age prolixe*, h. e. benigne, liberaliter. Cic. Fam. VII, 5.

21. *Etsi hoc* sc. ducere uxorem. *prav. inept. absurd.* Haec singula Do. more suo distinxit.

Videtur [r]), si vos tantopere vultis, fiat. *A.* bene facis.
Merito te amo [s]). *De.* (*secum*) verum quid ego dicam, hoc cum fit [t]) quod volo?
*M.* Quid nunc? quid [u]) restat? *De.* Hegio his est cognatus [x]) proxumus,
Adfinis nobis, pauper: bene nos aliquid facere illi decet.
*M.* Quid facere? *De.* agelli est hic sub urbe paulum, quod locitas foras [y]).
Huic demus, qui fruatur. *M.* paulum id autem est? *De.* si multum 'st [z]), tamen
Faciundum est: pro patre huic est, bonus est, noster est, recte datur.
Postremo nunc [a]) meum illud verbum facio, quod tu, Micio,

r) L. antiq. *Videatur.* Sed praestat indicativ. mod. quem amat Noster post *Etsi.* s) Concitatiora haec verba, *Merito te amo*, Be. nescio cur seni tribuit, nec potius juveni, ut vulgo. t) Do. leg. *confit.* Bi. *confice*, nescio unde. u) Al. *quod* mendose. Ceterum hanc Micionis notavi orationem cum Be. x) I. *agnatus.* male. y) Al. *foris.* z) Al. *sit* pro *est* contra morem Terentii. a) Be. ed. *nunc* pro *non* vulg. ex C. Reg. probe. Quam vocem antea Palmer. ex conjectura dederat.

22. *fiat.* Sic solent Terentii personae vel concedere vel consentire. Do. hic quaestionem movet, cur non de voluntate etiam Sostratae agatur, ac simul causas tacitae hujus rei addit.

23. *Merito te amo.* Haec approbandi formula Eun. I, 2, 106.

24. *Quid nunc? quid restat?* Hanc utramq. interrogation. Be. commodius dat Micioni, non Demeae, quod vulgo fit. *quid rest.* Ph. V, 5, 3. *cognat. prox.* Cf. supra III, 4, 9. 58.

25. *Adfin.* „Recte: nam uxoris cognati marito affines sunt." Do. *pauper*; cf. III, 4, 50. *bene nos etc.* Meminit superiorum; cf. III, 4, 43 etc.

26. *agell.* Sic *agellus* Corn. Nep. Phoc. I, 4. de tenui possessione.

27. *qui*, Par. „quo agro." Nisi *qui* potius pro nominativo sumatur; siquid. We. verba: *Huic d. qui etc.* explic.: „usu fructuarium constituamus, ut annuos fructus percipiat etc. agro ipso manente nostro." *si* pro etsi; ut saepe ap. Comicos. *paul. id.* Aliter sentit quam loquitur. Quod ita esse patet ex sequentibus. *autem*; cf. Eun. III, 2, 22, not.

28. *Faciund. est.* Itid. isdem supra 3, 54. *recte datur*, bene collocatur sc. agellus.

29. *meum ill. verb. facio etc.* Supra 4, 21. et 6, 10. Explic. Pareus: „Quae tua sententia modo fuit, cum me recte et ordine

Bene et sapienter dixti dudum: vitium commune omnium est,
Quod nimium ad rem in senecta attenti [b]) sumus. hanc maculam nos decet
Effugere. dictum est vere, et re ipsa fieri oportet [c]).
*M.* Quid istic? dabitur, quandoquidem hic vult [d]). *A.* mi pater.
*De.* Nunc tu mihi es germanus pariter animo ac corpore [e]). *M.* gaudeo.
*De.* Suo sibi [f]) hunc gladio jugulo.

b) Ms. Pal. 3. *avidi.* Eun. I, 2, 51. At vero gloss. sapit; cf. supra 3, 48. c) Be add. *Micio*, a blandiente Demea non alienum. d) Al. *dabitur quidem*, *quando hic vult.* e) Sic Be. Vulg. *corp. et an.* Hunc v. R. non hab. f) Abest *sibi*, Par. teste, ab uno Codd. Pall. At desideratur a Mu. in proverbio.

reprehenderes, eam nunc facio meam, et totid. verbis te moneo.“

30. *Bene et sapient.* Formulae speciem habet. *dixti dud.* Nempe supra 3, 47. 48.

32. *dict. est vere, et re ipsa etc.* Perstringit molliter Micionem, ut quod dixerit vere, ipse etiam faciat; praesertim cum is v. 26. *Quid facere?* mirabundus rogavit.

33. *dabitur* sc. agellus suburbanus. *hic.* Sub. Aeschinus; qui quasi heres aegre id ferat.

34. *tu mihi es german.* Plaut. Cas. III, 4, 25. „Amicus *germanum* in modum.“

35. *Suo sibi hunc.* De conjunctione pronominum tali et accumulatione Comicis frequentiori vid. Gesn. Thes. Cf. Ter. Eun. III, 5, 17. *Suo sibi glad. jug.* Proverbialiter dictum in illum, qui dictis suis ipsius revincitur. Erasm. Ch. I. C. I. Add. A. Gell. V, 10. et Cic. de Amicit. 3.

# ACTUS V. SCENA 9.

## SYRUS. DEMEA. MICIO. AESCHINUS.

*Sy.* Factum est [a]), quod jussisti [b]), Demea.
*De.* Frugi homo es, ego [c]) aedepol hodie mea quidem sententia
Judico Syrum fieri esse aequum liberum. *M.* istunc liberum?
Quodnam ob factum? *De.* multa [d]). *Sy.* o noster Demea, aedepol vir bonus es [e]).
Ego istos vobis usque a pueris curavi ambos sedulo:
Docui, monui, bene praecepi semper, quae potui, omnia.

a) V. I. *diruta maceria est.* b) Al. *justi.* c) C. G. u. *ergo.* d) I. *ob multa* male. Ellipsis est enim *ob* sermonis quotidiani. Itid. supra 7, 15. e) Be. notat, *es* abesse a vett. suis, atque scribend. esse, *bonu 's*, quod sono olim differret a simplici *bonus.* Etiam C. G. m. non hab. *es* in textu, sed supra scriptum.

„Bene sibi ultus videtur Demea fratrem, cujus rei domesticae ut consulat, abigit inde Syrum. Huic autem una cum uxore serva libertatem et aliquantum pecuniae commodatum a Micione impetravit. Expleto sic tandem animo et consilio, haec ipsa aperit; Ctesiphoni filio condonat peccatum et amicam. Laetique abeunt omnes." Bi.

1. *Fact. est q. juss.* Formula a re militari transducta, cum tribunus vel centurio jussus aliquid exsequi, renuntiat id factum imperatori; vid. Casaub. ad Sueton. Tib. 21. *mea q. sent. Judico.* *Κυριολογία.*

3. *ist. liber.* Interrogatio aegre ferentis, ut sup. 8, 17. 27.

4. *Quodn. ob fact.* „Jure; ascribi enim causas manumissionis in jure formula est." We.

5. *Ego ist. vobis etc.* Cf. V, 1, 5, not. Cujusmodi vero munera fuerint paedagogorum vid. Claudii Tract. de Paedagog. et Nutricib. Atque haec munera Syrus pro meritis annumerat domino.

*De.* Res apparet. et quidem porro haec [f]), obsonare cum fide,
Scortum adducere, apparare de die [g]) convivium:
Non mediocris hominis haec sunt officia. *Sy.* o lepidum caput!
*De.* Postremo, hodie in psaltria hac emunda [h]) hic adjutor fuit,
Hic curavit. prodesse aequum 'st; alii meliores erunt.
Denique hic volt fieri. *M.* vin' tu hoc fieri? *A.* cupio. *M.* si quidem
Tu vis, Syre, eho accede huc ad me: liber esto. *Sy.* bene facis.
Omnibus [i]) gratiam habeo, et seorsum tibi praeterea, Demea.
*De.* Gaudeo. *A.* et ego. *Sy.* credo. utinam hoc perpetuum fiat gaudium:

f) V. I. *docuisti.* g) Al. *de die in diem.* h) V. I. „pro *emenda.*" i) Id. *vobis.*

7. *Res appar.* i. e. *Res* ipsa declarat. Demea per ironiam loquitur. *obson. c. fide.* Hanc distinctionem ego numerosiorem esse putarim, quam, quae We. est aliorumque, *cum fide scort. adduc.* Est autem *obson. cum fide*, emta in foro ac macello fideliter domum referre.

8. *Scort. adduc.*, ut hic psaltriam. *appar. d. d. conv.*, „i. e. repente, nec ante praedictum, nec pridie constitutum." Do. *de die* sc. medio. Itid. Hor. Sat. II, 8, 3. „*de* medio potare *die.*"

9. *Non mediocris etc.* „Subridentem haec dixisse Demeam, argumento sunt Syri verba, quae sequuntur." We.

10. *in psaltr. h. em.* Utrum hoc in Syrum dicat jocose, an magis in Micionem, qui raptum psaltriae laudasset, dubitari potest. *h. adjut. f.* „*Adjutores* in re bona; in mala impulsores dicuntur." Z.

11. *prodesse aeq. est.* Significat, *aequum* esse id quod operam Aeschino navarit, *prodesse* Syro. *alii melior. erunt.* Sensus: „Alii servi, ubi videbunt, Syrum libertate donari, et ex virtutib. suis ornari, ead. spe ducti *meliores erunt.*" We.

12. *Deniq. h. v. fieri.* „Ne videretur heredi invidere, quod manumitteret servum: Deniq. vult filius fieri liberum servum. Qua re confirmata liber conficitur." Eu.

13. *Syro, eho accede h. ad me.* „Haec audiens Syrus adsilit. Unde continuo Micio, *liber esto*, inquit." We. Accedit quod Fabrini, Minelli al. de ritu solemni manumissionis addunt, ut servus ab hero circumagatur, ut manus capiti ejus imponantur, ut colaphus ei impingatur et ipse manu emittatur, his verbis, *liber esto.*

15. *Gaudeo. A. et ego.* „Gratulantium Syro haec verba sunt; quibus de more ille, *credo*, respondet." Do. Andr. V, 4, 36. *perpetuum*, „solidum, integrum, quale esse non poterat, Syro libero, Phrygia non libera." We.

Phrygiam [l]) ut uxorem meam una mecum [m]) videam liberam.
*De.* Optumam quidem mulierem. *Sy.* et quidem tuo nepoti [n]) huius filio
Hodie prima [o]) mammam dedit haec. *De.* hercle vero serio,
Si quidem prima dedit, haud dubium, quin emitti [p]) aequum siet.
*M.* Ob eam rem? *De.* ob eam [q]). postremo a me argentum, quanti est, sumito.
*Sy.* Di tibi, Demea [r]), omnia omnes semper optata offerant.
*M.* Syre, processisti hodie pulchre [s]). *De.* si quidem porro, Micio,
Tu tuum officium facies, atque huic aliquid paulum [t]) prae manu

l) Id. *proprium nomen uxoris Syri.* m) Al. omitt. *mecum* contra morem Terentii. n) C. G. m.. gl. *recens nato.* o) Fa. *primam* ex aliquot l. s. Sed placet recepta lect. e Be. Codd. p) V. I. *manu mitti*, *et est verbum juris.* q) I. add. *rem*, imperite. Nam ellipsis est similis supra II, 4, 19. r) L. antiq. *oro.* Delet Fa. quod nec ull. l. s. nec Do. habeat, et quod versum corrumpat. s) V. I. *in omnib. tuis factis quia tu et tua uxor libertate frui promeruistis.* t) Al. *paululum.*

17. *Optumam.* Sic mutatus Demea omnia laudat. *tuo nep. prima mamm. ded.* Cf. Plaut. Truc. II, 5, 1. „Puero isti *date mammam.*“ En vero meritum tale nutricis ipso ab Alexandro rege recognitum, Curt. VIII, 2. Nec minus add. Plaut. Men. Prol. 19. 20. „— mater quae *mammam dabat*, Neq. adeo mater ipsa, quae illos pepererat.“

18. *Hodie.* Par. not.: „*Hodie* comice abundat.“ *hercle v. serio.* Adverbia sunt confirmantia. παρέλκον.“ Do.

19. *prima dedit.* „Ridiculum meritum; quasi infantis nepotis gratia illa accipiat libertatem.“ Eu.

20. *Ob eam rem?* Invitus adducitur Micio, ut consentiat. *quanti est.* „H. e. quanti tibi aestimatur Phrygia.“ We. *sumito*, accipito. Heaut. III, 1. 56. Solebat enim hero servi, qui libertate donaretur, pretium solvi ab eo, qui illum in libertatem postulabat. Atque ita occasionem nactus Demea Micioni pretium reddere videbatur, quod is pro psaltria numeraverat, ne ipse videretur emisse amicam filio.

21. *Di tibi omnia etc.* Formula bene precandi. Plaut. As. I, 1, 32.

23. *Tu tuum offic. fa.* „Hoc est patroni, ut libertum non deseras, sed ut alas manumissum.“ Do. Vid. Plaut. Curc. IV, 3, 15. *prae manu.* „Comica formula ead. cum illa: in mundo, in promtu.“ Par. Lexic. Plaut.

Dederis, unde utatur [u]; reddet tibi cito. *M.* istoc vilius [x].
*A.* Frugi homo est. *Sy.* reddam hercle, da modo. *A.* age, pater. *M.* post consulam.
*De.* Faciet. *Sy.* o vir optume. *A.* o pater mi [y] festivissime!
*M.* Quid istuc? quae res tam repente mores mutavit tuos?
Quod prolubium [z]? quae istaec subita est largitas? *De.* dicam tibi:
Ut id ostenderem, quod [a] te isti facilem et festivum putant,
Id non fieri ex vera vita, neque adeo ex aequo et bono;
Sed ex [b] assentando atque indulgendo et largiendo, Micio.
Nunc adeo si ob eam rem vobis mea vita invisa, Aeschine, est,

u) V. I. *ducat vitam.* x) C. G. m. *levius.* Quam lection. nusquam alibi invenio. y) „Laborat hic vers. nisi legatur, *o pat. mi*, ut in Vict. collocatur.“ Fa. In l. antiq. *o mi pat.* z) L. antiq. *proluvium.* Quod Par. defendit. At Fa. *prolub.* In C. G. m. sup. script. *largitas.* a) Ms. Par. *tam.* b) Al. omitt. *ex.*

24. *unde utatur*; cf. 8, 27. *utatur*, vivat. Inde *usura* vita dicitur, Cic. in Catil. I, 12. „Unius *usuram* horae gladiatori isti ad vivend. non dedisset.“ *istoc vilius.* „Negatio est floccipendentis, cum ellipsi, quicquam.“ Do. *istoc* ablativus est, cujus vis exprimitur in demonstratione summi digiti magis, quam voce ipsa. Significat: Nihil prorsus.

25. *post. consulam.* „Formula blande negantis.“ We.

26. *Faciet.* Par. in marg. „o Syre.“ *o vir opt.* Par. non recte supplet „Demea.“ Sed Micio subaudiatur, quem una omnes aggrediuntur. *festiviss.* Superlativ. comicus. „*Festivitas* in blanditiis amantum.“ Par. Lex.

27. *mor. mut. t.* Bene, *mores mutavit*, non naturam.

28. *prolub.* Sic metaphorice Gell. II, 24. „proluere pecuniam.“ *quae istaec.* Par. add. „immoderata et effusa.“ *subit. largit.* Eod. fere modo canis ad furem, Phaedr. I, 23, 7. „ista *subita* benignitas.“

29. *quod.* H. e. propter *quod.* Eun. III, 5, 10. *isti*, filii nostri ac servi. *facil. et festiv.* Huc repetenda est scena 4. ubi Demea vitam fratris ac suam ipsius serio secum perpensitavit.

30. *ex vera vita*; cf. Heaut. I, 1, 102, nota. *ex aequo.* Cic. Verr. II, 15. „*aequo* jure, h. e. quo judex nihil adversarii gratia faciat.“ Ernest.

31. *assentando*; cf. Eun. II, 2, 22. *indulg.* Heaut. IV, 8, 21. Omnino autem mores et vitam assentatoriam notat.

32. *vobis.* Apostrophe ad filios. „Bene in postremo di-

Quia non justa c) injusta prorsus omnia omnino obsequor;
Missa facio: effundite, emite d), facite quod vobis lubet.
Sed si id vultis potius, quae vos propter adolescentiam
Minus videtis, magis impense cupitis, consulitis parum,
Haec reprehendere et corrigere quem e), obsecundare f) in loco;
Ecce me qui id faciam vobis. *A.* tibi, pater, permittimus.
Plus scis, quid opus facto est. sed de fratre quid fiet? *De.* sino.

c) Bru. C. e. *ista* pro *justa.* Itid. in C. G. m. sed in loco, ut mihi quidem videtur, deraso. Est autem *justa injusta* Terentii more, ut *recta prava*, Ph. V, 2, 6. d) Quid. mss. *emittite.* e) Be. *quem* pro *me* vulgo. Probatur. Prius enim, inquit, *me* inepte hic ponitur, si alterum me sequatur. f) Do. leg. *secundare.* Hoc est, inquit, in melius convertere, vel obsequi.

gnitas personae hujus servata est, ut non perpetuo commutata videretur.“ Do.

33. *justa injusta*; cf. Ovid. Met. II, 227. „*injustaque justa.* Graecorum item est, καὶ δίκαια κἄδικα. Sic Liv. I, 24. „prima postrema.“ Et Ter. Ph. III, 3, 23. „*bona mala.*“ *obsequor.* Itid. Ph. I, 2, 29. „Quia non aequaliter et *justa* et *injusta* persequor.“ Eu.

34. *Missa fac.* v. Ind. *effund.*, *emite*, *fac.* Sic per asyndet. uti Andr. II, 1, 31. „*effundite* ad Aeschin. pertinet; *emite* ad Ctesiphonem; *facite* ad omnes.“ Do.

35. *Sed si id etc.* Sic solent qui ad alterum propositorum descendunt. Supra III, 4, 46.

36. *Min. videtis*, h. e. intelligitis, cavetis. Cic. ad Q. fr. I, 1. „*minus* sapienter a me provisum.“ Verum tenenda sunt *minus*, *magis*, *parum*, quibus sua quaeque, *reprehendere*, *corrigere*, *obsecundare* scite et eleganter respondent. *consulit. parum*, h. e. *parum* consulto agitis.

37. *repreh. corrig. obsec.* Haec Do. perstringit gradatione istac: Qui *reprehendit*, non continuo corrigit; qui *corrigit*, non ilico *secundat*, laetissimum reddit et fidelissimum. *quem* pro aliquem. Heaut. II, 3, 122. Ita observanda constructio verborum haec est: *si quem vultis haec reprehendere etc. quae vos etc. ecce me, qui id faciam vobis.*

38. *faciam*; cf. Heaut. II, 2, 7, not. *tibi, pat. permitt.* „Noluit Terentius ab amoribus filiorum perpetuo repulsum patrem.“ Do.

39. *Plus scis.* Par. add. „quam nos.“ *de fratre*, Ctesiphone. Ecce hoc quoque fraternitatis, quae vere φιλαδελφία dicatur, documentum.

Habeat [g]): in istac finem faciat. *M.* istuc recte [h]). plaudite [i]).

g) V. I. *psaltriam.* h) *istuc recte.* Haec verba Micioni tribuenda sunt, ut Do. adnotat, non Aeschino. i) Plusculi mss. *valete et plaudite.* C. G. ch. invert. *plaud. et val.* C. G. m. *plaudite* omisso *et valete.* Sequitur et hic in utrisq. Gothan. *Calliopius recensui*; vid. Andr. in fine.

40. *in ist. fin. fac.* Similit. Ovid. Met. IV, 258. „Venerisq. modum sibi fecit in illa.“ Itid. Propert. I, 12, fin. *istuc recte.* „Tanquam superiora non recte.“ Eu. Atque hoc ultimum Micio in Demea laudat. Nullus igitur superest, qui dissentiat; sed omnes abeunt laetissimi et consentientes.

# HECYRA.

# HECYRA TERENTII.

Acta Ludis Megalensibus *), Sex. Jul. Caesare, Cn. Cornelio Dolabella Aedilibus curulibus. Non est peracta. Modos fecit Flaccus Claudii. Tibiis paribus **). Tota Graeca Apollodoru facta est. Acta primo sine prologo. Data secundo, Cn. Octavio, T. Manlio Coss. Relata est L. Aemilio Paulo, Ludis Funebribus. Non est placita. Tertio relata est, Q. Fulvio, L. Marcio Aedilib. Curulibus. Egit L. Ambivius Turpio. Placuit.

---

*) Mss. *Romanis.*

**) In Par. mss. *parilibus.*

*Acta* sc. Hecyra. Quae vero semel atque iterum exacta, tertio stetit.

*Ludis.* Ludos omnino vocabant spectacula, quae a magistratib. in gratiam populi fieri solerent, Diis plerumq. post sacrificia publice consecrata.

*Non est peracta.* Subaudi, ad finem usque. Nam interrumpebatur prima acta funambuli spectatione; vid. Prolog.

*Tibiis.* Horatius comparat *tibias* sui temporis tenuiorib. antiquis dicendo: „Tibia non, ut nunc, orichalco vincta, tubaeq. aemula, sed tenuis simplexq. foramine pauco etc." A. P. v. 202, seqq. ubi interpres: „*Tibia* veterum tenuis fuit et simplex, id est, veteres simplici musica in scenis usi sunt."

*Apollodoru*, gr. *Απολλοδωρου*, pro Apollodori latine.

*Tota Graeca Apollod. facta est.* Da. vert.: „Elle est toute prise du Grec d'Apollodore."

*Cn. Octavio, T. Manl. Coss.* Hunc annum notat Da. esse, post Andriam actam, ab u. c. 588.

*Relata est*, sc. Hecyra, h. e. iterum data.

*L. Aemil. Paulo*; cf. Didasc. Adelph. Sed quid *L. Aemil. Paulo* h. l. significet, utrum dativo an ablativo casu accipiend. sit, hoc tacent interpretes, neque Da. versione sua explanat. Verum ego suspicor, dativum esse honoris vel inscriptionib. solemnem, ut *L. Aemilio Paulo* sit pro, in honorem L. Aemilii Pauli. Addendum, *Ludis Funebribus.* Patet autem ex Liv. 31, 50. ludos funebres in M. Valerii Laevini vita defuncti honorem a filiis ejus a. u. c. 552. esse factos.

## FABULAE INTERLOCUTORES.

*Bacchis*, meretrix, amica Pamphili.

*Laches*, senex, pater Pamphili.

*Myrrhina*, mater Philumenae.

*Pamphilus*, filius Lachetis et Sostratae.

*Parmeno*, servus Sostratae.

*Phidippus*, senex, pater Philumenae.

*Philotis*, meretrix.

*Sosia*, servus Pamphili.

*Sostrata*, mater Pamphili.

*Syra*, anus, lena.

## PERSONAE MUTAE.

*Philumena*, puella, nupta Pamphilo.

*Scirtus*, servulus.

*Nutrix*.

*Ancillae* Bacchidis.

# C. SULPITII *) APOLLINARIS PERIOCHA IN TERENTII HECYRAM.

Uxorem duxit Pamphilus Philumenam,
Cui quondam ignorans virgini vitium obtulit:
Cujusque **) per vim quem detraxit annulum,
Dederat amicae Bacchidi meretriculae.
Dein profectus in Inbrum est: nuptam haud attigit.
Hanc mater utero gravidam, ne id sciat socrus,
Ut aegram ad se transfert: revertit Pamphilus:
Deprehendit partum: celat: uxorem tamen
Recipere non vult. pater incusat Bacchidis
Amorem. dum se purgat Bacchis, annulum
Mater vitiatae forte agnoscit Myrrhina.
Uxorem recipit Pamphilus cum filio.

---

*) Al. script. *Sulpicii.*

**) Al. *Ejusque.*

# PROLOGUS I.[a]

Hĕcyră [b]) ēst hŭic nōmēn fābŭlae. haec cūm dătă ēst
Nŏvă [c]), novum īntērvēnīt vĭtĭum ēt călămĭtas [d]),
Ut neque spectari, neque cognosci potuerit.
Ita populus studio stupidus in funambulo
Animum occuparat. nunc haec plane est pro nova;

a) *Hecyra* ter acta est, primo sine prologo; inde prologi extant duo, qui a quibusd. in unum parum commode continuantur. b) C. G. m. script. *Hechira.* c) Be. add. *ei.* Bo. corrig. *Novae.* Hoc autem faciunt ambo, ut dativum acquirant verbo *intervenit.* Sed non opus es, opinor, dativo; et si opus, sumendum esset *huic*, quod praecessit. d) Metrum illud a Prisciano sic notatum inveni.

„Totus hic Prolog. subtilem conquestionem continet, ob hoc, ne aperte populum neglectae Fabulae reum faciat, et facile revocet in favorem.“ Do.

1. *Hecyra* gr. Ἑκυρὰ ἡ πενθερὰ, socrus. Unde autem nomen, quia per socrus et soceros pleraq. hic aguntur, vid. praefat. Donati. *Hecyra est huic* etc. Itid. fere Plaut. Mil. II, 1, 8. „Alazon graece *huic nomen* est comoediae.“ *data.* „Dari dicit. fabula, cum agitur; stare, cum placet.“ Do.

2. *Nova novum.* Figura παρονομασία; cf. Ind. *vitium* et *calamit.* Utrumq. ab augurio deductum; vid. Do. Itaque *vitio* saepe creari consules dicuntur, si quid auspicia adversentur, h. e. si tonet, aut si tonet cum *calamitate* seu grandinet simul. Cic. Phil. II, 32.

3. *spectari, cognosci*; illud oculis, hoc animo vel judicio adjuvante. Andr. Prol. 24, 27.

4. *Ita* pro, adeo. Sic saepe ab initio periodi ap. Liv. *Stupidus*, „prae admiratione haerens.“ We. Andr. II, 1, 4. *in funamb.* „Scilicet σχοινοβάται ἐν θαυματοποιοῖς erant olim; vid. Mercurial. Art. Gymnast. III, 5.

5. *Anim. occup.* Cf. Plaut. Pseud. I, 5, 135. „Ne quo *te* ad aliud *occupes* negotium. *pro nova.* „Quod nimirum data quidem, sed nond. spectata, nedum cognita fuerat.“ We.

Et is qui scripsit hanc, ob eam rem noluit
Iterum referre, ut iterum posset [e]) vendere.
Alias cognostis ejus: quaeso hanc [f]) noscite [g]).

e) Conjiciebat Be. *posset* esse legendum, quod ipsi libb. aliq. We. teste vere habent. Vulg. *possit.* f) Vulg. *nunc.* Abest a quibusd. g) In mss. We. *cognoscite.*

6. *Et is qui scrips. hanc. Scribere* fabulam vel *facere* Poetam dici patet ex Andr. Prol. I, 26. et Eun. Prol. 8. 9. *ob eam rem.* Scilic. quia primo ob funambulum neglecta erat atque contemta.

7. *Iter. referre*; cf. Prol. II, 21. pro *Iterum* dare. *ut it. poss. vend.* Hoc *iterum* posterius significat, alio tempore post. *vendere.* ,,Noluit Terentius disertam fabulam denuo introduci, quod me desperatione favoris popularis videretur facere, avaritiam suam praetexit, ut secundo eam liceat histrionibus vendere;" vid. Nannii Miscell. lib. 11.

8. *Alias ejus* sc. comoedias Poetae.

---

# PROLOGUS II.

Orator ad vos venio [a]) ornatu prologi:

a) Mss. quid. *cum.*

Hic novus Prologus magna Poetae arte elaboratus atque compositus est, ut caverétur, ne fabula bis jam exacta tertio reduceretur. Loquitur autem L. Ambivius, histrio eximia tum, ut videbatur, ap. populum existimatione insignis. — Quod vero alter additus est Prologus, de hac re scire licet, factum saepius esse, ut quoties comoedia denuo ageretur, etiam prologus, qui prior temporis praesentis conditioni minus congrueret, alter aptior addi soleret ab auctore comoediae. Vid. Osan. Analect. crit.

1. *Orator.* Qui causam agit Poetae et comoediae ejus apud spectatores, tanqu. judices, *Orator* h. l. jure suo appellatur. *Orator*, vox magnifica; vid. Ernest. Gloss. ad Liv. *ornatu* pro, apparatu et comitatu. Da. vert.: ,,sous cet habit de Prologue."

Sinite, exorator [b]) sim, eodem ut jure uti senem
Liceat, quo jure sum [c]) usus adolescentior,
Novas qui exactas feci ut inveterascerent,
Ne cum Poeta scriptura evanesceret.
In his, quas primum Caecilii didici novas,
Partim [d]) sum earum exactus, partim [e]) vix [f]) steti.
Quia scibam dubiam fortunam esse scenicam [g]),
Spe incerta, certum mihi laborem sustuli.
Easdem agere coepi, ut ab eodem alias discerem
Novas,, studiose; ne illum ab studio abducerem.
Perfeci ut spectarentur. ubi sunt cognitae,
Placitae sunt. ita Poetam restitui in locum,

b) R. Steph. Lindenbr. We. edd. *ut*. At vero omittere solet Terentius post verb. *sinere*; nec minus alii, Cic. Ovid. etc. c) Fa. *sim*; per errorem haud dubie typographi. d) C. G. m. *partem*. e) Ibid. sup. script. lit. *e*, ut sicut prius legatur. Et We. suspicatur, *partim* dixisse Nostrum pro *partem* ἀρχαϊκῶς. f) V. I. *in scena*. g) Bc. *scaen.* quod antique scriptum defendit. Attamen constat aliunde, η Graec. a Latinis in e produci.

2. *Sinite exor. sim.* Benevolentiam populi captat spectantis. *exorat.* Verb. *exorare* Andr. V, 3, 30. „Est autem *exorator*, quum impetraverit; *orator*, dum agit." Do. *eod. j. quo jure.* Ead. repetitionis elegantia Ad. V, 3, 68. *senem* sc. me.

4. *Novas qui exactas.* Enallage casuum. Pro, *Novae ut*, quas *feci* comoedias, (etsi) exactae (tamen) *invet.* Andr. Prol. 26. *inveterasc.*, „h. e. cognoscerentur et totae perspectarentur, atque adeo fierent veteres comoediae et saepius spectatae." We. *exactas*, expulsas. Id quod accidit etiam Caecilii optimis comoediis.

5. *Ne cum Poeta etc.* „Ne cum obitu ipsius Poetae etiam poema interiret." We.

6. *In his quas etc.* Confirmatio ab exemplis. *Caecilii* sc. veteris poetae comici celeberrimi; de quo Gell. IV, 20. Et Cicero meminit ejusd. velut notissimi populo romano. Rosc. Am. 16. *didici.* Discere solebant histriones, ut recitarent.

7. *exact.* Fabulae *exigi* dicuntur pariter ut Actores. Andr. Prol. fin. *steti*; cf. Heaut. Prol. 36.

8. *Quia scib. dubiam etc.* Casum incusando ac morositatem theatri, Hecyram excusat.

9. *Spe incerta.* Etsi *incerta spe*, tamen *certum lab. sustuli.* Est enim antithesis, *incerta certum.*

10. *Easd.*, i. e. exactas. *ab eod.* sc. Caecilio. *ab eod.* comice pro ejusdem; cf. Eun. III, 5, 9, not. Sensum ita capio: Quia exactas Caecilii agere coeperam, eo ipso perfeci, ut spectarentur, quas faceret novas.

11. *ab studio abduc.* Cf. v. 17. 19. *deterr.*

13. *Placitae.* Do. participium notat esse sine verbo. *poet.* „Non Caecilium dicit, sed *poetam*, ut hoc generaliter populo

Prope jam remotum injuria adversarium
Ab studio, atque ab labore, atque [h]) arte musica.
Quod si scriptorem [i]) sprevissem in praesentia,
Et in deterrendo voluissem operam sumere,
Ut in otio esset potius quam in negotio;
Deterruissem facile, ne alias scriberet.
Nunc quid petam, mea causa aequo animo attendite.
Hecyram ad vos refero, quam mihi per silentium
Nunquam agere licitum est; ita eam oppressit calamitas.
Eam calamitatem vestra intelligentia
Sedabit, si erit adjutrix nostae industriae.
Cum primum eam agere coepi, pugilum [l]) gloria,

h) Aliq. libb. *ab.* i) Ita Be. ingeniose pro *scripturam* vulg. Nam in sequentib. vv. item *scriptor* subauditur non *scriptura.* Add. Ph. Prol. 1-3. l) C. G. m. gl. marg. „*pugili* (pugiles) *erant qui cum cestib. dimicabant.*

praestitisse, non uni homini videatur." Do. *restit. in loc.* Plaut. Ph. Prol. 33. „Quem actoris virtus nobis *restituit locum.*" Ubi *locus* pro statu et conditione accipitur.

14. *adversarium* pro adversariorum.

15. *Ab stud. atq. ab' lab. atq. arte mus.* Tria laudantur in Poeta, *studium*, s. ingenii propensio, *labor* s. exercitatio, *ars* ipsa scribendi. *musica*; cf. Ph. Prol. 17. et Eun. III, 2, 24.

16. *Quod si scriptor. sprev.* H. e. Quodsi comoedias ejus non studiose agere coepissem, secund. v. 10. 11. *in praesentia.* Explic. de tempore, cum Caecilii fabulae explosae erant ac spretae.

17. *deterrendo* sc. poetam a scriptura.

18. *in otio in negotio.* Elegantia haec est utriusq. vocis latina. Est enim *negotium* i. q. nec *otium.* Et fabularum auctoribus id est negotii ut populo placeant quas fecerint fabulas. Andr. Prol. 2. Sed *in otio* qui sunt, alios non curant, nec fructum poematum suorum proferunt in commune.

20. *Nunc quid etc.* Redit orator ad causam Terentii, quam pro sua commendat ipsius, dicit, ut defensor. *aequo animo attend.* Hujusmodi vero commendandi sui causa locutiones vid. in Prologis Andr. 24. Eun. 44. Ph. 24.

21. *Hec. ad vos ref.* Cf. Prol. I, 7. *quam mihi.* A persona dicentis. *per silent.* Silentio inprimis opus est ad audiendam vel cognoscend. comoediam.

22. *oppress. calamit.* Exclusionem vocat *calamitatem*; cf. Prol. I, 2.

23. *vestra intellig.* Scilicet quam cognoveritis actam comoediam. Notetur autem quae inest verbis, *vestra intelligentia nostrae industriae*, concinnitas elegans ac periphrasis pro, vos nobis.

25. *pugil.* Par. not.: „Quia interludia haec miscebantur fabulae." Hor. Ep. II, 1. 185—86. *gloria*, qui pro gloria pugna-

Funambuli eodem accessit m) exspectatio,
Comitum conventus, strepitus n), clamor mulierum
Fecere, ut ante tempus exirem foras o).
Vetere in nova coepi uti consuetudine,
In experiundo ut essem. refero denuo.
Primo actu placeo, cum interea rumor venit,
Datum iri gladiatores; populus convolat;
Tumultuantur p), clamant q), pugnant de loco;
Ego interea meum non potui tutari locum r).
Nunc turba non s) est, otium et silentium est;

m) Be. fing. *accedens.* Non probo. n) Pleraeq. Editt. pro *strepit.* hab. cum Do. quod is interpret. „certamen diversis faventium.“ o) V. I. *a scena.* p) Junt. Ed. *Tumultuant* antique; vid. Priscian. q) C. G. m. *et* perperam. Est enim asyndeton. r) V. I. *officium recitandi.* s) Be. e Codd. s. *nulla* pro *non.*

bant. Nam et Curt. 9, 7. *pugil nobilis* memoratur, ob eximiam virtut. regi pernotus et gratus. „*pugilum gloria* i. e. pugiles, ut ap. Graec. βιη Πριαμοιο pro, Πριαμος.“ Min.

26. *eod. access.* Itid. Cic. Amic. 18. „Addendum *eodem* est, ut etc. „*exspect. Exspectatio* de re magna et singulari. Nep. Alcib. 6. „Tanta fuit omnium *exspectatio* visendi Alcibiadis, ut etc.“

27. *Comit. convent.* Comites intelliguntur sine dubio qui assectatores sunt pugilum amicos suos in locum certaminis comitantes. *clamor mulierum.* Quare mulierum? Sic interrogat quidam; nec id injuria, cum non liceret mulieribus interesse ludis scenicis, nisi maritorum, in quorum potestate erant, permissu. Vid. Val. Max. VI, 3, 12. Sueton. Aug. 44.

28. *ante temp.* „Ante fabulam peractam.“ We.

29. *Vet. consuetud.* Addendum: qua olim usus fueram in Caecilianis comoediis. De quo paulo ante. *Vet. in nova.* Antitheta sunt, quae pertinent ad *ornatum* Prologi, v. 1.

30. *In exper. ut ess.* Cf. Heaut. V, 2, 30. *ibi nunc sum.* ubi nota. H. l. ut experirer, an placitura esset Hecyra.

31. 32. *cum interea rumor. etc.* Simili modo Liv. 45, 1. „quum in circo ludi fierent, murmur repente populi tota spectaculum pervasit: pugnatum in Macedonia, et devictum regem esse.“ *rumor venit*; cf. Phaedr. V, 5. 11. *Datum iri.* „Proprie de ludis et spectaculis.“ We. *gladiatores* pro, ipsum spectaculum gladiatorum. Cic. Fam. X, 32.

33. *Tumult.* Cf. Plaut. Poen. III, 1, 22. „Non decet *tumultuari.*“ *pugn. de loco.* „Quod nimirum in hoc spectaculo omnes promiscue sederent, quum in theatro distincta essent subsellia ordinum.“ We. De hac re cf. Val. Max. II, 4, 2. *locum.* Allusio facta ad illud, *restitui in locum*, supra v. 13. Haec hactenus exposuit de turbata Hecyra orator.

35. *Nunc.* Eod. modo supra v. 20. Declarata causa vel re, ad officium Prologi redit, petens audientiam. *Nunc turba non est etc.* „Et jam sublatae sunt causae quib. sum frequenter exclusus;

Agendi tempus mihi datum est, vobis datur
Potestas condecorandi ludos scenicos.
Nolite sinere per vos artem musicam
Recidere ad paucos. facite ut vestra auctoritas
Meae auctoritati fautrix adjutrixque sit.
Si nunquam avare pretium statui arti meae,
Et eum esse quaestum, in animum induxi, maxumum,
Quam maxume servire vestris commodis.
Sinite impetrare me, qui in tutelam meam
Studium suum, et se in vestram commisit fidem,
Ne eum circumventum inique iniqui irrideant.
Mea causa causam [t]) accipite, et date silentium,

t) L. antiq. *hanc.* Abest a Bemb.

ad audiendum operam date." Eu. *turba non-ot. et. silent.* Haec tria refert Do. ad superiora totid. v. 35.

36. *tempus*, opportunitas. *Temp.* opportunum, gr. εὐκαιρία; cf. Cic. de Offic. I, 40. Est autem *agendi temp.* cum *otium* et *silent.* est, cessante *turba.*

37. *condecor.* „Quasi et aliquid agat populus, quum spectet." Do. *lud. scenic.* „Intelligit festum ludor. publicorum seu Megalensium etc." We.

38. *art. music.* Cf. supra v. 15, not.

39. *Recid. ad pauc.* Cf. Liv. 4, 2. „ne Jupiter *sineret*, regiae majestatis eo *recidere etc.*"

40. *Meae auctorit.* Quia jam senex est. Inde tamen conjici potest, insignem fuisse histrionem L. Ambivium Turpionem, qui tantum in se fiduciae posuerit. *auctoritati fautrix.* Constructio est verbalis nominis cum dativo, qualis Eun. V, 8, 22.

41. 42. *Si nunq. avare etc. Et eum esse etc.* Argumenta a personae attributis, quib. se sperat auxilium et favorem populi impetraturum. Partic. *si* ead. significatione, qua in Andr. I, 5, 57. *arti meae.* Significat artem oratoris, qua is conciliet Poetae populi favorem. *quaest.* Turpicula vox re ipsa honestatur, quod in se suscipit, *quam maxime servire* populi *commodis.*

44. 45. *qui in tutel. meam Stud. suum etc.* Scilicet quum studium ejus labore meo excitarem. *et se in vestram etc.* Cf. Eun. V, 8, 9, 10. Poeta igitur commendari ab actoris arte ac facundia videbatur.

46. *Ne eum circumv.* Si forte equid. vix ulla auctoritate ap. vos valerem. *inique iniqui.* Etiam hic ut alias saepe in simili vel ead. voce ornatus causa ludit.

47. *Mea causa*; cf. v. 20. „Scit se optimi meriti esse, et quam frequenter populo placuerit; idcirco propter se dicit audientiam esse Comoediae dandam." Eu. *causam* sc. Poetae. *accipite* pro suscipite. Sic Plaut. Most. V, 2, 23. Et proprie causidici ac patroni *causam accipere* dicuntur. *date silent.* „Quasi Fabulae ac Poetae." Do. Heaut. Prol. 36.

Ut lubeat scribere aliis [u]) mihique ut discere
Novas expediat, posthac pretio emtas meo.

u) Mu. *aliis* hab. pro dissyllabo. C. G. m. sup. script. *poetis.* Be. ed. *alias* sc. fabulas, v. 19. Non placet.

48. *discere*; cf. Heaut. Prol. 10.

49. *pretio meo.* Do explic.: „aestimatione a me facta, quantum Aediles darent.“ At Pareus credit, Aediles a Poeta, histriones rursus ab Aedilib. emisse Hecyram.

# ACTUS I. SCENA 1.

## PHILOTIS. SYRA.

*Ph.* Pĕr pōl [a]) quăm pāucōs [b]) rĕpĕrĭās mĕretrīcĭbŭs
Fĭdēlēs ēvĕnīre ămātōrēs, Syră [c]).
Vel hic Pamphilus jurabat quoties Bacchidi!
Quam sancte! ut quivis facile posset credere,
Nunquam illa viva ducturum uxorem [d]) domum.
Hem [e])! duxit. *Sy.* ergo propterea te sedulo
Et moneo et hortor, ne [f]) cuiusquam misereat [g]),

a) V. I. *per Deum Pollucem.* b) Var. *paucis. paucos.* Utrum verius, ipse Do. dubitat. Sed τὸ *paucis* certe graece dictis Apollodori respondet, ὀλίγαις-ἑταίραισι. Nam ex Apollodoro Graecor. poeta transtulisse fertur Terentius Hecyram suam et Phormionem. c) Sic versus hos Priscianus metro distinxit. d) Be. ex Codd. colloc. *uxor. duct.* e) Do. *En.* L. Vict. *Em.* f) Do. *te* deesse notat. g) Fa. probat *misereas* lect. Bembini l.

,,Inducuntur προτατικὰ πρόσωπα, quae personae aut ipsae initium narrationis faciant, aut servum provocent ad rem omnem enarrandam, e qua seratur fabula. Nam et Philotis et Syra non pertinent ad argumentum Fabulae. Hoc autem maluit Terentius, quam aut per Prologum narraret argumentum, aut Deum ex machina induceret loqui.'' Do.

*Philotis*, meretrix, ἀπὸ τοῦ φιλώτας. In quo nomine videtur esse aurium significatio. *Syra*, anus, Syriaci generis mulier.

1. *Per pol quam.* Tmesis, pro *pol perquam pauc.* Itid. Plaut. Cas. II, 6, 18. *rep. Fidel. amat.* Cf. Andr. III, 1, 2. *even.* ,,Non esse, sed *evenire* dixit, ut non rationis, sed casus sit id, quod rarissimum est.'' Do.

3. *Pamph. jurab.* Cf. Ad. III, 2, 54.

4. *Quam sancte.* Proprie. *Sanctum* enim est jusjurandum. Infra II, 2, 26.

5. *illa viva* sc. Bacchide.

6. *Hem.* Cum admiratione maxima. *ergo.* Qua voce anus pessima animum suum effundit omni indignatione repletum.

7. *Et moneo et hort.* ,,*Monemus* consilio, *hortamur* impulsu.'' Do.

Quin spolies, mutiles, laceres, quemquam [h]) nacta sis.
*Ph.* Utin' eximium neminem habeam? *Sy.* neminem.
Nam nemo illorum quisquam, scito, ad te venit,
Quin ita paret se [i]), abs te ut blanditiis suis
Quam minimo pretio suam voluptatem expleat.
Hiscine tu, amabo, non contra insidiabere?
*Ph.* Tamen pol eandem [l]) injurium est esse omnibus.
*Sy.* Injurium autem est ulcisci adversarios?
Aut qua via captent te illi [m]), eadem ipsos capi?
Eheu, me miseram [n])! cur non aut istaec mihi

h) C. G. m. in marg. *quemquem.* i) Al. *sese.* l) V. I. *similem me.* m) Abest *illi* a l. Bemb. Adest in plerisq. et in C. G. m. item. n) V. I. *dico.*

8. *Quin spol. mut. lac.* Locus express. ex Plaut. Bacch. V, 1, 8. H. e. omnib. bonis spolies et ad summam inopiam redigas. Munera autem amatoribus expressa *spolia* vocari, id We. probat cumulatis exemplis scriptorum. *mutil.* „debiles reddas." Eu. *lacer.* Sic Ovid. Her. I, 90. „tuae dilaniantur opes."

9. *Utin'* pro, ut ne. „Apostrophus." Do. *exim. nem. hab.* pro, *neminem* eximam. Subaud. Do.: „Censes, aut vis, aut mones."

10. *scito.* Sic solet doctior qui est ad rem, excitare sequiorem vel rudiorem.

11. *ita paret se ut etc.* Ead. fere constructio Eun. II, 2, 9. *abs te*, ex te.

12. *volupt.* libidin. vener. Sic Plaut. Truc. II, 6, 38.

13. *Hiscine*, amatoribus. *contra insidiab.* H. e. par pari referes; uti Eun. III, 1, 55. „*Insidiari* malum est, sed *contra insidiari* justum." Z.

14. *pol.* Juramentum mulierum inprimis solemne. *eand. esse omnib.* „eod. modo omnes tractare." *omnib.* Bi. explic. „in omnes." Sed pronom. *idem*, Tursellino monente, adsciscit graeco more dativum. Sic it. Cic. Fam. IX, 6. „Erant enim nobis perirati — quod non *idem illi* censuissemus."

15. *Injur. aut. est etc.* „Defendit et haec partem suam, quod asperam meretricem esse desiderat. Dicit enim, non amatores esse, sed *adversarios*, ex hoc quod ad libidin. complendam sine mercede festinant " Eu. *ulcisci advers.* Cf. Ph. V. 8, 69. Quoad sententiam conf. Eun. II, 3, 91. seqq. ubi Chaerea meretricibus idem minatur, quod h. l. Syra amatoribus. „Ceterum recte hoc illa, ut femina, cum vindicta nulli magis delectentur quam feminae, et qui femineos animos gerunt." Far.

16. *qua via*, quo dato. *capt. te.* „Translatum a gladiatoribus, eorumq. disciplina, quum alter alteri insidiatur, ad ictum inferendum." We. Itid. Plaut. Amph. II, 2, 189.

17. *Eh. me mis.* Dolorem exprimit anus deformis, quod huic non poterat de aspera sua persuadere sententia. Nam Bacchis bona inducitur meretrix a Poeta, quum solent aliae esse malignae. Eun. Prol. 37. *cur non aut istaec m. Aetas etc.* Haec mitatus videtur Horatius, Od. IV, 9, 7. 8. „Quae mens est ho-

Aetas et forma est, aut tibi haec sententia?

die, cur ead. non puero fuit? Vel cur his animis incolumes non redeunt genae?"

18. *Aet. et forma*; cf. Andr. I, 1, 45.

---

# ACTUS I. SCENA 2.

## PARMENO. PHILOTIS. SYRA.

*Par.* (*ad Scirtum, person. mutam*) Senex [a]) si quaeret me, modo isse dicito
Ad portum, percontatum adventum Pamphili.
Audin', quid dicam, Scirte [b])? si quaeret me, uti
Tum dicas; si non quaeret, nullus dixeris,
Alias ut uti possim causa hac integra.
Sed videon' ego Philotium? unde haec advenit?

a) V. I. *Laches.* b) Gu. *Scyrthe*, quasi duxerit a σκύρθος. Al. *Syre.* C. G. m. *Syra.* Praefero *Scirte*; ut sit σκιρτὸς salius a σκιρτᾶν.

„In hac scena duae conjecturae sunt: an verae sint nuptiae: et an verisimile sit, abstinere potuisse adolescentem a virgine sibi nuptum tradita." Do.

1. *Senex si qu. me, modo etc.* „Hoc servus dixit, in scenam de proscenio respiciens." Do. *Senex.* Magis expressit consuetudinem, dicendo *Senex*, quam si diceret, dominus major.

2. *ad portum.* Par. add. Piraeum. *adventum*, reditum: cf. v. 96. Redierat enim Pamphilus ab Imbro insula, quo missus fuerat a patre, ad hereditatem cognati petendam.

3. 4. *uti Tum dicas.* Id scilicet, quod modo mandaverat. *uti* pro ut. Plenius, fac *ut. nullus* pro, non vel minime. Andr. II, 2, 33.

5. *Alias*, alio tempore. *causa h. integra.* „Praetextum intelligit et πρόφασιν." We. *Integrum* et in integro esse dicimus, quod adhuc est nostri arbitrii. Ph. I, 3, 22.

6. *Sed vid.* Itid. Mysis in Andr. IV, 5, 5. 6. *Philotium.* Sic blande per diminutiv. compellat. Nam feminea nomina Graecor. neutro genere solent terminari. *unde haec adv.* En causam narrandi!

Philotis, salve multum. *Ph.* o salve, Parmeno.
*Sy.* Salve mecastor [c]), Parmeno. *Par.* et tu aedepol, Syra.
Dic mihi, Philotis [d]), ubi te oblectasti tam diu?
*Ph.* Minume equidem me oblectavi, quae cum milite
Corinthum hinc [e]) sum profecta inhumanissimo.
Biennium ibi perpetuum misera illum tuli.
*Par.* Aedepol te desiderium Athenarum arbitror,
Philotium [f]) cepisse saepe, et te tuum
Consilium contemsisse. *Ph.* non dici potest,
Quam cupida eram huc redeundi [g]), abeundi a milite,
Vosque hic videndi, antiqua ut consuetudine
Agitarem inter vos libere convivium:
Nam illi [h]) haud licebat nisi praefinito [i]) loqui,
Quae illi placerent. *Par.* haud opinor, commode

c) V. I. *per meum Castorem.* d) Mu. *Philoti.* e) V. I. *ab Athenis.* f) Id. *Corinthi cum milite degens quem oderat.* g) L. antiq. *et.* Delevit Fa. ex ratione versus. h) Sic Do. pro *illic.* Ad. I, 2, 36. i) V. I. *tempore.*

7. *salve multum.* Pro *multum* Ad. III, 4, 14. *plurimum.*

8. *Salve mecast.* „Olim salutantes addebant jusjurandum, ut hoc sedulo facere viderentur.“ Do. *me.* „Aut adjectio est *me*, et abundat; aut positum pro *μὰ* syllaba: ut Graeci *μὰ τὸν Ἀπόλλωνα* dicunt.“ Do. Omnino est jusjurandum, *mecastor*, feminis tantum familiare, cum viri, me Hercule, jurant. A. Gell. XI, 6. *et tu aedep. Syra.* „Irrisit ad *mecastor*, addendo, *aedepol.* Et quod illa Parmeno, ille hic addidit Syra.“ Do.

9. *ubi te oblectasti*, facete dict. pro, ubi fuisti. *te oblect.* Cf. Ad. II, 4, 20.

10. *me*, acutius proferend. ac referendum ad *te* v. 9.

11. *Corinth.* Cf. Heaut. I, 1, 44, not. *inhumaniss.* Cf. Ph. III, 2, 24.

12. *illum tuli.* Non, cum illo fui, sed *tuli*: adeo non *me oblectavi.* Infra IV, 3, 4.

13. 14. *te desider. Athenar. cep.* Cf. infra II, 1, 22.

15. *Consil. contemsisse*, te poenituisse profectam. Andr. IV, 3, 18.

17. *antiqua*, pristina. Ad. III, 3, 88.

18. *Agitar.* Plus valet frequentativ. verb. quam si diceret, agerem. *Agitar. conviv.* Cf. Plaut. Asin. V, 1, 7. „hoc *agitemus convivium* vino et sermone suavi.“

19. *praefinito.* Quid suppleatur, aut tempore, aut modo, incertum. Verum Minelli notat, locutionem, *praefinito loqui*, a rhetoribus esse petendam, quae significet, ad legem et regulam i. e. ad amussim praeceptorum rhetoric. loqui. Sed magis placet We. qui monet ejusmodi leges amicae praefinitas inveniri ap. Plaut. Asin. IV, 1.

20. *Quae illi plac.* Cf. Eun. II, 2, 57. Egregie notavit Da.,

Finem statuisse orationi militem.
*Ph.* Sed quid [l]) hoc negoti est? modo quae narravit mihi
Hic intus Bacchis? quod ego nunquam credidi
Fore, ut ille hac viva posset animum inducere
Uxorem habere. *Par.* habere autem? *Ph.* eho tu! an non habet?
*Par.* Habet, sed firmae haec [m]) vereor, ut sint nuptiae.
*Ph.* Ita Di Deaeque faxint, si in rem est Bacchidis.
Sed qui istuc credam ita esse, dic mihi, Parmeno.
*Par.* Non est opus prolato. hoc percontarier
Desiste. *Ph.* nempe ea causa, ut ne id fiat palam.
Ita me Di amabunt [n]), haud propterea te rogo,
Ut hoc proferam, sed ut tacita mecum gaudeam.
*Par.* Nunquam dices tam commode, ut tergum meum

l) In *quid* elidi d, Fa. docet, ut saepe alias. m) Sic Be. Codd. antique pro *hae.* n) L. antiq. *Ita m. D. bene ament.* Abest *bene* a Bemb. Et *amabunt* Fa. ex Do. et metri causa legend. praecepit.

ingenia hominum a Poeta perstringi diversorum, militis scilicet, qui non nisi certis terminis sermonem suum circumscribat, et feminae loquacis, quae omnes modestae orationis fines excedat.

21. *statuisse* pro statuere potuisse *orationi.* Subaudio tuae; quod vero gestu magis exprimitur quam voce. Venuste autem ac honeste *orationi* dixit, ne diceret, loquacitati tuae.

22. *Sed quid hoc etc.* Vid. ad Eun. II, 1, 11. et Ad. IV, 5, 73. „Hic ad argumentum nunc descendit.“ Do.

23. *quod ego nunq. cred.* Hoc cum invidia pronuntiat, quae nuptias habet sibi molestas.

24. *illa viva*; cf. supra I, v. 3. 4. 5.

25. *hab. aut.* Partic. *autem* cf. Eun. III, 2, 22, not.

26. *firmae nupt.* Cf. infra v. 101. Ph. V. 1, 6.

27. *Ita Dii Deaeq. fax.* Cf. Ph. V, 8, 83. *si in rem est*; vid. ad Andr. III, 3, 14.

28. *ita esse* sc. nupt. esse firmas.

29. *Non est op. prolato*, h. e. in vulgus exire non debet. *hoc percont. Desiste.* Infra V, 4, 12. „Incerta distinctio, utrum *prolato hoc*, an *hoc percontarier.*“ Do.

30. *nempe.* Partic. *nempe* usurpari solet in explicatione. *ea causa, ut ne etc.* Cf. Andr. II, 3, 18. 19. Sensum Minelli eruit hunc: Ea nempe tibi metuendi sive celandi causa, ne per me aliis innotescat, quod mihi dixeris.“

32. *proferam*, „prodam, Bacchidi scilicet vel cuilibet.“ Do.

33. *Nunqu. dic. tam. com.* „Quasi ex parte labefactus est: sic enim loquitur.“ Do. *commode*, suaviter, bene. *ut terg. m. Tuam etc.* H. e. vernili sermone pro, *ut*, si tu fidem fallas, ego plectar pendens. „Quando *tergum* maxime in discrimen veniebat.“ We. Et cf. Tibull. I, 9. 21. „et intorto verbere *terga* seca.“

Tuam in fidem committam. *Ph.* ah, noli, Parmeno.
Quasi tu non multo malis narrare hoc mihi,
Quam ego, quae percontor [o]), scire. *Par.* (*ad spectatores*) vera haec praedicat,
Et illuc [p]) mihi vitium est maxumum. fidem mihi
Si das, te tacituram, dicam. *Ph.* (*ad spectatores*) ad ingenium redis [q]).
Fidem do: loquere. *Par.* ausculta. *Ph.* istic sum. *Par.* hanc Bacchidem
Amabat, ut cum maxume, tum Pamphilus,
Cum pater, uxorem ut ducat, orare occipit,
Et haec, communia omnium quae sunt patrum,
Senem sese esse, dicere, illum autem esse [r]) unicum;
Praesidium velle se senectuti suae.
Ille primo se negare; sed postquam acrius
Pater instat, fecit, animi ut incertus foret,
Pudorin', anne amori [s]) obsequeretur magis.

o) In l. antiq. *perconter.* p) L. antiq. *illud.* q) V. I. *quia non potes tacere.* r) Abest *esse* hoc posterius a l. Bemb. prius illud a C. G. m. s) V. I. *voluptati meretriciae.*

34. *Tuam in fid. com.* Cf. Prol. II, 45. ubi serio, hic jocose. *ah, noli*, sc. dicere hoc.

35. *Quasi tu non multo etc.* Sensus: Mavis tu dicere quam ego percontari. „Et nunc Philotis non est instantior hac calliditate, ut magis servum ad dicendum provocet.“ Do. *haec*, sc. Philotis.

37. *vitium maxim.* „Servile vitium est, tacere non posse.“ Do. Eun. I, 2, 20. 21.

38. *te tacitur.* Eun. I, 2, 21. *ad ingen. red.* Cf. Ad. I, 1, 46, not.

39. *istic sum*; cf. Heaut. V, 2, 30, not. *hanc Bacch.* δεικτικῶς. Quae modo ipsa erat locuta *intus*, v. 23.

40. *Amab.* Sic incipit, ut simul defensionem tangat adolescentis, necessitate coacti. *ut cum max.* sc. amaret, „ut in tempore, quo amor in summum crevit.“ Bi. Andr. V, 1, 4. Et Cic. ad Q. fr. II, ep. 8. „Domus celebratur, *ut cum maxime*.“ Sensus h. l.: Nunquam magis, quam tum, amaverat, *cum pater etc.*

42. *haec comm. omnium etc.* Cf. Ad. V, 8, 30. *quae sunt p.* Cf. Heaut. I, 1, 49. *dicere* pro dicit.

44. *Praesid.* i. e. auxilium. Sic Tacit. An. I, 3. „Ceterum Augustus *subsidia* dominationi Claudium Marcellum, sororis filium etc.“

45. *Ille se negare.* Plenius: *Ille se* ducturum uxorem negabat.

46. *Pat. instat*; cf. Andr. I, 1, 120. *animi incertus.* Itid. fere, *animi pendens*; cf. Heaut. IV, 4, 5.

47. *Pudorine anne amori etc.* „Solent haec sibi invicem opponi in amantibus.“ We. Andr. I, 5, 26. 27. Et infra III, 4, 34.

Tundendo [t]) atque odio denique effecit senex:
Despondit ei gnatam huius vicini proximi.
Usque illud visum est Pamphilo neutiquam [u]) grave;
Donec jam in ipsis nuptiis, postquam videt
Paratas; nec moram ullam, quin ducat, dari [x]).
Ibi demum ita aegre tulit, ut ipsam Bacchidem,
Si adesset, credo, ibi ejus commiseresceret.
Ubicunque datum erat spatium solitudinis,
Ut colloqui mecum una posset: „Parmeno,
Perii, quid ego egi? in quod me conjeci malum?

t) Id. *arguendo.* u) Be. ex uno C. *ne utiq.* divisim, prima correpta. Eod. modo in C. G. m. scriptum. Andr. II, 1, 30. x) V. I. *a patre.*

48. *Tundendo*; cf. Ad. III, 2, 21. Sed id. valet quod *obtundere*; cf. Ad. I, 2, 33. not. *odio*; cf. Ph. V, 6, 9. Hac voce exprimitur omne quod molestum est. Ad. V, 4, 17. H. I. pertinacia instandi odiosa s. molesta. *effecit*, absolute; subaudi, quod voluerat.

49. *Despond. ei gnat.* Ad. IV, 7, 16. 17. Et Liv. I, 39. „*filiamq. et suam* rex *despondit.*" Vid. ad Andr. I, 1, 75. *huius.* Par. in marg. „Phidippi." *proximi.* Nota proximas sibi invicem familias in fabulis Terentii plerumque induci.

50. *Usque.* Conjunctio *usque* cum *donec* latine non inusitatum est. Cic. Verr. I. 6. Ter. Andr. IV, 6, 6. *neutiquam* Do. explic. „non minus."

51. *jam in ips. nupt.* pro, ipso nuptiarum die. Similiter Nep. Milt. 7. „Quum *jam* in eo esset, ut oppido potiretur." Post haec verba vulgo distinctionem ponunt maximam. Nisi potius putemus, *donec* partim ad praecedentia partim ad sequentia referri debere.

52. *Paratas*; cf. Andr. II, 2, 4. *ducat*, uxorem. Ellipsis frequens.

53. *Ibi demum*, non prius. *ipsam.* Nota quae accusatrix est.

54. *commiseresc.* Vim hujus verbi ex disciplina meretricum animadvertas, siquid. anus illa admonuerat dicens, „*ne te cujusq.* viri *misereat*," supra I, 1, 7. Hoc verb. Schellerus putat impersonaliter positum, Minelli vero personaliter; qui ob id nominativo favet, quasi diceretur: „Quod ipsa Bacchis etc." Sed equid. facio cum Schellero, ita ut *ipsam Bacch. commiseresc.* intelligi ducam pro *ipsam Bacch.* misereret.

55. *spat. solitud.* „Facultas habendi me solum." We. Infra III, 3, 14.

56. *Parmeno.* „Moraliter, et autonomasiace nomen repetit. Et significanter fecit non addendo dicebat, et in *μιμητικὸν* a *διηγηματικῷ* transeundo." Do.

57. *in quod me conj. mal.* Cf. Andr. III, 4, 23. Quae locutio it. Graecorum est, ut Aristoph. N. 1462. *Ἕως ἂν αὐτὸν ἐμβαλωμεν ἐς κακόν.* Sed *in malum* significat, in nuptias. Itid. Andr. IV, 3, 27.

Non potero ferre hoc, Parmeno. perii miser!"
*Ph.* At te Di Deaeque[y]) cum tuo istoc[z]) odio, Laches.
*Par.* Ut ad pauca redeam, uxorem deducit domum.
Nocte illa prima virginem non attigit.
Quae consecuta est nox eam, nihilo magis.
*Ph.* Quid ais? cum virgine una adolescens cubuerit
Plus potus[a]), sese illa abstinere ut potuerit?
Non verisimile dicis, nec verum arbitror.
*Par.* Credo ita videri tibi. nam nemo ad te venit
Nisi cupiens tui; ille invitus illam duxerat.
*Ph.* Quid deinde fit? *Par.* diebus sane pauculis
Post, Pamphilus me solum seducit foras,
Narratque, ut virgo ab se integra etiam tum siet,
Seque ante, quam eam uxorem duxisset domum,

y) Vulg. *perduint.* Al. *perdant.* Sed horum utrumq. non habent pleriq. Donati s. Codd. z) L. Bemb. *isto.* a) C. G. m. et Bru. C. e. *potis* perperam.

58. *Non pot. ferre etc.* Conf. huic nostro ille Pamphilus in simili re, Andr. V, 5, 27.

59. *At te etc.* Imprecatio est in absentem. *cum tuo istoc odio.* Itid. Heaut. IV, 6, 7. *odio*; cf. v. 48. Add. Hor. Sat. I, 7, 6. „Durus homo, atque *odio* qui posset vincere Regem."

60. *Ut ad pauca red.* pro: Quid verbis opus est? Ph. IV, 3, 43. *ux. ded. dom.* Cf. Ad. IV, 5, 60. *Deduci* enim proprie dicebatur nuptura virgo ad maritum. Tibull. III, 4, 31. Sic est Gr. *γυναῖκα ποτὶ οἶκον ἄγεσθαι.*

61. *Nocte illa etc.* „Affectum ostendit Pamphili Bacchidem amantis." Eu.

63. *Quid ais?* cum maxima admiratione. *cum virg. cub.* Cf. Ad. V, 3, 65.

64. *Plus potus*; cf. Heaut. II, 1, 8. Plenior locutio *Plus* solito *potus.* Eun. IV, 5, 6, ubi nota.

65. *nec ver. arbitr.* Verb. *arbitror* ponitur absque infinitivo esse, uti Nep. Attic. 15, 1.

66. *Credo, ita vid. tibi: nam etc.* „Magno compendio usus est, nam ex ejus persona refellitur, quod objicit." Do.

67. *cupiens tui.* Particip. *cupiens*, ut cupidus, cum genitivo nominis vel verbi constructum; it. Gell. V, 10. „*cupiens* orandi."

68. *Quid d. fit?* Itid. Ph. I, 2, 71.

69. *me solum seduc. f.* Haec ex Naevio expressa videntur, in cujus Praecone: „te pater *solum foras seduxi.*" Itid. Phaedr. III, 10, 11. „*seductus* in secretum."

70. *Virgo ab se integ.* Sic Plaut. Curc. I, 1, 51. „Tam *a me* pudica est, quasi soror mea sit." Et Catull. 62, 56. „*integrae* virgines, i. e. intactae, inviolatae."

71. *Seque ante quam etc.* „Bonus color purgationis: diceretur enim, Quare, si illam odio habebat, ducebat uxorem?" Do.

Sperasse, eas tolerare posse nuptias.
„Sed quam [b]) decrerim [c]), me non posse diutius
Habere, eam ludibrio haberi, Parmeno,
Quin integram itidem reddam, ut accepi ab suis,
Neque honestum mihi, neque utile ipsi virgini est.“
*Ph.* Pium ac pudicum ingenium narras Pamphili.
*Par.* „Hoc ego [d]) proferre [e]), incommodum mi esse arbitror;
Reddi autem patri, cui tu nil dicas vitii [f]),
Superbum est, sed illam spero, ubi cognoverit,
Non posse se mecum esse, abituram denique.“
*Ph.* Quid? interea [g]) ibatne ad Bacchidem? *Par.* quotidie.
Sed, ut fit, postquam hunc alienum ab sese videt,
Maligna multo et magis procax [h]) facta ilico est.

b) V. I. *Philumenam.* c) C. G. m. *decreverim.* d) V. I. *redit ad verba Pamphili.* e) C. G. m. et Hal. explic. *publicare.* f) C. G. m. sup. script. *eam habere.* g) Distinctionem Bothii sequor mihi veriorem. Vulgo *Quid interea?* minus commode. h) V. I. *dura.*

72. *tolerare posse nupt.* Hoc consentit cum super. v. 50. *Tolerare*, „verb. est male patientis.“ Do.

73. *Sed quam decrerim.* Sequitur constructio directa obliquam; quae quidem Terentii est elegantia sermonis. Verb. *decernere* est existimare, judicare; vid. Drakenb. ad Liv. II, 26. *quam.* Pronomen est.

74. *eam ludibrio haberi.* „Ejus pudori illudere vitio.“ We. Et Do. haec: „Honesto verbo et pudoris pleno usus est, et nove pro vitiari.“ Itid. Graecis est ὑβρίζειν, ἐμπαίζειν.

75. *Quin*, quo minus; cf. v. 52. *redd. ut acc. ab suis.* Sic it. Thais in Eun. I, 2, 66. 67.

77. *Pium ac pudic. ing.* „Erga meretricem *pium*, *pudicum* erga virginem.“ Do. *ingen. narras*; cf. Ad. III, 3, 44. et Andr. I, 3, 8.

78. *incommod. mihi.* Explic. We.: „Ob rumorem sinistrum et iram patris.“ *reddi* sc. uxorem. Infra IV, 1, 41. *cui tu nih. dic. vitii.* Dicere aliquid alicui pro, insimulare aliquem alicujus sceleris. Haec significatio probatur ex Plaut. Asin. V, 2, 48. „dotatae *uxori vitium dicere.*“

80. *Superb. est.* Eod. fere sensu Cic. Fam. I, 11. „— partim te *superbum* esse dicunt, quod nihil respondeas; partim contumeliosum, quod male —“

81. *abitur deniq.* „Denique moram significat, et postremam tarditatem etc.“ Do.

83. *Sed ut fit.* Cf. Ad. I, 1, 30. *alien. ab sese*; cf. IV, 4, 56. „*alienum* i. e. maritum: nam hoc nomen a meretricibus alienum est.“ Do.

84. *Maligna multo.* „Malignus est, qui difficultatem sui osten-

*Ph.* Non aedepol [i]) mirum. *Par.* atque [l]) ea res multo maxume
Disjunxit illum ab illa [m]); postquam et ipse se
Et illam, et hanc [n]) quae domi erat, cognovit satis,
Ad exemplum [o]) ambarum mores earum existumans.
Haec, ita uti liberali esse ingenio decet,
Pudens, modesta; incommoda atque injurias
Viri omnis ferre [p]), et tegere [q]) contumelias.
Hic, animus partim uxoris misericordia
Devinctus [r]), partim victus huius injuria [s]),
Paulatim elapsu 'st Bacchidi, atque huc [t]) transtulit
Amorem, postquam par ingenium nactus est.
Interea in Imbro moritur cognatus senex
Horunc [u]). ad hos ea rediit [x]) lege hereditas.

i) Al. *aepol.* l) Do. leg. *atqui*, quod explicat, immo. m) V. I. *Bacchide.* n) Id. *Philumenam.* o) Be. cum Gu. pro *exemp.* ejecto recep. *amussim*, normam. Sic Plaut. Mil. III, 3, 37. p) q) C. G. m. explic. p) *ferebat* q) *tegebat.* r) Al. *Devict.* s) Fa. *injuriis* ex quibusd. mss. t) C. G. m. *huic* c. gl. *Pamphilae.* u) Var. *Horunce. Horumce.* L. antiq. *Horum*, contra legg. senarii. x) Sic Be. Al. *redib.* Al. *rediebat.*

dit." Do. Hinc infit, We. monente, praeparatio Poetae ad mores Bacchidis insinuandos et ad jurisjurandi praestationem, quam facit in fine comoediae. *procax*; cf. Heaut. II, 1, 15. *Non mirum*; cf. Heaut. II, 3, 4. „Obtinuit quod volebat Parmeno: nam credidit Philotis injuriam factam Pamphilo." Do.

88. *Ad exempl.* „Quasi ad imaginem et collationem et speciem comparationis." Do. Andr. IV, 1, 27. *existim.* „Mores eorum comparans et de utriusq. morib. ex hac comparatione judicans." Min.

89. *ita uti decet*; cf. infra II, 2, 10. *liberali ingen.* Cf. Ad. IV, 5, 50.

90. *Prudens, modesta.* „Haec contra vitia meretricis posuit." Do. Heaut. I, 1, 68. Bene Parmeno alterum membrum comparationis omittit, ne meretricem, absentem insectando, praesentem laedat.

92. *Hic*, eleganter pro, tunc. Sic Phaedr. I, 11, 5. *animus.* „Oratorie dixit: non enim Pamphilum dixit, sed *animum* Pamphili." Do.

94. 95. *huc transtul. Amor.*, i. e. hanc coepit amare. Cic. Phil. II, 31. „omnem *amorem* abjecisse illinc atque in hanc transfudisse."

95. *par ingen.* De Pamphili ingenio v. supra v. 77, de Philumenae 89. 90.

96. *in Imbro.* *Imbrus* insula est juxta Thraciam sita.

97. *Horunc.* Do. *Horum* legit et explicat: „*maluit horum* quam dominorum dicere." *ad hos ea red. lege heredit.* „Verbo

Eo amantem invitum Pamphilum extrudit pater.
Reliquit [y]) hic cum matre uxorem: nam senex
Rus abdidit se [z]). huc raro in urbem commeat.
*Ph.* Quid adhuc habent infirmitatis nuptiae?
*Par.* Nunc audies. primo [a]) hos dies complusculos
Bene conveniebat sane inter eas [b]). interim
Miris modis odisse coepit [c]) Sostratam;
Neque lites ullae inter eas [d]), postulatio
Nunquam. *Ph.* quid igitur? *Par.* si quando ad eam accesserat
Confabulatum, fugere [e]) e conspectu ilico,
Videre nolle [f]). denique, ubi non quit [g]) pati,
Simulat se ad matrem [h]) arcessi ad rem divinam. abiit.
Ubi illic dies est complures, arcessi jubet.

y) Codd. Be. *Reliquit.* z) Be. Codd. et C. G. m. *sese.* a) In l. Bemb. *primos* dicitur fuisse, postea, s deleto, remansisse *primo.* b) V. I. *inter matrem Pamphili et ejus uxorem.* c) V. I. *Philumena.* d) Id. *erant.* e) Id. *fugiebat.* f) Id. *nolebat* sc. Philumena. g) Al. *quivit.* h) Al. *a matre.*

juris usus est: ea enim legitima est hereditas, quae familiae debebatur." Do. Andr. IV, 5, 4. Et Par.: „Quando ab intestato illis obvenit."

98. *amantem.* „Modo jam uxorem: non enim amicam." Do. *invit. extrud.* Utrumq. simul fere hyperbolice dictum.

99. *cum matre*, i. e. apud matrem. *senex Rus abd. se.* Sic Cic. Fam. XIII, 29. „*Abdidit* se in intimam Macedoniam." Videtur enim hic *senex* amore *ruris* teneri, quemadmod. Laches in Eun. V, 5. propinquum rus suum laudans.

101. *Quid infirmit. nupt.* Cf. v. 26. *infirmitatis* pro, instabilitatis. „In hac interrogatione quasi stomachatur Philotis decepta, quod nihil videat infirmitatis in nuptiis, quod optaverat." Do.

103. *convenieb. inter eas.* Itid. fere Liv. 2, 25. „non modo *inter* Patres, sed ne *inter* Conss. quid. ipsos satis *conveniebat.*" *sane*, „valde. Quia qui sanus, idem et validus." Do.

104. *Miris mod.* „Mire ad finem Comoediae rerum explanatio reservatur." Do. *odisse.* Par. in marg.: „Uti credit Parmeno, nesciens simulari odium ad celandum partum."

105. *postulatio*, i. q. expostulatio; sic certe Plaut. Bacch. III, 3, 45. interprete Taubm. Sed Do. subtilius more suo definit, expostulationem esse apud ill. ipsum qui peccaverit: *postulationem* de illo ap. alterum.

107. *fug. e consp.* „Recte e *conspectu* utpote quae caveret gravida intelligi." Do.

109. *ad rem divinam*; cf. Eun. III, 3, 7, not.

110. *jubet.* Sostrata scilicet.

Dixere causam tum [i] nescio quam. iterum jubet.
Nemo remisit. postquam arcessit [l] saepius,
Aegram esse simulant mulierem. nostra ilico
It visere ad eam. admisit nemo [m]. hoc ubi senex
Rescivit, heri ea causa rure huc advenit,
Patrem continuo convenit Philumenae.
Quid egerint inter se, nondum etiam scio;
Nisi sane curae [n] est, quorsum eventurum hoc siet.
Habes omnem rem [o]. pergam quo coepi hoc iter.
*Ph.* Et quidem ego: nam constitui cum quodam hospite

i) Sic in l. antiq. In Be. Codd. *tunc.* Nota vers. hunc, We. teste, a ms. Lips. abesse. l) Al. *accersunt.* Al. *accersivit.* Andr. I, 5, 64. m) V. I. *eam intus.* n) Quid. Cod. *mihi.* In al. vidit We. *curae scire mihi est.* o) V. I. *auditam.*

111. *Dix. caus. Dixere*, simulavere. Haecce locutio, *dicere causam*, sensu differt ab illa, *causam dicere quin*, Ph. II, 1, 42. nec non ab ista Eun. Prol. 10 obvia in foro. *nescio quam.* „Nullius momenti s. falsam." Bi. *iter. jub.* sc. arcessi.

112. *Nemo remisit.* Scilicet in domo matris ad Sostratam. „Hic jam apertius odium videtur, ubi nec jam fingitur causa." Do. *arcessit.* Idem valet, quod *arcessi jubet*; cf. v. 110. Nam constat quaed. verba, quae gravida grammatici dicant, significationem τοῦ jubere vel curare in se habere, non quidem expressam. Sic Cic. Fin. V, 23. „Man. Torquatus securi filium *percussit*," pro, percuti jussit.

113. *simulant.* Myrrhina inprimis. *nostra*; cf. Heaut. IV, 1, 47.

114. *It visere.* Infra II, 1, 40. III, 2, 4. 6. *visere*, infinitivus pro supino, visum. Itid. Virgil. A. I, 531 — 32. „populare Penates Venimus." Explic. Do. *visere*, officii est; videre quaerentis. *ubi senex Resciv.* De verbo *resciscere* v. Gell. II, 19.

116. *Patr. conv.* Cf. Eun. III, 2, 14.

117. *Quid egerint inter se.* Quae plura hujusmodi sint, post scenam transacta finguntur. Andr. V, 6, fin. *nond. etiam.* „Recte servavit reliquis partibus Fabulae pendulum et attentum spectatorem." Do. *etiam*, abundat.

118. *quors. eventur.* Cf. Andr. I, 5, 29.

119. *Hab. omnem rem.* „Quasi dicat, quam audire expetisti." Do. *perg. quo coepi h. it.* Scilicet *ad portum*; cf. supra v. 2.

120. *Et quid. ego* sc. pergam. *nam cum quod. hosp.* Par. in marg. „Indixi illi horam ad eutus mei." Eun. I, 2, 125. Add. Liv. 38, 25. „Tempus in posterum diem *constituitur.*"

Me esse illum conventuram. *Par.* Di vortant bene,
Quod [p]) agas. *Ph.* vale. *Par.* et tu bene vale, Philotium.

p) C. G. m. *Quid* vitiose.

121. 122. *Dii vert. bene Quod ag.* „Saepe enim res eveniunt aliter quam volumus; et ideo Vertumnus colitur, qui praeest rebus vertentibus.“ Do. Ad. IV, 7, 10. *vale.* Sic solent apud Plaut. non abeuntes, sed venientes, et quidem plurib. locis, „*vale* atque salve.“ Gr. χαῖρε.

---

# ACTUS II. SCENA I.

## LACHES. SOSTRATA.

*L.* Pro Deum atque hominum fidem! quod hoc genus est? quae [a]) haec est conjuratio?
Utin' [b]) omnes mulieres eadem aeque studeant, nolintque [c]) omnia?

a) In Codd. aliquot *et quae*, pro quo Bo. ed. *ecquae*, unum pro altero valere existimans. Sed non tam quaestio est de utriusq. significatione aequali, quam de eo, utrum eorum scripserit Poeta. b) Sic l. Bemb. In antiq. *Ut.* c) C. G. m. *velintque* mire. Id. in marg. al. *nolint.*

„In hac scena accusatio socrus est: quae se conjecturaliter defendit, dicens nihil a se factum in perniciem nurus.“ Do.

1. *Pro Deum atqu. hom. fid.* Andr. I, 5, 2. „Ἐμπαθῶς ab exclamatione coepta scena est.“ Do. *Pro*, interjectio indignantis et admirantis, quam et adjecta adspiratione quidam scribunt *Proh.* Praeter accusativ. etiam vocativo praeponitur. Eun. III, 5. 2. Et Cic. Phil. II, 13. *quod h. gen. est? quae haec etc.* „Videtur dictum per ἓν διά δυοῖν pro, quod hoc genus est conjurationis?“ We. Plaut. Rud. V, 3, 15. „*quae haec* factio?“ sc. hominum. *Ut. omn. mulieres etc.* „Exclamatio senilis in mulierum morositatem. Estque id exordium orationis.“ *studeant.* Eun. Prol. I. 28. „Majoris operis est *studere* quam velle.“ Do. Verb. *studere* junxit cum quarto casu, ut et Cicero aliquoties, et tunc significat cupere, velle. Cic. Phil. VI, 18. „Unum sentitis, *unum studetis.*“ Vid. Danz ad Plaut. Mil. fin.

Neque declinatam quicquam ab aliarum ingenio ullam reperias?
Itaque adeo uno animo omnes socrus oderunt nurus [d]).
Viris esse advorsas, aeque studium est, similis pertinacia 'st.
In eodemque omnes mihi videntur ludo doctae ad malitiam; et
Ei ludo, si ullus est, magistram hanc esse satis certo scio.
*So.* Me miseram! quae nunc, quamobrem accuser, nescio. *L.* hem!
Tu nescis? *So.* ita [e]) me Di ament, mi Laches!
Itaque una inter nos agere aetatem liceat. *L.* Di mala prohibeant!

d) Hunc v. Be. ponit in adulterinis. Inter crimina autem est ejus ambiguitas. Sed ipsa haec ambiguitas reddit mihi illum venustum. Atque hoc ambiguum, quod versui inest, jam olim S. Hieronymus a Donato praeceptore inde laudatum in commodum suum adversus Govinianum adfert. Accedit quod in exemplo, quo quidem ego Editionis Lindenbr. utor, manu adscripta haec sunt: „Nam et *socrus* casus recti esse potest, *nurus* causativi: et contra.“ e) Vulgo *non*, ex omnium fere consensu. Be. tamen delenti assentior. Nam responsio, quae per *non* efferatur, interrogationi, *Tu nescis?* latine non congruet. Atque We. *τὸ non* in suis mss. non vidit.

3. *Neq. declin. q. ab al. etc.* Sic Menander: „*Γυνὴ γυναικὸς πώποτ᾽ οὐδὲν διαφέρει.* Nihil unquam differt mulier a muliere.“ *declinat.* flexam, diversam. *quicq.* i. e. in aliqua re. *reper.* Cf. infra III, 1, 8. et supra I, 1.

4. *socrus oderunt nurus.* Consulto ambigue extulit Terentius. Par. not.: „Nempe Sostrata odit Philumenam.“ Infra III, 4, 3.

5. *Viris esse advers.* Cf. Heaut. V, 3, 5. *aeque stud.* „Ita dixit pro aequale, uti mox, *similis pertinacia.*“ We. Et Par. notat: „Solent adverbia passim pro adjectivis poni, praesertim ap. Plautum.“ Sensus: Similes sunt omnium omnes.

6. *In eod. ludo etc.* „In ead. schola vel eod. gymnasio.“ Min. Sumitur a ludo sive gladiatorio sive literatio; vid. Torrent. ad Sueton. Caes. 26. *doct. ad malit.* Cic. p. Mil. 4. „*ad quam legem non docti*, sed facti sumus.“

7. *Ei ludo magistr.* „Acumen in eo consistit: Ludum habere dicuntur lanistae et scholarum magistri.“ We. *hanc*, Sostratam.

9. *ita me Dii etc.* Maximopere enim Deos ipsos testans affirmat, se nescire. Subaudiendum enim est, nescio.

10. *Itaque* pro, Et ita. *Itaq. una int. nos etc.* Juramentum hoc plenius, Cic. Attic. I, 15. „Jurat, *ita* sibi parentis honores consequi *liceat.*“ *Dii mala prohib.* Cf. Andr. III, 3, 36, not.

*So.* Meque abs te immerito esse accusatam, postmodo [f]) rescisces. *L.* scio.
Te immerito? an quicquam pro istis factis dignum te dici potest?
Quae me et te et familiam [g]) dedecoras, filio luctum paras.
Tum autem, ex amicis inimici ut sint nobis adfines, facis.
Qui illum decrerunt [h]) dignum, suos cui liberos committerent.
Tu sola exorere [i]), quae perturbes haec, tua impudentia [l]).
*So.* Egone? *L.* tu, inquam, mulier, quae me omnino lapidem, non hominem putas.
An, quia ruri esse crebro soleo, nescire [m]) arbitramini,

f) Al. *postmodum.* g) L. Bemb. *omnem.* Quod Be. utpote metro incommodum exstinxit. h) C. G. m. *decreverunt.* Sed cf. I, 2, 73. i) C. G. m. expl. *exoreris a nobis.* Var. ap. We. *exhorrere. exorrere. exhorrore.* l) Sic vulg. recte, de mulierib. At Be. ex libb. s. *inprudentia.* Non placet. m) C. G. m. *me.* Glossam sapit.

11. *postm. resciscs.* Formulam hanc esse Do. putat juridicam: „in qua aliquid promittimus judicibus nos probaturos, quum metuimus, ne quid illis temere persuasum sit." *scio*, ironice, ut Andr. III, 1, 11. et IV, 1, 54.

12. *an quisq. pro istis etc.* Nota, infinitivum passiv. *dici* in usu esse, quo magnitudo rei ostendatur. Supra I, 2, 15. *pro istis fact.* Scilicet pro his quae suspicatur esse in nurum admissa.

13. *Quae et me et te etc.* Haec omnia cum gravi exaggeratione recensentur.

14. *ex amicis inimici ut sint etc.* Itid. fere Caes. B. G. III, 104. „plerumq. in calamitate *ex amicis inimici existunt.*" Ead. constructio Andr. I, 1, 10. *adfin.* sc. Phidippus, Myrrhina.

15. *liberos*; cf Andr. V, 3, 20, not. Unicam filiam subandit. *committ.* „Proprie, quia feminae in manus et potestat. viri tradebantur." We. Andr. I, 5, 6. 7.

16. *Tu sola exorere*, pro emergis, reperiris. Verb. *oriri* h. l. impudentiam notat, ut Cic. pro Dejot. 1. *Exortus est* servus qui etc. item de magnis dicitur, ut de sole vulgo. Declinatur, orior, orēris et orīris, media semper producta; vid. Fab. Thes. *quae perturb. haec*; cf. Andr. III, 4, 22.

17. *tu, inquam, mul.* Cf. Heaut. I, 1, 39. *mulier*, convicium solemne in sequiorem sexum. *lapidem.* Significat stupidum hominem et bardum. Infra IV, 1, 9. Et Plaut. Mil. glor. II, 2, 81 „Neq. habet plus sapientiae quam *lapis.*" Ergo ponitur lapis pro homine, qui nihil sentit.

18. *quia ruri esse creb. soleo.* Convenit cum superiori, *Rus abdidit se*, I, 1, 100.

Quo quisque pacto hic vitam vestrorum [n]) exigat?
Multo melius hic [o]) quae fiunt, quam illic ubi sum assidue, scio.
Ideo, quia, ut vos mihi domi eritis, proinde ego ero fama foris.
Jampridem equidem audivi, cepisse odium tui Philumenam;
Minimeque adeo mirum, et, ni id fecisset, magis mirum foret.
Sed non credidi adeo, ut etiam totam hanc odisset domum.
Quod si scissem, illa hic maneret potius, ut hinc isses foras.
At vide, quam immerito aegritudo haec oritur mi abs te, Sostrata.
Rus habitatum abii, concedens vobis et rei [p]) serviens,
Sumtus vestros otiumque ut nostra res posset pati,

n) Sic l. antiq. In Bemb. est *vestrar.* Sed melius est *vestror.*, ut tam mares quam feminae significentur. o) V. I. *in hac domo.* p) Id. *substantiae nostrae congregandae.* Ad. V, 3, 40.

19. *vestror.* „pro vestrum, sic veteres.“ Do.

20. *Multo melius hic etc.* Hoc fere modo Demea in Ad. III, 3, 43.

21. *Ideo quia ut vos etc.* „Idcirco diligenter et caute vestram vitam in urbe commorantium rogo atque pertracto, *quia proinde ut vos domi eritis*, ita me opinio et fama populi sermone celebrabit.“ Eu. Notand. est τὸ *mihi*; quia commoditas familiae ad dominum redundatura est. *ego ero fama*, uti infra IV, 3, 14. 15. *foris*, h. e. ruris, ubi ipse habitat.

22. *cepisse od. t. Phil.* Cf. sup. I, 2, 13. *tui.* Hic genitiv. passive significat.

23. *Minimeq. ad. mirum.* „Satis amare dicit in uxorem: simul excusat nurum, quae oderit talem socrum.“ Do.

24. *Sed non cred. adeo.* Do. subaud.: „Osuram fuisse.“

25. *tu hinc isses foras.* Minatur formulam divortii: „*Exi foras*, mulier.“ Martial. XI, 104, 1. Itid. Juvenal. Sat. VI, 145. „Collige sarcinulas — et exi. Jam gravis es nobis.“

26. *At vide quam immerito etc.* „Moraliter post acrem invectionem se ipsum miseratur.“ Do. Sic Andr. V, 2, 28. *oritur*; cf. v. 16. not.

27. *conced.* pro cedens s. locum dans *vobis.* Sic Liv. II, 47. *rei serv.* Plaut. Truc. II, 3, 21. „Ut *rei servire* suave est.“

28. *Sumt. vestr. otiumq. ut etc. Sumt. pati*, uti sufferre, tolerare; cf. Heaut. III, 1, 44. *otiumq.* „H. e. amorem, quasi nihil agentibus.“ Do. *nostra res*; cf. Heaut. V, 1, 67, not. Par. explic. „nostrae facultates.“ Hor. ep. I, 18, 28. 29.

Meo labori haud parcens, praeter aequum atque aetatem meam.
Non te pro his curasse [q]) rebus, ne quid aegre esset mihi?
*So.* Non mea opera, neque pol culpa evenit [r]). *L.* immo maxume.
Sola hic fuisti: in te omnis haeret culpa sola, Sostrata.
Quae hic erant, curares [s]); cum ego vos solvi [t]) curis ceteris [u]).
Cum puella anum suscepisse inimicitias non pudet?
Illius dices culpa factum. *So.* haud equidem dico, mi Laches.
*L.* Gaudeo, ita me Di ament, gnati causa: nam de te quidem,

q) C. G. m. gl. *decuit.* r) Ed. an. 1469. ap. We. *venit.* Supra hanc lect. var. cf. Drakenb. ad Liv. IX, 12. s) Al. repet. *sola.* t) Al. inger. *a curis.* u) V. I. *in victu et vestitu.*

29. *Meo labori haud parc.* Sic it. senex in Heaut. I, 1, 38. 39. *praet. aeq. atq. aetat.* Cf. Ad. I, 1, 39.

30. *Non te curasse.* Vid. ad Andr. IV, 5, 1. Sensus: Nonne te oportuit, dum ego tantos labores sustinerem, *curare* saltem, *ne quid aegre etc.* h. e. *ne quid* mihi doleret. *ne q. aegre esset mihi.* Haec constructio, *aegre mihi*, tibi etc. *est*, saepe occurrit apud Terent. Ead. syntaxi est, Liv. 4, 50 aperte est. „Itaque cum fremitus aperte esset."

31. *Non mea op. neq. p. culpa etc.* Explic. Do. ut solet acute: „Vellet dicere: Nurus culpa evenit; sed melius dixit: *Non mea*, ne accusando confirmaret, quod dixit senex, *omnes socrus etc.* v. 4. *opera* differt a *culpa*, Do. docente, hoc modo, ut illa scientis sit, hoc nescientis. *immo maxime*, corrigentis vel potius refutantis fortiter.

32. *Sola hic fuisti* sc. cum nuru, nempe marito ac filio absentibus. *in te o. haeret culpa.* Eun. V, 8, 25. Et Curt. 9, 5, „in Aristono spes ultima *haerebat.*"

33. *Quae h. erant.* Res domesticas significat, quae curae debent esse matri familias. *hic*, in urbe; cum ipse contra ruris est; cf. supra v. 27. *curis cet.* Dicit *curis*, quia modo *curares* dixit.

34. *Cum puella. Puellae* dicuntur feminae adolescentiores etiam nuptae. Sic Virg. B. VI, 47. Et sic Pamphilus jam maritus *adolescens* dicitur infra IV, 3, 15.

35. *Ill. dic. culp. fact.* „Praevenit defensionem: et eam sic pronuntiavit ut crimen." Do. *mi Lacch.* „Non blandientis est, sed quasi gravissimum accusatorem arguentis." Do.

36. *Gaud. gnati causa.* Quod is scilicet eam habeat uxorem, quam nec inimica socrus accusare possit.

Satis scio, peccando detrimenti nil fieri potest.
*So.* Qui scis, an ea causa, mi vir, me odisse [x]) assimulaverit,
Ut cum matre plus una [y]) esset? *L.* quid ais? non signi hic [z]) sat est,
Quod heri nemo voluit visentem ad eam te intro admittere [a])?
*So.* Enim [b]) lassam oppido tum esse aibant [c]); eo ad eam non admissa sum.
*L.* Tuos esse ego [d]) illi mores morbum magis, quam ullam aliam rem arbitror:
Et merito adeo; nam vostrarum [e]) nulla est, quin gnatum velit
Ducere uxorem, et quae vobis placita est conditio, datur.
Ubi duxere [f]) impulsu vestro, vestro impulsu easdem exigunt [g]).

x) Ms. Reg. ap. Lindenbr. *se.* y) L. antiq. colloc. *una plus.* z) Abest *hoc* a l. antiq. a) Al. *intromitt.* b) *Enim.* Solet hac particula Plautus in initio sententiae uti, etiam Liv. 23, 45. ubi Stroth. Praeterea ita est in Cod. Guelf. I. aliisq. c) *aibant* vel *ajebant* dissyllabon est. d) Abest *ego* ab nonnull. male. Nam Comico nostro pronomen ante pronom. familiare est. Ad. V, 8, fin. e) V. I. mulierum. f) Id. *filii uxores.* g) C. G. m. sup. script. *uxores expellunt.*

37. *pecc. detrim. nil etc.* Gu. subaudiend. putat, tibi, et explicandum: „Jam talis es, ut peccando pejor fieri non possis."

39. *plus.* Par. „diutius, amplius." Quo injustior est ex aegritudine accusator, eo patientius illum fert, miro exemplo, ut ad aequius judicandam rem abducat hominem." Bi.

40. *Quod h. nemo etc.* Cf. supra I, 2, 114.

41. *lassam*, aegrotam.

43. *Et merito adeo* sc. arbitror. Hanc formulam esse, ut Ru. autumat, id aegre ex Propert. I, 17. exemplo uno probabitur.

44. *placita est conditio*; cf. Prol. II, 13. *conditio*, matrimonium, uxor. Sueton. Galb. 5.: „Remansit in coelibatu; neque sollicitari *ulla conditione* amplius potuit."

48. *vestro impulsu easd. exig.* „Bene verba ead. stomachose et significanter repetivit, ut improbitas ex proximo appareat *impulsu.*" Do. *easd.* Nota eas quas elegeritis, seu quorum *vobis placita est conditio. exig.* sc. domo. Plenius exprimit Plaut. Merc. IV, 6, 5. „Uxor viro si clam domo egressa est foras, Viro fit causa, *exigitur* matrimonio." Notetur in *vestro* et *exigunt* pro exigitis. Enaliage est personarum, ob iratum senis animum ferenda.

## ACTUS II. SCENA 2.

### PHIDIPPUS. LACHES. SOSTRATA.

*Ph.* (*domo sua egrediens responsionem dat filiae intus manenti mitiore animo patris.*) Etsi scio ego, Philumena, meum jus esse, ut te cogam,
Quae ego imperem facere; ego tamen patrio animo victus faciam [a]),
Ut tibi concedam, neque tuae libidini advorsabor.
*L.* Atque eccum Phidippum optume video. ex hoc [b]) jam scibo, quid sit [c]).

a) Hunc vers. Fa. monet jambicum esse tetrametrum catalecticum. b) Codd. Be. *ex hoc.* L. Bemb. *hinc.* c) Pro *siet* vulg. placet Anglo *sit* tam pronuntiandum quam scribendum. Verum Cicero, orat. 47. *siet*, inquit, plenum est; *sit*, imminutum; licet utare utroque.

„In hac scena moralis allocutio Phidippi est ad filiam, mitissimi patris colorem ostendens.“ Et pater etsi aegre fert, filiam procul a marito domi suae commorari, in suspicionem et accusationem tamen incidit, quod natam abduxerit viro absente ac secum aegram esse patiatur. Patres disceptant. Sequitur Phidippi excusatio ac defensio.

*Phidippus*, „a parsimonia aequestri: ex φειδῶ et ἵππος, equus: gloria rei equestris apud vett. ingens et sumtus magni fuerunt.“ Far.

1. *Etsi scio ego etc.* „Apparet et hic multa prius patri suo Philumenam locutam fuisse. Ergo haec responsio est, non principium.“ Do. *meum jus esse*; cf. Ad. II, 1, 47. *ut te cog.* sc. redire ad socrum.

2. *Quae ego imp.* Proprie dicit. *imperare* liberis, Ad. I, 1, 52. *victus.* „Bene *victus*, quia non ratione facio etc.“ Do. *conced.* Cf. v. 27, not. *libidini* h. l. voluntati. Unde Plauto est *libido* pro lubet, libet.

4. *optime*, opportune. *ex hoc j. sc. q. sit*; cf. Eun. IV, 4, fin. *scibo* antique pro sciam. Sic et Plaut.

Phidippe, etsi [d]) ego meis me omnibus scio esse apprime [e]) obsequentem,
Sed non adeo, ut mea facilitas corrumpat illorum animos.
Quod tu si idem faceres, magis in rem et nostram et vostram id esset.
Nunc [f]) video in illarum esse te potestate. *Ph.* heia vero!
*L.* Adii te heri de filia: ut veni, itidem incertum amisti [g]).
Haud ita decet, si perpetuam [h]) vis esse adfinitatem hanc,
Celare te iras. si quid [i]) est peccatum a nobis, profer:
Aut ea refellendo, aut purgando vobis corrigemus,
Te judice ipso. sin ea 'st retinendi causa [l]) apud vos,
Quia aegra est; te mi injuriam facere arbitror, Phidippe,

d) Be. corrig. *et*, omisso *si*, timens, ne forte in Terentium, ob *tamen* neglectum, anacoluthon cadat. Minime ita; cum *sed* subsequitur, quam vocem etiam Cicero usurpat pro *tamen*; ad Fam. IX, 16, et sic alibi. e) Jo. Pierius ad Virg. G. II, 134. „Flos *ad prima* tenax," notat, in Cod. ms. Terentii legi *ad prima*. f) L. antiq. *Nam.* g) Var. ap. We. *amisisti. dimisisti.* h) Pro voce *perpetuam* tanq. versui incongrua Be. infert *perpetem* Plautinam. i) C. G. m. *quod* perperam. l) Sic colloc. Be., ne *causâ* in fine acuatur. Vulg. *causa retinendi.*

5. *pro meis omnib.* Ellipsis est, quam recte explet Da. vertens: „pour ma femme et pour mes enfans." Vid. Sanct. Min. IV, 4.

6. *ut mea facilit. corr. ill. an.* Cf. Ad. III. 3, 37.

7. *si id. fac.* Cf. Eun. II, 3, 98. *in rem*; cf. Andr. III, 3, 14.

8. *in ill. esse etc.* Emphasis est acerba in vocib. *illarum* et *te*. Exprobrat enim Laches Phidippo contrariam vivendi rationem; quia absurdum est, patrem familias in potestate uxoris et filiae esse, quae contra debebant esse in potestate illius. *heia vero.* Formula corripientis.

9. *Adii te heri etc.* Vid. supra I, 2, 115. 116. ubi narrata haec Poeta per servum more suo praemisit. *ut veni, itid. incert. amis.* pro, sicuti incertus veni, ita incertum me dimisisti. *Itidem* est similiter, et nonnunquam inverso ordine, *itidem-ut*; vid. Tursellin. de Partic.

11. *Celare te iras.* Cf. Ad. I, 1, 29. *iras* pro, irarum causas. *profer*; cf. Heaut. V, 2, 41.

12. *Aut ea refellendo, aut purg.* Explic. Do. „*refellit* qui negat, *purgat* qui fatetur et sic defendit." Et Min. ita: „aut negando factum, aut faciendi rationes ostendendo." *vobis.* „Plus dixit, vobis, quam tibi." Do.

13. *sin ea est etc.* Scilicet quia aegrotat.

Si metuis, satis ut meae domi curetur diligenter:
At ita me Di ament, haud tibi hoc concedo, etsi illi pater es,
Ut tu illam salvam magis velis, quam ego; id adeo gnati causa,
Quem ego intellexi illam [m]) haud minus, quam se ipsum, magnificare [n]).
Neque adeo clam me [o]) est, quam esse eum laturum graviter credam,
Hoc si rescierit [p]): eo domum studeo haec prius, quam ille, ut [q]) redeat.
*Ph.* Laches, et diligentiam vestram et benignitatem
Novi, et quae dicis, omnia esse ut dicis, animum induco.
Et te hoc mihi cupio credere; illam ad vos redire studeo,
Si facere possim ullo modo. *L.* quae res te facere id prohibet?
Eho, numquidnam accusat virum? *Ph.* minume. nam postquam attendi

m) V. I. *filiam tuam.* n) Be. unico placet *magni facere.* o) Be. delet *me*, pro quo *te* restituit. At sensus patet vulgatae. p) Al. *resciverit.* q) L. antiq. *huc.* Vulgo *ut.*

15. *Si met. sat. ut etc.* Junge *satis diligenter.* Locutio *meae domi* Ciceroni est familiaris. *curetur.* Verb. *curare* est medicorum, e. g. Curt. V, 6, 3.

16. *haud tibi hoc concedo.* „Hac in re non feram posteriores." We.

17. *id ad. gnati causa*; cf. supra I, 36. „Honeste amori nurus rationem subjecit piam." Do.

18. *magnificare*, h. e. magni facere, magni aestimare. Hoc enim sensu ap. Plaut.

19. *Neq. ad. clam etc.* Junge *quam credam.*

20. *Hoc si resc.* Cf. Andr. III, 2, 14. *eo*, ideo. Ordinem verborum Fa. constituit hunc, *eo stud. ut haec red. dom. pr. q. ille.*

21. *Laches et etc.* Cum affectu quod. et gemitu dixit, *Laches*, quod ille ait *Phidippe.*

22. *anim. induco*, mihi persuadeo.

24. *Si fac. poss. ullo modo.* „Mollius dixit quam si: Nec facere possum, dixisset. Hoc enim vult intelligi: Volo, at non possum facere.

25. *Eho, num quidnam etc.* Ad. IV, 5, 26. Andr. II, 1, 25. *virum*, maritum suum. *attendi*, instituti. Subaudi, aut animum, aut oculos.

Magis, et vi coepi cogere ut rediret, sancte adjurat,
Non posse apud vos Pamphilo se absente perdurare.
Aliud fortasse alii [r]) vitii est; ego sum animo leni natus.
Non possum advorsari meis. *L*, hem, Sostrata. *So.* heu me miseram!
*L.* Certumne est istuc? *Ph.* nunc quidem, ut videtur. sed numquid vis?
Nam est, quod me transire ad forum jam oportet [s]). *L.* eo tecum una.

r) Sic Codd. Be. In antiq. *aliis.* s) Sic l. antiq. In Bemb. *oporteat.*

26. *cog. ut red.* Cf. v. 1. *sancte adjur.* Cf. I, 1, 3. 4.

27. *Non posse ap. vos Pamph. etc.* „Magnifice contra illud quod Laches dixit, aegre laturum Pamph.“ Do. Supra v. 19.

28. *Aliud fortasse alii vit. est.* Similis sententia Cic. ad Brut. ep. 13. „Aliter alii cum suis vivunt.“ Veruntamen ita dixit Phidippus, ne Laches diceret: coge igitur ut redeat. Sensus: Quando alii aliter peccant, *ego sum etc.* Et hoc *ego sum etc.* vert. Da: „pour moi j'avoue que etc.“ *leni*, in vituperio magis est quam in laude. Heaut. III, 1, 29. Ad. III, 3, 36.

29. *Non possum advers. m.* Hoc verum dicit; cf. v. 3. *hem Sostrata.* „Increpantis est, q. d. vide quid feceris.“ We. *heu me mis.* „Ad se rediri totiens quasi delassata conqueritur.“ Do.

30. *Certumne est ist.* „Quod Philumena non redeat.“ *nunc quid. ut vid.* „Ut nunc est, non redibit.“ We. *sed numq. v.* Discedentis verbum.

31. *Nam.* „Rationem reddit quare se absolvi et dimitti postulat.“ We. *trans. ad for.* Cf. Ph. V, 8, 28.

# ACTUS II. SCENA 3.

## SOSTRATA.

Aedepol nae nos sumus a) inique b) aeque omnes invisae viris,
Propter paucas, quae omnes faciunt, dignae ut videamur malo.
Nam ita me Di ament! quod me accusat nunc vir, sum extra noxiam c).
Sed non facile est expurgatu d): ita animum induxerunt, socrus
Omnes esse iniquas. haud pol me quidem. nam nunquam secus

a) L. antiq. *mulieres.* Delet Be. ex auctoritate l. Bembini. b) C. G. m. non hab. *inique.* c) Mss. Pall. duo *noxam.* Heaut. II, 3, 57. d) Ms. Pal. 5. *excusatu.* C. G. m. *expurgatum.* Id. in marg. al. *excusatum.* Quorum alterutrum pro glossa poterit haberi.

„In hac scena est allocutio, qua inducitur secum loquens anus: per quam orationem mores ejus, et animus mitis intelligi possit.“ Do.

1. *Aedep. nae.* Abundat *nae* post *Aedep.* Hoc modo *Certe aedep.* Ph. V, 1, 8. *inique aeque.* „Comicum παρόμοιον.“ Do. Sed *iniq. aeque* speciem formulae habet, ut *justa injusta*; ut plenius sit, sive *aeque* sive *inique.*

2. *Propt. pauc.* „Officium boni poetae est, null. genus hominum specialiter laedere.“ Do. *quae omnes etc.* Ordo est: *quae fac. ut omnes etc.* Quid *malo* significet, vid. ad Eun. V, 5, 27.

3. *Nam ita etc.* „Bene jurat: nam sine jurejurando incredibile est, esse bonam socrum. *quod me accus.* pro, in eo *quod me accusat.*

4. *ita anim. indux. socr. etc.* Modeste *induxerunt*, non, induxit maritus. Supra I, 4.

5. *iniquas.* Nempe nuribus. *haud pol me quidem.* „Esse iniquam, subaudiend. est a superiore, ut sit *pol* pro pleno jurejurando.“ Do. *nunq. secus Habui*; cf. Sallust. Catil. 11. „Sulla exercitum *luxuriose habuerat.*“

Habui illam, ac si ex me esset nata; nec, qui hoc mi eveniat [e]), scio,
Nisi pol filium multimodis [f]) jam expeto [g]), ut redeat domum.

e) Codd. quid. We. *eveniet.* Itid. C. G. m. f) C. G. m. et al. plur. *multis modis.* At vero illud, quod edidimus, est ex ratione versus contractum; Cicero Orat. 45. g) Sic Be. melius, quam quod vulgo est, *exspecto.* Eun. IV, 6, 5.

6. *qui hoc mi ev.* Est *qui* pro unde positum.

7. *Nisi pol fil. etc.* Bi. accipiunt *nisi* pro sed.

---

## ACTUS III. SCENA 1.

### PAMPHILUS. PARMENO. MYRRHINA. [a])

*Pam.* Nemini [b]) plura ego acerba esse credo ex amore homini unquam oblata,

a) C. G. m. gl. *Mirrina mater Philumenae.* De nomine ipso vid. Mu. b) Be. *δισυλλαβῶς* pronuntiari jubet, quasi sit *Nemni.*

,,Hic allocutio est per conquestionem. Et bene non se amatoribus modo, sed infelicibus amatorib. comparavit: et principium est a summa totius mali.'' Do.

1. *Nemini ego plura acerba etc.* ,,Nimis cothurnati et tragici in hac scena dolores essent, nisi adderet, *ex amore.*'' Do. *acerba*, ,,dupliciter evenerunt Pamphilo: ex praeterito, de meretrice; ex praesenti, de uxore.''

Quam mihi. heu me infelicem! hanccine [c]) ego vitam parsi perdere?
Haccine [d]) causa ego eram tantopere cupidus redeundi domum [e])?
Cui [f]) quanto fuerat praestabilius! ubivis gentium agere aetatem,
Quam huc redire, atque haec ita esse miserum me resciscere.
Nam omnibus nobis [g]), quibus est alicunde aliquis objectus labos,
Omne quod est interea tempus, priusquam id rescitum 'st, lucro 'st.
*Par.* At sic citius, qui te expedias his aerumnis, reperias.
Si non rediisses, hae irae factae essent multo ampliores;
Sed nunc adventum tuum ambas, Pamphile, scio reverituras.
Rem cognosces, iram expedies, rursum in gratiam restitues.

c) d) Scriptura l. antiqui est per duo *c.* Par. Be., al. per unum. Inde prodit *hanccine* vel *hancine* d) *Haccine* vel *Hacine.* e) Be. ponit *ah*; sed nec unde nec quamobrem scio. f) Id. *τὸ Cui* tollit, ut metro consulat suo. g) Vulg. *nos omnes*; at Be. ex Codd. ut exhibui.

2. *heu me infelic.* „Lachrymans hoc dicit." Do. *hanc. vitam*, quasi contemnendam, quippe quae adversis adversa fluctuata sit. *parsi perd.*, i. e. abstinui perdere. Sic Ovid. Trist. III, 3, 51. „*parce* tamen *lacerare* genas." Dixit autem, *hanc vit. parsi perd.*, ne tragice diceret: cur non potius mortem mihi conscivi?

3. *Hac. causa.* Sub. ut haec experirer adversa. *redeundi d.* sc. ab Imbro; cf. I, 2, 96.

4. *Cui* sc. mihi.

6. *object. lab.* Explic. Mu.: „Labos molestiae, aegritudinis et doloris significationem habet, ut ap. Graec. *πόνος*."

7. *lucro est*; cf. Ph. II, 1, 16.

8. *At sic cit. qui te exped. etc.* „sic, hoc modo, quod nimirum venisti tempestive, ut hasce discordias sedes." We. *exped.* Cf. Andr. III, 5, 11. Itid. Liv. 2, 24. „orare, ut tantis circumventam terroribus *expediret* rempublicam."

10. *ambas.* Par. in marg. „Sostratam et Philumenam."

11. *Rem cogn. iram exped. rurs. in gr. rest.* „*Τρίκωλος* sententia. Et bono ordine usus est." Do. *Rem* i. e. materiam rixandi, vel potius, quod videbatur esse dissidii *iram* sc. mulierum. *rurs. in grat. rest.* Abundat *rursus* ob *restitues.* Sed abundantia haec Comicis frequens. Eun. IV, 2, 6. Et Plaut. Poen. Prol. 79. „*Revortor rursus denuo* Carthaginem." *in grat. rest.* Cf. Ph. V, 8, 73.

Levia sunt haec, quae tu pergravia esse in animum induxti tuum.
*Pam.* Quid consolare [h]) me? an quisquam usquam [i]) gentium 'st aeque miser?
Prius quam hanc uxorem duxi, habebam alibi animum amori deditum;
Jam in hac re ut taceam, cuivis facile est scitu [l]), quam fuerim miser.
Tamen nunquam ausus sum recusare eam, quam mi obtrudit pater.
Vix mi illinc abstraxi, atque impeditum in ea [m]) expedivi animum meum,
Vixque huc contuleram, hem! nova res orta 'st, porro ab hac quae me abstrahat.
Tum matrem ex ea re [n]), aut uxorem in culpa inventurum, arbitror.
Quod [o]) cum ita esse invenero, quid restat, nisi porro ut fiam miser?
Nam matris ferre injurias me, Parmeno, pietas jubet.
Tum uxori obnoxius sum. ita olim suo me ingenio pertulit.

h) V. I. *consolaris.* i) Abest *usqu.* a C G. m. et Hal. l) Sic colloc. Be. In l. antiq. *fac. scitu* omisso *est.* m) V. I. *Bacchide.* n) C. G. m. *me* pro glossa. o) Pro *Quod* exempl. Venet. Rivio teste *Quae.*

13. *Quid consol. me.* „Ut solet in vero angore, ipsa consolatione aegrescit dolor." Do.

14. *alibi*, in alio amore; et sic gravius, quam si, in meretrice, diceret.

15. *Jam in hac re.* In eo scilicet, quod *alibi habebat anim.* seu in meretricio amore. *quam fuer. mis.* Nempe in uxore ducenda.

16. *obtrudit pat.* Itid. Andr. I, 5, 15. *obtrud.* Recte; utpote invito et in alio amore occupato.

17. *illinc*, a Bacchide. *abstraxi*; cf. Andr. I, 5, 8. *imped. in ea expedivi.* Hoc fere modo in Andr. III, 5, 11.

18. *Vixq. huc contul.* sc. animum, i. e. amorem. Heaut. II, 4, 10. Maluit *huc*, quam, ad uxorem, dicere. *ab hac*, uxore.

19. *matrem*, meam scilicet. *in culpa invent. arbitr.* Solemne est dicere, *in culpa* esse. Sic Cic. Verr. V, 91. „si omnes *in culpa* fuerunt." *ex ea re.* Praeposit. *ex* valet in, ut Jul. Caes. B. G. I, 4. „*ex* vinculis causam dicere."

20. *porro*, „postea, vel in postremum." Do.

21. *Nam matr. ferre injur. etc.* Similit. Cic. pr. Cluent. 6. „Facile intelligo, non modo *reticere* homines *parentum injurias*, sed etiam etc."

22. *olim me pertulit.* His compara quae servus praemonuit

Tot meas injurias, quae nunquam nullo [p]) patefecit loco.
Sed magnum nescio quid necesse est evenisse, Parmeno,
Unde ira inter eas intercessit, quae tam permansit diu.
*Par.* Haud [q]) quidem hercle parvom [r]), si vis vero veram rationem exsequi.
Non maxumas, quae maxumae sunt interdum irae, injurias [s])
Faciunt. nam saepe est, quibus in rebus alius ne iratus quidem est,
Cum [t]) de eadem causa est iracundus factus inimicissimus.
Pueri inter sese quas [u]) pro livibus noxiis [x]) iras gerunt!

p) L. antiq. *in ullo* pro *nullo.* q) Par. ed. *At* pro *Haud.* Be. *Aut.* Al. script. *Haut.* r) Do. leg. *parum.* Al. add. *est.* s) Do. putat ὑπαλλακτικῶς dixisse Poetam, pro *injuriae iras*, quippe injuriae faciant iras, non irae injurias. Bentleji mire mutata praetereo. C. G. m. in marg. not.: „*licet inter eas maximae irae sunt, non tamen faciunt maximas injurias.*“ t) Lindenbr. We. al. edd. ut ubiq. locorum *Quum.* At Be. affimat, Codd. Terentianos nusquam *quum* exhibere, sed *cum.* u) Sic prob. Be. pro *quam* vulg. x) Al. *noxis.*

supra I. 2, med. *suo me ingen. pertul.* Schefferus ad Phaedr. I, 2, 30. hoc loco citato dicit: „*Perferre* non solum est ferre, sustinere, sed cum aequabilitate animi ac constantia ferre.“ .

23. *Tot meas injur.* Cf. supra I, 2. quae nunq. *nullo patef. loco.* Hoc id. fere dixit servus, I, 2, 91. *quae.* Do. pro quas dici judicat sc. *injurias*; sed mihi *quae* nominativus est sing., ut sit cum emphasi, *quae* uxor.

26. *si vis vero veram etc.* Do. haesitat in *vero*, quod We. explic. „ἀληθινῶς, vel ex veritate.“ *exsequi.* Gu. exponit id. esse quod narrare, διηγεῖσθαι. Sic it. Cic. Fam. XI, 27. „*exsequi* verbis.“ Atque Ru. *ver. rat. exseq.* explicat, inquirere, pervestigare.

27. 28. *Non maxim. quae etc.* „Caute dixit, *interdum*: plerumq. enim sic.“ Do. *est* pro fit. Notetur constructio *est* ubi, vel, *est cum*, rara quidem, sed non sine exemplis.

29. *de ead. causa.* Recte animadvertit Do. dicendum esse, in iisd. rebus, cum praecesserit, *quibus in rebus*, sed ad servum, addit idem, pertinere hanc humilitatem orationis. Andr. II, 3, 8, ubi nota. *iracundus*, „pronus in iram.“ We.

30. *Pueri inter sese.* „Argumentum a simili.“ Do. *iras gerunt.* Ita Plaut. Poen. III, 6, 16. „Si quid peccatum est, plumbeas *iras* gerunt.“ *Pueri int. sese quas etc.* Haec verba Do. vult interrogative efferenda, at ego cum We. putarim per exclamationem aptius.

Quapropter? quia enim qui eos gubernat animus infirmum gerunt.
Itidem illae mulieres y) sunt, ferme ut pueri, levi z) sententia.
Fortasse unum aliquod verbum inter eas iram hanc conciverit a).
*Pam.* Abi, Parmeno, intro, ac me venisse nuntia. *Par.* hem, quid hoc est? *Pam.* tace.
Trepidari sentio, et cursari rursum prorsum. *Par.* agedum, ad fores
Accede b) propius. hem! sensistin'? *Pam.* noli fabularier.
Pro Jupiter! clamorem audio c). *Par.* tute loqueris, me vetas.
*M.* (*intus*) Tace, obsecro, mea gnata. *Pam.* matris vox visa 'st Philumenae.

y) Vox *mulieres* trisyllaba Faerno videtur. z) *levi*, monosyllabum, sicut *novo* Ph. V, 8, 79. a) Donatus: „legitur et *conscivisse.*" Addit Be. *ere* (here) quo versui consulere opinatur. b) Sic in libb. Be. probe. L. Bemb. *Accedo.* c) L. Bemb. *audivi.* In libb. Be. *audio.* Quam vero probabilem lection. hic ille parum sibi constans reliquit; cf. Andr. I, 4, 1. a).

31. *qui eos gubern. anim.* Sallust. Catil. I. „*Animi imperio*, corporis servitio magis utimur." *infirmum* sc. animum. *ut pueri.* Hac it. similitudine puerorum Horatius utitur A. P. v. 159. 160. *levi sententia*, mutabili consilio. Sic Plaut. Mil. II, 1, 51.

32. *conciverit*, commoverit, excitaverit.

34. *Abi, Parm. intro etc.* Hoc fere id. Geta servus in Ph. V, 2, 12. facere jubetur. Ad hunc loc. Par. notat: „Peregre redeuntes uxori nuntios de suo adventu praemiserunt." *hem qu. h. est*; cf. Ad. II, 4, 17. Prope namque fores strepitum sentit intus.

35. *Trepidari*, „h. e. cum tumultu quod. pavitari, quod fit in periculo." We. *et curs. rurs. prors.* Sic it. Eun. II, 2, 47. Putat Do. *rurs. prors.* proverbialiter dictum, explicans *rursum* retro; *prorsum* ante.

36. *noli fabular.* Cf. Ph. IV, 3, 49. Multiloquum increpat servum.

37. *tute loqu. me vetas.* „Mire expressus est mos auscultantium." Do.

38. *Tace, obs. mea gn.* Non hic, *Juno Lucina etc.* clamatur a puerpera, ut in Andr. III, 1, 15. et Ad. III, 4, 41. sed silentium parturienti imponitur: quia furtiva conceptio est. *matris vox visa est Ph.* Cf. Eun. III, 2.

Nullus sum. *Par.* qui dum? *Pam.* [d]) perii! *Par.* quamobrem? *Pam.* nescio quod magnum malum
Profecto, Parmeno, me celas [e]). *Par.* uxorem Philumenam
Pavitare nescio quid dixerunt: id si forte est nescio.
*Pam.* Interii! cur mihi id non dixti? *Par.* quia non poteram una omnia.
*Pam.* Quid morbi est? *Par.* nescio. *Pam.* quid? nemon' [f]) medicum adduxit? *Par.* nescio.
*Pam.* Cesso hinc ire intro, ut hoc quam primum, quicquid est, certum [g]) sciam?
Quonam modo, Philumena mea, nunc te offendam adfectam?
Nam si periclum in te ullum [h]) inest [i]), perisse me una haud dubium 'st.

d) C. G. m. sicut l. antiq. *quia*. Abest a Bemb. e) Ms. Lindenbr. *coelant*. Al. *coelat*. f) Sic edd. per apostroph. Par. We. al. In l. antiq. expressius *nemone*. g) Al. *certo*. h) C. G. m. colloc. *ull. in te*. i) Al. *est* pro *inest*.

40. *me celas*. Supra II, 2, 11. „Atqui neminem etiam convenerat Pamphilus, nec parentes, nec uxorum, nec soceros, postquam egressus erat e navi. Videtur autem solus Parmeno incusari, quomodo continuo post, *cur mihi id non dixisti?*" Haec We.

41. *Pavitare*. Proprie frigore ac febri jactari, id quod veteres ad corporis, sicut timere ad animi perturbationem referebant; vid. Serv. ad Virg. A. I, 92. *dixerunt*. Significantur haec forsitan, quae supra II, 1, 41. Sostrata Lacheti retulit: *lass. opp. esse aib.* et quae ad aures servi quoque pervenerant. *si* pro, an.

42. *Quia non pot.* sc. dicere. Stomachose hoc pronuntiat.

43. *Quid morbi est?* Cf. Eun. II, 1, 19. *addux*. Cf. Eun. IV, 7, 24. *nescio*. „Perturbatus Parmeno id. repetit verbum. Et verb. aptum est personae servili." Do. Pamphilus de morbo Philumenae sollicitus prodit verum amorem.

44. 45. *Quon. modo, Philumena mea*. „Amatoria ἀποστροφή." Do. *adfectam*, langu entem. Nisi elliptice pro illo, quod plenius est, morbo *adfectam*; uti infra 3, 6.

46 *periisse me*. Par. „quin perierim." Similis sententia Propert. Eleg. II, 21, 42. „vivam, si vivet; si cadet illa, cadam."

*Par.* Non usus [l]) facto est mihi nunc hunc intro sequi.
Nam invisos omnes nos [m]) esse illis sentio.
Heri [n]) nemo voluit Sostratam intromittere [o]).
Si forte morbus amplior factus siet [p]),
Quod sane nolim, maxume heri causa mei;
Servum ilico introiisse [q]) dicent Sostratae,
Aliquid tulisse comminiscentur mali,
Capiti atque aetati illorum, morbus qui auctus sit.
Hera in [r]) crimen veniet, ego vero in magnum malum.

l) V. I. *opus.* m) C. G. m. colloc. *omn. nos invis.* n) Mss. Pall. *Here*, quod Festo placet pro *Heri.* o) Sic recepi, ut C. G. m. hab. et Ed. 1469. Vulg. *admitt.* p) Be. *sit*; cf. II, 2, 4. q) Al. *introisse.* r) Ex praeposit. *in* elidi vult Fa. *n*, ut sit in prima sede anapaestus, *Heri' crīm.* —

47. *Non us. facto etc.* „Parmeno ante ostium remanens secum loquitur.“ G.

48. *invis. omn. nos etc.* H. e. Sentio *omnes* e familia Sostratae *invisos esse* Myrrhinae ac filiae ejus.

49. *Heri nemo voluit etc.* Cf. supra I, 2, 114.

53. *comminiscentur*, dicent.

54. *Capiti atq. aet. illor.* De hac imprecandi formula v. ad Ph. III, 2, 6. Par. in marg.: „Quod illorum capiti, vitae eveniat.“ Itid. Aristophan. *εἰς κεφαλήν.* Et Cic. ad Attic. VIII, ep. 5. „multa mala cum dixisset suo *capiti.*“ Boeclerus *τὸ illorum* de una Philumena accipit. Non inepte; cf. Heaut. I, 1, 99.

55. *Hera in crimen.* „Sostrata in litem.“ Do. *ego v. in m. malum.* „In quaestionis tormenta.“ Do. *vero*, affirmantis.

## ACTUS III. SCENA 2.

### SOSTRATA. PARMENO. PAMPHILUS.

*So.* Nescio quid jam dudum audio hic [a]) tumultuari misera.
Male metuo, ne Philumenae magis morbus adgravescat;
Quod te, Aesculapi [b]), et te Salus, ne quid [c]) sit huius, oro.
Nunc ad eam [d]) visam. *Par.* heus, Sostrata. *So.* ehem! *Par.* iterum istinc excludere [e]).
*So.* Ehem, Parmeno, tun' hic eras? perii! quid faciam misera?
Non visam uxorem Pamphili, cum in proximo hic sit aegra?

a) L. antiq. *hic audio.* C. G. m. sup. script. *in domo Myrrhinae.* b) V. I. *Deus est medicinae.* c) Id. *mali.* d) C. G. m. *adeam*, quasi unum esset verbum, c. gl. *pergam.* Sed non intellexit interpres; cf. I, 2, 114. e) Leg. Bc. per interrogation.

,,In hac scena quasi quaed. deliberatio est, continens suasionis dissuasionisq. partes, quas in subditis considerabimus.'' Do.

1. *hic.* ,,Quia nimis vicini sunt.'' Do. *tumultuari.* Passive valet. Sed ap. vett. hoc verb. etiam active usurpatur. Prol. II, 33. Et Caes. B. G. VIII, 61. ubi interprett.

2. *Male metuo.* Heaut. III, 2, 20. *Male*, Plauti more adjectum. *mag. morb. adgravesc.* Cf. Cic. Tusc. III, 31. ,,*adgravescens* vulnus.''

3. *Quod te.* ,,Deest propter, ut sit, propter quod.'' Do. *Aesculap.* ,,Aesculapius ex Epidauro translatus est Romam, Apollinis filius, Coronei nepos. V. Ovid. Met. XV, 622 etc.'' We.

4. *heus.* Admonitio Parmenonis, qui nihilo magis introire audet quam Sostrata. *iterum.* Id memoriter: jam enim supra dixit, *admisit nemo*; cf. I, 2, 114. ,,Bene *iterum*, ut illi pudorem incuteret repetitione injuriae.'' Do. *exclud.* Futur. temp.

5. *Eh. P. tunc hic etc.* Itid. Eun. I, 2, 6. *per. q. fac.* Ph. V, 9, 17.

6. *Pamphili*, emphatice, quasi diceret, filii mei. *in prox. hic.* Plaut. Cist. I, 1, 102. ,,habitat *in proximo.*''

*Par.* Non visas? ne mittas quidem visendi causa quemquam.
Nam qui amat [f]), cui odio ipsus est [g]), bis facere stulte duco [h]).
Laborem inanem ipsus capit, et illi molestiam adfert [i]).
Tum [l]) filius tuus introiit videre, ut venit, quid agat.
*So.* Quid ais? an venit Pamphilus? *Par.* venit. *So.* Dis gratiam [m]) habeo.
Hem, istoc verbo animus mi rediit, et cura ex corde excessit.
*Par.* Jam ea de causa maxume nunc huc introire nolo.
Nam si remittent quippiam Philumenam [n]) dolores,
Omnem rem narrabit, scio, continuo sola soli,
Quae inter vos intervenit [o]), unde ortum est initium irae.
Atque eccum video ipsum egredi. quam tristis est! *So.* o mi gnate!
*Pam:* Mea mater, salve. *So.* gaudeo venisse salvum. salvan'

f) g) V. I. *illum a quo odio habetur.* h) C. G. m. *dico* perperam. Itid. Pall. tres ap. Par. i) C. G. m. script. *effert.* l) L. antiq. *autem.* Abest a C. G. m. aliisq. probatis. m) Sic ed. Fa. pro *gratias* vulg. n) Do. leg. *Philumenae*, juxta ac si *remittent* sit verb. neutrum. o) L. Bemb. *intervenerit.* Sed probat. indicativus, uti al. hab.

7. *Non vis.* Proprie dicitur, *visere* aegrotos, Gell. 6, 9.

8. *Nam qui amat, cui etc.* Plaut. Trin. III, 2, 12. „Nullum beneficium esse duco id, quod, cui facias, non placet.“ *bis fac. stulte*; cf. Ph. I, 8, 2. „*Bis* peccat.“

10. *introiit videre.* Graec. more pro visum. Infra V, 4, 2. *ut venit,* statim ut rediit; cf. supra I, 5. *quid agat,* Philumena.

11. *an ven. Pamph.* Exprimit matris affectum.

12. *anim. mihi red.* Sic Plaut. Merc. III, 1, 32.

13. *Jam ea de causa.* Quia jam Pamphilus introiit.

14. *si remitt. q. P. dol.* Haec syntaxis, *remittent Philumenam dolores*, minime vulgaris est, vixq. exemplis probanda. Veruntamen passive ead. invenitur, Scrib. Larg. 99. „cum remissi fuerint (dolore capitis).“ Ceterum usurpant verb. *remittere* neutraliter, uti Cic. Orat. 34. „cum *remiserant* dolores pedum.“ Sic et. Liv. 40, 33.

15. *Omn. rem narrab.* „*Narrabit* cuncta, quae vis iracundiae fuerit inter eas, unde exordium lites inceperint.“ Eu. *sola soli.* Paronomasia; cf. Eun. III, 5, 31.

16. *Quae int. v. interven.* „Melius sic, quam si diceret: Quae illi feceris.“ Do.

18. *gaudeo venisse salv.* „Formula adventum gratulantis.“ We.

Philumena est? *Pam.* meliuscula est. *So.* utinam istuc ita Di faxint!
Quid tu igitur lacrumas? aut quid es tam tristis? *Pam.* recte, mater.
*So.* Quid fuit tumulti? dic mihi, an dolor repente invasit [p])?
*Pam.* Ita factum 'st. *So.* quid morbi est? *Pam.* febris. *So.* quotidiana [q])? *Pam.* ita ajunt.
I, sodes, intro; consequar jam te, mea mater. *So.* fiat. (*abit.*)
*Pam.* Tu pueris curre, Parmeno, obviam, atque eis onera adjuta.
*Par.* (*aegre fert, ut servus solet, jussum*) Quid? non sciunt ipsi viam, domum qua redeant? *Pam.* (*stomachose*) cessas? (*abit.*)

p) V. I. *illam.* q) C. G. m. script. *cotid.* Ph. I, 3, 8.

19. *meliuscula est*, paulo melius habet.

20. *Quid tu igitur lacr.* Dicit *igitur*, quia ille dixerat, *meliuscula est. recte, mat.* Cf. Heaut. III, 2, 7, not.

21. *Quid f. tumulti*; cf. supra v. 1.

22. *Ita fact. est*; cf. Eun. V, 2, 12, not. *febris.* „Neque haec abest a puerperio. Ita nihil mentitur filius.“ Bi. *quotid.* Etenim *febris* a Celso spatio dierum designatur, ut sit, „continua, *quotidiana*, tertiana, quartana,“ ibid. III, 3. Addit id. alio loco: „— si in *quotidianam* versa est febris, in malis aeger est.

23. *I sod. intro.* „Metuit ne ingrediatur mater ad soceros: et ideo dicit, *I sod. intro.* Et patet *intro* dicentem, manu annuere, ut domum redeat: et simul quo magis faciat, addit causam, *consequar j. te m. mat.*“ Sic Do. *jam*, mox.

24. *Tu pueris curre etc.* Parmenonem jubet, causa simulata, discedere, ne praesens audiat vocem parturientis. *curre obv.* Eod. modo mittitur Dromo in Heaut. II, 3, 8. *obviam* venientibus. *atq. eis onera adjuta.* „*Adjutare* cum accusativo rei est item Ph. I, 2, 49. Sed *onera* quaeritur, quaenam sint? Nulla alia, opinor, nisi quae de itinere rediens Pamphilus secum adportaverat. Supra I. 2.

25. *non sciunt viam.* Ironice dicit, qui novae rei cupidus mavult manere quam discedere. Heaut. II, 3, 7.

# ACTUS III. SCENA 3.

## P A M P H I L U S.

Nequeo mearum rerum initium ullum invenire idoneum,
Unde exordiar narrare, quae nec opinanti accidunt:
Partim quae perspexi his a) oculis, partim quae accepi auribus,
Qua me propter b) exanimatum citius c) eduxi foras.
Nam modo intro ut me d) corripui timidus, alio suspicans
Morbo me visurum adfectam ac sensi uxorem esse. hei mihi!
Postquam me adspexere ancillae advenisse, ilico omnes e) simul
Laetae exclamant: venit; id quod derepente f) adspexerant.

a) Al. *hisce.* b) *Qua me propt.* Tmesis est pro *Quapropt. me.* c) Var. *ocius.* d) Sic Be. Codd. In l. antiq. colloc. *me intro ut.* e) *omnes.* Priorem syllab. Be. corripi jubet. f) Fa. ed. *me rep.*

„In hac scena conquestio est ad deliberationem descendens, an habeat Pamphilus, an excludat uxorem: in qua tota oratio Pamphili ad argumentum spectans, amatoria magis, quam maritalis est. Nam aliter non perveniretur ad ultimam cognitionem omnium rerum, nisi adolescens furtivum conceptum uxoris, et partum aliquanto lenius, quam conjugalis dolor expetit, toleravisset.“ Do.

1. *Nequeo mear. rer. initium etc.* „Haec est Homerica illa διαπόρησις, Τί πρῶτον, τί δ'ἔπειτα, τί δ'ὑστάτιον καταλέξω.“ Do. Qui locus ipse est Odyss. IX, 14. *mear rer.* Cf. supra I, 1.

4. *me eduxi for.* Cf. Plaut. Bacch. IV, 2, 11. „*duc* te ab aedib.“ Et Cic. Fam. 10, 32. „dixit se a Gadib. ubi v. Manut.“

5. *Nam modo intro etc.* Cf. supra 2, 10. Ubi nempe properasset Pamphilus ad uxorem visendam. *intro me corrip.* Eod. fere sensu, quo valet, se intro conjicit, Heaut. II, 3. 36. *timidus* pro timens.

6. *hei mihi!* „Interjectio dolentis est.“ Do.

8. *id quod.* Intellige, propter id quod etc.

Sed continuo voltum earum sensi immutari [g]) omnium,
Quia tam incommode illis fors obtulerat adventum meum.
Una illarum [h]) interea propere praecucurrit, nuntians,
Me venisse; ergo ejus videndi cupidus recta consequor.
Postquam intro adveni [i]), extemplo ejus morbum cognovi miser.
Nam neque, ut celari posset [l]), tempus spatium ullum dabat,
Neque voce alia, ac res monebat, ipsa poterat conqueri.
Postquam adspexi, o facinus indignum! inquam, et corripui ilico
Me inde lacrumans, incredibili re atque atroci percitus.
Mater consequitur. jam ut limen exirem, ad genua [m]) accidit
Lacrumans misera. miseritum [n]) est. profecto hoc sic est, ut puto.
Omnibus nobis ut res dant sese, ita magni atque humiles sumus.

g) V. I. *de laetitia in tristitiam.* h) L. antiq. *forte.* Non hab. Bemb. Ideo Fa. delevit. i) C. G. m. sicut Bru. C. e. *introii*, non *adveni.* l) V. I. *partus.* m) Id. *mea.* n) Al. *misertum.*

9. *vultum immutari*; cf. Hor. Serm. II. 8, 84. „redis mutatae frontis." Supra hunc nostr. loc. vid. Cic. de Orat. III. 57.

12. *ejus videndi.* Scilicet Philumenae. Notetur hic *videndi* non participium esse, sed gerundium in *di*; quippe quod etiam Cicero frequenter jungit cum genitivo ipso plurali, ut, „legendi librorum." Nec minus genitivus sing. num. in usu est; cf. Sanct. Min. III, 8. ubi Perizon. *recta.* Plene Andr. III, 4, 21.

14. *spatium*, moram.

15. *Neq. voce alia etc.* „Quod vox parturientis prodit vitium." Eu.

16. *o facin. indign.* Hoc ad semetips. refert, non ad Philumenam. *inquam.* Addit *inquam*, quo notetur, per apostrophen hoc dixisse ad puerperam. *corripui*, proripui me. Itid. Liv. 2, 24. *corrip. ilico Me inde.* „Repetit corripiendi vocem, ex v. 5. ut notet, ead. celeritate se exiisse, qua intraverat." We.

18. *Mat. conseq.* Myrrhina scilicet. *jam ut lim. exir.* „Jam in eo eram ut limen exirem." Min. *ad genua accid. Lacr.* Dicit Plin. H. N. XI, 45. „Hominis *genibus* quaed. et religio inest." Ad Petron. Sat. 80, §. 3.

19. *miser. est* sc. me. Heaut. III, 1, 54. *hoc sic est, ut puto*; cf. Plaut. Most. I, 2, 12. „*ita esse, ut* praedico."

20. *Omnib. nobis ut res etc.* Hac enim sententia Pamphilus omnem narrationem calamitatum suarum concludere videtur.

Hanc habere orationem mecum [o]) principio institit [p]):
O mi Pamphile, abs te quamobrem haec abierit, causam vides.
Nam vitium est oblatum virgini olim ab nescio quo improbo.
Nunc huc confugit, te atque alios partum ut celaret suum.
Sed cum orata [q]) ejus reminiscor [r]), nequeo [s]) quin lacrumem miser.
Quaeque fors fortuna [t]) est, inquit, nobis quae te hodie obtulit,
Per eam te obsecramus ambae, si jus, si fas est, uti
Advorsa ejus per te tecta tacitaque apud omnes sient.
Si unquam erga te animo esse amico sensti eam, mi Pamphile;
Sine labore hanc gratiam te, ut sibi des, illa [u]) nunc rogat.

o) Al. *a*. Non hab. 1. Bemb. p) Var. ap. We. *instituit*. *instruit*. q) V. I. *preces matris*. r) V. I. *ego Pamphilus*. s) C. G. m. *abstinere*. Glossema videtur e marg. olim immissum. t) V. I. *fortuitus eventus*. u) We. ex mss. Leidens. *pro illa*. Sed abest *pro* in plerisq. et *illă* commodius accipitur casu recto.

Nisi magis cum We. accipiamus, hoc adeo illi in mentem venisse, socrum, nobilem matronam, ad genua genero accidisse. *magni*. Itid. fere verba magna i. e. superba. His opp. Ovid. Met. VI, 151 ,,— verbisq. minoribus uti.“ *ut res dant sese*, ut forte eveniunt. Heaut. V, 1, 43.

21. *Hanc hab. or. instit*. Itid. Cic. Fam. X, 16. ,,flagitare senatus *institit*.“

22. *O mi Pamph*. ,,A nomine et blandimento, mire: quia secreta confitetur.“ Do. *abs te quamobr. ab*. Par. in marg. ,,Non propt. mores, ut putat Laches.“

23. *virgini*. ,,Quasi quae falli posset.“ Do.

24. *Nunc huc confug. etc*. Haec oratio socrus per mimesin Pamphilo relata. Quam quidem ille suis verbis interrumpit, ut lacrimis ostendat, quam infelix sit ex amore.

26. *fors fortuna*. Sub hac utraq. denominatione Dea Romanis interdum putabatur, quae templum trans Tiberim habebat colebaturq. ab iis, qui sine arte aliqua vitam tolerabant. *nob. q. te h. obtul*. Cf. Ad. III, 2, 24.

27. *si jus, si fas est*. Horum illud ad humanum jus pertinet, hoc ad jus divinum. Cic. de Arusp. 16. ,,Contra *jus fasque*.“

28. *Adversa ej*. Innuit stuprum virgini oblatum ac partum jam instantem. *tecta taci taq*. ,,*Tecta*, ne videantur, *tacita*, ne dicantur.“ Do.

29. *Si unq. erga te*. ,,Ab anteacta vita.“ Do. Itid. Andr. I, 5, 57.

30. *Sine labore*, h. e. libenter.

Ceterum de reducenda id facias, quod in rem sit tuam.
Parturire eam, neque gravidam esse ex te solus conscius.
Nam ajunt [x]) tecum post duobus concubuisse eam mensibus.
Tum, postquam ad te venit, mensis agitur hic jam septimus [y]);
Quod te scire, ipsa indicat res. nunc si potis est, Pamphile,
Maxume volo doque operam, ut clam eveniat partus patrem,
Atque adeo omnes. sed si id fieri non potest, quin sentiant,
Dicam, abortum esse. scio, nemini aliter suspectum fore,
Quin, quod verisimile est, ex te recte eum natum putent.
Continuo exponetur. hic tibi nihil est quicquam incommodi,
Et [z]) illi miserae indigne factam injuriam [a]) contexeris.
Pollicitus sum, et servare in eo certum 'st, quod dixi, fidem.
Nam de reducenda, id vero neutiquam honestum esse arbitror,

x) Par. in marg. „τὸ *ajunt* expunctum velit Palmerius me non invito.“ y) C. G. m. sup. script. *quia septim. mensis est, ex quo accepisti eam.* z) Ms. We. *Ut* pro *Et.* a) V. I. *vitium.* Cf. v. 23.

31. *de reducenda* sc. uxore. Infra IV, 4, 32.

32. *Partur. eam etc.* Ab rationib. incipit persuadendi.

33. *ajunt.* Honestius dicit pro ait sc. Philumena. Supra II. 3, 4. *post duob.* „Est enim ἀντιστροφὴ pro duob. post.“ Do.

34. *postq. ad te venit,* ex quo tibi ducta est uxor.

35. *si pot. est*; v. Ind.

36. *ut clam ev. p. p.* Junge *clam patrem.*

38. *abort. esse.* „Non est latinum, aborsa est, sed abortum fecit. Deest h. l. natum, vel factum, vel absolute.“ Do.

40. *hic*, in hac re. *tibi nih. est q. incom.* „Quum alienus exponitur, et non tollitur pro tuo.“ Do.

41. *indigne fact. injur.* Cf. supra v. 23. *inj. contex.* Hoc verbo *contegere* monemur, Pamphilum par pari Philumenae referre videri, quippe quae contexerat contumelias mariti; cf. I, 2, 91.

Nec faciam, etsi amor me [b]) graviter consuetudoque ejus tenet.
Lacrumo, quae posthac futura 'st [c]) vita, cum in mentem venit,
Solitudoque. o fortuna, ut nunquam perpetua es data [d]).
Sed jam prior amor [e]) me ad hanc rem exercitatum reddidit.
Quem ego tum consilio missum feci, idem [f]) nunc huic operam dabo.
Adest Parmeno cum pueris: hunc minime 'st opus
In hac re adesse. nam olim soli credidi,
Ea me abstinuisse in principio, cum data est.
Vereor, si clamorem ejus hic crebro exaudiat [g]),
Ne parturire intelligat [h]). aliquo mihi est
Hinc ablegandus, dum parit Philumena.

b) Sic colloc. libb. Be. In antiq. l. ordo est, *me amor.* c) L. antiq. *sit.* Do. *est.* d) Al. *bona* pro *data.* Glossam sapit. e) V. I. *Bacchidis.* f) Al. *eidem*, amori. Al. *item.* Concinnius est *idem* sc. ego. g) L. Bemb. *aud.* h) C. G. m. sup. script. *eam*, quod l. Bemb. exhib. in contextu. Facile subauditur.

44. *Nec fac.* Non reducam eam. Vid. Eun. II, 3, 98. not. *amor me etc.* Hoc cum gemitu. „Videtur per ἓν διὰ δυοῖν dictum, *amor consuetudoq.* pro amor consuetus, uti Andr. I, 1, 108." We.

45. *Lacr.* Hoc lacrumo Do. interpositis fletib. pronuntiari jubet; jungit tamen cum sequentibus, ita ordinando: *Lacrumo cum in ment. ven.*

46. *solitudoq.* Andr. I, 5, 55. Contrarium est, *amor consuetudoq.* v. 44. *ut nunq. perp. etc.* Sic fere Plaut. etiam Menand. Ἅπαντα νικᾷ καὶ μεταστρέφη τύχη.

47. *Sed j. prior amor etc.* „Id vult, didicisse se jam usu et exemplo Bacchidis, amorem e corde suo amovere, atque adeo facilius divortium cum Philum. esse laturum." We. *ad hanc r. exercit.* Ead. syntaxi, *doct. ad malit.* supra II, 1, 6.

48. *consilio*, ex consulto, cum ratione. *huic*, amori uxoris, *oper. dabo* sc. ut illum quoque amorem dimittam.

49. *Adest Par. c. pueris.* Vid. supra 2, 24.

50. *n. olim soli cred.* Supra I, 2, inde a v. 39 ad fin. usque.

51. *cum data est* sc. uxor.

52. *clamor. ej. aud.* Cf. supra I, 37. *hic*; cf. supra I, 34. seqq. Significat enim locum, ubi dudum constiterant ambo auscultantes.

53. 54. *aliq. m. est Hinc ableg.* „In tota Comoedia non cessabit, cum sit piger; nec resciscet aliquid, cum sit curiosus Parmeno." Do. *ablegand.* „Ita solent de iis, quorum praesentia molesta est." We. Itid. Liv. I, 35.

# ACTUS III. SCENA 4.

## PARMENO. SOSIA. PAMPHILUS.

*Par.* Ain' tu, tibi hoc incommodum evenisse iter?
*So.* Non hercle verbis, Parmeno, dici potest
Tantum, quam re ipsa navigare incommodum 'st.
*Par.* Itane est? *So.* o fortunate! nescis quid mali
Praeterieris, qui nunquam es ingressus mare.
Nam alias ut omittam miserias [a]), unam hanc vide,
Dies triginta aut plus eo [b]) in navi fui,
Cum interea semper mortem exspectabam miser;
Ita usque advorsa tempestate usi sumus.

a) V. I. *quas pertuli.* b) Pro *eo* Priscian. citat *ego.* Quod videtur esse ἁμάρτημα μνημονικὸν.

,,Alia ratio est currentis ad argumenta: alia actuum Comicorum. Sed perfecti poetae est, ita servire argumento, ut tamen spectator novis delectationibus teneatur. Nam in hac scena, donec perveniat ad Pamphilum Parmeno, hoc εὕρημα (inventum) inducitur, cum hoc ostenditur, quid mali sit navigatio.“ Do.

1. *Ain tu*, ,,pro Aisne tu. Et sit jam aliquid dixisse magni in praecedenti oratione ex respondentis sermone demonstratur.“ Do. Vid. supra II, 2, 1, not. *evenisse iter*; cf. Ph. I, 2, 16. *iter*, navigatio. Sed *navigare incommodum* esse etiam Cicero ad Fam. XIV, 5. et ad Attic. V, 12. dixit. Adde Menandr. *Πῦρ κ. θάλασσα, κ. γυνή, κακὰ τρία.*

3. *Tant. quam.* Hae particulae conjunctae etiam Varroni sunt usitatae ac Livio, pro tantum quantum.

4. *o fortunate.* Sic Hor. Sat. I, 1, 3. ubi miles exclamat: ,,*o fortunati* mercatores.“

7. *Dies triginta.* ,,Accusativ. casus plenum numerum significat.“ Do. *plus eo* sc. hoc spatio dierum. Cic. Phil. I, 3. ,,*plus una* nocte.“

8. *Cum exspectabam mis.* Cf. Andr. III, 3, 13, not. Et recte dicit, *exspectab. miser.* Nam gravior poena est *exspectare*, quam pati.

9. *Ita* pro adeo. *adv. temp. ust.* Proprie *tempestas* dicitur maris, pro impetuosis ventis et imbribus. Plaut. Most. I, 2, 27.

*Par.* Odiosum [c])! *So.* haud clam me est. denique hercle aufugerim
Potius quam redeam, si eo mi redeundum sciam [d]).
*Par.* Olim quidem te causae impellebant [e]) leves,
Quod nunc minitare [f]) facere, ut faceres, Sosia.
Sed Pamphilum ipsum video stare ante ostium.
Ite [g]) intro. ego hunc adibo, si quid me velit.
Here, etiam tu nunc hic stas? *Pam.* et quidem te exspecto. *Par.* quid est?
*Pam.* In arcem transcurso opus est. *Par.* cui homini? *Pam.* tibi.
*Par.* (*prae se fert ingenium servi imperatum aegre ferentis*) In arcem? quid eo? *Pam.* Callidemidem [h]) hospitem
Myconium, qui mecum una vectu 'st, conveni.
*Par.* Perii! vovisse hunc dicam, si salvus domum

c) V. I. *est navigare.* d) Vulg. *siet* pro *sciam.* e) V. I. *ut navigares.* f) C. G. m. explic. *minitaris.* Ibid. in marg. *ut ante fugeres quam navigares.* g) „Omnino adloquitur Sosiam cum pueris reliquis; vid. III, 2, 24. Unde adeo non opus cum Gu. legere, *I tu intro*, vel quod in glossis mss. addit, *ito intro.*" Sic not. We. h) Priscian. *Callimedem.*

10. *Odiosum*, pro odiose. *haud clam me est.* „Est λιτότης figura, pro, ego maxime intelligo, quam odiosum sit." Do. *aufugerim*, pro aoristo est Graecor. Nam Gellius lib. 18. c. 2. „Postrema, inquit, quaestionum omnium haec fuit, scripserim, legerim, venerim, cujus temporis verba sint, praeteriti, futuri an utriusque."

11. *eo.* Posit. est *eo* pro, in navem.

12. *Olim quid. te causae etc.* Jocose assentiendo levem hominem perstringit quasi fugitivum. *impelleb. leves.* Adeo ut tibi minime opus esset gravioribus causis, cujusmodi navigationem vocas.

13. *facere*, h. e. fugere. Dixerat enim *aufugerim*, v. 10.

14. *Sed Pamphil.* Vid. Eun. II. 1, 11, not. *ipsum.* Sic herum denotant, ut Graeci per αὐτὸν.

16. *etiam*, adhuc; „non minus *etiam nunc* pro adhuc." Tursellin.

17. *In arcem.* „Videtur intelligere ἀκρόπολιν in medio urbis sitam." We. *transcurso opus est.* Ad V, 9, 39. Obvenit autem *opus esse* cum participio centies; etiam Liv. 3, 27. „*maturato opus esse.*" *tibi.* Suppleatur, *transc. op. est*, uti plenius in Heaut. I, 1, 28.

18. *hospit.* „Vel quod hospitii jus cum eo contraxisset Pamphilus, vel quod peregrinus esset." We.

19. *Myconium.* „Ex Myconc insula, Cycladum una in mari Aegeo."

20. *vovisse hunc dic. si etc.* „Facete dixit. More enim hoc

Redisset unquam, ut me ambulando rumperet.
*Pam.* Quid cessas? *Par.* quid vis dicam[i])? an conveniam modo?
*Pam.* Immo, quod constitui me hodie conventurum eum,
Non posse[l]). ne me frustra illi[m]) exspectet, vola.
*Par.* At non novi hominis faciem. *Pam.* at faciam, ut noveris:
Magnus, rubicundus, crispus, crassus, caesius[n]),
Cadaverosa facie[o]). *Par.* (*murmurans*) Di illum perduint[p])!
Quid, si non veniet? maneamne usque ad vesperum?

i) Mss. quid *nunciem.* l) C. G. m. gl. *me.* m) L. antiq. *illic.* Vict. *ille.* n) V. I. *lenticulosus.* o) In C. G. m. *facies* c. gl. marg. *similis cadaveri.* p) Al. *perdant.*

fit eorum, qui longis itinerib. maris periclitati *vovent* aliquid, si salvi demum pervenerint. Et convenit hoc Pamphilo: quem supra male navigasse audierat." Do.

21. *me ambul. rump.* „Ex nimia nimirum intentione virium in currendo." We. Verb. *rumpere* comice frangere, nisi ipsum occidere significat.

22. *quid. v. dic. etc.* „Non enim mandaverat quidquam, qui sine causa mittebat, oblitus bene dissimulare. Et sic pronuntiandum, *an conv. modo?* ut reprehendere dominum Parmeno videatur." Do.

23. *Immo.* Subaudi, hoc dicito. *quod const.* Cf. I, 2, 120. etc.

24. *vola.* Non curre, sed *vola* hyperbolice dicit. Sic Cic. Phil. X, 5. „*Volasse* eum, non iter fecisse diceres."

25. *At non novi hom. fac.* Partic. *at* in occupationibus et dubitationib. frequens est. Accedit pigritia servi aegre obsequentis. *at fac. ut etc.* Stomachose repetit *at.*

26. *rubicund.* Scilicet flavior ostenditur quam rubrior. Sic it. Virg. G. I, 297. *rubicunda* Ceres i. e. flava. Nec *rubicund.* plane esse potest, is qui secund. v. 27. *cadaverosa fac.* est. *crisp.* Arguebatur olim, teste Do., Terentius imperite *Myconium* illum fecisse *crispum*, quem Apollodorus fecerit calvum, item ex proverb. Graecor. *Μυκώνιος φαλακρὸς.* Sed addit Do. Terentium scientem facetius *Mycon. cripsum* dixisse. *crisp.*, intortus. Plaut. Rud. I, 2, 37. *crass.* ventriosus. Sic Plaut. Pseud. IV, 7, 117. *caesius*, „oculis tortis paulum." Eu.

27. *Cadav. fac.* Par. in marg. „Morticinus." Allegat Lindenbruchius ex Sidon. Apoll. lib. XIII, ep. 5. ad h. l. „Sordidior est atque deformior cadavere rogali." *perduint* pro perdant. Priscian. lib. 8.

28. *Quid, si non etc.* „Omnia dicit ne eat." Do. Suppl. Par. „in arcem."

*Pam.* Maneto; curre. *Par.* non queo: ita defessus sum.
*Pam.* Ille abiit. quid agam infelix? prorsus nescio,
Quo pacto hoc celem, quod me oravit Myrrhina,
Suae gnatae partum [q]). nam me miseret mulieris.
Quod potero, faciam, tamen ut pietatem [r]) colam.
Nam me parenti potius, quam amori obsequi
Oportet. atat [s]), eccum Phidippum et patrem
Video. horsum pergunt. quid dicam hisce, incertus sum.

q) *quod me or. — partum.* Haec Gu. pro spuriis habet. r) V. I. *matris meae.* s) Id. *expavescentis.*

29. *Maneto* sc. tu illum, dum veniat. Ph. III, 1, 16. *non queo.* Hic in gestu et spectaculo plus est pigre incedentis.

30. *Ille.* Significantius hoc pronom. *quid ag. inf. etc.* Cf. Andr. I, 3, 4.

31. *Quo p. hoc. cel. quod etc.* Ad haec conf. sup. 3, 38. c. nota.

32. *Suae gn. part.* Epexegesis est prioris, *quod me orav. Myrrh.* Cf. 3, 35. 36.

33. *fac. tam. ut piet. col.* Vult quidem Pamphilus partum celare, sed non reducere uxorem. Tamen incertus est, quomodo id faciat, ne mater sua, vera divortii causa celata, innocens haereat in suspicione.

34. 35. *Nam me parenti etc.* Sostratae videlicet matri.

36. *hors. perg.* „Modo *pergunt* pro eunt; alias perseverant." Do. Sic it. Liv. I, 40. „vocati ad regem *pergunt.*"

---

## ACTUS III. SCENA 5.

### LACHES. PHIDIPPUS. PAMPHILUS.

*L.* Dixtin' dudum, illam dixisse, se [a]) exspectare filium?

a) In ms. Reg. *se* Lindenbr. non vidit.

„Haec scena utriusq. parentis continet verba, quemadmodum cogunt Pamphilum reducere uxorem. Simplex hic oratio est." Eu.

1. *Dixt. dud. illam etc.* Supra II, 2, 26. 27.

*Ph.* Factum. *L.* venisse [b]) ajunt: redeat [c]). *Pam.* quam causam dicam [d]) patri,
Quamobrem non reducam, nescio. *L.* quem ego hic audivi loqui?
*Pam.* Certum, offirmare, est, viam [e]) me, quam decrevi persequi.
*L.* Ipsus est, de quo hoc agebam [f]) tecum. *Pam.* salve, mi pater.
*L.* Gnate mi, salve. *Ph.* bene factum te advenisse, Pamphile,
Et adeo, quod maxumum 'st, salvum atque validum [g]). *Pam.* creditur [h]).
*L.* Advenis modo? *Pam.* admodum. *L.* cedo, quid reliquit Phania,
Consobrinus noster? *Pam.* sane hercle homo voluptati obsequens
Fuit, dum vixit: et qui sic sunt, haud multum heredem juvant.

b) V. I. *filium meum.* c) Id. *Philumena.* d) Miror cur Be. in lit. *m* ter repetita finali offendat, cum tale quid tam saepe obveniat ap. Terent. Itaque non subtilior ille quam pronior ad mutandum reposuit *causae quid,* pro, *quam causam.* e) V. I. *rationem.* f) In C. G. m. *aiebam* idq. mutatum invenio, ubi fuerat ante sine dubio *agebam.* g) Ibid. gl. *gaudemus.* h) Ibid. gl. *a me:*

2. *Fact.* sc. est; cf. Eun. V, 2, 12. *redeat*; cf. IV, 2, 12.

3. *nescio.* „Habet causam: sed non vult veram dicere." *quem ego h. aud. loq.* „Ut solet, primo personas inducit secum loquentes: deinde ipsas convenire invicem." Do.

4. *obfirm. viam me quam etc.* Innuit consilium initum de non reducenda uxore. *viam perseq.* translatum a viatoribus.

5. *Ips. est* sc. Pamphilus. Eun. III, 4, 8. *salve mi pat. Gnate etc.* Sic et Andr. IV, 5, 7. Salutatio prior ac posterior.

6. *bene fact. te adv.* Formula adventum gratulantis. Infra V, 4, 17. Et valet *bene factum* ut *gaudeo*; cf. Eun. V, 5, 6.

7. *Et adeo.* „Particula corrigentis." Par. *salv. atq. valid.* Per duo synonyma ornate. Sed est locutio plenior Eun. V, 5, 6. *creditur.* Sic Andr. V, 4, 44.

8. *admodum.* Hoc denotat monumentum praesentis temp. quod minus est Do. monente, quam modo. *quid reliqu.* sc. hereditate; vid. Nep. Han. I.

9. *Consobrin.* Ex Do. monitu *consobrini* sunt ex fratre et sorore.

10. *qui sic sunt.* „H. e. qui hujusmodi sunt morati morib." We. Andr. V, 4, 16.

Sibi vero hanc laudem relinquunt [k]): vixit, dum vixit, bene.
*L.* Tum tu igitur nihil attulisti huc una plus sententia?
*Pam.* Quicquid est, quod reliquit, profuit. *L.* immo obfuit [l]).
Nam illum vivum et salvum vellem. *Ph.* impune optare istuc licet:
Ille reviviscet jam nunquam; et tamen, utrum malis, scio.
*L.* Heri Philumenam ad se arcessi hic jussit. dic jussisse te.
*Ph.* Noli fodere [m]). (*ad Pamphilum*) jussi. *L.* sed eam jam remittet. *Ph.* scilicet.

k) L. antiq. *reliquit.* Id. lib. *relinquent.* Recte: nam ad univers. genus voluptariorum hoc refertur. l) *praefuit. obfuit.* Utriusq. verbi syllaba *it* ob eund. sonum producenda; siquid. Fa. contendit, postremas in t desinentes veterib. produci. m) V. I. *latus meum.*

11. *Sibi vero hanc etc.* Quasi diceret, *haud multum* heredi relinquunt, *sibi vero h. laud. relinq.* Heaut. II, 3, 74. *vix d. vix. b.* Proverbialit. v. Erasm. Sed junge, *bene vixit.* „Diversa significatione utitur τῷ *vixit.* Est enim *bene vixit*, genio suo indulsit.“ We.

12. *nih. attulisti etc.* Sic enim avarus interrogat. Simili modo est illud Ovid. A. A. II, 279. „Si *nihil attuleris*, ibis, Homere foras.“ *plus*, amplius. *sententia.* Illa sc. *sententia*, quae continetur v. 11. *vix, dum vix. bene.*

13. *Quicq. est qu. etc.* Sic solent attenuare, quod relinquitur. *im. obfuit.* Quia mortuus est.

14. *Nam ill. viv. et salv. vell.* Lachetem non ex animo loqui patet ex v. 8. et 12, ubi inhiare se ostendit hereditati. Huc pertinet P. Syri sententia: „Heredis fletus sub persona risus est.“ *salvum vellem.* Speciem formulae habet. Itid. Liv. II, 15. „si *salvam* esse *vellet* Romam.“ *impune opt. lic.* Jocatur, *impune* dicendo, quia heredi poena est, mortuos reviviscere. Sed *impune optare licet*, quod tu optatum nunquam eventurum certo scis.

15. *utr. mal. scio.* „Mortuum illum magis, quam ut reviviscat denuo.“ Do.

16. *Heri Philum. etc.* Ad rem, post ambages, venit, quam a principio intendebat. *ad se arcessi juss.* Hoc mendacio utitur, ut tegat, uxorem sponte sua abiisse. *dic juss. te.* Dicit hoc, Phidippum fodiens, submissa voce.

17. *Noli fod.* „Videbatur vero Laches Phidippum durius tundere seu digito seu cubito, idq. monendi gratia.“ We. Huc conf. Juvenal. Sat. III, v. 531. „Servus erit minus ille miser, qui *foderit* agrum, Quam dominum.“ Et Hor. Ep. I, 6, 50. ubi Lambin. „extrema manu pulsum admonere.“ *jussi.* Sic admonitus clara voce. *scilicet*; cf. Ad. IV, 7, 33, not

*Pam.* Omnem rem scio, ut sit gesta. adveniens audivi [n]) modo.
*L.* At istos invidos Di perdant, qui haec libenter nuntiant.
*Pam.* Ego me scio cavisse, ne ulla merito contumelia
Fieri a vobis posset; idque si nunc memorare hic velim,
Quam fideli animo et benigno in illam et clementi fui,
Vere possum [o]), ni te ex ipsa haec magis velim resciscere.
Namque eo pacto maxume apud te meo erit ingenio fides,
Cum illa, quae in me nunc iniqua est, aequa de me dixerit.
Neque mea culpa hoc discidium [p]) evenisse, id testor Deos.
Sed quando sese esse [q]) indignam deputat matri meae
Quae [r]) concedat, quaeque ejus [s]) mores toleret sua modestia;
Neque alio pacto componi potest inter eas gratia:
Segreganda aut mater a me est, Phidippe, aut Philumena.

n) Id. *omnia.* o) Al. *possim* male. p) Al. *dissid.* q) Fa. ex o. l. s. *esse.* Non hab. l. antiq. r) s) *Quae - quaeq. ejus.* Sic mutata Be. probantur et mihi. Vulg. r) *Cui* s) *cuiusque.* Habebat antea l. Bemb. *Quae conced.* a manu secunda, Gu. et Gronov. probantib. Altera mutatio Be. s) aeque mihi placet prae vulg. lectione, *cuiusque.* Al. leg. *cuius* omisso *que.* Hoc modo Be. nodum solvit, quo vulgata lectio impeditur.

18. *Omn. rem scio.* Par. explic. „Ex Parmenone."

19. *At ist.* „*At* initio sententiae abrupte positum indignationis et commoti animi signum est." We.

20. *Ego me scio etc.* Haec et quae sequuntur ad Phidipp. conversus loquitur. *cavisse ne ulla etc.* Quod aliis verbis esset, nihil commisisse, quo ulla etc.

23. *possum* sc. memorare, ex versu 21.

24. *meo erit ingen. fid.* Supra I, 2, 77.

27. 28. Donatus et post eum alii falsa lectione impediti miris modis se torquent, nec se poterunt expedire. Contra Bentleji horum versuum correctio ea est, ut inde interpretatio sponte sua sequatur. *mores tol.* Maluit *mores* quam injurias dicere. Ad. III, 3, 77.

29. *Neq. alio pacto etc.* Cf. Andr. IV, 4, 52. *componi potest etc.* Cf. Ph. IV, 3, 16. 17.

30. *Segreganda*; cf. infra V, 2, 23. *Segregari* enim dicitur mulier a viro; item vir a muliere; cf. infra V, 1, 26. et 2, 30.

Nunc me pietas matris potius commodum suadet sequi.
*L.* Pamphile, haud [t]) invito ad aures sermo mi accessit tuus,
Cum te postputasse omnes res prae parente intelligo.
Verum vide, ne impulsus ira [u]) prave insistas, Pamphile.
*Pam.* Quibus iris impulsus nunc in illam iniquus siem?
Quae nunquam quicquam erga me commerita 'st, pater,
Quod nollem; et saepe meritam quod vellem scio,
Amoque et laudo et vehementer desidero.
Nam fuisse erga me miro [x]) ingenio expertus sum;
Illique exopto, ut reliquam vitam exigat
Cum eo viro, me qui sit fortunatior:
Quandoquidem illam a me distrahat necessitas.
*Ph.* Tibi in manu est, ne fiat. *L.* si sanus [y]) sies,
Jube illam redire. *Pam.* non est consilium, pater.

t) Par. *aut* prave. u) V. I. *contra Philumenam.* x) Id. *fideli.* y) Al. *satis.*

31. *Nunc me pietas etc.* Cf. supra 4, 33. 44. *me suad.* Verb. *suadere* cum accusativo v. Phaedr. I, 15, 6. ubi Burman.

32. *haud invito ad aures etc.* Quia nimirum placet tua pietas.

33. *Cum te postputasse etc.* Cf. Ad. II, 3, 9. *omnes res.* Eleganter plus dixit, *omnes res*, quam si diceret, uxorem.

34. *Verum vide ne etc.* „Leniter et suadenter." Do. *prave.* Contrarium *recte*, ut Heaut. I, 1, 107. *insist.* Cf. Ph. I, 4, 15. Ne in praeposito perseveres.

35. *Quib. iris.* Plurali num. *iris* dixit pro irae causis.

36. *commerita est.* *Commereri* in malam part. accipitur item Andr. I, 1, 112.

37. *Quod nollem etc.* Antitheta vide, *Quod nollem, quod vellem; commerita est*, et *meritam.* Unde vero ornatus prodit orationis. *meritam.* Sic it. in bono sensu, Andr. I, 5, 46.

38. *Amoq. et laudo et etc.* Videamus particulas *que et et*, quo ordine non insueto sequantur. Ad. I, 1, 39, ubi nota. Praeterea notand. est Pamphilum amore compulsum loqui et agere, quamquam nunc temporis nolit, in fine tamen valde cupiat spretam reducere uxorem. Tanta enim est oeconomia materiae.

39. *miro ingen.* h. e. mirifico, singulari. Virg. A. VIII, 57. „adjungi generum *miro* properabat amore."

40. *ut reliq. vit. exig.* „Satis flebiliter dixit: *reliq. exig.*" Do.

42. *Quandoq. ill. a me etc.* Excusatio repudii a necessitate.

43. *Tibi in manu est, ne etc.* „Tui arbitrii res est." We. Infra IV, 4, 44.

44. *non est consil.* Lenis recusatio, ne dicat, nolo reducere. Tacit. A. I, 1. „Inde *consilium* mihi, pauca de Augusto — tradere."

Matris servibo commodis. *E.* quo abis? mane,
Mane, inquam. quo abis? *Ph.* quae haec est pertinacia!
*L.* Dixin', Phidippe, hanc rem [z]) aegre laturum esse eum?
Quamobrem te orabam, filiam ut remitteres [a]).
*Ph.* Non credidi aedepol adeo inhumanum fore.
Ita nunc is sibi me supplicaturum putat?
Si est, ut velit reducere uxorem, licet;
Sin alio est animo, renumeret [b]) dotem huc, eat!
*L.* Ecce autem tu quoque proterve iracundus es.
*Ph.* Percontumax redisti huc nobis, Pamphile.
*L.* Decedet [c]) ira haec; etsi merito iratus est.
*Ph.* Quia paulum [d]) vobis accessit pecuniae,
Sublati [e]) animi sunt. *L.* etiam mecum litigas?
*Ph.* Deliberet, renuntietque hodie mihi,
Velitne, an non, ut alii, si huic non est, siet.

z) *quod a domo mea recessit Philumena.* a) L. antiq. colloc. *ut fil. remitt.* b) V. I. *reddat, quod ei dedit.* c) Al. *jam.* d) Al. *paululum.* e) V. I. *elati.*

45. *Matr. serv. commod.* „Hoc verbo necessitatem, qua cogatur, ostendit.“ Do. Ceterum forma *servibo* est antiquitus usitata.

46. *quae h. est pertinac.* Cf. supra II, 1, 5.

47. *Dixine?* Dixerat enim supra II, 2, 19.

48. *Quamobr. te orabam etc.* Sic artificiose dicit, id a se praedictum esse supra II, 2, 19.

49. *adeo inhum.* Acerbe addit *adeo*, quasi iratus.

50. *supplicaturum.* „Parum est, satisfacturum; supplicaturum addit.“ Do.

52. *renum. dot.*, h. e. reddat. „Est enim *dos* id, quod datur marito a muliere.“ Fab. Thes.

53. *Ecce autem etc.* „Admirantis formula.“ We. *proterve*, immoderate, superbe.

54. *Percontumax*, „proprie contemtor potiorum.“ Do. *Percontum. rediisti.* „Magnae indignationis est, absentes alloqui.“ Do. Abiit enim Pamphilus inde a v. 46.

55. *Deced. ira h.* Cf. infra V, 2, 15. Et Curt. VIII, 2. postq. *ira* mente *decesserat.*“

56. 57. *Quia paul. vob. etc.* Quod sc. Phania eis reliquit; cf. v. 13. Similis sententia Liv. I, 54. „quum *divitiae* jam *animos* facerent.“ Itid. Plaut. Stich. II, 2, 28. *animi*, h. e. superbiores, insolentiores. *et mec. litig.* „Invidiose, quasi jam cum Pamph. litigaverit.“ Do.

58. *Delib. renunt. h. mihi.* „Ferocius quam socerum deceret.“ Do.

59. *Velitne* sc. reducere uxorem; cf. v. 51. *ut alii sit.* Subaudi viro uxor. Ut alius eam habeat uxorem.

*L.* Phidippe, ades, audi paucis. abiit. quid mea?
Postremo inter se transigant ipsi, ut lubet:
Quando nec gnatus, neque hic mihi quicquam obtemperant [f]),
Quae dico, parvi pendunt. porto hoc jurgium
Ad uxorem, cuius haec fiunt [g]) consilio omnia,
Atque in eam hoc omne, quod mihi aegre 'st, evomam.

f) „Hic versus et qui sequuntur Guyeto insitii videntur." We. g) C. G. ch. miro ordine hoc, *haec fiunt cuius*

60. *Phidippe, ades.* Sic nomine appellato solent mitigare iratos. *audi paucis* sc. verbis. Ad. V, 5, 20. *abiit*, filius.

61. *Postr. int. se transig. ipsi.* „Non enim haec votiva sunt, quib. interesse delectet." Do.

62. *Quando nec gnat. neq. hic etc.* Invidiose haec dicit ut iratus.

63. *porto hoc j. ad ux.* „Putat enim, ejus causa puellam discessisse." Eu.

65. *evom.* „Bene *evomam*, quia aegritudinem solet vomitus relevare." Do.

---

# ACTUS IV. SCENA 1.

## MYRRHINA. PHIDIPPUS.

*M.* (*secum*) Perii! quid agam [a])? quo me vertam? quid viro meo respondebo

a) C. G. m. *dicam.*

„Mire in hac scena iterum rixa est senis atque anus: et tamen varie et alio modo, ut mores inter se diversos, et tamen notos possimus agnoscere." Ita Do. Sed ab altera parte Eu. haec: „Ingressus Phidippus invenit filiam parturientem, primum adulterii crimen intendens. Sed hoc breviter frangit, quia ex illo parit, cui nupt. data est. Post inducit crimen injuriarum, quod partum celaverit. Egressa igit. mulier, quaerit consilium, quemadmod. respondeat, quod pater cognoverit partum. Et consilium utique ad hoc quaerit."

1. *quo me vert.* Cf. Heaut. V, 1, 73. *quid viro etc.* Eun. IV, 7, 40.

Misera? nam audivisse vocem pueri visu'st [b] vagientis:
Ita corripuit [c] derepente tacitus sese ad filiam.
Quodsi rescierit peperisse eam; id qua causa clam me habuisse
Dicam, non aedepol scio.
Sed ostium concrepuit. credo ipsum ad me exire. (*viso Pamph.*) nulla sum.
*Ph.* (*secum*) Uxor, ubi me ad filiam ire sensit, se duxit foras,
Atque eccam video. quid ais [d], Myrrhina? heus, tibi dico. *M.* mihine, mi vir?
*Ph.* Vir ego tuus sim [e]? tu virum me, aut hominem deputas adeo esse?
Nam si utrumvis horum, mulier, unquam tibi visus forem,
Non sic ludibrio tuis factis habitus essem. *M.* quibus? *Ph.* at rogitas?
Peperit filia. hem, taces? ex quo? *M.* istuc patrem rogare est aequum?
Perii! ex quo censes, nisi ex illo, cui data est nuptum, obsecro?

b) Sic per apostroph. ed. Fa. Mu. Par. al. At Erasm. explicite, *visus est*. c) V. I. *subito intravit*. d) Al. *agis* pro *ais*. Commode. Neq. enim locuta esse videtur Myrrhina quidquam. e) Al. *sum* perperam.

2. *audiv. visus est* sc. vir seu maritus ingressurus. Sup. III, 1, 38.

3. *Ita*; cf. III, 4, 9. Nam quia *corrip. tacit. sese*, inde patet eum *audivisse vocem vagient.*

4. *Quod* „pro nam, aut itaque." Do. Sed Do. non cepit. Nam, *Quod*, est ad diction. *pep. eam* referendum; cui respondeat *id*, quod sequitur. *id qua causa etc.* H. e. Quam causam dicam, cur ego partum filiae *clam habuerim, non aedep. scio.* Sed concinnius dixit Poeta et elegantius. *clam*, adverb. est, non praepositio. Aliter infra 4, 55.

5. *non aedep. scio.* „Ideo quia vera causa dici non potest." Do. Notand. est plura dicturam subito crepitu ostii interrumpi.

8. *Atque eccam etc.* Cf. Andr. III, 3, fin. „Apparet mulierem fugere, et viri aversari praesentiam." Do. *mihine etc.* Cf. Andr. V, 2, 8.

9. *tu vir. aut homin.* Utrumq. hoc, et *vir.* et *hom.* per eminentiam sume. *deput. esse*; cf. Andr. IV, 5, 2.

11. *at rogit.* „Bene irascitur interroganti. Nam interrogare quae sciat, imprudentiae est." Do.

12. *taces?* Itid. Eun. IV, 4, 28. *ist. patrem etc.* „Mira calliditas." Do.

*Ph.* Credo; neque adeo arbitrari patris est aliter. sed demiror,
Quid sit, quamobrem tantopere omnes nos celare volueris [f])
Partum; praesertim cum et recte et tempore suo pepererit [g]).
Adeon' pervicaci esse animo, ut puerum praeoptares perire,
Ex quo firmiorem inter nos fore amicitiam posthac scires,
Potius, quam advorsum [h]) animi tui libidinem esset cum illo nupta.
Ego etiam illorum esse [i]) culpam hanc credidi, quae te est penes.
*M.* Misera sum. *Ph.* utinam sciam ita [l]) esse istuc. sed nunc mi in mentem venit,
Ex [m]) hac re quod locuta es olim, cum illum generum cepimus.

f) Codd. quid. We. *volueritis.* g) Lindenbr. C. Reg. *peperit.* h) Par. p. var. *advorsus.* i) C. G. m. invert. *esse illor.* Sup. script. *Pamphili et Sostratae.* l) In ms. Lindenbr. *ita* abest. m) Be. ed. *De*, Donatum secutus ad Hec. IV, 4, 89. ita citantem.

14. *Credo* sc. filiam peperisse ex marito suo. De partu quidem maritali persuasus est Laches a muliere, sed aliud crimen intendit, quod ista celaverit partum.

15. 16. *omn. nos cel. Part.* Cf. III, 1, 40. „Antiqua locutio, illam rem celo te." Do. *recte*; cf. Heaut. I, 1, 107. Significare videtur per *recte*, quod ex legitimo matrimonio illa pepererit. Supra III, 3, 39. *temp. suo*, h. e. septimo mense, quo etiam, ex opinione certe Lachetis, possit fieri, ut partus integer edatur. Aliter sensit peritior femina; cf. III, 3, 54. 39. Haecce interpretatio mea. Sed quam alii aliam dederint, praetereo.

17. *pervic. esse animo.* „Pervicax est perseverans cum quad. vi." Do. *Adeone perv. esse an.* Cf. Andr. IV, 2, 6, not.

18. *Ex quo* sc. puero, tanq. pignore caro matrimonii.

19. *Potius.* Abundat quidem *Potius* propter *praeopt.* sed conjunctionem periodi membrorum adjuvare videtur. *libid.* Cf. Heaut. II, 1, 4, not. *cum illo nupta.* Haec syntax. etiam Ciceronis est, ad. Fam. 15, 3. „*cum* regis *filio nupta* erat."

20. *etiam* pro adhuc. *te penes.* Per metathesin pro *penes te.* Sanctius autem in Min. I, 15. observat: „Praepositio etiamsi postponatur, non desinit vocari praepositio."

22. *Ex hac re.* Post haec verba We. posuit comma, explicans ipsa: „Ex moribus Pamphili." Sed placet Gu. qui exponit, „Ex hoc" *quod.* Eun. V, 5, 31, not. *cepim.* Par. „eligimus." Sic it. Liv. 6, 23. „locum *cepisse* pro elegisse."

Nam negabas nuptam posse filiam tuam te pati
Cum eo, qui meretricem amaret, qui pernoctaret foris.
*M.* (*secum*) Quamvis causam hunc suspicari, quam ipsam veram, mavolo [n]).
*Ph.* Multo prius, quam tu, illum [o]) scivi habere amicam, Myrrhina;
Verum id vitium nunquam decrevi esse ego adolescentiae:
Nam id omnibus innatum 'st. at pol jam aderit [p]), se quoque etiam [q]) cum oderit.
Sed ut olim te ostendisti, nil cessavisti eadem [r]) esse usque adhuc,
Ut filiam ab eo abduceres; neu [s]), quod ego egissem [t]), esset ratum.
Id nunc res indicium haec facit, quo pacto factum volueris.
*M.* Adeon' me esse pervicacem censes [u]), cui mater siem,

n) Hoc Plautin. verb. hab. aliq. mss. Fa. ac Be. Ceteri *malo.* o) We. leg. *illam* post *illum.* p) Ms. Lips. *tempus.* Itid. C. G. m. et Bru. C. e. cum nota, *prae senectute.* q) Gu. existimat *quoque* glossam esse, *etiam* genuinum. At utrumq. hoc it. est, infra V, 1, 8. r) We. p. var. *eand.* Sic et Mu. qui ordinat, *te ostend. eand. esse, nihil cess. usq. adh.* s) C. G. m. et Hal. *ne*, idq. verius videtur, cum *neu* non sequatur, nisi *ne* praecedente. Infra 2, 11. Nisi forte τὸ *nihil* v. 29. locum τοῦ *ne* obtinere putetur. t) V. I. *nuptias.* u) Ed. 1469. *ei* ante *cui.*

23. *negab. nupt. te pati* pro diceb. *nupt. te* aegre ferre. Unde etiam suspicatur Laches partum illam celasse.

24. *qui pernoct. for.* Propt. illud quod superiora declarant, I, 2, 28.

25. *Quamvis* pro quamlibet. *veram caus.* Cf. III, 3, 22. 23. Quod enim libere confessa erat Pamphilo, id celare conatur maritum.

27. *id vit. nunq. etc.* „Exemplum disciplinae Atticae.“ We. cf. Andr. V, 3, 25.

28. *Nam id omnib. innat. est.* „Amare in adolescentia.“ Do. Heaut. V, 2, 4. *aderit, oderit.* Paromoion: cf. Andr. IV, 4, 38. Sententia similis est Juvenal. VII, 34. „Taedia tunc subeunt animos, tunc *seque* suamq. Terpsichoren *odit* facunda et nuda senectus.“ Et Plaut. it. Bacch. III, 3, 13.

29. *ut te ostend.* Cf. Eun. II, 3, 16.

30. *Ut fil. ab eo abduc.* Cf. infra V, 1, 22. *neu quod ego etc.* Hoc nihil aliud est quam quod id. dixerat in Sostratam, supra II, 1, 5. Itid. Heaut. V, 3, 5.

31. *Id n. res indic. h. fac.* Cf. Ad. IV, 4, 8. 9. *fact. vol.* Cf. Ph. II, 3, 85. Significatur autem, ut filia ab illo abduceretur.

Ut eo essem animo, si esset nostro ex usu [x]) hoc matrimonium?
*Ph.* Tun' prospicere aut judicare nostram in rem quod sit potes [y])?
Audisti ex aliquo fortasse, qui vidisse eum diceret
Exeuntem aut introeuntem ad amicam. quid tum postea?
Si modeste ac raro fecit. nonne ea [z]) dissimulare nos
Magis humanum est, quam dare operam, id scire, qui nos oderit?
Nam si is [a]) posset ab ea sese derepente avellere,
Quacum [b]) tot consuesset annos, non eum hominem ducerem
Nec virum satis firmum gnatae. *M.* mitte adolescentem, obsecro,
Et quae me peccasse ais. abi [c]), solum solus conveni.

x) Sic Be. ut *úsu* in arsi esset, non in thesi. Vulg. *ex usu ess. nost.* y) In C. G. m. et Hal. hunc vers. Myrrhina continuat; sequens demum tribuitur Phidippus. z) Be. *ea*, num. plurali offensus, ex auctorit. Codd. suor. emittit. At vero item plurali Poeta utitur infra v. 46. quemadmod. supra 2, 2. a) C. G. m. *ipse.* b) Al. *Quicum.* c) Be. ingerit *eum* frigide; cf. Eun. III, 5, 31.

33. *si ess. nostr. ex usu,* si nobis utile esset.

34. *Tune prespic.* Ad. I, 2, 47. *nostr. in rem*; cf. II, 2, 7, not.

35. *qui vidisse eum diceret.* „Non, qui vidisset." Do.

36. *quid tum postea?* Ἰδιωτισμὸς, quo contemnimus crimina leviora." Do. Eun. II, 3, 79.

38. *human. est*; cf. Heaut. III, 2, 41. Ad. IV, 5, 53. Nota, *Magis human.* pro humanius, Terentiano more. *id scire qui etc.* Sensus est, id sedulo percontari aut detegere, quo detecto magis odium mereamus. Nam si quos temere prodimus invitos, ab iis non injuste odio habemur. *qui*; cf. Andr. IV, 4, 52, not.

39. 40. *Nam si is posset etc.* His enim significat, *viri* esse vel *hominis* firmissimi, si quid, etiamsi minus laudabile acceperit semel, non protinus omittere. Ac merito haec Lachetis sententia probatur. Nam qualis amator, talis idem gener facile poterat putari. *ab ea sese avell.* Cf. Eun. III, 3, 14. *Quac. consuess.* Ad. IV, 5, 32. *ducerem,* aestimarem.

41. *Nec sat. firmum* sc. futurum. Andr. III, 3, 39. *mitte adol. et quae etc.* Ad. II, 1, 31. „His verbis solemus commentitia argumenta contemnere," Do. Ceterum bene repetit *adolescent.* qui ille dixerat, *vit. adolescentiae,* v. 27.

42. *sol. sol. conv.* „Myrrhina callide ablegat maritum ad Pamph., qui fidem dederat, se rem celaturum, adeoq. solus, si reducere amplius nollet, culpam laturus erat."

Roga, velitne uxorem, an non: si est, ut dicat velle se,
Redde: sin est autem ut nolit, recte ego consului meae.
*Ph.* Si quidem ille ipse non volt, et tu sensti [d]) esse in eo, Myrrhina,
Peccatum; aderam, cuius consilio fuerat ea par prospici.
Quamobrem incendor ira, te [e]) ausam facere haec [f]) injussu meo.
Interdico, ne extulisse extra aedes puerum usque velis.
Sed ego stultior, meis dictis parere hanc qui postulem.
Ibo intro, atque edicam servis, ne quoquam efferri sinant.
*M.* Nullam pol credo mulierem me miseriorem vivere.
Nam ut hic [g]) laturus hoc sit, si ipsam rem, ut siet, resciverit,

d) Ita legend. putab. Fa. Durum est quidem *sensti*, sed durius quod Cicero adfert, „extinxsti," de Or. II, 46. Vulg. *sensisti*, contra trochaici leges. e) Al. *esse*. f) V. I. *adducere eam domum*. g) C. G. m. sup. script. *Pamphilus*. Errat interpres, et magis audiatur Bru. C. e. gl. *Phidippus*.

43. 44. *si est*, *ut*. Periphrasis Nostro familiaris, pro, Quodsi dicat. *si est*, *sin est*. Cf. infra 4, 15. Sic it. Cic. centies. *velle se* sc. uxorem. *Redde*, remitte eam. *nolit* sc. reducere. *recte ego cons. meae*, filiae. Idque optime consultum filiae arbitror celando partum.

45. *Siquid. ille ipse etc.* „Notandum, quemadmod. omnia, quib. se defenderit Myrrhina, in malam part. accipit Phidippus; et hinc magis accusat, unde illa se purgat." Do.

46. *Peccatum*, culpam. *aderam*; cf. Eun. V, 2, 52. *cujus*, viri sc. Nam me virum, id dicere vult, oportuit *prospicere* vel praecavere, non te mulierem, alienis reb. te admiscentem *fuerat*. Barbare diceres, fuisset. *par*, aequum.

47. *facere haec*. Adnumerat Do. singula haec; abducere filiam, celare partum, exponere puerum.

48. *Interdicon e etc.* Cf. Ph. IV, 4, 27. *Interdicere* verb. praetorium. *extulisse velis*, pro efferas. Hanc periphras. cum *velle* veteres amant. Lucret. II, 640. Ovid. Met. II, 745.

49. *hanc*. Per demonstration. irati; quasi diceret *hanc* pervicacem; cf. v. 16. *qui*, pro ut, quomodo.

50. *edic*. Cf. I, 2, 53. Eun. III, 5, 30. ubi hoc verb. particula *ne* sequente. Hoc enim animadvertitur contra Do. qui praecipit illud: „*Edicimus* quod jubemus fieri; *interdicimus* quod vetamus." „fieri," *efferri* sc. puerum.

51. *mul. me miserior*. Cf. Andr. I, 5, 10. Exclamatio dolentis. Itid. Plaut. IV, 1, 51. „quis homo est me hominum *miserior*? Calliditas Myrrhinae exhausta, hinc majora metuentis; sed catastrophe succedit, quae tristia mox mutabit.

52. *ut hic laturus etc.* Cf. supra II, 2, 19. 20. *Ferre* autem

Non aedepol clam me est, cum hoc, quod levius est [h]), tam animo iracundo tulit;
Nec, qua via sententia ejus possit mutari, scio.
Hoc mi unum ex plurimis miseriis reliquum [i]) fuerat malum,
Si puerum ut tollam [l]) cogit, cuius nos qui sit nescimus pater.
Nam cum compressa est gnata, forma in tenebris nosci non quita [m]) est,
Neque detractum ei [n]) est quicquam, qui posset post nosci [o]), qui siet.
Ipse eripuit vi, in digito quem habui, virgini abiens annulum [p]).
Simul vereor Pamphilum, ne orata nostra nequeat diutius
Celare, cum sciet alienum puerum tolli pro suo.

h) V. I. *quod dicit me celare partum illius.* Al. leg. *leve.* i) Script. Be. *reliquum.* Par. *relliq.* Mu. *relliquom.* l) V. I. *nutriam.* m) Id. *ab ea.* n) L. antiq. *tum.* o) C. G. m. *noscier.* p) In libb. quos vidi fere omnib. script. est *anulus*, per unum v, non *annulus*, per duo. Duplum tamen, quod obvium fit ex consuetudine nostratium, cum pronuntiatione veterum potest conciliari; vid. ad Andr. I, 1, 96.

dicitur quid aut aeque aut inique vel graviter. *si ips. rem.* Hoc nimirum, ex adulterio filiam peperisse. Supra III, 3, 32.

53. *qua via*, qua ratione. Supra I, 1, 16. *sentent. ejus.* Quae viri sententia spectat nimirum ad puerum tollendum; contraria uxoris, ad exponend. illum. Supra III, 3, 40.

55. *Hoc mihi un. ex reliq. etc.* „Ex omnib. malis reliquum quum dicat, maximum malum significat.“ Do. Hoc enim theotisce diceres: das fehlte mir noch.

57. *compressa*; cf. infra V, 3, 30. 34. Itid. Liv. I, 4. „Vi *compressa* Vestalis.“ *forma*, comprimentis. *in tenebr.* Cf. V, 3, 24. *quita est*, antique pro quivit. Sallust. in Jug. 31. „nequitur.“

58. *ei*; Par. in marg. „Qui compressit.“ *Neq. detract. est quicq.* „Solet enim fieri.“ Do. Atque Lindenbr. ex Pacuvio ap. Fest. adfert: „Repugnanti ego porro hunc vi detraxi ungulum.“ Et We. morem hujusmodi rei putat hic subesse antiquum, quem ex libb. sacris usque petit, Genes. 38, 18.

59. *erip. vi annul.* Huic compara, quod Bacchis dicit, infra V, 3, 23. *Ipse eripuit.* „Hic ad exitum spectat παρασκευῇ, quia per annulum fiet cognitio.“ Do.

60. *orata nostra.* Innuit sine dubio superiora; cf. III, 3, 24. 25.

61. *alienum puer.* Proprie de notho. Infra IV, 4, 27.

# ACTUS IV. SCENA 2.

## SOSTRATA. PAMPHILUS.

*So.* Non clam me est, gnate mi [a]), tibi me esse suspectam, uxorem tuam
Propter meos mores hinc abisse, etsi ea dissimulas sedulo.
Verum, ita me Di ament! itaque obtingant ex te quae [b]) exopto [c]) mihi,
Ut nunquam sciens commerui, merito ut caperet odium illam [d]) mei;
Teque ante quam [e]) me amare rebar, ei rei firmasti fidem.

a) L. antiq. *mi gnate.* Dec. hic demum facit initium act. IV. propterea quod scena vacua sit a personis. b) V. I. *bona.* c) L. Bemb. *exoptem.* d) Ita Fa. recte; cf. supra II, 1, 22. Vulg. *illa.* e) Be. ex veterr. *quod* pro *quam.*

Mater Sostrata comperit Pamphilum idcirco nolle reducere uxorem, quod vellet matris injurias vindicare. Credit enim jurgio matris puellam discessisse. Et hoc igitur proprie agit Sostrata, uti rus ipsa discedat, si propt. praesentiam uxor redire non vult. „Sed alia causa est, cur Pamphilus non reducit, quia parere puellam vidit, et suspicatur ex alio: sed hoc celat." Eu.

2. *Propt. meos mor.* „*Mores* proprie senum dicuntur: unde senectus morosa etc." Do. *ea.* Neutro gen. utitur pro, eam rem.

3. *itaque.* Duae partes orationis pro, et ita. *itaq. obting. ex te.* „Pro se jurat, et ita rem Pamphilo probat, ut blanda sit." Do.

4. *Ut nunq. sciens etc.* Haec integra constructio verborum, *ita me D. ament etc. ut nunq. commerui*, jurantis est. Hoc fere modo Cic. ad Attic. V, 15. „*Ita vivam, ut* maximos sumtus *facio.*" *ut cap. od. ill. m.* Cf. supra II, 1, 22.

5. *Teq. ante quam etc.* „Ordo et sensus hic est: Et quod ante rebar, ei rei firmasti fidem meam etc." Do.

Nam mi intus tuus pater narravit modo, quo pacto me habueris
Praepositam amori tuo. nunc tibi me certum est contra gratiam
Referre, ut apud me praemium esse positum pietati [f]) scias.
Mi Pamphile, hoc et vobis et meae commodum famae arbitror.
Ego rus abituram hinc cum tuo me esse certo [g]) decrevi patre,
Ne mea praesentia obstet, neu causa ulla restet reliqua,
Quin tua Philumena ad te redeat. *Pam.* quaeso, quid istuc consili est?
Illius [h]) stultitia [i]) victa, ex urbe tu rus habitatum migres?
Non facies; neque sinam, ut, qui nobis, mater, maledictum velit,
Mea pertinacia esse dicat factum, haud tua modestia.
Tum tuas amicas te et cognatas deserere et festos dies

f) Sic l. Vict. In antiq. *pietatis.* g) Al. *certe.* h) V. I. *patris mei.* i) Id. qua te *increpabat.*

6. *Nam mihi int. te pater etc.* Innuit nimirum superiora III, 5, 32 etc. *me hab. Praepos. am. tuo.* „Plus dixit *amori tuo*, quam si, uxori tuae, diceret. Itid. Valer. Flacc. VI, 121. „raptor amorum.“ Et Curt. IX, 6, 17. Alexander ad amicos, „Grates ago, inquit, quod hodie salutem meam vestrae *praeponitis.*“

8. *ut ap. me praem. esse etc.* Locus fere express. ex Plaut. Poen. V, 4, 17.

9. *Mi Pamph. hoc et vobis etc.* „Rem duram dictura, vide quantis praeblanditur verbis, remq. praemolliat.“ Do.

10. *certo decrevi.* Non satis habet *decrevi* dixisse, sed addit *certo*; ne sit dissuadendi locus.

11. *neu c. ulla restet* sc. vobis.

13. *victa*; cf. I, 1, 62. et 2, 93. *rus habit. migr.* Cf. II, 1, 27.

14. *Non facies*, blande dissuadentis. *neq. sin.* cf. Ad. II, 1, 14. *qui nob. maledict. vel.* pro, inimicissimus nobis. Hac enim periphrasi utitur, ne pater dicat immodeste. *maledict. velit.* Ead. syntaxi Cic. de Offic. III, 27. „consultum *velit.*“

15. *Mea pertinacia etc.* Recte *pertinacia*: quippe quam Pamphili esse Phidippus dixerat supra III, 5, 46. *modestia.* Virtus haec mulierem decet inprimis; cf. supra I, 2, 90. III, 5, 28. Ad. V, 8, 7.

16. *Tum tuas amic. te etc.* „In dissuadendo commiscuit et honestatem et utilitatem.“ Do. *amic. cognat.* Cf. Heaut. I, 2, 20. *festos dies.* Par. in marg. „dictum hoc festum χαριςία, cui praeter cognatos et affines nemo interponebatur.“ Val. Max. II, 1, 8.

Mea causa nolo. *So.* nil pol [l]) jam istaec [m]) mihi res voluptatis ferunt.
Dum aetatis tempus [n]) tulit, perfuncta satis sum. satias [o]) jam [p]) tenet
Studiorum istorum. haec mihi nunc cura est maxuma, ut ne cui meae [q])
Longinquitas aetatis obstet, mortemve exspectet [r]) meam.
Hic video me esse invisam immerito [s]). tempus est concedere.
Sic optume, ut ego opinor, omnes causas praecidam omnibus,
Et me hac suspicione exsolvam, et illis [t]) morem gessero.

l) Al. omitt. *pol.* m) L. antiq. *istae*; quamvis et *istaec*, Fa. narrante, gen. femin. nominativo plur. efferebat antiquitas. n) We. ed *aetas*, *tempus*, nescio unde. Sed Par. *aetas* exhib. pro glossa. o) C. G. m. *satietas.* p) Id. et al. *me.* q) Be. ed. ex antiq. *mea.* At minus latine videtur *mea Longinquitas*, quam *meae Longinquitas aetatis.* r) L. antiq. *exoptet.* s) C. G. m. *immeritam.* t) V. I. *Philumenae et parentib. ejus.*

17. *Mea causa nolo.* Eun. V, 8, 40. „Et non est superbum, *nolo*, sed consuetudine dicitur.“ Do. *istae res.* „Amicae, cognatae, dies festi.“ Do.

18. *Dum aetat. temp. tul.* Cf. Andr. I, 2, 17. *aetatis*, h. e. adolescentiae. Sic Cic. de Offic. II, 13. *tulit*, „passum est, permisit.“ Do. *perfuncta sat. sum.* Ita Liv. I, 25. „ille proelio defungi festinat.“ Subaudi, ex v. 17, istarum rerum voluptate. *jam*, in senectute mea.

19. *studior. istor.*, h. e. amoenitatum.“ We. *haec m. n. cura etc.* „Hoc nimis serio pronuntiandum.“ Do. Ceterum conf. Virg. G. III, 354. „ipse *tibi* tua *maxima cura.*“ *ut ne*, pro ne, Nostro sane frequens. Itid. Cic. Or. I, 29.

20. *Longinqu.* „Non tant. de loco, sed et de temp. longinquum et longinquitatem dixerunt.“ We. Ita Liv. 7, 29. Lucret. 2, 68; ubi *longinquit.* it. pro senio. *mort. exspect.* Subaudi, quis: per zeugma verbor. *obst. expect.* Omnino autem morositatem senectutis excusat. Et parentes odio digni *exspectati* appellantur. Ad V, 4, 20.

21. *Hic video me esse etc.* His conf. Menandr. Πικρὸν ἐστι θρέμμα γέρων ἐν οἰκίᾳ μένων. *invis.* Leniter non addit, cui. *concedere*, abire rus; cf. v. 10.

22. *omn. caus. praecid. omnib.*, h. e. adimam. Cic. Verr. III, 64. *omnib.* „Bene *omnibus* dixit, ne specialiter laederet nurum.“

23. *me hac suspic. exsolv.* Cf. infra V, 3, 22. *et illi m. gess.* Min. „obsequens, indulgens fuero.“ Andr. IV, 1, 17. Ad. II, 2, 6.

Sine me, obsecro, hoc effugere, volgus quod male audit muliorum.
*Pam.* Quam fortunatus ceteris sum rebus! absque una hac u) foret,
Hanc matrem habens talem, illam autem uxorem. *So.* obsecro, mi Pamphile x),
Non tute incommodam rem, ut quaeque est, in animum induces y) pati?
Si cetera ita sunt, ut z) vis, itaque ut esse ego illa existumo,
Mi gnate, da veniam hanc mihi, reduc a) illam. *Pam.* vae misero mihi!
*So.* Et mihi quidem! nam haec res non minus me male habet quam te, gnate mi.

u) Sic We. Par. Itid. in ms. Lips. sc. re, adeo ut *absque* sit praepositio. At libb. s. et e. maxim. part. c. Do. hab. *haec*, ut *absq.* adverb. valeat pro *absque foret*, i. e. abesset. x) Hunc v. Gu. male expungit. y) C. G. m. *inducas*. z) Codd. Be. *tu*. a) C. G. m. *reduce*. Itid. Codd. Be.

24. *quod.* Plenius, propter *quod. vulg. male aud. mul.* Respicit enim verba Lachetis sup. II, 1, 4. *vulg.* Per contemtum. Andr. III, 4, 4. Heaut. II, 4, 6. Inde vulgares feminae. *male aud.* Cf. Ph. Prol. 20.

25. *Quam fortun. cet. etc.* Cf. Heaut. IV, 6, 21. *absq. una h. for.* Comicor. locutio est, cujus sensus patet ex Ph. I, 3, 18. „Beat. *ni un. hoc. des.*“ Sed hanc unam rem uterq. illor. diverse accipiunt, Pamphilus de partu illegitimo sic putato, Sostrata de abitione Philumenae.

26. *ill. autem ux.* Partic. *autem* cf. Eun. II, 3, 6, not. *obsecro, mi Pamph.* Cum blandimento matris filio de se pietatis confirmationem redditurae. Quomodo id. egit vid. supra v. 7. 8. Sed ead. deinde, sensu τοῦ *autem* praecipue arrepto, descendit ad nurum v. 27, quam certe, pro ingenio piae matris, non nisi leniter sustinet tangere.

27. *Non tute in anim. induc.* Cf. supra II, 2, 22. Et Da. vert.: „qu'il ne doit pas se mettre en tète.“ *incommod. rem, ut quaeq. est.* Per utrumq. hoc denotat nurum obiter, ut ne, quod utiq. vitavit, nominet ipsam. Atque recte mihi Da. exponit: „ne vous imaginez pas que ce que vous avez là à souffrir si grande chose.“ *ut quaeq. est*, pro ut ut est, utcunq. Sententia autem verbor. in eo vertitur, quod saepe homines reb. ipsis multo minus vexentur, quam earum opinionibus. Epictet. Ench. V.

28. *Si cetera ita s. ut vis*; cf. Ad. I, 2, 59. *itaq.* pro, et ita.

29. *da ven. hanc*, ut sc. reducas illam. Andr. V, 3, 30. *mihi*, „propt. quam putas non reducendam.“ Do. *vae mis. mihi.* Exclamatio ingemiscentis. Sic Andr. II, 1, 2.

30. *haec res me male hab.* Cf. Andr. II, 6, 5.

# ACTUS IV. SCENA 3.

## LACHES. SOSTRATA. PAMPHILUS.

*L.* Quem cum istoc [a]) sermonem habueris, procul hinc [b]) stans accepi, uxor.
Istuc est sapere, qui [c]) ubicunque opus sit [d]), animum possis flectere,
Quod sit faciendum fortasse post, idem hoc nunc si feceris.
*So.* Fors fuat [e]) pol. *L.* abi rus ergo hinc: ibi ego te, et tu me feres.
*So.* Spero ecastor. *L.* i ergo intro, et compone, quae tecum simul
Ferantur. dixi. *So.* ita ut jubes, faciam. (*abit, modesta semper viro obsequens*) *Pam.* pater.

a) V. I. *Pamphilo.* b) Codd. Be. *hic.* c) V. I. *quomodo.* d) C. G. m. gl. interlin. *aut ad manendum in urbe aut commigrand. rus.* e) C. G. m. *faveat*, sed a manu posteriore. Al. *fiat.* Ms. Par. itid. absque *Fors* i. q. εἴη, sit, fiat.

,,In hoc colloquio reconciliatio senum est post jurgium, mista disputatione Pamphili de non reducenda uxore.'' Do.

1. *procul.* Non ita longum spatium significatur, quin sermo alterius audiatur. V. Perizon. ad Sanct. Min. I, 16. *accepi* sc. auribus. Supra III, 5, 5.

2. *Ist. est sap.* Cf. Eun. IV, 7, 12. *anim. poss. flect.* Cf. Andr. III, 2, 9. Et Virg. G. IV, 516. ,,Nulla Venus, nulliq. *animum flexere* hymenaei.''

3. *Quod s. fac. f. p. idem etc.* ,,Id est, concedendum. Et vim necessitatis hoc verb. exprimit.'' Do.

4. *Fors fuat pol.* ,,Si tantum fortuna aequa faveat.'' Eu. *fuat*, a gr. φύω; unde superest fui et futurus. Sed Virg. antiqua forma utitur, Aen. 10, 108. ,,Tros Rutulusve *fuat.*'' Et valet *fuo* antique pro sum. *ibi ego te* sc. feram. Zeugma.

5. *compone*, h. e. stipa, collige. Sic Plaut. Mil. IV, 7, 21. ,,Omnia *composita* sunt,'' i. e. parata. Bene admonet ita: quia mulieres, ,,*Dum moliuntur, dum etc.*'' Heaut. II, 2, 11.

6. *dixi.* Ph. II, 3, 90. Cum vi asseverandi et interminandi.

*L.* Quid vis, Pamphile? *Pam.* hinc abire matrem? minume. *L.* quid ita istuc vis?
*Pam.* Quia de uxore incertus sum etiam, quid sim facturus. *L.* quid est?
Quid vis facere, nisi reducere? *Pam.* equidem cupio, et vix contineor [f]).
Sed non minuam meum consilium: ex usu quod est [g]), id persequar.
Credo ea gratia concordes magis [h]), si non [i]) reducam, fore.
*L.* Nescias [l]). verum id tua refert nihil, utrum illae fuerint,
Quando haec abierit [m]). odiosa haec est aetas adolescentulis.
E medio aequum excedere est [n]). postremo nos jam fabulae

f) L. antiq. *contineo.* g) V. I. *id quod est utile.* h) Fa. *magis* delevit, quod Be. retinendum putat. i) Nec Be. nec Bo. *non* eliminantibus assentior. Nam mihi quidem e sermone pensato Pamphilus videtur *non reducendam* satius putare, quam *reducend.* Philumenam; cf. infra 4, 12. l) C. G. u. et Hal. add. *nequeas.* Speciem glossae habet. m) L. Bemb. *aberit.* n) Al. colloc. *aeq. est exc.*

*ita ut jub. fac.* Sic it. servus hero imperanti, Eun. II, 1, 1. *pater,* supplicantis.

7. *minime.* Sic constanter filius, ut supra 2, 27. *ita istuc,* emphatice.

8. *quid est?* Hoc et superius, *quid ita istuc vis?* eo vultu pronuntiantur, ut consilium Pamphili et verba videatur contemnere pater.

9. *Quid v. f. nisi etc.* „Sic loquitur Laches, ut filius non audeat praecise negare." Do. *vix contineor* sc. quin reducam. Eun. V, 2, 20.

10. *non min. meum consil.*, i. e. non mutabo quod cepi consilium. Andr. II, 3, 18. *ex usu quod est*; cf. Eun. V, 8, 47. *id perseq.* Cf. Andr. III, 4, 54. Composit. verb. pro simplici.

11. *concordes.* Par. in marg. „Sostrata et Philumena."

12. *Nescias.* Utrum concordes futurae sint, an discordes." Do. *verum,* affirmantis. *id tua ref. nih.* Cf. Eun. II, 3, 29. *utrum.* „Unum de duob. significat." Do.

13. *haec est aet.*, h. e. senilis. Nunc mitigatior culpam discordiae a persona ad aetatem transfert Sostratae. *adolesc.* Heaut. III, 3, 43.

14. *E medio exced.* Utrum e vita, an ex urbe, dubitat Do. Hic id. mox hanc phras. *E med. excedere* vi oppositi explicat recte. Nam in medio stare, dicitur supervacuus vel molestus.

Sumus, Pamphile, „Senex atque Anus."
Sed video Phidippum egredi per tempus. accedamus.

*fabulae.* Par. explic. „Multus de nobis sermo est dedecoris et ignominiae plenus."

15. *Senex atq. An.* Hoc pronuntiand. quasi initium fabulae. Cujusmodi solet esse, *Fuit olim*; vid. Andr. V, 4, 20.

16. *per temp.* i. e. opportune. Andr. IV, 4, 44. *acced.* Cf. Ad. III, 2, 11.

---

# ACTUS IV. SCENA 4.

## PHIDIPPUS. LACHES. PAMPHILUS.

*Ph.* Tibi quoque aedepol iratus sum [a]), Philumena,
Graviter quidem. nam hercle abs te est factum [b]) turpiter [c]);
Etsi tibi causa est de hac re: mater [d]) te impulit;
Huic vero nulla est. *L.* opportune te mihi,
Phidippe, in ipso tempore ostendis. *Ph.* quid est?

a) L. antiq. invert. *sum irat.* b) Sic Codd. Be. Vulg. *fact. est.* c) V. I. *quod celasti partum.* d) Do. leg. *mater*; at Codd. Be. *quae.*

In hac scena ad remotionem ultimi erroris, Bacchide advocanda, acceditur, ac deinde turbis ceterarum rerum sedatis catastrophe paratur.

1. *Tibi quoq.* „Quasi dicat: Non solum matri tuae, aut etiam socrui tuae." Do. Notand. est insuper, Phidipp. a puerpera modo egressum, quo paulo ante secund. I, v. 50 intraverat.

2. *Gravit. quid.* Etsi leniter illam partus causa incusat, adjicit tamen, *Graviter*, h. e. vehementer. Atqui leniore voce, quam quae debeat pro re graviori, haud dubie utatur. *abs te fact. turp.* „Quod abscesserit (abscesseris) domo mariti." Haec enim a Do. rectius suppleri existimo, quam quae ab aliis solent.

3. *Etsi tibi etc.* Etsi habes quo te excuses. *causa*, defensio; cf. Ph. II, 1, 4. 7.

4. *Huic vero.* „Ipsi matri scilicet." Do.

*Pam.* (*Haec seorsim anxie dicit*) Quid respondebo his?
aut quo pacto hoc operiam [e])?
*L.* Dic filiae, rus concessuram hinc Sostratam,
Ne revereatur, minus jam quo redeat domum. *Ph.* ah,
Nullam de his rebus culpam commeruit tua.
A Myrrhina haec sunt mea uxore exorta omnia.
*Pam.* Mutatio fit [f]). *Ph.* ea nos perturbat, Lache.
*Pam.* (*secum*) Dum ne reducam, turbent porro, quam
velint.
*Ph.* Ego, Pamphile, esse inter nos, si fieri potest,
Adfinitatem hanc sane perpetuam volo;
Sin est, ut aliter tua siet sententia,
Accipias puerum. *Pam.* sensit peperisse. occidi!
*L.* Puerum? quem puerum? *Ph.* natus est nobis
nepos:
Nam abducta a vobis praegnans [g]) fuerat filia,

e) Al. *aper.* Itid. C. G. m. c. gl. *propt. quod Philumenam nolo reducere.* f) Gu. dictiones *Mutat. fit* non capiens delevit. Rectius Be. tribuit Pamphilo, quod is secreti conscius a senib. se avertens loquatur. g) L. Bemb. et Vatic. teste Fa. *praegnas.*

6. *Quid resp. his.* Quo me illis excusem. Heaut. III, 3, 49.
7. *Dic filiae.* ,,Blande non addidit, tuae, quasi dicat, communi filiae.“ Do. rus *concess. h. Sostr.* Quod sc. jusserat Laches; cf. 3, 5.
8. *min. j. quo red.* Ordina, *quo min. j. red.*
9. *de his reb.* Itid. fere supra v. 3. ,,*de hac re.*“ *tua*, uxor.
11. *Mutatio fit.* Primo gaudet Pamph. ita dimoveri a matre suspicionem, tum sperat inde effugium sibi parari. *Mutatio.* ,,Commutatio, conversio rerum, καταςροφή. Sic Far. recte. Sed quod We. de mutatione theatri somniat, non curo. Melius probat. schol. Guelf. ita: *mut. fit.* de uxore tua ad meam q. d. uxorem tuam putabamus esse in culpa, sed non est, immo mea.“ *ea*, Myrrhina. *perturb.* Cf. Andr. III, 4, 22.
12. *Dum. ne reduc.* Cf. 3, 10, *turb. porro.* Sic Plaut. Most. III, 1, 15. ,,tumultuentur et litigent.“ We. *quam*, ,,quantum.“ Do.
13. *Ego, Pamph. esse etc.* vid. ad Andr. I, 1, 8.
14. *Adfin. perpet.* Nuptiarum quippe hoc votum est, aetatem eae ut durent atque perpetuae sint; cf. Virg. A. I, 37.
16. *Accip. puer.* Donatus: ,,Jure; quia liberi patrem sequuntur.“ *Accipias* pro Accipe. *occidi.* Desperantis est. Nihil enim habet Pamph. quod socero opponat. Scilicet ne dicat se recusare uxorem, Myrrhinae data impedit fides.
17. *Puer. quem etc.* Bene cum consternatione animi: quod nunqu. fando acceperat. *nobis* sc. avis.
18. *abducta a vob.* Bene, non abierat, sed *abducta f.* ut magis sit culpa matris.

Neque fuisse praegnantem unquam ante hunc scivi diem.
*L.* Bene, ita me Di ament! nuntias, et gaudeo
Natum illum, et illam salvam. sed quid mulieris
Uxorem habes? aut quibus moratam [h]) moribus?
Nosne hoc [i]) celatos tamdiu [l])? nequeo satis,
Quam hoc mihi videtur factum prave, proloqui.
*Ph.* Non tibi illud factum minus placet, quam mihi [m]),
Lache [n]).
*Pam.* Etiam si dudum fuerat ambiguum hoc mihi,
Nunc non est, cum eam sequitur alienus puer.
*L.* Nulla tibi, Pamphile, hic jam consultatio 'st.
*Pam.* (*secum*) Perii. *L.* hunc videre saepe [o]) optabamus diem,
Cum ex te esset aliquis [p]), qui te appellaret patrem.
Evenit. habeo gratiam Dis. *Pam.* nullus sum.
*L.* Reduc uxorem, ac noli advorsari mihi.
*Pam.* Pater, si ex me illa liberos vellet sibi,

h) V. I. *temperatam.* i) C. G. m. *hic.* l) Ibid. gl. *decuit.* m) Hunc loc. ap. Be. pro licentia ejus plane mutatum videbis. n) Al. *Laches.* o) Mss. quid. *semper.* p) C. G. m. sup. script. *natus.*

20. *Bene ita me Di etc.* „Agit gratias nuntianti etc." Do.

21. *quid mulieris*; cf. Eun. III, 4, 8. V, 1, 17. Cum contemtu quodam.

22. *quib. moratam morib.*, h. e. institutam, praeditam. Dicit. autem *moratus* in utramq. partem. Sic Liv. 26, 22. „multitudinem melius *moratam.* Id. 44, 23. civitas bene *morata.*" Et Do. *morat.* pro participio habet, sine verbo.

23. *Nosne hoc celatos etc.* „Non partum celatus dicit; sed praegnantem filiam fuisse." Do.

24. *Quam hoc mihi etc.* „Totum modeste, quamvis indignetur." Do. *videtur.* De more Comicor. indicativus pro subjunct. Eun. III, 5, 23.

26. *dud. f. ambig. hoc mihi.* Sub. Reduceremne uxorem, an non reducerem.

27. *Nunc non est* sc. ambiguum mihi. *eam seq. alien. puer.* „Metaphora a pecorib. quae ut mox nata fuerint, matres sequuntur. Do. Et Hor. Od. I, 23, 11. „desine matrem sequi."

28. *Nulla tibi etc.* sc. de reducenda uxore.

29. *Hunc vid. s. o. diem*; cf. Ad. III, 3, 30. *diem*, ubi sc. nobis nasceretur nepos.

30. *Cum ex te esset etc.* Simili modó Virg. A. IV, 327.

32. *Reduc. ux.* Cf. supra I, 2, 48. Hoc id. suaserat, immo jusserat mater, supra 2, 29.

33. *Pater, si ex me illa etc.* „Finguntur hae causae, quod alienum illius animum videat. *ex me.* Per ellips. sc. natos.

Aut se esse mecum nuptam; satis certo scio,
Non clam me haberet, quod [q]) celasse intelligo.
Nunc, cum ejus alienum a me esse animum sentiam,
Nec conventurum inter nos posthac arbitror [r]):
Quamobrem reducam? *L.* mater quod suasit sua,
Adolescens mulier fecit. mirandumne id est?
Censen' te posse reperire ullam mulierem,
Quae careat culpa? an quia non delinquunt viri?
*Ph.* Vosmet videte jam, Lache et tu Pamphile,
Remissan' s) opus sit vobis, reductan' [t]) domum.
Uxor quid faciat, in manu non est mea.

q) Sic l. Bemb. recte. Do. *quae.* Al. *quem* sc. partum. r) Be. cum Mu. *arbitrer*, idq. ob *sentiam* v. 36., et *Nec* partic. copulativam subsequent. Recte. At hic quoq. maxime Be. ut fere solet ubi. Terentium ex norma magis oratoris quam pro quotidiani sermonis licentia mutaturus mihi videtur; atque in eo mecum etiam We. consentit ad v. 24. dicens, more comico indicativum usurpare Nostrum pro subjunctivo, quod id. Plauto sit familiare. Supra vero v. 24. it. erat dicend. videatur pro *videtur.* s) t) L. antiq. s) *Remissam* t) *reductam.* In al. libb. per, n, in fine, ut sit, Do. narrante, *Remissane*, *reductane.* Quod utrumq. quidam edid. per apostroph. *Remissan' reductan'.*

34. *sat. certo scio*; cf. Heaut. I, 1, 19. Sed h. l. pronom. id addend. ut sit, id *sat. c. scio.*

35. *clam me hab.* Itid. Plaut. Merc. II, 3, 26. „nihil potest *clam illum haberi.*"

37. *Nec convent.* De *convenit*, imperson. verbo cf. I, 2, 103.

38. *Quamobr. reduc.* Cf. III. 5, 2. 3. Quas repudii causas h. l. patri patefacit, eas illic nondum ausus est. *mat. q. suas. sua.* Nota usum τοῦ *sua*; de quo Sanct. Min. II, 12. ubi simile exemplum, „cum eum (Annibalem) cives *sui* accusarent." Val. Max. 4, 3. Ad haec cf. infra V, 4, 6. ubi *suum* it. pro ejus.

39. *Adolesc. mul.* Quod *adolescens*, eo imperitior est matre ipsa suadente.

40. *Censen' te posse etc.* Cf. Ad. IV, 2, 40. *ull. mulier.* „Quasi dicat, si hanc repudiaveris." Do.

41. 42. *Vosm. videte.* Considerate vobiscum. utrum vobis magis expediat.

43. *Remiss. op. sit etc.* *Remissa* quid significet, de eo ambiguunt interprett. At ego vero in ipsius Terentii locutione persisto. Nam supra est, I, 2, 112. *Nemo remisit*, iterum III, 5, 17. *Sed eam j. remittet.* In utroq. autem loco subaudimus ex contextu verborum, e domo Phidippi. *reducta.* Centies dictum est, scilicet in domum Pamphili patris.

44. *Ux. quid fac.* In quam nimirum omnem contulerat culpam; cf. v. 10. *in manu*, in potestate.

Neutra in re vobis difficultas a me erit.
Sed quid faciemus puero? *L.* ridicule rogas.
Quicquid futurum 'st [u]), huic suum reddas scilicet,
Ut alamus nostrum. *Pam.* quem ipse [x]) neglexit pater,
Ego alam? *L.* quid dixti? eho, an non alemus, Pamphile?
Prodemus quaeso potius? quae haec amentia est!
Enimvero prorsus jam tacere non queo.
Nam cogis ea, quae nolo, ut praesente hoc loquar.
Ignarum censes tuarum lacrumarum esse me [y])?
Aut quid sit hoc, quod sollicitere ad hunc modum?
Primum hanc ubi dixti causam, te propter tuam
Matrem non posse habere hanc uxorem domi.
Pollicita est ea, se concessuram ex aedibus [z]).
Nunc, postquam ademtam hanc quoque tibi causam vides,
Puer quia clam te est natus, nactus alteram es.
Erras, tui animi si me esse ignarum putas.

u) V. I. *sive reducatur Philumena an non.* x) Do. *ipse* et *ipsa* leg. quorum utriq. suam add. explicat. y) V. I. *quas judisti propt. Bacchid.* z) Id. *rus.*

45. *Neutra in re*, h. e. sive remittatur sive reducatur Philumena, promittit suam facilitatem.

46. *Sed quid fac. p.* Itid. fere Eun. V, 1, 21.

47. *huic*, Pamphilo. *suum redd.* Quasi poposcerit quod enixe recusat.

48. *Ut alam nostr.* „Scilicet Pamphili filium, nepot. meum, utrumq. nostrum.“ Do. *quem ipse neglex. pat.* Haec verba obmurmurasse sibi videtur Pamphilus. Ideo rogat pater, *quid dixisti?*

49. *Ego alam?* Hoc erumpit ex animi affectu fortius.

50. *Prodem.* Cf. Heaut. III, 1, 70. *quae h. ami. est.* Supra III, 5, 46.

51. *Enimv. prorsus jam etc.* Partic. *Enimvero* vehementius affirmat. *praesente hoc* sc. Phidippo. Omnino est operae pretium videre, quae reverentia praesentis hominis saepe solet adhiberi. Heaut. III, 5, 12. V, 4, 19. Infra v. 90.

53. *Ignar. cens. tuar. lacr. etc.* „Conjectura quod amet meretricem Pamphilus.“ Do. Cf. sup. III, 2, 20 et 5, 25. Ex quib. locis lacrumae Pamphili videntur sincerae.

54. *sollicitere.* „Perturberis, commoveare.“ Do. *ad hunc mod.*, h. e. immoderate. *hunc* pro talem.

55. 56. *dixti te propt. t. Matrem etc.* Hoc Pamph. in scena quidem nullibi dixerat, nisi id conjiciatur ex loco illo, 3, 11.

59. *alteram* sc. causam.

60. *Erras, si putas.* Itid. fere Heaut. I, 1, 53. Ipse tamen errat pater, qui filium errare suspicatur. Supra III, 1.

Aliquando tandem huc animum [a]) ut adducas [b]) tuum,
Quam longum spatium amandi amicam tibi dedi!
Sumtus quos fecisti in eam, quam animo aequo tuli!
Egi atque oravi tecum, uxorem ut duceres.
Tempus dixi esse. impulsu duxisti [c]) meo.
Quae tum, obsecutus [d]) mihi, fecisti, ut decuerat.
Nunc animum rursum ad meretricem induxti tuum;
Cui tu obsecutus, facis huic adeo injuriam [e]).
Nam in eandem vitam te revolutum denuo
Video esse. *Pam.* mene? *L.* te ipsum: et facis injuriam,
Cum fingis falsas causas ad discordiam,
Ut cum illa vivas, testem hanc cum abs te amoveris;
Sensitque [f]) adeo uxor. nam ei causa alia quae fuit,

a) Al. *volo* abunde. b) Var. *abduc. adjungas.* c) V. I. *eam.* d) C. G. m. script. *obsequut.* Hoc verb. *obsecut.* itemq. *fac. injur.* Be. quasi per loquacitat. senilem v. 68. 70. ead. repetita immerito fastidit. e) Gu. hunc v. expungit. f) V. I. *hoc.*

61. *Aliquando tand.* Ordo usitatior, *tand. aliquando. huc,* „ad uxorem." Min. *anim. ut adduc t.* cf. infra V, 3, 38.

62. *Quam long. spat. etc.* Liv. I, 37. „*consulendi* res non *dabat spatium.*"

63. *Sumt. quos fec. in eam quam etc.* Sic conqueritur alius pater in Heaut. V, 1, 57. alius it. in Andr. V, 5, 21. 22. *an. aeq. tuli*; cf. Andr. II. 3, 23.

64. *oravi tec. Orare tecum* antique composit. putant pro *orare te*, uti Plaut. Rud. III, 4, 63. „Scin' quid *tecum oro* senex?" Nisi hoc fit, ut *Egi tecum* jungatur; cf. Eun. III, 8. He. III, 3, 34.

65. *Temp. dixi esse.* „*Tempus*: quia diu multumq. sustinuit." Do. *impulsu dux. meo.* Quod id. Parmeno narravit, supra I. 2, 46.

66. *fec. ut. dec.* Cf. Andr. II, 5, 10

68. *facis huic.* „Scilicet uxori." Do. *fac. ad injur.* Usurpatur *adeo*, in medio pro vero. Cic. Verr. 6, 64.

69. *te revolut. denuo.* „Non rediisse, sed *revolut. esse*, tanq. invitum aut nescium." Do. Sic Cic. Attic. 13, 26. „*revolvor* identid. in Tusculanum."

71. *fing. fals. caus.* Cujusmodi quas putat esse, v. 55. 59. adlatas. In eo tamen haereo, cur dixerit *fing. falsas caus.* cum, qui *falsas finxerit*, dicatur has praedicasse veras. Nisi forte interpretemur ita: *fingis causas*, quae sunt falsae.

72. *Ut cum illa viv.* sc. Bacchide. Andr. V, 3, 18. *test. hanc* sc. Philumenam. Ceterum *testem* tantum dicit, non impeditricem; id quod modestiae illius laudatae satis respondet. *hanc amov.* Cf. Ad. IV, 2, 14.

73. *Sensitq. ad. ux.* Cf. Eun. I, 1, 21.

Quamobrem abs te abiret? *Ph.* plane hic divinat. nam id est,
*Pam.* Dabo jusjurandum, nihil esse istorum [g]) tibi. *L.* ah,
Reduc uxorem; aut, quamobrem non opus sit [h]), cedo.
*Pam.* Non est nunc tempus. *L.* puerum accipias: nam is [i]) quidem
In culpa non est: post de matre videro.
*Pam.* (*secum*) Omnibus modis miser sum, nec quid agam scio.
Tot me nunc rebus miserum concludit pater.
Abibo [l]) hinc, praesens quando promoveo parum.
Nam puerum injussu [m]), credo, non tollent [n]) meo;
Praesertim in ea re cum sit mi adjutrix socrus. (*abit*)
*L.* Fugis? hem, nec quicquam certi respondes mihi?
Num tibi videtur esse apud sese? sine.
Puerum, Phidippe, mihi cedo, ego alam. *Ph.* maxume.
Non mirum fecit uxor [o]), si hoc aegre tulit.

g) Id. *quae dicis.* h) Id. *ut reducas.* i) C. G. m. gl. *puer.* l) C. G. m. *Adibo.* Sed illud probabitur, si contuleris v. 84. *Fugis?* m) Ed. 1469. *injusso.* n) vulgo sc. pat. et socer. In l. Bemb. *tollet*, Lach. o) Al. *mea.* Quod al. omitt.

74. *divinat.* „Quasi a Deo inspiratus verum dicit etc. Do.

75. *Dabo jusjurand.* „Circumventus adolescens argumentis solo juramento se vult purgare.“ Eu. *istor.* „Satis concinne, ne in singulis commoraretur.“ Do.

77. *Non est nunc temp.* Nempe a praesentia soceri causam petit morandi, ne coram illo dicat, quamobrem recuset reducere uxorem. *puer. accip.* cf. supra v. 16.

78. *In culpa n. est*; cf. Cic. Fam. X, 26. „nos *in culpa sumus.*“ *de matre vid.* Haec syntax. it. Ad. III, 3, 83. *de matre* sc. pueri. Bene: quia scit, parentum concordiam firmam esse per filios.“ Do.

79. *Omnib. mod.* „Sive reduc. sive non reducam.“ Min. *nec quid ag. scio.* Cf. Ad. V, 3, 5.

80. *conclud. pat.* i. e. premit, urget. Andr. II, 5, 12. not.

81. *promov. par.* Cf. Andr. IV, 1, 16.

82. *injussu meo non toll.* Recte: quia pater tantum *tollit*, non alius.

83. *adjutr. socr.* Quae dixit, *Continuo exponetur*, III, 3, 40.

84. *nec quicq. c. resp. mihi.* Solent homines cogi *respondere*, et praesertim ei, qui rei alicujus accusarit. Cic. p. Rosc. A. §. 58.

85. *Num tibi videtur etc.* Loquitur hoc de fugiente ad Phidipp. *non esse ap. sese*; cf. Andr. II, 4, 5.

87. *Non mir. fec. ux.* Sic Ovid. Fast. III, 502. „*Nec mirum facis.*“

Amarae mulieres sunt, non facile haec ferunt.
Propterea haec ira 'st [p]): nam ipsa narravit mihi.
Id ego hoc [q]) praesente tibi nolueram dicere,
Neque illi credebam primo; nunc verum [r]) palam est.
Nam omnino abhorrere animum huic video a nuptiis.
*L.* Quid ergo agam, Phidippe? quid das consili [s])?
*Ph.* Quid agas? meretricem hanc primum adeundam censeo.
Oremus, accusemus gravius; denique
Minitemur, si cum illo habuerit rem postea.
*L.* Faciam, ut mones. eho, curre, puer [t]), ad Bacchidem hanc
Vicinam nostram, huc evoca verbis meis.
At [u]) te oro porro in hac re adjutor sis mihi. *Ph.* ah,
Jamdudum dixi, itidemque [x]) nunc dico, Lache,
Manere adfinitatem hanc inter nos volo,
Si ullo modo est, ut possit; quod spero fore.

p) V. I. *quia tam durus est Pamph.* q) Id. *Phamphilo.* r) L. antiq. *vero.* s) C. G. m. et al. *consilii.* v. Andr. I, 1, 32. t) V. I. *vocavit quend. ex suis pueris.* u) Sic l Bemb. pro *Et* vulg.. x) C. G. m. *idemque.*

88. *Amarae mul. sunt*, h. e. irascuntur. Huc pertinet locus Ovid. A. A. II, 373. *non fac. h. ferunt.* „Non facile ferunt pellicatum, neq. amorem aliarum in viris." Do.

89. *ipsa narravit mihi.* Supra I, 23, 24.

90. *Id ego hoc praesente etc.* Cf. supra v. 52.

91. *Neq. illi credeb. primo.* „Quare non credebas? namq. *amarae* ad hanc rem *mulieres* sunt, et saepe de nihilo suspiciosae." Sic Do. qui omnia subtiliter excutit. *verum.* Placet Faërno, ut nomen sit i. q. veritas manifesta. *a nupt.* „Non dixit, a filia mea." Do.

93. *Quid ergo ag.* Ad. V, 3, 3. Mire conturbatur pater. Et vide quemadmod. Poeta latenter festinet ad rerum cognitionem." Do

94. *meretric. hanc prim. etc.* Urgetur *hanc* per contemtum. *meretric. adeund.* Cf. supra II, 2, 9. *adeund. cens.* Ph. II, 4, 17.

95. *Oremus.* Bi. explic. „agamus cum illa," superiore phrasi, *oravi tecum*, innixi, v. 64. Sed ego vim *orandi* primitiv. lui subesse putarim, propt. locum infra V, 1, 3.

96. *si cum illo hab. rem post.* Cf. Eun. I, 2, 59.

97. *curre puer*; cf. Ad. III, 2, 56.

98. *evoca* sc. eam; cf. Eun. II, 2, 55. *verb. meis* Par. „meo nomine."

100. *Jam dud. dixi.* Supra v. 14.

101. *Manere*, h. e. perpetuam esse. Supra v. 13.

102. *ut possit* sc. manere.

Sed vin [y]) adesse me una? dum istam convenis.
*L.* Immo vero [z]) abi, aliquam puero nutricem para.
(*abit.*)

y) C. G. m. et Hal. *visne.* z) Abest *vero* a C. G. m. et Hal.

104. *puero nutric. para.* ,,Paupertatis nota erat, si ipsae matres alerent liberos.“ We.

---

## ACTUS V. SCENA I.

### BACCHIS. LACHES.

*B.* (*secum*) Non hoc de nihilo 'st, quod Laches me nunc conventam [a]) esse expetit;
Nec pol me multum fallit, quin, quod suspicor, sit, quod velit.
*L.* (*secum*) Videndum est, ne minus propter iram hinc [b]) impetrem, quam possiem;

a) Sic l. Bemb. et Vatic. In antiq. *nunc me conv.* minus numerose. b) Ita Be. pro *hunc* vulg. Est autem *hinc* Terent. more, et signific., h. l. ab hac Bacchide. Ad. III, 3, 7.

,,Rarus vitae color in hac locutione miscetur a Poeta. Nam meretrix loquitur et senex; et quod est mirabilius, bona meretrix. Quae ceterum de se, quod verum dicat, argumenta fidei cujuscunq. generis praebitura est, inprimis jusjurandum, deinde fidem tormentorum. Nam servus promittitur in tormenta. Quib. reb. cum purgata meretrix fuerit, persuadetur ei, ut ad matrem pergat, jurandi gratia.“ Haec secundum Do. et Eu.

1. *Non hoc de nih. est.* Locutio Plautina, Truc. IV, 2, 56. *de nihilo*, sine causa. Sic et Propert. II, 13, 52. *me nunc convent.* Ad. III, 4, 53. Et syntax. ead. fere solennis supra 2, 14.

2. *Nec p. me m. fall. quin etc.* Periphras. Terent. pro, ,,Nisi me omnia fallunt, suspicor propemod. quid. velit.“ We. Cf. I, 41.

3. *Vidend.*, h. e. providend. cavendum; cf. Heaut. IV, 3, 16. *propt. iram* q. d. ex ira. Do. notat: Quia non erat verisimile, bonum esse patrem meretrici inturbanti: reddit rationem se-

Aut ne quid faciam plus, quod post me minus fecisse satius sit.
Aggrediar [c]). Bacchis, salve.
*B.* Salve, Lache. *L.* aedepol [d]) credo te non nil mirari, Bacchis,
Quid sit, quapropter te huc foras puerum evocare [e]) jussi.
*B.* Ego pol quoque etiam timida sum, cum venit mihi [f]) in mentem, quae sim,
Ne nomen quaesti [g]) mi obsiet [h]); nam mores facile tutor.
*L.* Si vera dicis, nihil tibi est a me pericli, mulier:
Nam jam aetate ea sum, ut non siet peccato mi ignosci aequum.

c) V. I. *illam.* d) C. G. m. script. *edep.* e) Id. *evocari.* f) Fa. putavit *mihi* esse addititium, sed non ausus est ejicere. Be. ejecit. Habent l. s. et e. g) Sic l. Bemb. vetusta declinatione. Vulg. *quaestus.* h) L. antiq. *obstet apud te.*

nex, cur agat mitius, ne videatur personae modus non esse servatus.“ *quam poss.* sc. impetrare absq. ira.

4. *Aut ne quid etc.* Repete, *Vidend. est*; ac nota, *plus*, *minus* opponi sibi invicem concinne. *minus fecisse* pro „poenitere.“ Do.

5. *Aggred.* Eod. sensu quo adibo, Eun. III, 5, 9.

6. *Lache.* Vocativus, Nam Quinctil. Instit. gr. VII. In omnib. graec. inquit, nominib. syllaba, es, producta finitis — invenies vocativum in, e, productum proferri, Chreme, *Lache*, Anchise.“ *aedep. credo te non etc.* „Ipsum prooemium mollius et lenius est, ut ostendat, se non jurgaturum, senex.“ Do.

7. *Quid sit* sc rei, ut Heaut. IV, 4, 21. *quapropt. de hac etc.* Cf. supra IV, 4, 90.

8. *Ego pol. quoque etc.* Obsequenter posuit, non solum se mirari, sed etiam pavere, quia *timida sum*, dicit. *quoq. etiam*; cf. supra IV, 1, 28. Huiusmodi duplicatum, *nunc jam* et alia. *quae*, qualis.

9. *Ne nom. m. quaesti etc.* „Id est, nomen quod inest meo quaestui.“ Do. *mores fac. tutor.* Sensus, Etsi *nomen* meretricis fero, *mores* tamen publice probo atque defendo. Infra 3, 38. Et leno in Ad. II, 1, 7 de sese similiter.

10. *Si vera dic.* Cf. Eun. I, 2, 23. *nih. tibi est a me etc.* Confirmat animum Bacchidis, ut ea nihil timeat, quo durius ob meretricis nomen a se afficiatur. Idcirco hic promittere Laches videtur et affirmare, se pro sua provectiori aetate cautiorem et aequiorem in cognoscenda re cum illa esse acturum.

11. *ut non s. aequ.* Cf. Heaut. I, 1, 104. *peccato.* De hac voce explicanda multi frustra sudarunt. Sunt qui putent adhiberi pro ἡμαρτηκότι. ut particip. praet. sit. significat. activa. Sic Heins. ad Prudent. Apoth. v. 816. huc respiciens. Par. explic. „si quid peccatum fuerit.“ Tunc enim *peccato* esset ablativus

Quo magis omnes res cautius, ne temere faciam, adcuro.
Nam si id nunc facis facturave es, bonas quod par est facere;
Inscitum offerre injuriam tibi [l]) immerenti, iniquum est.
*B.* Est magna ecastor gratia de istac re, quam tibi habeam.
Nam qui post factam injuriam se expurget, parum mi prosit.
Sed quid istuc est [l])? *L.* meum receptas filium ad te Pamphilum. *B.* ah!
*L.* (*interpellans*) Sine dicam. uxorem hanc prius quam duxit, vestrum amorem pertuli.
Mane, nondum etiam dixi quod te volui. hic nunc uxorem habet.
Quaere alium tibi [m]) firmiorem, dum tibi tempus consulendi est.
Nam neque ille hoc animo erit aetatem [n]), neque pol tu eadem [o]) istac aetate,

i) L. antiq. *me.* Non hab. Do. et l. Bemb. Distinctionem sequor vulgatam. Fa. jung. *immer.* cum *iniq. est*, colo posito ante. l) V. I. *quod vis.* m) L. antiq. *amicum.* Al. non hab. n) Abest *aetatem* a C. G. m. et libb. Be. Explic. Nonius *diu.* Eun. IV, 5, 8. o) V. I. *juvenili.*

absolutus. Cujus exempla sunt Liv. 9. 30. „impetrato, ut manerent;" itid. Vellej. Pat. II, 107. Sensus, ut ubi ego peccaverim, non debeat mihi ignosci." Schol.

12. *Quo mag.* Abundat *magis* propt. *cautius* Itid. Liv. 9, 7, *omnes res.* Subaudi, cognoscendas vel accipiendas a Bacchide. *cautius adcuro.* Prout deceat aetate provectiorem. *ne tem. fac.* cf. Andr. I, 2, 54.

13. *bonas.* Bene: ne odiose dicat meretrices, ne amicas quidem. Eun. Prol. 37.

14. *Inscitum*, inelegans, non bonum. Quo verbo maxime mulieres et meretrices utuntur. *Scitum* enim dicunt, quod placet, ut in Andr. III, 2, 6. *inscitum* quod displicet." Do.

15. *Est magna ecast. gratia etc.* „Imitatur hic et senile et femineum tardiloquium." Do.

16. *Nam qui post. fac. inj. etc.* Simili sententia leno ille utitur in Ad. II, 1, 12. *par mihi pros.* Litotes, pro multum mihi nocuerit.

17. *Sed quid ist. est?* „Nunc demum redit ad rem." Do. *recept. fil.* cf. Heaut. V, 2, 12.

18. *Sine dicam.* Sic Andr. III, 5, 15. *vestr. amor. pert.* Quod idem ille paulo liberius ad ips. filium supra IV, 4, 62. 63.

20. *Quaere alium.* Speciem formulae habet. Ph. II, 1, 67. *firmiorem*; v. ad Andr. III, 3, 39. „Proprie amores et nuptiae vel firmae vel infirmae dicuntur." We. *dum tibi temp.* „h. e. dum flos aetatis tuae manet." We.

21. *ille*, Pamphilus. *aetat.* Per ellips. explicant, omisso per.

*B.* Quis id ait? *L.* socrus. *B.* mene p)? *L.* te ipsam: et filiam abduxit suam,
Puerumque ob eam rem clam voluit, natus qui est, extinguere.
*B.* Aliud si scirem, qui firmare meam apud vos possem fidem,
Sanctius quam jusjurandum, id pollicerer tibi, Lache q),
Me segregatum habuisse, uxorem ut duxit, a me Pamphilum.
*L.* Lepida es. sed scin', quid volo potius, sodes, facias? *B.* quid vis r)? cedo.
*L.* Eas ad mulieres hinc intro, atque istuc jusjurandum idem
Polliceare illis; exple animum iis s), teque hoc crimine expedi.
*B.* Faciam, quod pol, si esset alia ex quaestu hoc t), haud faceret, scio,

p) Id. *hoc dixit agere.* q) C. G. m. *Laches.* r) Mu. ejecit *τὸ vis*, quo emisso faceret catalecticum ex acatalectico versum. s) C. G. m. *hiis.* t) V. I. *meretricio.*

22. *Quis id ait?* „Non interrogatio, sed firma negatio est." Do. Bene, *ait*, quasi vanum, ut in *ajunt*; cf. Ad. V, 8, 7. Urget autem Bacchis hac voce, *Quis id ait?* illud quod supra senex dixerat, meum recept. filium etc. v. 17. *socrus.* „Terribiliter, quasi quae maxime sciat, et quae maxime doleat etc." Do. *mene? te ips.* Sic it. supra IV, 4, 70. *mene?* Sub. *receptare fil.* e versu 17. *et fil. abdux. s.* „Proprie. *Abduci* enim dicuntur, quae a viris aut parentib. abstrahuntur, maxime tamen libidinis causa." We. Sic it. Sueton. Aug. 69. et Justin. 21, 2. „Virgines (Dionysius) ante nuptias *abducebat.*"

23. *Puerumq. cl. vol. exting.* Fingit haec senex. Infra III, 5, 40.

24. 25. *Aliud sc. scirem etc.* Ordo est, *si aliud sanctius quam jusj. scirem etc. ap. vos*, Lachetem et socrum. *Sanctius* religiosius firmius. Explic. We. „Morib. fiebat, ut leve non haberetur jusjurandum ultro oblatum. Unde et Lacheti satis sit; qui ut Myrrhinae et Philumenae id. polliceatur. Bacchidi auctor est."

26. *Me segreg. hab.* Argument. ab honesto. Andr. I, 5, 56. Quoad syntax. *segreg. hab.* pro segregasse; cf. supra IV, 2, 6. 7. *ut*, quam primum.

27. *Lepida. Lepidae* dicuntur inprimisq. meretrices, quae solent laudari. Infra 5, 16. Et Bacchis *lepida* merito vocatur, cui ipse senex cavet coram ne inscitus videatur.

28. *ad mulieres.* Non dicit ad socrum et ad uxorem, ne his terreat meretricem nominib. odiosis.

29. *exple anim. iis.* Sic infra 2, 19. Et Cic. p. dom. 17. *Explevi animos* invidorum." Sensus, „Exple mulierib. animum,

Ut de tali causa nuptae mulieri se ostenderet.
Sed nolo esse falsa fama gnatum suspectum tuum u),
Nec leviorem vobis, quibus est minume aequum, viderier
Immerito. nam meritus de me est, quod queam, illi ut commodem.
*L.* Facilem benevolumque lingua tua jam tibi me reddidit.
Nam non sunt solae arbitratae hae x); ego quoque etiam hoc credidi,
Nunc cum ego te esse praeter nostram opinionem comperi,
Fac eadem ut sis porro; nostra utere amicitia, ut voles.
Aliter si facias ... sed reprimam me, ne aegre quicquam ex me audias.

u) Var. ordo verbor. in hoc versu. x) Tanq. Fab. *haec* ob metrum. Itid. libb. Bc. Andr. IV, 1, 32.

scire cupientib. receptesne etiam nunc Pamphilum, an minus." We.

30. *si ess. alia etc.* Cf. Eun. Prol. 37. *scio* pro id *scio*; cf. IV, 4, 34.

31. *de tali causa.* „Id est, amore mariti ejus et pellicatu." Do. *mul. se ostend.* Recte *ostenderet*: quippe quae *nuptam* non videre, nedum alloqui sustineret.

32. *Sed nolo fal. fama etc.* Ecce illa gratiosior. non propt. se quod facit, factura. Etiam ob hoc sane tutatur mores; cf. v. 9. 13. *falsa fama susp.* Cf. infra 2, 11. et 3, 22.

33. *Nec leviorem.* Sub. volo. Cum *leviorem* dicit, huic opponeret, graviorem i. e. honestum et constant. maritum. *Levis* autem dicit. homo, aut homo levis animi, qui sibi non constans est. Cic. Q. fr. I, 2. *quib. est m. aeq.* sc. talem illum videri.

34. *illi ut. commod.* „Vox multum Ciceroni amata. Inde commodari quid alteri, est juvare, concedendo rem." We. Cui contrarium est Andr. I, 1, 135.

35. *Facil. benevolumq.* Prius retulit Do. ad peccatum, posterius ad iracundiam; cf. supra v. 3. et 11. *lingua tua*, h. e. oratio *lepidae* mulieris. Notamus, quod comicum est, Bacchid. meretricem seni austero etiam invito placere atque probari.

36. *hae.* Cum apostrophe. *hoc credidi.* Receptasse te sc. Pamphilum; cf. v. 17.

37. *te esse praeter etc.* Leviter *te praet. opin. esse.* dixit, ne meretricem diceret honestam vel bene moratam. Itid. v. 13.

38. *Fac ead. ut sis*; cf. Heaut. II, 3, 24. „Persevera purgata esse et de futuro etc. Do. *nost. ut. amicit.* Non jam amplius amore filii, sed *amicitia nostra.*

39. *Alit. si fac.* „Plura dicturus abrumpit. Bene: ne inscite agat cum scita et bona." *sed reprim. me.* Ad. V, 3, 8. 9. *ne aegre quicquam etc.* h. e. *ne quiq. audias*, quod *aegre* tibi sit, Supra III, 5, 65.

Verum te hoc moneo unum, qualis sim amicus, aut quid possiem [y]),
Potius, quam inimicus, periclum facias [z]).

y) V. I. *tibi benefacere.* Melius tamen *poss.* absolute. z) L. antiq. add. *B. · faciam sedulo.* Sed hanc responsion. Bacchidis non hab. l. Bemb. nec est mihi in C. G. m. nec vidisse se in suis Be. testatur, nisi in uno.

40. *Ver. hoc te moneo unum.*, „Haec figura oratoria, *παραί-νεσις* dicitur.“ Do. *qualis sim, amic.* „h. e. quanti intersit, mea amicitia uti.“ We. Plaut. Stich. I, 2, 11.

41. *Pot. qu. inimic.* Eod. fere modo Liv. 9, 1. „quam propitiis rem, quam adversis agant Diis.“

---

# ACTUS V. SCENA 2.

## PHIDIPPUS. LACHES. BACCHIS.

*Ph.* (*ad nutricem loquitur.*) Nil apud me tibi
Defieri patiar, quin, quod opus sit, benigne praebeatur.
Sed tu cum [a]) satura atque ebria eris, et [b]) puer ut satur sit, facito.

a) Sic veriorem Be. ordinem laudabis prae vulg. *cum tu*; siquidem ex adverso adspexeris *puer ut.* b) Be. *et* bene.

„Verba nutricis fuisse Poeta demonstrat petentis ordine longo, quae sibi praebenda sint. Unde quasi taedio singulorum generaliter haec respondit.“ Do. Sequitur pars superioris controversiae postrema acrior. Pater enim puellae negat juranti credi oportere meretrici etc. Sic cett. ex Eu.

2. *Def. pat.* „Noluit dicere, deesse: sed, *Defieri* dixit, ut id quod minus usitatum est, magis delectet auditum.“ Do. *benigne* large. Phaed. II, 4, 24.

3. *Sed tu cum satura etc.* Do. existimat nutricem bene saturatam laudari, at We. nimis repletam reprehendi. Sed quicquid est, quod sibi voluerit Phidippus, necesse erit nutricem ita saturari, ut habeat ipsa quo nutriat lactentem. Siquid. Cicero de animantib. dicit, N. D. II, 51. „mammas appetunt, earumq. ubertate *saturantur.*“

*L.* Noster socer, video, venit; nutricem puero adducit [c]).
Phidippe, Bacchis dejerat persancte. *Ph.* haeccine ea 'st [d])? *L.* haec est.
*Ph.* (*cum vultu despicientis*) Nec pol istae [e]) metuunt Deos, neque has respicere Deos opinor.
*B.* Ancillas dedo; quolubet cruciatu per me exquire.
[f]) Haec res hic agitur: Pamphilo me facere ut redeat uxor
Oportet. quod si effecero [g]), non poenitet me famae,
Solam fecisse id, quod aliae meretrices facere fugitant [h]).
*L.* Phidippe, nostras mulieres suspectas fuisse falso
Nobis, in re ipsa invenimus. porro hanc nunc experiamur.

c) L. antiq. *addux.* d) V. I. *Bacchis.* e) Id. *mulieres.* f) Vulgo praemitt. *Licet*, quod vero Fa. monente non est in l. Bemb. nec Vict. et a versu respuitur. g) Ita Be. ex more Terent. In l. antiq. *perficio.* Do. in Edd. vett. vid. *perfecero.* h) V. I. *ut uxores concilient viris sicut ego Pamphilo.*

4. *socer* h. l. consocer. Proprie enim Pamphili socer, Lachetis affinis erat Phidippus.“ We. *video.* Hoc verb. *video*, ut alias scio, absolute interponitur; id quod sermoni maxime convenit e consuetudine vitae desumto.

5. *Bacch. dej.* „Si correpte *dejerat*, Deos jurat; si producte, valde jurat.“ Do. *persancte.* Sic Sueton. Tit. 10. *persancte* Domitia jurabat.“ *haeccine ea est.* „Quasi dicat, haec est, quam uxori Pamphilus anteponit.“ Do.

6. *has respic. Deos.* Ambiguitas faceta. Vult autem id dicere Phidippus meretricib. usq. perjuris Deos non facile fore propitios. Quod quidem ita esse, etiam Plautus de genere lenonio affirmat, Pers. IV, 4, 53. Ceterum vide, quam differt utriusq. soceri animus, Phidippi nempe iratus ab Lachetis animo, meretrici jam reconciliato.

7. *Ancill. dedo* sc. quaestioni, repudiato jurejurando. Dixit autem δεικτικῶς de ambabus ancillis; infra v. 27. *per me* h. e. me permittente. *exquire.* Hoc ad Phidipp. loquitur, qui jusjurand. oblatum repudiavit. Ceterum dominis in causa sua licebat, de servis quaestionem habere. Cic. p. Rosc. Am. 28.

8. *Haec res.* Quippe quae jam supervenienti Phidippo erat demonstranda.

9. *non poenit. me famae.* Scilicet famam suam ab opprobrio vindicavit, cui fere omnes sint obnoxia meretrices. Supra I, 9. Simul hic Poeta ostendit, bonas quoq. dari meretrices, quas praeter consuetudinem ausus sit introducere. Eun. Prol. 37. *non poenit. me famae*, pro. valde me juvat fama. Litotes.

11. 12. *nostr. mul. suspect. etc.* Sensus, „Nos immerito suspectas habuisse mulieres nostras.“ We. *suspectas.* Scilicet ob

Nam si compererit crimini tua se uxor [i]) credidisse,
Missam iram faciet; sin autem est ob eam rem iratus gnatus,
Quod peperit uxor clam, id leve 'st: cito ab eo haec ira abscedet.
Profecto in hac re nil mali est, quod sit discidio [l]) dignum.
*Ph.* Velim quidem hercle. *L.* exquire. adest: quod satis sit, faciet ipsa [m]).
*Ph.* Quid mi istaec narras? an, quia non tute ipse dudum audisti,
De hac re [n]) animus meus ut sit, Laches? illis modo exple [o]) animum.
*L.* Quaeso aedepol, Bacchis, mihi quod es pollicita, tute ut serves.
*B.* Ob eam rem vin' [p]) ergo introeam? *L.* i, atque exple iis animum, ut credant.
*B.* Eo, et si scio pol his meum fore conspectum invisum hodie:

i) Vulg. add. *falso*, quod delet Be. recte judicans, crimen per se habere notionem falsitatis." Et ego opinor, *falso* superius ex versu 11. huc aberrasse. l) Al. *dissid.* pro *discid.* m) L. antiq. add. *Ba. faciam.* At not. Fa. „In contextu libri Bemb. non est hoc respons. Bacchidis, sed loco ejus pronom. *ipso.*" n) V. 1. *de reductione uxoris.* o) Al. *explete.* p) L. antiq. *vis.*

id, quasi nove nuptis impedimento essent. *in re ipsa.* Nempe ad quam expediendam Bacchis erat arcessita. *hanc experiam.* „h. e. utamur opera ejus." Do.

13. *crimini credidisse* q. d. fidem habuisse crimini; uti Plaut. Bacch. IV, 5, 15. *Crimen*, „falsa insimulatio est." Do.

15. *Quod pep. clam.* De clandestino tantum, sed de adulterino partu omnino nihil suspicatur pater. *id leve est.* Quasi adderet, non grave. Supra III, 1, 12. *ab eo h. ira obsc.* Cf. III, 5, 55.

17. *Velim q. hercle.* „Ut nihil sit dignum h. e. non peccarit Pamph." Do. *exquire* sc. a Bacchide. *quod satis sit.* Sub. ad purgationem.

18. *Quid mihi ist. nar.* „Reprehensio est quasi longor. verborum Lachetis." Do.

19. *De hac re animus etc.* Quid aliud esse potest, quo animum suum in hac re ostenderit Phidippus, quam quod aut unum aut alterum proposuerat genere faciendum. Supra III, 5, 51. 52.

21. *visne ergo.* „Dicit *vis*: ut ostendat in hac re cunctationem suam." Do. *i. atq. exple etc.* Cf. 1, 28.

22. *meum* passive pro mei; cf. Eun. II, 3, 18. v. Sanct. Min. II, 13. *his fore invis.* Cf. Ad. V, 9, 32.

Nam nupta meretrici hostis est, a viro [q]) ubi segregata est.
*L.* At hae amicae erunt, ubi, quamobrem adveneris, resciscent.
*Ph.* At easdem amicas fore tibi promitto, rem ubi cognorint [r]).
Nam [s]) illas errore, et te simul suspicione exsolves.
*B.* Perii! pudet Philumenae [t]). sequimini [u]) me huc intro ambae,
Quid est, quod mihi malim, quam quod huic [x]) intelligo evenire?
Ut gratiam ineat [y]) sine suo dispendio, et mihi prosit [z]).
Nam si est, ut haec nunc Pamphilum vere ab se segregarit,
Scit sibi nobilitatem ex eo, et rem natam [a]) et gloriam esse,

q) V. I. *suo.* r) L. antiq. *cognoverit.* s) C. G. m. et Hal. pro *Nam* exhib. *Nullam* referend. ad *rem* superius. t) C. G. m. et al. *ms.* u) Ibid. gl. *o ancillae.* x) V. I. *Bacchidi.* y) Id. *cum Myrrhina et Philum.* z) Id. *in conciliando natum uxori.* a) Be. ex uno c. *nactum*, recepit et pro *sibi* reposuit *se.*

23. *Nam nupta meretrici etc.* ,,Hoc est, in mutua mariti et uxoris societate non est mala suspicio; sed in eorum discession. aut haec meretrix aut ille adulter judicatur.“ Eu.

24. *hae amicae er.* Subaudi, Myrrhina ac Philum. tibi. *quamobr. adven.* Videlicet ut rem impeditam expedias.

25. *At easd. amicas etc.* Vide quam consona haec Phidippi oratio Lachetis videatur praecedenti. Unde apparet nunc esse animo eod. utrosque.

26. *ill. errore exsolv.* Cf. supra IV, 2, 23.

27. *pud. Philumenae.* Varie supplent; alii me conspici a Philumena; alii, ob pellicatus suspicionem. Pars deniq. pro amabili illam habent, ob pudorem. *sequimini — ambae* sc. ancillae. Eun. III, 2, 53.

28. *Quid est quod etc.* Sic ordina atque intellige, *Quid est quod mal. quam mihi* even. *quod huic int. even.* Haec ead. vero absq. interrogandi forma diceret, Nihil magis cupio quam etc.

29. *Ut grat. ineat sine suo etc.* Velut tria consequitur Bacchis, *Ut grat. in.* ut sine damno, et ut *mihi pros.* Ergo inde omnia pulchre conveniunt ad exitum spectantia laetissimum. Et Minelli addit: Quae praecipua laus Terentii, et in quo palmam aliis Comicis praeripuit, quod nihil fingit, nisi quod credi facile possit etc.“

30. *ab se segreg.* Nempe id quod ipsa Bacchis dixerat, se fecisse, supra I, 26.

31. *Scit sibi nobilitatem etc.* sc. famam; bonae meretricis cf. v. 9. Vid. ad Heaut. II, 1, 15. *et rem nat. et gloriam.* Solent haec jungi ut etiam Heaut. I, 1, 60.

Referet [b]) gratiam ei, unaque nos sibi opera amicos junget.

b) L. antiq. *Referetque.* Partic. *que* Fa. delevit, quam I. Bemb. non agnoscit.

32. *Refer. grat. ei* sc. Pamphilo. Is enim in Bacchidem fecerat sumtus non exiguos. Supra IV, 4, 63. *unaq. nos sibi etc.* Cic. pro Dej. 9. ,,cum hominib. nostris *jungebat* amicitias.“ *una* Pronom. est sexto casu ad *opera* referendum.

---

# ACTUS V. SCENA 3.

## PARMENO. BACCHIS.

*Par.* Aedepol nae meam [a]) herus esse operam deputat parvi pretii [b]),
Qui ob rem nullam misit, frustra ubi totum desedi diem,

a) C. G. m. *meus* in contextu. Id. *meam* sub. script. exhib. post *herus.* b) Sic l. antiq. Id. l. *preti.* ,,Sic et nostri, quod monet Anglus, *preti*, ut viti, gaudi, consili.“ Andr. II, 1, 20.

,,Nunc Parmeno redit, qui missus in arcem fuerat, ut amicum conveniret, qui nullus erat. Sed vocem parturientis ne audiret. Videt autem de domo uxoris Pamphili meretricem. Quae cum esset ingressa, ut se purgaret, in digito ejus annulus est cognitus, quem vitiator puellae rapuerat, et meretrici dono dederat. Nunc igitur egressa Parmenonem ad Pamph. mittit. Ipsa autem quid actum sit ante menses decem narrat. Ex quo enim compressa est virgo, decem menses sunt; et jure hic partus factus sit decem mensium.“ Eu. Ceterum hoc soliloquium est gratia auditorum, ut inde comperiant renuntiata Parmenonis.

1. *Aedep. nae meam herus etc.* ,,Totum a stomachante dicitur, quasi qui nunc maxime injuriam perpenserit.“ Do. *deput. pravi pret.* ,,Qui deputat eam operam in re nullius pretii consumendam.“ Do. Et Par. notat, τὸ *de* in verbo *deputat* esse ἀυξητικόν.

2. *misit* sc. illuc. ,,In hac scena καταςροφὴ populo exponitur.“ Do. *desedi*, otiosus fui. Plaut. Aul. I, 1, 34. ,,tum autem interdius Quasi claudus sutor domi sedet totos dies.“

Myconium hospitem dum exspecto in arce Callidemidem.
Itaque ineptus hodie dum illi [c] sedeo, ut quisquam [d] venerat,
Accedebam: adolescens! dic dum quaeso, tun' es [e] Myconius?
„Non sum.“ at Callidemides? „non.“ hospitem ecquem Pamphilum
Hic habes? omnes negabant; neque eum [f] quemquam esse arbitror.
Denique hercle jam pudebat [g]. abii. sed quid Bacchidem
Ab nostro adfine [h] exeuntem video? quid huic hic [i] est rei?
*B.* Parmeno, opportune te [l] offers. propere curre ad Pamphilum.
*Par.* Quid eo? *B.* dic me orare, ut veniat. *Par.* ad te? *B.* immo ad Philumenam.

c) C. G. m. *illic.* d) L. antiq. *quisque.* Sed *quisquam* Be. ex Codd. duob. praefert. e) Sic Be. pro *es tu* vulg. Invertit autem ille, ne *quaeso* synaloepham faciat cum *es.* f) L. antiq. *enim* pro *eum.* g) V. I. *ibi stare.* h) Id. *Phidippo.* i) Id, *in hac domo.* l) In C. G. m. omiss. est *te*, per negligentiam, ut opinor, librariorum.

3. *Mycon. hosp. dum etc.* Memoriter et vigilanter servus Myconium hospit. et Callidemid. dixit: ne videretur negligentia vel oblivione sua non invenisse, ad quem missus est.“ Do. Supra III, 4, 18. 19.

5. *adolesc. dic d. quaeso.* „Vernaliter et comice se ipsum servus imitatur.“ Do. *tu es Mycon. etc.* Tria sunt inquirenda ordine. Exemplum est Eun. III, 2, 49. 50. et 5, 27 etc.

7. *omnes negab.* Bene transit ab imitatione ad narrationem per tertiam personam. *neq. eum quemqu. esse.* „Id est, non puto eum esse in mundo.“ Do.

8. *Denique hercle j. pudeb.* *Denique* dicit qui frustra exspectando, sedendo percontandoq. valde ac misere erat defatigatus.

9. *Ab nost. adfine.* Par. in marg. „ab affinis domo.“ Andr. I, 3, 21. *quid h. h. est r.* Sic Andr. V, 2, 8. Ad. IV, 5, 4.

10. *Par. op. te off.* „Attendendum quod ab initio Comoediae usq. ad finem Parmeno mittitur ut currat: et celatur ut nesciat, quod curiose desiderat.“ Do. *op. te off.* sc. mihi. And IV, 2, 3. *prop. curre*, cf. Hec. III, 5, 11.

11. *Quid eo?* Deest propter, ut sit propter *Quid.* Heaut. II, 5, 9.

*Par.* Quid rei est? *B.* tua quod nil refert, percontari desinas.
*Par.* Nil aliud dicam? *B.* etiam: cognosse annulum illum Myrrhinam
Gnatae suae fuisse, quem ipsus olim mi [m] dederat. *Par.* scio.
Tantumne est? *B.* tantum. aderit continuo, hoc [n] ubi ex te audiverit [o].
Sed cessas? *Par.* minume equidem. nam hodie mihi potestas haud data 'st:
Ita cursando atque ambulando totum hunc contrivi diem.
*B.* Quantam obtuli adventu meo laetitiam Pamphilo hodie!
Quot commodas res attuli! quot autem ademi curas!
Gnatum ei restituo, qui paene harum [p] ipsiusque opera periit:
Uxorem, quam nunquam est ratus posthac se habiturum, reddo;
Qua re suspectus suo patri et Phidippo fuit, exsolvi.
Hic adeo his rebus annulus fuit initium inveniundis.
Nam memini abhinc menses decem fere ad me nocte prima [q]

m) L. antiq. *mihi olim.* n) Id. lib. *haec.* o) C. G. m. *audierit.* Sup. script. *de anulo cognito.* p) V. I. *matris et filiae.* q) Id. *prima vigilia noctis.*

12. *percont. desin.* Similiter Heaut. IV, 4, 23. Et Plaut. Stich. II, 2, 48. „*Tua quod nihil refert*, ne cures."
13. *Nih. al. dic.* „Vult rem per mandata colligere." Do. *etiam*, adverb. reminiscentis. *cognosse an. ill. Myrrh.* cf. IV, 1, 59.
14. *scio.* Unde sciat Parmeno, incertum est.
15. *Tantum*; vid. Eun. V, 5, 26, not. *h. ubi ex te audiv. etc.* Supra 2. 21. et Andr. III, 3, 2.
16. *Sed cess.* Sic Andr. V, 6, 15. Eun. IV, 6. 16. „tardas ac quiescis? *potest. haud data 'st*, „cessandi scilicet." Do.
17. *curs. atq. ambul.* cf. supra III, 4, 21.
19. *commod. res attuli.* *Adferre*, vocab. medium; cf. supra III, 2, 9. *ademi curas.* Andr. II, 2, 2.
20. *Gnat. ei restit.* Sic Andr. III, 3, 38. *harum* δεικτικῶς. Significat enim mulieres in aedib. unde egressa erat. *qui paene periit.* Supra III, 3, 40. et V, 1, 23.
22. *Qua re* pro Quam ob rem. *exsolvi*; cf. supra IV, 2, 23.
23. *Hic adeo his rebus etc.* Haec dicens, ostendit ips. annulum, quem in digito habet, neq. Myrrhinae reliquit." Do.
24. *abh. mens. decem.* Recte: ut de hoc peperisse demonstret. *nocte prima.* „Ineunte nocte vel noctis prima parte." Far.

Confugere anhelantem domum, sine comite, vini plenum,
Cum hoc annulo. extimui ilico [r]). mi Pamphile, inquam, amabo.
Quid exanimatu's [s])? obsecro; aut unde annulum istum nactu 's [t])?
Dic mi. ille alias res agere se simulare, postquam [u]) video,
Nescio quid suspicarier, magis coepi instare ut dicat [x]).
Homo se fatetur vi in via [y]) nescio quam compressisse,
Dicitque sese illi annulum, dum luctat, detraxisse.
Eum cognovit Myrrhina haec, in digito modo me habente [z]).
Rogat, unde sit. narro omnia haec. inde 'st cognitio facta,
Philumenam compressam esse ab eo, et filium inde hunc natum.

r) Id. *unde venisset.* s) t) Sic script. Be. vult. pro s) *exan. es* t) *nact. es.* u) Pauci Codd. *id.* Delev. Fa. Nec est in C. G. m. et Be. libb. x) V. I. *unde accepisset anulum.* y) L. antiq. *virginem.* Abest a Bemb. Vat. Bas. Nec hab. C. G. m. z) Sic a Be. recepi. Ante eum etiam We. suspicabatur legend. esse *habente.* Vulg. *habentem* inepte. Nisi forte cum Wielingio disting. ita, *in dig. modo me habentem rogat unde sit.* Sed non placet.

25. *Confug. anhel. dom. etc.* „Ex his argumentis potest colligi, hunc esse qui virginem vitiaverit." Do. *vini plen.* Andr. III, 4, 24.

27. *exanimat.* commotus, perturbatus. Andr. I, 4, 7.

28. *Dic mihi.* Sic blande interrogat. *al. res ag.* Eun. II, 3, 57. Add. Cic. p. Rosc. Am. 22.

29. *instare*; cf. supra I, 2, 46.

30. *Homo se fatetur etc.* „Bene additum *Homo.* Et oratorie *nescio quam.* „Ex quo dicto omnis error est natus." Do. Sic fere it. Plaut. Cist. I, 3, 8. „Is hic *compressit* virginem adolescentulus Vinolentus, in tenebris, multa nocte *in via.*"

31. *Dic. sese ill. annul. dum etc.* Itid. literae sacrae, Genes. 38, 25. commemorant, ex annulo reddito socerum cognosci nurum compressisse, eamq. inde gravidam.

32. *Eum cognov. Myrrhina etc.* Eu. catastrophen ex mulierum indole scite ac vere inventam. *Myrrh. haec* δεικτικῶς, haec quae in illisce habitat aedibus." We.

33. *omnia haec.* Ea nimirum quae jamjam secum repetit narrando.

34. *fil. inde h. nat.* Plenius diceretur, ut ex Phaedr. I, 18. 2. „actis mensibus."

Haec tot propter me gaudia illi contigisse laetor;
Etsi hoc meretrices aliae nolunt, neque enim in rem est nostram,
Ut quisquam amator nuptiis laetetur. verum ecastor,
Nunquam animum quaesti gratia ad malas adducam [a]) partes.
Ego, dum illo licitum 'st, usa sum benigno, et lepido et comi.
Incommode mihi nuptiis evenit. factum fateor.
At, pol, me fecisse [b]) arbitror, ne id [c]) merito mihi eveniret.
Multa ex quo fuerint commoda, ejus incommoda aequum 'st ferre.

a) Ita citat Priscian. In quibusd. libb. *induc.* b) V. I. *commisisse.* c) Abest *id* a C. G. m. Ibid. sup. script. *aliquid mali.*

35. *propt. me*; cf. Heaut. I, 2, 16. „*Propter* plerumq. causam efficientem declarat.“ Tursell. *illi*, Pamphilo.

36. *Etsi hoc meretr. aliae etc.* Repetit hic, quae supra jam declaravit, I, 30. 2, 10. *in rem*; cf. supra II, 2, 7, not.

38. *Nunq. anim. quaest. grat.* Ita ead. Bacch. sup. I, 9. *ad mal. adduc. part.* Quemadmod. „in omnes partes,“ dicunt, e. c. Cic. Fam. IV, 10. ita duas causas alicujus sibi contrarias, et bonas *partes* et *malas*. Explic. h. l. cod. Hal. recte: ad malarum mulierum partes.“

39. *dum illo licit. est, usa sum etc.* Ordo est, *dum licit. est, usa illa s. benigno.* Adjecta *benig.* et *lepid.* vid. Ind. *comi.* *Comis* in amicitiis tuendis, ut Cic. Fin. II, 23. Aut cf. Duker. ad Liv. 38, 11.

40. *Incommode mihi nupt. even.* „Dixit *Incom. mihi ev.* quemadmod. dicimus, ei male evenit.“ Do. *nupt.* pro, ex nuptiis. *fact. fat.* pro evenisse, id quod antĕcesserat. Eun. II, 3, 98.

41. *me fec. arb. ne id. etc.* Sens. Nihil timeo, quo commisissem, ut ille se ad nuptias applicaret. *id m. mihi even.* Cf. v. 37. quod *amat. nupt. laetetur.*

42. *Multa ex quo fuerint etc.* Sententia similis cf. Ad. II, 1, 53.

# ACTUS V. SCENA 4.

## PAMPHILUS. PARMENO. BACCHIS.

*Pam.* Vide, mi Parmeno, etiam sodes, ut mi haec certa et clara attuleris [a]);
Ne me in breve [b]) conjicias [c]) tempus, gaudio hoc falso frui.
*Par.* Visum est. *Pam.* certen'? *Par.* certe. *Pam.* Deus sum, si hoc ita 'st. *Par.* verum reperies.

a) V. I. *nuncies.* b) L. antiq. *hoc.* c) Verb. *conjic.* Terentian. Anglo non placet, qui *pellicias* praefert Plautinum. Heaut. II, 3, 111.

Ea quae vehementius cupimus parum credibilia videntur, dum metuimus. Sic se habet cum Pamphilo. Qui cum res confirmatas videt, quas ita fore vix speraverat, non solum ipse maximo gaudio afficitur, sed etiam cum aliis sibi occurrentibus laetitiam suam communicat.

1. *Vide*, cura, cave. *etiam.* Videtur dici pro etiam atque etiam, quod Ciceroni frequentissimum est, pro, valde, magnopere. Plaut. Most. II, 2, 43. „circumspice *etiam.*" *ut mihi haec etc.* Recordemur quae supra 5, 13. Bacchis Parmenoni ad Pamph. misso demandaverat nuntianda. *certa et clara.* Sic Plaut. [Pers. II, 2. 1. „Satin haec tibi sunt plana et *certa*? Hae dictiones *clara et certa* ex formula jungi videntur; cf. Hor. Sat. II, 6, 27. Liv. 22, 39.

2. *Ne me in breve conjic. etc.* „Mirificus verbor. ordo ut constructio. Sensus est, Ne me conjicias in fals. et breve gaudium." We. Supra I, 2, 57. Et cf. Heaut. II, 3, 51. Infinitivo *frui* utitur graece pro, fruendi vel ad fruendum, vel ut fruatur. *gaudio hoc falso frui.* Not. Far. „Quod misere cupimus, id etiam tarde credimus."

3. *Visum est.* Qua voce respondet ad Pamphili illud *Vide*, v. 1. *Deus sum* h. e. beatissim. felicissimus sum. Andr. V, 5, 4. 5. Itid. Catull. 4. „Ille mi par esse *deo* videtur. — Qui te (Lesbia) spectat et audit."

*Pam.* Mane dum sodes. timeo, ne aliud credam, atque aliud nunties.
*Par.* Maneo. *Pam.* sic te dixisse, opinor, invenisse Myrrhinam,
Bacchidem annulum suum habere. *Par.* factum. *Pam.* eum quem olim ei dedi,
Eaque hoc mihi te nuntiare jussit? itane est factum? *Par.* ita, inquam.
*Pam.* Quis [d]) me est fortunatior? venustatisque adeo plenior?
Egone pro hoc te nuntio quid donem? quid? quid? nescio.
*Par.* At ego scio. *Pam.* quid? *Par.* nihil enim.
Nam neque in nuntio, neque in me [e]) ipso tibi boni quid sit scio.
*Pam.* Egon' te [f]), qui ab Orco mortuum [g]) me reducem in lucem feceris,
Sinam sine munere a me abire? ah, nimium me ingratum putas.
Sed Bacchidem eccam video stare ante ostium.

d) L. antiq. *Qui.* e) Lindenbr. ms. Reg. *memet.* f) Al. non hab. *te*, quod edid. We. Be. et vert. Da. g) V. I. *a magna tristitia in laetitiam.*

4. *timeo ne aliud cred. atque etc.* „Insperatum gaudium somnio simile." Far.

5. *invenisse* pro cognovisse; cf. 3, 32.

6. *annul. suum.* *Suum* dicit Myrrhina annulum, quem virgini Pamphilus eripuit; cf. IV, 1, 59. *factum*; cf. Eun. V, 2, 12. *eum quem etc.* Quod id. Bacchis modo narravit, supra 3. 14.

8. *Quis me est fortunat.* Heaut. II, 3, 55. *venust. plen.* Jungitur felicitati *venustas*; idq. merito cum Venus Pamphilum beaverit amore. Contra Andr. I, 5, 10.

9. *Eg. pro hoc te etc.* Itid. Symmach. lib. 3. ep. 45. „Quid fama praeclarius? cum *laetis nuntiis* rigat aures et mentem bonorum."

10. *At ego scio.* Hoc dicit, non secus ac si sibi quid in mentem venerit; sed reprimit se dicens, *nihil enim.*

11. *Nam neq. in nuntio etc.* „Magis scire vult quam munus accipere." Do. Supra 3, 12.

12. *qui ab Orco mort. me etc.* Summi et beneficii praestiti formula. Sic Cic. p. R. in sen. 9. „*Qui me* a morte ad vitam revocavit." Similit. Graeci, ἐξ ᾅδου ἀναβεβηκέναι.

13. *Sinam sine munere etc.* Itid. Homer. Odyss. XIV, 166. ubi Eustach. εὐαγγέλιον explicat, δῶρον ὑπὲρ ἀγαθῆς ἀγγελίας, h. e. boni nuncii munus. *nim. me ing. put.* Jungitur *nim. ingrat.* Non aliter Cic. Fin. V, 27. „Nemo *nimium beatus* est."

14. *Sed Bacch. ecc. vid.* Hoc modo in Eun. II, 2, 36.

Me exspectat, credo. adibo. *B.* salve, Pamphile.
*Pam.* O Bacchis! o mea Bacchis! servatrix mea.
*B.* Bene factum, et volupe 'st. *Pam.* factis ut credam, facis,
Antiquamque adeo tuam venustatem obtines,
Ut voluptati [h]) obitus, sermo, adventus tuus, quocunque adveneris,
Semper sit. *B.* ac tu ecastor morem antiquum atque ingenium obtines,
Ut unus hominum [i]) homo te vivat nusquam quisquam blandior.
*Pam.* Ha, ha, he, tun' mi istuc? *B.* recte amasti, Pamphile, uxorem tuam.
Nam nunquam [l]) ante hunc diem meis oculis eam, quod nossem, videram.
Perliberalis visa 'st. *Pam.* dic verum. *B.* ita me Di ament! Pamphile.

h) „In *voluptati* eliditur p, ut vers. sit octonarius jambic, ut sequentes." Sic Fa. i) Fa. ed. *omnium* ex lib. Bemb. In ceteris est *hominum.* l) Al. *nusqu.*

16. *O Bacch. o mea etc.* Sic fere it. Andr. IV, 5, 7. Bene addidit *servatrix*, itemq. *mea*, quod amatoris est.

17. *Bene fact. et etc.* „Difficile enim erat credere his rebus, id est, conjugio gaudere meretricem." We. *volupe* vox Plautina; cf. Ph. IV, 5, 5. *fact. ut cred. fac.* Lusus elegans verborum, *factum, factis, facis.* Supra 5, 41. Sensus, „Per tua facta facis ut credam, te ex animo dicere." We.

18. *Antiq. venust. obtin.* Similit. Andr. IV, 5, 22. *venustat.* elegantiam morum.

19. *obitus*, „occursus, aditus." Do. *advent. Adventus* est, quem voluntas, *obitus*, quem casus offert." Id.

20. *morem antiq. a. i. obtin.* Cf. Andr. IV, 5, 22.

21. *Ut unus homin. etc.* Non inelegans blandities abundantiae verborum, *unus hominum homo*, *quisquam* inesse videtur.

22. *Ha, ha, he*, modice ridentis. *tun' mihi ist.* Q. d. *tune*, cui *incommode evenit nuptiis meis*; cf. 5, 40. *mihi*, jam marito. *istuc*, de blando ingenio narras? ut adeo emphasin habeant singulae voces." We. *recte amasti.* Minus latine diceres: *recte fecisti*, quod *amasti.*

23. *nunq. ante hunc diem etc.* Cf. supra IV, 4, 19. et infra v. 40. *quod nossem.* Quod alias dicitur, quantum scio. Sed levior atticismus adeo inesse huic blandimento meretricio videtur, ut magis placeat, quod meminissem, quod scirem." Do.

24. *Perliberal.* v. Andr. I, 1, 96. *dic verum.* Bene instanter ex meretrice quaerit, quid de forma uxoris sentiat. Scit enim hanc judicem esse pulchritudinis posse." Do. *ita me Di am.* Perjurat id verum esse quod dixerit.

*Pam.* Díc mi, harum rerum numquid dixti jam patri? *B.* nihil. *Pam.* neque opus ést;
Adeö mutito [m]). placet nön fieri hoc itidem ut in comoediis [n]),
Omnia omnes ubi resciscunt. hic [o]) quos fuerant [p]) par resciscere [q]),
Sciunt [r]); quos non autem aequum 'st scire, neque resciscent [s]), neque scient.
*B.* Immo etiam, qui [t]) hoc occultari [u]) facilius credas, dabo.
Myrrhina ita Phidippo dixti, jurijurando [x]) meo
Se fidem habuisse, et propterea te sibi, purgatum. *Pam.* optume 'st,
Speroque hanc rem esse eventuram nobis ex sententia.

m) V. I. *sis muta.* n) Id. *in commessationibus.* o) Sic l. antiq. In ms. quibusd. *hi.* C G. m. *hii*, supra I, 29. p) In l. Bemb. *fuerit.* q) r) C. G. m. q) *sciscere* r) *sciscunt* a manu posteriore. s) L. antiq. *resciscunt.* t) V. I. *quomodo.* u) L. antiq. *posse.* Non hab. Bemb. x) Sic l. Bemb, In libb. Fa. *jurejurando.* Itid. C. G. m.

25. *harum rer.* „Plus est in gestu quam in verbis." We. Annulum haud dubie intuetur in digito Bacchidis, cum quo cetera patrem celanda recordetur. *numquid.* Num aliquid. Ergo *num* acuendum." Do. *neq. op. est* sc. te quicquam dicere.

26. *mutito.* Imperativus est, *mutito* non participium; Ergo non audiantur qui *neq. opus est mutito* jungunt. *ut in comoediis.* „Quasi haec Comoedia non sit. Constat enim in comoediis in postrema parte personas plurimas poni." Eu. Est autem res valde comica, quae in comoediis vera simuletur. Atque Plautus in comoedia comoediae mentionem facit, Amphitr. Prol. 88. „Ipse hanc acturus Jupiter *comoediam.*"

27. *omnia. omnes.* Paronomasia. Sic Andr. I, 1, 69. Explic. Do. „In fine enim Comoediae nihil cuiquam celari solet." *hic*, in hac Comoedia. *quos fuer. par rescis.* h. e. quorum intererat resciscere.

28. *neq. rescisc. neq. scient.* „Nempe *resciscimus* ex aliis; scimus per nostram opinationem." Do.

29. *etiam*, insuper. *qui hoc etc*, Par. in marg. „Compressam a te per vim ante nuptias noctu Philumenam." *dabo* h. e. efficiam. Aut plenius, *factum dabo*, Eun. II, 1, 6. et Andr. IV, 1, fin.

30. 31. *jurij. meo Se fid. hab.* Cf. supra I, 28. 29. *te sibi purgat.* Jul. Caes. B. G. 1, 28. „*si sibi purgati* esse vellent," *optume est.* Responsio est approbantis. Andr. III, 3, 48.

32. *Speroq. hanc rem etc.* Innuit enim Pamph. de reducenda ac reconcilianda sibi uxore.

*Par.* Here, licetne [y]) scire ex te, hodie quid sit, quod feci boni?
Aut quid istuc est, quod vos agitis? *Pam.* non licet. *Par.* tamen suspicor.
Egone [z]) hunc ab Orco mortuum? quo pacto? *Pam.* nescis, Parmeno,
Quantum hodie profueris mihi, et me ex quanta aerumna extraxeris.
*Par.* Immo vero scio, neque [a]) hoc imprudens feci. *Pam.* (*ridens*) ego istuc satis scio.
*Par.* An temere quicquam, Parmeno [b]), praetereat, quod facto usus sit?
*Pam.* Sequere me intro, Parmeno. *Par.* sequor. (*ad spectatores*) equidem plus hodie boni

y) L. antiq. *me.* Nec l. Bemb. hab. nec Do. z) L. Bemb. *Ego.* a) C. G. m. *nec.* b) L. antiq. *Parmenonem.* Sed in l. Bemb. vers. hic, ut Fa. ait, personae Pamphili attribuitur, ubi etiam *Parmeno* legitur non *Parmenonem.*

53. *Here. licetne etc.* Redit servus, qui parum proficit in expiscandis. quae ipsum scire non aequum erat. *quid sit quod feci b.* Cf. supra v. 11. *Quod feci boni.* Sic denuo ait servus, cum herus eum dono aliquo augere voluisset.

54. *quod vos.* Scilicet Pamphilus et Bacchis. *tamen suspicor.* Anacoluthum, suppresso, etsi non licet me scire.

55. *Ego hunc ab Orco mort.* „Hoc est, a Plutone, qui est Deus inferni, mortuum liberavi. Hic Parmeno repetit verba Pamphili, et secum quasi haec cogitans loquitur" Eu.

56. *prof. mihi*; cf. supra III, 5, 13. *me ex qua. extrax.* Similiter supra III 1, 8. Interpretantur quidam verb. *extrahere* vel trahere esse id. quod gr. ῥύεσθαι κ. ἐρύεσθαι. De quorum utroq. Ammonius ita: τὸ μὲν γάρ ῥύεσθαι, ἐκ θανάτου ἕλκειν. τὸ δὲ ἐρύεσθαι, φυλάττειν. Inde trahere, *extrahere* liberare explicant, et liberatum sibi vindicare.

57. *Im. vero scio, neque etc.* Recte: parvum enim beneficii meritum, si ab imprudente praestitum videatur." Do. Et non serio hoc dicit Parmeno, sed servili quad. jactantia; neque aliter accipienda responsio Pamphili. *imprud.* h. e. insciens; cf. v. 40. *ego ist. sat. scio.* Pamph. facete iisd. fere verbis Parmenoni respondet, quibus ille usus erat.

58. *An tem quicq. Parmeno etc.* „Sibi ipsi hoc dicit, et se non nominat." Do. Hoc id. more servorum, Ad V, 1, 1. *praetereat* pro omittat. Sic Plaut. Merc. II, 3, 68. „*praeterii* dicere." Itid. Liv. 38, 28. *quod facto usus sit.* Supra III, 1, 47. Notetur *usus* nomen esse, non participium. De quo v. Sanct. Min. IV, 15. *usus est*, pro, opus est. Heaut. I, 1, 28. Ad. III, 3, 75.

59. *Sequ. me intro.* Sic Heaut. IV, 1, 51. *sequor*, obsequentis servi, imperata facientis. *equid. plus hodie etc.* Sen-

Feci imprudens, quam sciens ante hunc diem unquam [c]).
plaudite [d]).

c) C. G. ch. *vos valete*. Pro quib. dictionib. Bru. C. e. et C. G. m. exhib. signum ω. d) C. G. m. in extremis. *Calliopius recensui*. Sup. script. *recitavi*.

tentia Plautina ex Captivis, Prol. 44. ,,Plus *insciens* quis *fecit*, *quam* prudens, *boni*.‟ Egregie notat Far. ,,Bonum facere recte potest et imprudens: bene facere nemo nisi prudens.

40. *plaudite*, plausum date. Vid. Andr. fin.

# P H O R M I O.

# PHORMIO TERENTII.

Acta Ludis Romanis, L. Posthumio Albino, L. Cornelio Merula, Aedilibus Curulibus. Egere L. Ambivius Turpio, L. Atilius *) Praenestinus. Modos fecit Flaccus Claudi, Tibiis imparibus. Tota Graeca Apollodoru Epidicazomenos. Facta est IV. C. Fannio **) M. Valerio Consulibus.

---

*) Al. Attilius.

**) Far. ex recens. Heins. add. *Strabone*

*Lud. Roman.* *Ludi Romani* sive circenses ponuntur, ut alias saepe, pro tempore ludorum. Legimus autem ap. Liv. 33, 25. „*Ludi Romani* eo anno (556) in circo scenaque ab aedilibus curulibus – magnificentius quam alias facti etc.

Sed multo ante hi ludi ab Anco rege instituti sunt.

De quibus ibid. I, 34. „Ludicrum fuit equi pugilesque ex Etruria maxime acciti; solemnes deinde annui mansere ludi, *Romani Magnique* varie adpellati.“ Atque huius modi ludos usq. ad Herodiani aetatem Romae durasse, id ipse refert Hist. I, 35. Celebrabantur mense Septembri.

*Egere L. Ambiv. Turp. etc.* Cf. Inscript. Andriae.

Sed Do. vertit. „Par la troupe de L. Ambivius Turpio, et de L. Attilius de Praeneste.“

*Facta est IV.* *Facta* eod. sensu, quo *data*, *relata*, paulo ante in prioribus. Vertit Da. „Elle fut representée quatre fois.“

*C. Fannio, M. Valerio Coss.* In hoc anno discrepant notando. Alii annum ab u. c. 592. constituunt, alii 593. proxime sequentem.

## FABULAE INTERLOCUTORES.

*Antipho*, adolescens, filius Demiphonis.
*Chremes*, senex, frater Demiphonis.
*Geta*, servus Demiphonis.
*Demipho*, senex, frater Chremetis.
*Nausistrata*, uxor Chremetis.
*Phaedria*, adolescens, filius Chremetis.
*Phormio*, parasitus.
*Davus*, servus.
*Cratinus*, *Crito*, *Hegio*, advocati.
*Sophrona*, nutrix Phanii.
*Dorio*, leno.

## PERSONAE MUTAE.

*Dorcium*, ancilla.
*Phanium*, adolescentula, filia Chremetis.
*Stilpho*, alias nomen Chremetis.

## C. SULPITII APOLLINARIS PERIOCHA IN TERENTII PHORMIONEM.

Chremetis frater aberat peregre Demipho,
Relicto Athenis Antiphone filio.
Chremes clam habebat Lemni uxorem et filiam,
Athenis aliam conjugem, et amantem unice
Gnatum fidicinam. mater e Lemno advenit
Athenas: moritur. virgo sola (aberat Chremes)
Funus procurat. ibi eam visam Antipho
Cum amaret, opera parasiti uxorem accipit.
Pater et Chremes reversi fremere; dein minas
Triginta dant parasito, ut illam conjugem
Haberet ipse. argento hoc emitur fidicina.
Uxorem retinet Antipho, a patruo agnitam.

# PROLOGUS.

Pōstquām pŏētă vĕtūs [a]) pŏētām [b]) nōn pŏtēst
Rĕtrăhĕre āb stŭdĭo [c]), ēt trānsdēre hŏmĭnem ĭn ōtĭūm [d]);
Maledictis deterrere, ne scribat, parat.
Qui ita dictitat, quas antehac [e]) fecit fabulas,
Tenui esse oratione et scriptura levi,
Quia nusquam [f]) insanum fecit [g]) adolescentulum [h])

a) C. G. m. invert. *vet. poeta.* Supscript. *maledicens.* b) V. I. *Terentium novum.* c) In c. Hal. *componendi.* Glossam sapit. d) Sic metrum notatum ap. Priscian. inveni. e) Sic a Do. In l. antiq. *ante*, quod recte refertur ad Terent. f) I. et V. *numquam.* g) Do. ad loc. ,,*scripsit.* Legitur et *fecit.*" h) V. I. *ironice.*

,,Hoc initium a destructione personae adversarii sumitur, conjunctum cum insinuatione personae Terentianae." Do. His ego addo ex Eu. sententia notatum, Terentium vix usum esse prologis, nisi quem habuerit adversarium. Vid v. 13. 14.

1. *Postq. poeta.* Simile initium cf. Ad. Prol. *poeta vet.* Id est, qui significatur in Andr. Prol. 7. ubi not. Add. Heaut. Prol. 22.

2. *Retrah. ab stud.* Cum quad. vehementia, ut Andr. I, 5, 8. Nam verisimile est, illum vet. poet. omni opera id egisse, ut ne Terentius scribendo innotesceret. *transdere.* ,,Sic vett. sonantius, quod nos lenius dicimus tradere." Do. Explic. Par. transferre." *hominem.* Comice et venuste inseruit. Infra I, 2, 73. *in otium* h. e. ut relicto studio scribendi otiosus maneat.

3. *ne scrib.* Cf. Hec. Prol. II.

4. *dictit.* Frequentativ. verb. per impudentiam.

5. *Tenui esse or. et etc.* Vid. ad Herenn. IV, 8. ubi tertia figura orationis appellatur *attenuata.* ,,*Attenuata* autem, inquit auctor incertus, est quae demissa est, usq. ad usitatissimam puri sermonis consuetudinem." Inde recte monet Do. imperitum a Poeta induci criminatorem, qui hoc objiciat, quod proprium debeat esse comici stili.

6. *Quia nusq. insanum etc.* Qualia solent esse in comoediis aliorum. ,,Ideo videmur leves tenuesq. quia non in Comoedia

Cervam videre fugere, et sectari canes,
Et eam plorare, orare, ut subveniat sibi.
Quod si intelligeret, olim cum stetit nova,
Actoris opera magis stetisse quam sua;
Minus multo audacter [i]), quam nunc laedit, laederet [l]).
Nunc si quis est, qui hoc dicat, aut sic cogitet,
Vetus si poeta non lacessisset [m]) prior,
Nullum invenire prologum posset [n]) novus,
Quem diceret, nisi haberet, cui malediceret,

i) Mu. ed. *audaciter.* l) Qui vulgo sequitur versus, *Et mag. plac. quas feciss. fab.* hunc Fa., probante Be. ejecit, „ut nec a Do. positum, nec in trib. antiquiss. libb. Bembino, Vaticano et Victoriano scriptum, nec boni quicquam sensus afferentem.“ Petitus est, ut equid. opinor, ab Andr. Prol. 3. Etiam Lindenbr. observat, hunc v. a plerisq. mss. abesse. m) V. I. *provocasset novum.* n) L. antiq. *potuisset.*

prodigia facta sunt et tragoedias concitavimus.“ Do. *nusq.* in nulla comoedia Terentii. *insan. fec. adolesc.* h. e. *insani* personam induxit *adolescentuli. insanum,* sc. amore.

7. *Cerv. vid. fug. et etc.* „Hic affectus a comoedd. removendus.“ Do. *videre* q. d. gr. φαντάζεσθαι. Huiusmodi autem *cerva fugiens* vid. Virg. A. IV, 69.

8. *Et eam plor. or. ut etc.* „Haec omnis περίστασις tragica est et ideo in comoedia vitiose inducitur.“ Do. Hic Da. notat, Lavinium praeter morem Comicor. scripsisse amore *insanum adolescentulum*, credentem, se amicam suam in cervam mutatam *videre fugere, canes* autem eam insectari, *cervam* porro *plorare* et *orare, ut* adolescens *subveniat sibi.* Atqui vero de cerva, a canib. agitata, et auxilium hominum implorante memorat Ovidius, ex Pont. II, 2, 39.

9. *olim. cum stet. nova.* Sensus est: Cum Terentii admod. adolescentis nova placuit fabula.

10. *Actoris op. magis etc.* „Una opera et suffragium scenicor. comparat et laedit adversarium.“ Do. *quam sua.* „Ita populum excusat de non exacta Fabula, actorib. blanditur, poetam exagitat.“ Bi.

11. *Min. multo.* Transposit. est pro, *Multo minus.*

12. *si quis est.* Scilicet de populo.

13. *Vet. si po. n. lacess.* Cf. Eun. Prol. 16. *prior* cf. Eun. Prol. 6. Sed h. l. *prior* abundare videtur propter *lacessisset.*

14. *Null. inv. prolog.* Prologum modo non hominem, ut Heaut. Prol. 11. sed verba significat.“ *novus* sc. poeta, quem opponit veteri, v. 13. Est autem *novus* i. q. ignotus; cf. Plaut. Pseud. II, 4, 9. Perstringit ita adversarium fama sua gloriantem.

15. *Quem dic. nisi etc.* Non ea causa Prologus a Terentio ponitur, qua solet Prologus dici, ut Poetam commendet, et argumentum dicat, sed tantum modo maledicat adversario. Vid. Andr. Prol. 5, not.

Is [o]) sibi responsum hoc habeat, in medio [p]) omnibus
Palmam [q]) esse positam, qui artem tractant musicam.
Ille ad famem hunc ab studio studuit reicere [r]);
Hic respondere voluit, non lacessere.
Benedictis si certasset, audisset bene.
Quod ab illo adlatum est, sibi esse id relatum [s]) putet.
De illo tum finem faciam dicundi mihi,
Peccandi cum ipse de se finem fecerit [t]).

o) V. I. *maledicus.* p) C. G. m. in marg. *in publico*; *quoniam poetae boni indifferenter ducuntur, utrum laudentur an vituperentur.* Quam glossam fere eand. Bruns cum suo Cod. edidit. q) V. I. *victoriam.* r) C. G. m. et Bru. C. e. sicut antiquiss. ll. *reicere* per unum i. Andr. II, 3, 8. Addo Drakenb. ad Liv. IV, 52, qui de lectione *adicere* pro *adjicere* testatur, haec et similia verba in optimis nostis ita exarari solita fuisse. Etiam versus emissum j requirit, ut Virg. Ecl. III, 96. s) In l. Bemb. *rellat.* ob primam, ut Be. opinatur, productam syllab. Vid. Heaut. II, 3, 98, not. t) Vulg. *non facit.* C. G. m. *non faciat.* At Be. omisso *non*, repon. *finem fecerit* recte. Nam merito illi τὸ *non* suspectum est, ut a sententia exortum, quam Donati esse praedicant dicentis, „Quoniam ille non desinit mihi maledicere, ego desinam ei maledicere.“ Qua tamen sententia opinor nihil bono Christiano dignius. Improbabis autem illud *non*, si, quod supra est, respexeris, *adlatum est*, *relatum*; improbabis etiam ex Andr. Prol. 22. 23. ubi similiter Poeta adversario lacessenti par pari referre minatur.

16. *Is sibi resp. h. hab.* Itid. fere in Andr. Prol. 7 et Eun. Prol. 6. *in med. Palm. esse etc.* Par. in marg. „Graeci; κοινὸς ὁ ἀγών. Et Martial epigr. 29.“ ad digitum *posita* concurrere *palma.*“

17. *posit.* pro proposit. Hec. IV, 2, 8. *qui art. tr. music.* „qui comoedias scribunt.“ Do. Heaut. Prol. 23.

18. *Ille ad famem etc.* Cf. v. 2. Qui Poetam vituperat, ad inopiam facile redigit. Nam poetae probi vendebant fabulas suas, et harum pretiis alebantur.

19. *Hic*, Terentius.

20. *Benedict. si certass.* Quia dixerat, *in medio Palmam. Benedict.* Cui contrarium *Maledictis*, v. 3. *audiss. bene.*“ *Bene audire* est bene dici, laudari.“ Do. Contra Hec. IV, 2, 24. Similiter Ennius ap. Gell. 20, 10. „Haud doctis dictis certantes, sed maledictis.“

21. *adlat. est*, q. d. commemoratum est; uti Cic. N. D. I, 21. *sibi id relat.* Eod. fere sensu quo supra v. 16. *hoc sibi responsum.* Sed *relatum* posuit, quia dixerat *adlatum*, ut efficeret παρόμοιον.

22. *fin. fac. dic. mihi.* Sic Cic. Tusc. Q. II, 1. „quem sperandi sibi, eund. bene *dicendi finem* proponerent.“

23. *Peccandi*, maledicendi. Dignum est notatu, quantum ar-

Nunc quid velim, animum attendite. apporto novam
Epidicazomenon [u]), quam vocant comoediam
Graece, Latine [x]) hic Phormionem nominat [y]):
Quia primas partes qui aget, is erit Phormio

u) Be. ed. *Epidicazomenen*, idq. ex Do. Is enim ad loc. ita: Hic manifesto errat Terentius; nam haec fabula quam transtulit, Epidicazomene, s. *'Επιδικαζομένη*, dicta est a puella, de qua judicium est: cum sit alia Epidicazomenos ejusd. Apollodori. Debuit ergo dicere Epidicazomenen graece.‟ Quo tamen crimine erroris Donatus Terentium gravat, hoc id. Be. a Poeta ad ipsius criminantis mendosum, quo is usus sit, retorquet exemplar. x) Vulg. *Graeci*, *Latini*. Sed vetustiss. Be. Cod. *Graece*, *Latine*. Recte. At vero dubium restat, cur latine *Phormio*? cum ipsa vox *Phormio* graeca est. Quod quidem, praetermissis alior. commentis ita explicand. autumo, ut sit Comoedia haec *latine*, h. e. latino auctore composita; si quidem suae quisq. fabular. scriptor nomen indere solebat ipse, non *Graeci*, non *Latini* homines. y) In l. antiq. *Graeci*, *Latini Phormion. nominant*

tis posuerit in delectu et collocatione singulorum: *De illo*, *de se*; *tum. cum*; *finem fac. dicendi*, *finem fec. peccandi*. Haec inde oratio auribus facile poterat placere.

24. *Nunc q. vel.* Supplet Do. „quaeritis?‟

25. *Epidicazom.* Mu. in marg. „Epidicazomenos agens de possessione rei seu vindiciarum. Epidicasta, lis vindiciarum.‟ Et notat L . „Hanc Comoediam manifestum est prius ab Apollodoro sub alio nomine, h. e. *'Επιδικαζόμενον*, Graece scriptam esse, quam Latine a Terentio Phormionem. Quamobrem nulla dubitatio est, hanc solam esse, cui nomen Poeta mutaverit: et errare eos, qui in hac Phormionem parasitum putant a formula litis, quam intenderit, nominatum: quum graeca lingua fiscus sparteus et stramen nauticum sic dicatur, a cujus rei vel capacitate vel utilitate etiam ab Apollodoro parasitus Phormionis nomine venit. Add. Sluiteri Lectt. Andocid. p. 84. Pater si intestato mortuus esset, is, qui genere esset proximus, lege jubebatur, puellam sibi in matrimonium petere, quod dicebatur *ἐπιδικάζεσθαι τῆς ἐπικλήρου*: et tum virgo fiebat *ἐπίδικος*. Huic cf. loc. inf. I, 2, 75: uti in Ad. IV. 5, 16.

26. *Latine* sc. tractatam. *hic*, Terentius. *Phorm. nominat.* Scriptor enim ipse nomen suae fabulae indere solebat. Sic it. Plautus in Mil. gl. II, 1, 8. „Alazon Graece huic nomen est comoediae, Id nos Latine Gloriosum dicimus.‟ Plautus tamen plus quam Terentius fabulas suas, etsi a Graecis desumtas, Latine inscribere solebat. *Phormion.* *φόρμιον* tegiculum dicunt Graeci, quo insternitur pavimentum.‟ Do. Et ex Hesiodo in Etymol. Magno: "*Οισεις δὲ ἐν φορμῷ.*‟ Inde Phormio diminutivum servile nomen.

27. *primas p.* h. e. potissimas, primarias. Eun. I, 2, 10. Ad actorem respici putat. Do. Et Ernest. in Clav. Cic. notat: „*Pars*

Parasitus, per quem res geretur [z]) maxume. —
Voluntas vostra si ad poetam accesserit [a]),
Date operam, adeste aequo animo per silentium;
Ne simili utamur fortuna, atque usi sumus,
Cum per tumultum [b]) noster grex motus loco 'st,
Quem actoris virtus nobis restituit locum
Bonitasque vostra adjutans atque aequanimitas.

z) Sic Be. Codd. Itid. C. G. m. et Hal. In antiq. *agetur.* a) V. I. *ut eum audiatis.* b) Videtur respicere fata Hecyrae, cuius vid. Prolog. Atque hoc in causa est, cur in Editionib. non quidem omnib. postponatur haec fabulae Phormio. Quod vero ita esse debere, hinc etiam Donatus praecipue conjiciebat.

in scena est persona, quam quis suscepit agendam; in Caecil. 15. actores secundarum et tertiar. *partium etc.*" Estque adeo *prim. part. qui ag.* fere id. quod mox dicit, *per quem res ger. max.* v. 28.

28. *Parasitus*, vid. ad Eun. Prol. 30. *per qu. r. ger. max.* Do. hic non tam primum actum significari putat, quam potius summas partes.

29. *Voluntas*, favor. Cic. Fam. IV, 13. „Accedit eod. vulgi *voluntas*, vel potius consensus omnium."

30. *Date op. adeste etc.* Favoris indicium est in comoedia *silentium* spectatoris. Eun. Prol. 44.

31. *Ne simili utamur etc.* „Ne populum laederet, *fortunam* maluit accusare." Do.

32. *per tumult.* Cf. Hec. III, 2, 21. *grex. Grex* de scenica caterva saepe ap. Plaut. *mot. loco est* h. e. expulsus, ejectus.

33. *Quem act. virtus etc.* Indigitat perseverantiam actoris, qui ejectus non animum dejecit. *actoris*, L. Ambivii Turpionis, cuius virtute ipsa Terentii Comoedia commendatur ac recipitur. Atque utilis est *actor* poetae; quapropt. ubique laudatur.

# ACTUS I. SCENA 1.

## DAVUS.

Amīcūs sūmmūs mĕūs ēt pŏpŭlārīs Gĕta
Hēri ăd mē vēnĭt. ĕrăt ĕĭ dē rătĭŭncŭla [a])
Jam pridem apud me reliquum pauxillulum
Nummorum, id ut conficerem. confeci, adfero.
Nam herilem filium [b]) ejus duxisse audio
Uxorem. ei, credo, munus hoc corraditur.
Quam inique comparatum est, hi qui minus habent,

a) Sic metrum Priscianus notavit. b) V. I. *Demiphonis domini sui.*

,,Quod in omnib. fere comoediis, in quib. perplexa argumenta sunt, fieri solet, id in hac quoque Terentius servat: ut *προτατικὸν πρόσωπον*, id est, personam extra argumentum inducat: cui tum ob hoc ipsum, quod veluti aliena a tota fabula est, gesta res narratur, discat populus textum ex continentia rerum, sitque instructus ad cetera.'' Do.

1. *Amic. sum. meus et etc.* ,,Insinuatio personae ejus, quae inducitur ad audiend. argumentum.'' Do.

2. *Heri ad me ven.* ,,Apparet heri fuisse nuptias.'' Do. *erat ei de ratiuncula Jam pridem etc.* Sensus: Debebam ei nonnihil ex ratione antiqua.'' We. *ratiuncula.* ,,Opportuna diminutio in re servili.'' Do. ,,De tenui autem peculio sermo est, quod servi suum comparabant; ex quo aliquid heris suis pendebant quotannis, atque etiam pro capite suo numerare poterant, ut servitutem exuerent.'' Bi.

3. *pauxillul.* ,,Quartus casus diminutionis, paulum, paululum, pauxillum pauxillulum.'' Do. *reliq. Nummor.* Ita Cic. ad Attic. 16, 16, ,,Admonuit tamen, ut pecuniam *reliquam* solverent.''

4. *id ut confic.* Sub. monuit me. Cf. infra V, 5, 11. *conficerem* pro colligerem. Eod. sensu Cic. p. Cluent. 25. ,,permagn. pecuniam poposcit: deinde ad id pervenit, quod *confici* potuit et sestertiûm sexcenta etc.''

5. *heril. fil. ejus* pro heri ejus filium, sc. Antiphonem.

6. *mun. h. corrad.* Cf. Heaut. I, 1, 89.

7. *Quam. iniq. comparat. est*, institutum est. Cic. Rosc. A

Ut semper aliquid addant divitioribus [c])!
Quod ille unciatim vix de demenso suo,
Suum defrudans [d]) genium, comparsit [e]) miser,
Id illa universum abripiet, haud existumans,
Quanto labore partum. porro autem Geta
Ferietur alio munere, ubi hera pepererit;
Porro autem alio [f]), ubi erit puero natalis dies,
Ubi initiabunt [g]). omne hoc [h]) mater auferet.

c) L. antiq. *ditiorib.* d) We. p. var. *defraud.* e) L. Bemb. *compers.* vetuste. f) L. antiq. *alio autem.* g) C. G. m. in marg. *consecrabant diis.* Eu. leg. *initiabitur.* Eugraphio namque *initiare* est, ad cibum infantum instruere; qui et ipse natalis quod. modo *dies* est." h) Al. *omnia haec.*

35. „More majorum *comparatum est*, *ut* — homines testimonium — dicerent."

8. *add. divitiorib.* Bene *addant*, scilicet acervo divitum.

9. *Quod ille unciatim.* „H. e. paulatim, velut per singulas minas." Eu. Esse autem *unciam* partem librae decimam constat. *de demenso suo.* „Erat hoc frumentum, certa mensura vel pondere dari servis solitum quot — calendis." We. Hoc *demensum* Hesiodus, Ἐργ. 767. ἀρμαλιὴν vocat.

10. *Suum defrud. gen.* „Qui lautius et largius se excipiebant, genio suo putabantur indulgere; contra qui parcius vivebant, se genium defrudare creditum est." Eu. cf. Liv. II, 10. *comparsit miser.* „Parcendo servavit." Eu.

11. *Id illa.* Nupta scilicet *univers. abrip.* Contra *unciatim*, v. 9.

12. *Quanto lab. part.* Cf. infra V, 3, 5.

13. *Fer. alio mun.* „*Ferietur munere*, non qui accipit, sed qui invitus dat, damnum patitur." We. Translat. est de gladiatorib. vid. Broukhus. ad Propert. IV, 5, 44. *ubi hera peper.* Quinto nimirum a partu die κειμήλια mittebantur puerperis et obstetricibus; v. schol. ad Aristoph. λυσ. v. 758.

14. *ubi erit p. natal. dies.* De celebratione dier. natalium ac de munerib. ibi puero mittendis v. Turneb. Adverss. I, 6. Et Pers. Sat. I, 31. natalitia dicit h. e. quae muneris loco dabantur.

15. *Ubi initiab.* Scilicet cibo et potu. Nam Athenienses liberos Cereri initiabant; quod quidem, ut in palliata fabula, magis probatur. Ceterum insignis Varronis locus est. „Cum primo, inquit ille, cibo et potione initiarent pueros, sacrificabant etc." Nempe consecrabant Divis edendi et potandi etc. ubi primum a lacte et a cunis transierunt. It. Cic. de Legib. II, 14. „*Initiaque* ut appellantur, ita re vera principia vitae cognovimus etc. *omne h. mat. auf.* Utra accipiat, an nutrix? an vera mater? dubitat Do. Supra quem loc. vid. doctissim. Lindenbr. *mat. aufer.* Stomachose itid. illud, *haec intercipit.* Eun. I, 1, fin.

Puer causa erit mittundi [i]). sed videon' Getam?

i) C. G. m. *amittundi.* Sup. script. *illud argentum.*

16. *Puer. causa er. mitt.* „Proprie dixit *mittundi* de muneribus." Do. *causa* h. e. πρόφασις seu praetextus." We. Hec. I, 2, 5. *sed vid.* Sic Eun. II, 2, 58. Hec. II, 1, 6.

---

## ACTUS I. SCENA 2.

### GETA. DAVUS.

*G.* [a]) Si quis me quaeret rufus — *Da.* praesto 'st, desine. *G.* oh!
At ego obviam conabar tibi, Dave. *Da.* accipe. hem!
Lectum 'st. conveniet numerus, quantum debui.
*G.* Amo te, et non neglexisse [b]) habeo gratiam.
*Da.* Praesertim ut nunc sunt mores, adeo res redit,

a) V. I. *Egrediens Geta. ut ad Dav. rufum argentum reposceret, dicebat suis. Sed subito ipse Davus advenit.*
b) Al. *te.* V. I. *tardavisse.*

„Mire Poeta desideratum Getae ostendit Davum, quem is suum moneat debitorem." Do.

1. *Si quis me quaer. ruf.* Ad conservum loquitur, cui Davum comice *rufum* notavit; et plura illi mandaturus adventu Davi ipsius cohibetur. Hec. I, 2. *ruf.* hoc *rufi* vocabulum Willichius autumat esse φυσιογνωμονικὸν, servumq. malitiosum subindicari. Quapropt. Geta verebatur, ne praesentem *rufum* significaret. Itid. calvi nomen plus minusve proprie obvium Cic. de Or. 2, 61. *praesto est*; cf. Heaut. I, 1, 120. Par. in marg. „ut respiciat ad morem judiciorum." *desine*; cf. Eun. II, 3, 57.

2. *At ego obviam etc.* Ellipsis, ire. *accipe.* Hoc enim nummos offerens Davo dicit, qui secum supra dixerat I, 1, 4. *adfero.* Explic. Eu. „Pulchre antequam peteret, obtulit quod debebat."

3. *Lect. est* sc. argentum. Sic Plaut. Pseud. IV, 7, 50. hic sunt quinque argenti *lectae* numeratae minae. „Inde patet, *lectum* intelligi integrum argentum, non adulterinum. *conv. num.* Itid. Cic. Attic. V, 21. „ad nummum *convenit.*"

4. *Amo te.* Par. in marg. „Elegans formula respondendi et gratias agendi." Cf. Plaut. I, 2, 42.

5. *Praesert. ut nunc sunt mores.* „Quia consuetudinis imago

Si quis quid reddit, magna habenda 'st gratia. —
Sed quid tu es tristis? *G.* egone? nescis quo in metu, et
Quanto in periclo simus [c])? *Da.* quid istuc est? *G.* scies,
Modo ut tacere possis. *Da.* abi, sis, insciens.
Cuius tu fidem in pecunia perspexeris [d]),
Verere verba ei credere? ubi quid mihi lucri est
Te fallere? *G.* ergo ausculta. *Da.* hanc operam tibi dico [e]).
*G.* Senis nostri, Dave, fratrem majorem Chremen [f])
Nostin'? *Da.* quidni? *G.* quid? ejus gnatum Phaedriam?
*Da.* Tam, quam [g]) te. *G.* evenit senibus ambobus simul,

c) L. Vict. *sumus.* Al. *sim.* d) Par. p. var. *prospex.* male. e) Al. *dabo.* f) I. et *Chremetem.* Andr. III, 2, 52. g) Ita divisum a Be. Placet. Vulg. *tamq.* conjunctivi.

est vituperare praesentia." Do. *adeo res red.* cf. Heaut. II, 3, 118.

6. *Si quis quid redd.*, h. e. acceptum restituit. *habend. est* sc. ei.

7. *Sed quid tu es tr.* Cf. Eun. II, 3, 13.

8. *Quanto in p. simus.* Numero plurali, *simus*, utitur, se intuens ac filios heriles.

9. *Modo ut tac. poss.* „Ita solebant cavere, secretum commissuri." We. Eun. I, 2, 21. *abi, sis, insc.* „Formula molliter reprehendentis." We. *insciens* pro stulto. *sis*, si vis; cf. Andr. V, 1, 4.

10. 11. *Cujus tu f. — Vereris etc.* „Discede stultissime, cum tu mihi pecuniam credideris, ubi fidem meam integritatemq. vidisti, verba mihi metues commodare, in quib. quid lucri habeo, si te fefellero?" Sic Eu. *quid*, significantius pro nihil.

12. *hanc oper.* sc. auscultandi *h. op. tibi dico.* Ex Plauto express. Bacch. IV, 9, 72. „Recita, aurium *operam tibi dico.*"

13. *Senis nost.* Par. in marg. „Demiphonis." *fratr. maj. Chrem.* Haec singula nomina bene distinguit coram populo, ut eo jam magnam argumenti partem declaret.

14. *quidni?* Plenius Ad. IV, 2, 34. *quid? ejus gnat. Ph.* „Non dixit, *quid? Phaedriam?* sed addidit, *ejus gnatum*; ut magis docere quam interrogare videretur." Do. Deest, *nosti?*

15. *Tam quam.* Utrumq. hoc in comparatione. Cic. Sull. 31. „*Tam* sum misericors, judices, *quam* vos. „H. l. supplendum novi. *evenit senibus.* Verb. *evenit* bene jungitur dativo; quapropt. We. distinguit post *evenit*, minus commode. *simul*, uno tempore." Do.

Iter illi in Lemnum ut esset, nostro in Ciliciam,
Ad hospitem antiquum; is senem per epistolas [h])
Pellexit [i]), modo non montes auri pollicens.
*Da.* Cui tanta erat res, et supererat? *G.* desinas:
Sic est ingenium [l]). *Da.* oh, regem me esse oportuit.
*G.* Abeuntes ambo hinc [m]) tum senes me filiis
Relinquunt quasi magistrum. *Da.* o Geta, provinciam
Cepisti duram. *G.* mi usus [n]) venit, hoc scio.
Memini relinqui me Deo [o]) irato meo.
Coepi adversari primo. quid verbis opu 'st?
Seni [p]) fidelis dum sum, scapulas perdidi.

h) In trib. Codd. Be. *per epistolam.* i) V. I. *induxit.* l) Id. *ut plurima promittant.* m) Al. *hic.* n) L. antiq. *usu.* Itid. C. G. m. Sed si *usu* legeretur, tunc distinguend. esset, *mihi usu venit hoc, scio.* o) V. I. *a Genio.* p) Be. mavult *senibus*, propt. *senes* v. 21.

16. *illi*, Chremeti. „Recte tacetur cur Chremes ierit: et dicitur cur Demipho. Utrumq. pro argumento est.“ Do. Infra IV, 1.

17. *antiquum*, candidum, simplicem. Cic. p. Rosc. A. 9. „Homines *antiqui*; ubi v. interprett.

18. *Pellex*. Hoc Plautin. verb. Noster semel h. l. usurpavit; cf. Hec. V, 4, 2, 9. *Pellicere* proprie meretricum est, Plaut. Men. II, 2, 63. h. l. in vernili ore concessum. *modo non*, propemodum, vel paene cf. Tursell. *montes auri.* Proverb. de ingentib. promissis; vid. Erasm. Adag. Addit Do. „Quia more veterum hospites hospitib. multa donabant.“ Sallust. Cat. 23.

19. *Cui*, Demiphoni. Construit Do. „Eun. *pellexit*; *cui tanta r. e.*“

20. *Sic est ingen.* Cf. Ad. I, 2, 63. Plautina locutio, „*ita est ingenium* meum,“ Stich. IV, 2, 46. *ingenium* pro natura ac morib. *reg. me e. oport.* „Homines opulentos *reges* dixerunt.“ Wo. Plaut. Capt. IV, 2, 45. Quoad sensum, Da. eruit hunc, „car il sauroit (je saurois) bien mieux jouir de son bien que Demiphon.“

21. *hinc*, Athenis. *me fil. Relinq. q. magistr.* cf. Ad. V, 9, 5. Add. Plaut. Trin. II, 1, 5. „*Magister* exercitor; ubi Par. explic. „gymnasta, praeceptor.“ *quasi.* „Bene: qui non complevit hoc ipsum, nec vult esse.“ Do.

22. 23. *provinc. Cep. dur.* cf. Heaut. II. 4, 21. *provinc.* Ad *provincias* quia praetores cum officio mittebantur, officia quoque *provinciae* nominantur.“ Do.

24. *Mem. relinq. m. D. irato*; vid. ad Andr. IV, 1, 40. *Deo irato meo.* Contra Naevius, „*Deo meo* propitio.“

25. *Coepi advers. pr.* Cf. Hec. II, 2, 29. *quid verb. op. est.* Facete. *Verba* enim negligit, qui verbera sensit.

26. *Seni fidelis etc.* „Fidus est amicus: *fidelis* est servus.“ Do. *scapul. perd.* Similit. Plaut. Epid. I, 1, 84. „corium *perdidi.*“ Significat enim, *scapulas* suas ita contusas, ut sensum omnem

Venere in mentem mi istaec [q]). namque [r]) inscitia 'st,
Advorsum stimulum calces [s]). coepi iis omnia
Facere, obsequi quae vellent. *Da.* scisti uti foro [t]).
*G.* Noster mali nil quicquam primo; hic Phaedria
Continuo quandam nactus est puellulam
Citharistriam. hanc amare coepit perdite.
Ea serviebat lenoni impurissimo;
Neque, quod daretur quicquam, id curarant patres.
Restabat aliud nil, nisi oculos pascere,
Sectari, in ludum ducere, et reducere.
Nos otiosi operam dabamus Phaedriae.

q) L. antiq. *Ven. in ment. ist. mihi.* „Hoc dictum, uti Do. monet, et superioris personae esse potest et alterius." Sed recte Be. vidit, tribuendum Getae esse, non Davo. r) Sic libb. Be. In Fa. s. et e. *nam quae.* s) V. I. *opponere.* Sed Guyeto τὸ *calces* est nominativus plural. t) V. I. *negotio.*

amiserint. „*Perdere*, comicum verb. ut perire." Lex. Plaut. *inscin. 'st. Adv. stim. calc.* „Etenim *inscitia est*, *calces* velle jactare, cum *stimulus* imminet: te enim magis incipias vulnerare." Eu. Proverb. est etiam Graecor. Πρὸς κέντρα λακτίζειν. Itid. Hor. Sat. II, 7, 63. Est autem illud a bobus arantibus aliisque jumentis desumtum, quae stimulis incitata regebantur. *uti foro.* Est inter adagia Erasmi p. 46. pro eo quod est, praesentem rerum statum boni consulere, et utcunq. sese obtulerit fortuna, ita animum applicare." Contra fere est Cic. p. Rosc. A. 31. „*fori* judiciorumq. insolentia."

30. *Noster*, Antipho. *mali nil. quicq.* Scilicet *malum* amoris intelligit, quo ille prematur.

31. 32. *puell. Citharistr.* Sc. ex aetate illam, ex arte hanc. *Citharistria*, nomen hab. a cithara, qua canebant, a κιθαρίζειν. Corn. Nep. Epamin. 2. „Nam et *citharizare* et cantare ad chordarum sonum doctus est etc." v. Ammon. voc. κίθαρις vel κιθάρα. *amare perdite* h. e. praeter modum; ut homo perditus, cui nihil pensi est, quid agatur, modo fiat voti compos.

33. *Ea serv. len.* Erat enim *Citharistria* ancilla *lenonis*, non libera. Hinc „magna praeparatio ad rer. difficultatem imminentium, puellula, citharistria, avarus leno. amator perditus, inopia." Do.

34. *quod daretur*; cf. Eun. V, 8, 48. *id. curav.* *Curaverant* diligenter, ne pecunia filiis relinqueretur in domo; veluti memores Plautini illius," qui amat, si eget, misera adficitur Aerumna. Curc. I, 2, 53. *id. curar.* Par. in marg. τὸ *id* παρέλκειν.

35. *Rest. al. nil. nis. etc.* Cf. Hec. III, 1, 20. *nisi ocul. pasc.* Cf. Lucret. I, 37. „*Pascit* amore avidos *visus*."

36. *Sectari, in ludum etc.* „Cum illa pergeret *in ludum*, h. e. in locum ubi forte discebat." Eu. *in lud.* *Ludus* fidicinus, ubi psallere instituebantur ac saltare.

37. *Nos*, Geta et Antipho. *op. dab. Phaedr.* Sic Plaut. Merc. II, 2, 17. „amico *operam dare*." Supra v. 28. 29.

In quo haec discebat ludo, exadversum [u]) ei loco
Tonstrina [x]) erat quaedam. hic solebamus fere
Plerumque eam [y]) opperiri, dum inde iret domum.
Interea dum sedemus illic, intervenit
Adolescens [z]) quidam lacrumans. nos mirarier.
Rogamus quid sit? „nunquam aeque, inquit, ac modo
Paupertas mihi onus visa [a]) est, et miserum et grave.
Modo quandam vidi virginem hic [b]) viciniae
Miseram, suam matrem lamentari mortuam.
Ea [c]) sita erat exadvorsum; neque illi benevolens,
Neque notus, neque cognatus extra unam aniculam
Quisquam aderat, qui adjutaret funus. miseritum 'st.
Virgo ipsa facie egregia. quid verbis opu 'st?"

u) L. Bemb. *ex adverso.* x) V. I. *domus tonsoris.* y) Id. *citharistriam.* z) *Adolesc.* in C. G. ch. priori versui annexum. Cuius omnino codicis versuum distinctio a vulgata passim discedit. a) Sic un. C. Be. Vulgo *visum.* Par. in marg. „pro *visa est.*" b) Var. *huic. hinc. huius.* c) C. G. m. et Hal. gl. ead. haec, *virgo* vitiose pro mater. Nam mortui tantum *siti* dicuntur, non vivi.

38. *exadversum.* „Contra ipsum locum." Eu. Et v. Gell. VII, 7.

39. *Tonstr. erat,* „Apta sedes otiosis." Do. Neq. aliter Spanh. ad Aristoph. Plut. v. 338. dicit, „Tonstrinae erant conciliabula otiosorum."

40. *iret* pro, rediret.

41. *Interea dum. etc.* Sic Heaut. II, 3, 1. *sedem.* „h. e. moramur et manemus, Citharistriam." We. Ad. IV, 5, 38. *interv. Adolesc. qu. lacr.* „Apollodorus tonsorem ipsum nuntium facit etc. Do.

45. *Modo quand.* Bene dixit *quandam,* cum juvenis cupidine flagrans non quaerat, quae fortuna sit, quae conditio aut quae familia puellae amatae. *hic viciniae;* cf. Andr. I, 1, 43. „Statim proximitas insinuatur, ut sit causa et spes videndi." Do. Et Ovid. Met. IV, 59, 60.

46. *Miseram.* Ob. affectum scilicet. *suam matr.* Significatur mors ejus, quae superducta Chremetis bigami uxor a Lemno Athenas profecta ibi mortua est.

47. *Ea sita erat,* h. e. corpus mortuae positum erat. Nam epitaphiis sepultorum inscribi solebat: „hic situs s. sita est." Cic. de Legib. II, 22. Hic autem atrium intelligitur, ubi mortui, priusquam efferrentur, deponi vel collocari solebant. *neq. illi benev. Neque etc.* Sic it. Thais in Eun. I, 2, 67. se orbam ac solam esse conqueritur.

49. *aderat;* cf. Eun. V, 2, 66. *adjut. funus;* cf. Andr. I, 1, 81.

50. *facie egreg.* Cf. Eun. II, 3, 5.

Commorat [d]) nos omnes. ibi continuo Antipho:
Voltisne eamus visere? alius: censeo;
Eamus; duc nos sodes! imus, venimus,
Videmus. virgo pulchra! et quo magis diceres [e]),
Nihil aderat adjumenti ad pulchritudinem.
Capillus passus, nudus pes, ipsa horrida,
Lacrumae, vestitus turpis; ut, ni vis boni
In ipsa inesset forma, haec formam extinguerent.
Ille qui illam amabat fidicinam, tantummodo,
Satis, inquit, scita 'st. noster vero.... [f]). *Da.* jam scio,
Amare coepit. *G.* scin' quam? quo evadat, vide.
Postridie ad anum recta pergit; obsecrat,

d) V. I. *commoverat.* e) Id. *esse pulchram eam.* f) Id. *interruptio.*

51. *Antipho.* ,,Hic redditur nomen adolescentis. Et est παρασκευῇ.'' Do. *Antipho* sc. ait.

52. 53. *alius* pro alter. Cic. Verr. 6, 12. Liv. 7, 35. *censeo; Eamus: duc. n. sodes.* ,,Haec omnia diversi dicunt. Et apparet, tot esse homines, quot per mimesin asyndeta demonstrantur.'' Do. *duc nos sod.* Hoc dicatur ad nuntium adolescentem, v. 42.

53. 54. *im. ven. Videm.* Asyndetor. breviloquentia, cui et emphasis inest. Qua re Caesaris illud, ,,*veni, vidi,* vici.'' Plutarch. Caes. 50. *virgo pulchra* concitatius est pronuntiandum, cum gestu mirantis.

55. *Nihil aderat adj. ad pulchritud.* h. e. pulchritudo sine ornatu. Ita Plaut. Most. I, 3, 116. ,,ecastor, mulier recte olet, ubi nihil olet.'' Id ibid. v. 134. ,,*si pulchra* est, nimis ornata est.'' *aderat* proprie. ,,Adest enim id quod adjuvat.'' Do. Itid. Propert. I, 2. ,,Sed facies *aderat* nullis obnoxia gemmis.''

56. *Capill. pass. nud. pes etc.* Huic locus est confinis Heaut. II, 3, 45. *ipsa horrida*; cf. Plin. III, ep. 3. ,,vir paulo *horridior* ac durior.''

57. *Lacrumae.* Quae et alioqui non dehonestant mulierem. *vestit. turp.* Cic. Attic. 9, I. ,,iste *turpissim.* et sordidissimus.'' *ni vis boni.* Par. not. ,,δύναμις τοῦ καλοῦ.'' Et secund. Far. ,,Exsuperantia pulchritudinis.''

58. *haec*, sc. lugubria, sordida. *exting.* Bene *extinguerent*, quasi de igne et calore; vid. Eun. I, 2, 5.

59. *Ille qui illam etc.* Cf. supra 30 seqq. *tantummodo Satis etc.* ,,Sensus est, Laudavit tantummodo, non etiam captus est in amorem.'' Do.

60. *noster vero.* Hic id. est, qui supra v. 30. Et *noster* dicit Geta, quia ille sui domini filius est.

61. *Amare coep.* Sic Eun. III, 5, 20. *quo evad. vide*; cf. Andr. I, 1, 100.

62. *ad anum recta*, ad *anum* statim, ut qui posthabuerit alia

Ut sibi ejus [g] faciat copiam. illa enim se negat [h];
Neque enim aequum facere ait, illam civem esse Atticam,
Bonam, bonis prognatam. si uxorem velit
Lege, id licere facere; sin aliter, negat.
Noster quid ageret nescire, et illam ducere
Cupiebat, metuebat absentem patrem.
*Da.* Non, si redisset, ei pater veniam daret?
*G.* Ille [i] indotatam virginem atque ignobilem
Daret illi? nunquam faceret. *Da.* quid fit denique?
*G.* Quid fiat? est parasitus quidam Phormio,
Homo confidens, qui... illum Di omnes perduint [l])!

g) C. G. m. *ejus sibi.* h) V. I. *facturam.* i) L. anti f. *Illene.* l) Verba *illum perd.* Mu. parenthesi inclusit.

omnia. *pergit*, absolute, uti Liv. I, 57. ,,*pergit* porro in agrum Sabinum.''

63. *Ut sibi ejus fac. cop.* Cf. Eun. Prol. 21. Sensus id. est qui in Eun. II, 3, 71. *illa en. se neg.* sc. facturam ejus copiam. Hec. I, 2, 45.

65. *bonis prognat.* ,,Duplex commendatio, a parentib. et ipsius virginis ingenio. Hor. Carm. III, 18, 21. ,,Dos est magna *parentium* Virtus.'' *si ux. vel Lege.* Scilicet ut uxorem ducat legitime. Distinguunt vulgo ante diction. *Lege* at ego cum Burmanno magis commode post. *si uxorem*, *sin alit*: Eod. modo Cic. Catil. I, 18. ,,*si* est verus (timor) ne opp. *sin* falsus, ut etc.

67. *Nost. quid ag. nesc.* Proposita deliberatio. *nescire* pro nesciebat *ducere* sc. uxorem.

68. *Cupieb.* Eod. animi affectu quo Heaut. V, 1. 12. *Cupere* proprie in amorib. unde cupido pro amore et libidine.''

69. *Non, si rediss. ei etc.* Bene interrogat, ut Geta etiam ingenium senis quam brevissimis sed graphice notet.'' *si*, cum. *veniam daret* sc. ducendi.

70. *Ille indot. virg. etc.* ,,et qui propt. spem lucri navigarat senex.'' Do. *ignobil.* Non dotem tantum, sed etiam splendorem familiae respiciebant. Plaut. Trin. l, 2, 122. *virg. Dar. illi.* Cf. Andr. II, 2, 15.

71. *nunq. fac.* Cf. Eun. II, 3, 98. *quid f. deniq.* ,,More suo Terentius *denique* posuit in fine sensus.'' Do. *denique*, postremum.

73. *Homo confid.* Cf. Andr. V. 2, 14. Quid sit *confidens*? vid. ex Plaut. Men. IV, 2, 51. ,,Nihil hoc *confidentius*, qui, quae vides, ea pernegat.'' *Homo*, ,,comice additum.'' Do. *qui ill. Dii etc.* Cf. Heut. IV, 6, 6. *qui* pro utinam, ut in formula imprecandi Comicis, Plauto praesertim solemne. Etiam Cicero imitatus est, Attic. IV, 7. ,,de Appollonio quod scribis *qui* illi Dii irati.'' Sed superest alia interpretatio eaq. melior, ut *qui* pronomen sit, quo incipiat Geta describere Phormionem; unde vero, exsecrandi formula *ill. D. omn. perd.* interposita, se ipse subito abrumpat.

*Da.* Quid is fecit? *G.* hoc consilium, quod dicam, dedit:
„Lex est, ut orbae qui sint genere proximi,
Jis nubant, et illos ducere eadem haec lex jubet.
Ego te m) cognatum dicam, et tibi scribam dicam;
Paternum amicum me assimulabo virginis;
Ad judices veniemus n); qui fuerit pater,
Quae mater, qui cognata tibi sit, omnia haec
Confingam; quod erit mihi bonum atque commodum.
Cum tu horum nil refelles, vincam scilicet.
Pater aderit; mihi paratae lites. quid mea?
Illa quidem nostra erit.“ *Da.* jocularem audaciam!
*G.* Persuasit o) homini. factum 'st; ventum 'st; vincimur.

m) C. G. m. et Hal. gl. *Antipho.* Ille plenius addit, *illi puellae.* n) Ibid. gl. *ego et tu.* o) L. antiq. *persuasum 'st.*

74. *hoc cons. quod. d. ded.* Cf. infra II, 4, 21.
75. *Lex est, ut orbae etc.* Cf. Ad. IV, 5, 18, not.
76. *ducere* sc. orbas.

77. *tibi scrib. dicam*, h. e. actionem, litem. Itid. Aristoph. Nub. 756. 'Ει σοι γϱάφοιτο-τις δίκη; ubi v. schol. Sensus, „Te calumniam indicam et causam impingam.“ Eu.

78. *Patern. amic*, h. e. amicum patris virginis. *assim.* sc. esse.

79. *qui f. pat.* „*Qui* hic pronom. est; infra quomodo significat.“ Do.

80. *cognata*, ipsa virgo. *omnia haec.* „Non abundanter, sed oratorie. Per archaism. pro tam multa etc.“ Do.

81. *quod erit mihi bonum etc.* „Facile ista quae sunt mendacia, quae ego fingam, et comprobabo judicibus: tu nihil relinquis.“ Eu.

82. *Cum tu horum etc.* Intellige, coram judicibus. *refell.* refutabis. Infra II, 3, 54. *vincam.* Verb. judiciale, pro, causam in judicio obtinere.“ Ernest. Huc commode refertur Cic. Tusc. I, 1. „Erat facile *vincere* non repugnantes.“

83. *Pater aderit.* Hoc quasi quaestionis loco propositum est a Phormione, itemq. cum pater redierit, parata responsio: *quid mea* sc. interest? *paratae lit.* Cf. Ad. V, 3, 6. „Ut Antiphoni formidanda ista sunt, ita ridicula parasito.“ Do.

84. *Illa q. nostra erit.* Do. et Eu. subaudiunt, virgo, alii, lis ipsa; id quod ex Plauto probatur, Cas. II, 3, 78. „*nostra* omnis lis est.“ Attamen prius ex Heaut. IV, 1, 47. magis placebit. Et dixit *nostra*, ut patronus, qui clientis causam appellat suam. *jocular. audac.* Cf. Andr. IV, 4, 43.

85. *Persuas. homini* sc. Antiphoni. *fact. est* sc. scripta est dica. *ventum est*, ad judices, v. 70. *vincimur.* Scilicet Geta et Antipho, qui quasi exadverso steterint in judicio.

Duxit [p]). *Da.* quid narras? *G.* hoc quod audis. *Da.* (*cum miseratione pronunciat; sed Geta rei desperatae fortem animum opponit, ne res tota migret in tragoediam.*) o Geta,
Quid te futurum est! *G.* nescio hercle. unum hoc scio,
Quod fors [q]) feret, feremus aequo animo. *Da.* placet.
Hem; istuc viri 'st officium. *G.* in me omnis spes mihi est,
*Da.* Laudo. *G.* ad precatorem adeam [r]), credo, qui mihi
Sic oret: „nunc amitte [s]) quaeso hunc! ceterum
Posthac, si quicquam, nil precor." tantummodo
Non addit [t]), ubi ego hinc abiero: „vel occidito."
*Da.* Quid paedagogus ille? qui citharistriam?
Quid rei gerit? *G.* sic tenuiter. *D.* non multum habet,

p) V. I. *illam.* q) L. antiq. *sors.* Quod ortum putat Be. typographi errore. r) Al. *abeam.* s) Be. Codd. *omitt.* t) Var. *addat. addet.*

86. *quid narr.* „Admirantis vox est, non interrogantis." Do. *o Geta, Quid te etc.* Cum miseratione pronuntiat Getae perituri, qui Antiphoni magister relictus sit. *te*, pro, de te. Ellips. Heaut. III, 1, 53.

87. *unum hoc scio*; cf. Andr. III, 2, 26.

88. *Quod f. fer.* Cf. Ad. IV, 7, 12. *placet,* approbantis.

89. *istuc* sc. ferre aequo animo.

90. *ad precat. adeam.* Vid. ad Heaut. V, 2, 23. *mihi* h. e. pro me. *nunc amitte etc.* His facit precatorem pro servo orantem eod. modo quo in Andr. V, 2, 22. servus pro se ipse precatur. Similit. in Eun. V, 2, 14.

92. *si quicqu.* Aposiopesis solennis. Subaudi, admiserit. Plaut. Cas. V, 4, 23.

93. *ubi ego h. abiero.* „Hic ostendit, nullum precatorem ex animo postulare veniam servo." Do. *vel occidito.* Sic dicere servi solebant culpati. Andr. V, 2, 22.

94. *Quid paedag. ille qui etc.* Urbaniter de Phaedria inquirit, quem *paedagogum* comice appellat; propterea quidem quod *citharistriam* sectando, in ludum ducendo reducendoq. eod. quasi munere fungatur, quo magister seu paedagogus soleat puerorum. Nam *paedagogus* solebat ephebum in gymnasium deducere et ejus studia ordinare. Petron. 85. *qui citharistr.* Supplend. ex v. 56. *Sectari, in ludum etc. ducere etc.*

95. *Quid rei ger.* Cf. Eun. V, 4, 1. Cupit scire, quomodo in amore ei succedat. *sic tenuit.* δεικτικῶς. *sic*, dicend. est cum aliquo gestu." Do. *non mult. hab. Quod etc.* Cf. supra v. 34. Add. Sallust. Catil. 23. „Erat Curio cum Fulvia stupri consuetudo, cui cum minus gratus esset, quia *inopia minus largiri* poterat." *nisi*

Quod det fortasse [u]). *G.* immo nihil, nisi spem meram [x]).
*Da.* Pater ejus rediit, an non? *G.* nondum. *Da.* quid? senem
Quoad exspectatis vestrum [y])? *G.* non certum scio,
Sed epistolam ab eo adlatam [z]) esse audivi modo,
Et ad portitores [a]) esse delatam [b]). hanc petam.
*Da.* Numquid, Geta, aliud me vis? *G.* ut bene sit tibi [c]).
Puer, heus! nemon' huc prodit? (*prodeunti*) cape, da hoc Dorcio.

u) Par. explic. *lenoni pro citharistria.* x) I. et V. *veram.* y) C. G. m. syllab. *no* mutatam exhib. in *ve* strum. Sup. script. est, *Demiphonem.* z) C. G. m. script. *allat.* a) V. I. *custodes portus.* b) Al. *latam.* c) C. G. m. *tibi sit.* Sup. scr. *volo.*

*sp. meram.* Spe namq. sola ductat amicam suam. Itid. Clitipho juvenis in Heaut. II, 1, 16.

97. *quid? senem etc.* „Animadvertite. *quid* secund. morem quotidianum tum dici, quum fit transitus a mentione alterius rei ad alteram.“ Do.

98. *Quoad,* h. e. „quamdiu; quippe cum adventus finis est exspectationis.“ Eu.

99. *Sed epist. ab eo etc.* Mire praeparatus adventus senis per epistolam.

100. *ad portitor. ess. delat.* Secundum Nonium *portitores* dicebantur telonarii, qui portum obsidentes omnia sciscitarentur, ut ex eo vectigal exciperent.“ *hanc petam.* Epistolam scilicet a portitoribus. Huc refer. Plaut. Trin. III, 3, 65. „apud *portitorem* resignatas *epistolas.*“

101. *ut bene sit tibi;* cf. Heaut. V, 2, 6. Ad. I, 1, 9.

102. *Puer, heus.* Sic it. evocatur puer, Eun. IV, 1, 10. *cape, da h. Dorcio.* „Apparet hanc Dorcium conservam et uxorem Getae esse; ergo dat illi pecuniam servandam.“ Be. *hoc.* Par. explic. argentum.“ *Dorcio.* Hoc nomen *Dorcium* ἀπὸ τῆς δορκὸς, a dama petitum putant. Quae hic persona muta est, ad quam ille loquitur. Et est diminutivum; cf. Andr. I, 1, 107.

## ACTUS I. SCENA 3.

### ANTIPHO. PHAEDRIA.

*A.* Adeon' rem redisse, ut qui mi consultum optume velit esse,
Phaedria, patrem ut [a]) extimescam, ubi in mentem ejus adventi [b]) venit?
Quod ni fuissem incogitans, ita eum exspectarem, ut par fuit.
*Ph.* Quid istuc [c])? *A.* rogitas? qui tam audacis facinoris mi conscius sis?

a) Al. non hab. *ut.* b) Ms. Pares. *adventus.* C. G. m. neutrum hab. nec *adventi* nec *adventus.* c) Vulg. *est.*

„Haec scena vitae comparationem tenet Antiphonis et Phaedriae, ejus qui uxorem duxit, absente patre, eam quam diligebat, et ejus qui amat meretricem, et sumtus non habet." Eu.

1. *Adeon' rem redisse*; cf. Heaut. V. 2, 27. et Andr. I, 5, 10, not. Explic. Eu. „eo usq. rem esse deductam, ut cum mihi pater etc." *mihi consult. velit.* Contra Hec. IV, 2, 14.

2. *ut extimesc.* Cf. Hec. V, 3, 26. Conjunctio *ut* saepe ex abundanti repetitur. Exempla congessit Ru. *ubi in ment. e. a. ven.* „Nota *venire in mentem* veteres, non recordationis causa tantum, sed etiam recogitationis considerationisq. posuisse." Do. *adventi* pro *adventus*; cf. Andr. II. 2, 28, not. ac praesertim Eun. III, 2, 45.

3. *Quod ni.* Abundat τὸ *Quod*, et eleganter cum aliis particulis conjungitur. Cic. Attic XIII, 45. „*Quod nisi* me Torquati causa teneret." *incogitans.* temerarius. Videlicet ducendo uxorem illo absente. *ita eum exspect.* pro, non extimescerem.

4. *Quid ist.* „Haec interrogatio stomachosa est." Do. *Quid istuc*, absolute; quod alibi saepe jungitur cum genitivo nominis, e. c. *quid istuc mali* est? infra 4, 7. *quid ist. consilii est?* Hec. IV, 2, 12. *rogitas? qui tam audacis etc.* Sic ob impudentiam alterius interrogat. Et humaniter *conscius* tantum dixit, ne pro *conscius*, auctor diceret; id quod erat. *mi consc.* Par. in marg. τὸ *mihi* est παρέλκον." Sed Pareus non cepit. Nam conscii alicui facinoris dicuntur, qui una cum aliquo conscii sunt. Sic it. Heaut. I, 1, 69.

Quod utinam ne Phormioni id suadere in mentem incidisset,
Neu me cupidum eo impulisset, quod mi principium 'st mali.
Non potitus essem: fuisset tum illos [d]) mi aegre aliquot dies,
At non quotidiana [e]) cura haec angeret animum. *Ph.* audio.
*A.* Dum exspecto quam mox veniat [f]), qui hanc mihi adimat consuetudinem.
*Ph.* Aliis, quia defit quod amant, aegre 'st; tibi, quia superest, dolet.
Amore abundas, Antipho.
Nam tua quidem hercle certo vita haec expetenda optandaque est.
Ita me Di bene ament! ut mihi liceat tam diu, quod amo, frui;
Jam depecisci [g]) morte cupio; tu conjicito cetera [h]),

d) Lindenbr. V. C. *tum illud.* e) C. G. m. et Be. Codd. *cotidiana.* Par. *cottid.* per duo t. f) V. I. *pater.* g) Ed. 1469. *depacisci.* h) Do. ad loc. „Aut *cetera* abundat, aut deest per, ut sit per cetera." Be. mutat in *ceterum.* Sed mihi quidem plural. num. more Terent. praeferri videtur, ut infra V, 1, 38.

5. *Quod utinam.* Huic compara. *Quod ni*, supra v. 3. *utinam ne.* Utrumq. hoc it. Cicero jungit, ad div. V, 17. „Illud *utinam* ne vere scriberem." *id*, consilium; cf. 2, 74. *in ment. incid.* Cf. Heaut. III, 1, 73.

6. *Neu me cupid.* Hic est *Neu* post *ne* superius, uti Andr. I, 5, 56. et Hec. IV, 1, 30.

7. *Non potit. ess.* Verb. *potiri* absolute positum, ut Eun. II, 3, 29. 71. Subaudi, puella. *fuiss. mihi aegre*; cf. III, 5, 65. *tum ill. aliq. dies.* Itid. fere Andr. II, 6, 9. 10. Sensus, *Tum* paucos *illos* tantum cruciatum passus essem amoris, non amplius.

8. *audio*, contemnentis.

9. *qui h. mihi ad. consuetud.* i. e. coitum vel συνουσίαν.

10. *Aliis quia def. quod etc.* „Comparatio efficitur per alterius vitae comparationem. Ipse enim Phaedria amat meretricem, qua potiri propt. inopiam non potest," Eu. *quod amant*; cf. Eun. II, 3, 18. *quia superest* sc. gaudium amoris. „Id est, eo quod desideras, abundas." Do.

12. *Nam tua quidem etc.* Acuendum est *haec.* Atque *vita*, Do. ait, et mores significat, et animam, et alimentum, et spatium vivendi et fortunam accedentem viventibus.

13. *ut mihi liceat etc.* Vide amantis vesaniam. *tamdiu.* Addit We. supplenda, „Quam tibi tuo amore frui datur etc." Verbo *frui* proprie in amoribus utuntur; v. Flor. IV, 11.

14. *Jam depecisci morte cupio.* Par. in marg. „Paratus sum

Quid ego hac ex inopia nunc capiam; et quid tu ex istac copia.
Ut ne addam, quod sine sumtu ingenuam, liberalem nactus es:
Quod habes ita ut voluisti, uxorem sine mala fama palam.
Beatus ni unum hoc [i]) desit, animus qui modeste istaec ferat.
Quod [l]) si tibi res sit cum eo lenone, quocum mi est, tum [m]) sentias.
Ita plerique ingenio sumus omnes, nostri nosmet poenitet.
*A.* At tu mihi contra nunc videre [n]) fortunatus [o]), Phaedria,
Cui de integro est potestas etiam consulendi, quid velis:
Retinere, amare, amittere. ego in eum incidi infelix locum,
Ut neque mi ejus [p]) sit amittendi, nec retinendi copia.

i) C. G. m. *tibi.* l) Pro *Quod* Do. leg. *Et.* m) Al. *tu* pro *tum.* n) V. I. *videris.* o) Id. *in tuo amore.* p) Reperit Be. in Regg. et Acad. Codd. quam magnopere

mortis pactione transigere; „vel mortis conditione h. e. durissima paratus sum pacisci, ut tandem perfruar amica. Est autem *depecisci morte* nihil aliud, quam contemnere ipsam mortem, dum modo rem gratam habere liceat. Vid. Ru. not. ;Add. Virg. A. 12, 49. „*letumq.* sinas pro laude *pacisci.*" *conjic.* suspicatur.

15. *quid tu* sc. capias. Videlicet tu fructum capis ac felicitatem amoris, ego infortunium.

17. *sine mala fama.* Intellige, meretricum. *palam.* Contra *clam* v. Andr. II, 6, 13. in amore meretricio. Jungit Mu. *palam Beat.* non temere.

19. *si sibi res sit cum eo.* Ead. syntaxi Eun. IV, 7, 34. *tum sentias.* Par in marg. „quam nunc sis beatus."

20. *Ita pleriq. ingen. sumus.* Scilicet nos omnino mortales. *nostri nosm. poenit.* Ead. fere sententia Cic. Fam. VI, 1. „Etsi ea perturbatio omn, rerum, ut *suae quemq. fortunae* maxime *poeniteat.*"

21. *contra,* e contraria parte.

22. *de integro* h. l. nuptiis cum nond. implicatur. *potest. consulendi*; cf. Hec. V, 1, 10.

23. *Retinere, amittere* sc. amicam. Hoc verb. utrumq. Hec. II, 2, 9. 13. de uxore. Similit. Sueton. Calig. 25. Matrimonia contraxerit turpius, an *dimiserit,* an *tenuerit,* non est facile decernere." *in eum incidi loc.* Cf. Heaut. III, 1, 53. Sensus, Ego eo usque perveni, *Ut neque etc.*

24. *Ut neq. mihi ej. sit. amitt. nec etc.* Cf. infra III, 2, 22. *ejus amittendi.* Hec. III, 5, 12.

Sed quid hoc est? videon' ego Getam currentem huc advenire? (*Jam turbae, quam epitasin dicunt comoediae, incipiunt a nuntio de patris adventu.*)
Is est ipsus. hei timeo miser! quam hic nunc mihi nuntiet q) rem.

laudant lectionem *jus* pro *ejus*. Sed vulgatum Servius defendit ad Virg. Aen. XI, 675. q) I. *nuntiat.*

25. *Sed quid etc.* Cum admiratione exspectantis. *vid. e Get. curr.* Cf. Eun. IV, 4, 56. *curr.* Cf. Ad. III, 2, 56.

26. *Is est ips.* Itid. Hec. III, 5, 5. *renunt.* Cf. Heaut. IV, 1, 48.

---

# ACTUS I. SCENA 4.

## GETA. ANTIPHO. PHAEDRIA.

*G.* (*loquitur ad semetipsum*) Nullus es, Geta, nisi aliquod jam a) consilium celere reperis b).
Ita nunc imparatum subito tanta in me c) impendent mala,
Quae neque uti devitem scio, neque quo modo me inde extraham.

a) L. antiq. *tibi.* De est ap. Priscian. b) Al. *repereris.* c) Sic Be. ex Acad. C. pro *te* vulg. Recte. „Cum supra, Do. ait, *Null. es, Geta*, dixerit, transitum fecit ad primam personam."

„In hac scena servi concurrentis officium est, tendens ad perturbationem Antiphonis, quem oportet abesse a conspectu patris usque ad cognitionem rerum, et καταστροφὴν Fabulae." Do.

1. *Null. es Geta, nisi etc.* Express. hic loc. ex Plaut. Epid. I, 1, 75. Sens. „Periisti s. actum est de te." Far. *nisi aliq. etc.* Cf. Andr. IV, 1, 56.

2. *tanta in me impend. m.* Verb. *impend.* alias gaudet dativo; at Par. not. „tibi vel pendit in te."

3. *Quae neq. uti devit.* Cf. Andr. III, 5, 5. Sed cur mala

Nam non potest celari nostra diutius jam audacia.
[Quae si non astu providentur, me aut herum pessum dabunt [d]).]
*A.* (*ad Phaedr.*) Quidnam ille commotus venit?
*G.* Tum, temporis mihi punctum ad hanc rem est. herus adest. *A.* quid istuc mali 'st [e])?
*G.* Quod cum audierit, quod [f]) ejus remedium inveniam iracundiae?
Loquar [g])? incendam; taceam? instigem; purgem me? laterem lavem.
Eheu, me miserum! cum mihi paveo, tum Antipho me excruciat animi.
Ejus me miseret; ei nunc timeo; is nunc me retinet. nam absque eo esset,
Recte ego mihi vidissem, et senis essem ultus iracundiam;

d) Hic vers. huc traductus videtur ex Andr. I, 3, 3. e) V. I. *quod hic loquitur secum.* f) I. omitt. *quod.* g) Sic Be. omissa partic. *ne*, elegantiae causa majoris. Vulg. *Loquarne.*

timenda fuerint Getae, de hoc vid. supra 2, inde a v. 85. deinceps.

4. *Nam not. pot. celari nostra etc.* Cf. supra 2, 72. seqq. Ceterum bene *nostra* dicit: quia ipse partem maximam sustinet culpae ut magister. *audacia*, cf. sup. 2, 84. Quippe quae *audacia jocularis* illic videbatur, era nunc serio sentitur.

6. *Quidn. ille c. ven.* ,,Hic ostendit Poeta, idcirco confusum Getam induci, ut de ejus metu Antipho terreatur." Do.

7. *temp. punct.* ,,angustissimum spatium." Do. Quod Graeci it. στιγμὴν χρόνον vocant. *ad hanc r.* ,,ad deliberandum quod ago." Do. *her. adest*, timentis. *quid istuc etc.* Cf. Heaut. I, 1, 30.

8. *Quod c. aud.* ,,Scilicet quod uxor. duxit Antipho." Do. *quod ejus remed.* Cf. Andr. III, 1, 10. *ejus*, patris sc. advenientis. *remed. iracund.* Proprie *remedium*, quasi iracundia morbus sit." Do. Eun. II, 1, 19. Addo ex disciplina Stoicorum, omnes effectus morbos animi existimari.

9. *incend.* ,,Quia iracundia ignis est." Do. Andr. IV, 9. *instig.* ,,Instigari proprie fera dicitur." Do. And. IV, 2, 9. *lat. lav.* v. Erasm. *Laterem lavas*, quo proverbio inanis opera significatur. Itid. Graecor. πλίνθους πλύνειν.

10. *excruc. animo.* Hanc locution. elliptic. uti illam Heaut. IV, 4, 5. *pendere animi*, ac ceteras hujusmodi, Sanctius in Min. II, 3. graecas vocat. Do. explic. ,,propt. Antiphon. me excrucio."

11. *is n. me retinet.* H. e. Antiphonis gratia remaneo. *absq. eo ess.* Hec. IV, 2, 25. et Plaut. Bacch. III, 3, 8. ,,Nam *absque te esset.*" Not. Par. Perelegans formula: Nisi tu esses."

12. *vidiss.*, h. e. providissem. Andr. II, 6, 25. *Recte e. mihi vidiss.* Hujusmodi formula est," vide tibi, vel, videte vobis." Similit Liv. 34, 35. ,,cavi *recte.*" *et seu ess. ult. iracund.* ,,Facete servus occasionem melioris conditionis esse existimat fugae cau-

Aliquid convasissem [h]), atque hinc me conjicerem protinus [i]) in pedes.
*A.* Quam [l]) hic fugam, aut furtum parat?
*G.* Sed ubi Antiphonem reperiam? aut qua quaerere insistam via [m])?
*Ph.* Te nominat. *A.* nescio quod magnum hoc nuntio exspecto malum. *Ph.* ah,
Sanusne es? *G.* domum ire pergam: ibi plurimum'st. *Ph.* revocemus hominem. *A.* sta ilico. *G.* hem [n]),
Satis pro imperio, quisquis es. *A.* Geta. *G.* ipse est, quem volui obviam.
*A.* Cedo, quid portas? obsecro; atque id, si potes, verbo expedi [o]).

h) Var. *convasass. corrasiss.* V. I. *rapuissem de modo.* i) Mu. Be. *protinam* verb. Plaudin. l) Bo. ex Codd. *mihi.* m) L. Bemb. *viam.* n) Hunc vers. e duob. factum a Be. recepi. o) Ms. Lindenbr. add. *uno.*

sam, tanq. sibi per eam et libertatis genus praestare posset et praedam.‘‘ Do. His autem convenit quod supra dixerat Geta, *in me omn. spes m.* est, 2, 89. Ac vere saepius servi et fugiebant et auferebant, simul quo utroq. facile poterant herum ulcisci. Eun. IV, 3, 19.

13. *Aliq. convasiss.* „Figurat. est a colligendis vasis.‘‘ Do. Videtur enim translatum a militib. castra moventibus. v. Gronov. Est autem *convaso, convasis* tertiae conjugationis. *me conjic. prot. in ped.* Cf. Plaut. Merc. V, 2, 91. quin, *pedes, vos* in curriculum *conjicitis etc.*

14. *fug. a furt. par.* Cf. Eun. IV, 4, 6.

15. *qua insist. via* Itid. Eun. II, 3, 2.

16. *Te nomin.* Cf. infra V, 9, 1. Auditur enim Geta ab adolescentibus, qui ipse secum loquens neminem audit. *nesc. quod magnum etc.* Sensus, „Nescio quod magn. malum hunc mihi nuntiaturum arbitror.‘‘ Do.

17. *Sanusne es?* Cf. Andr. IV, 4, 10. Vult dicere: Stultus es, Antipho, qui te excrucies antequam sciveris, quid eveniat mali. *ibi plurim. est.* Nep. Chabr. 3. „*Plurimum* Cypri vixit.‘‘

18. *pro imp.*, h. e. imperiose. Ita Liv. 2, 56. *Geta.* Clare vocatus non audit. At signis cum Schmiedero objecerit, unde veniat, ut inter agentes histriones tam parum saepe vel visu vel auditu unus ab altero dignoscatur; respondeo cum eod. factum esse hoc propt. ingentia veterum theatra, et, quod equid. addo, quia utcunq. opus esset, vitia sensuum ex industria simularentur. *quem vol. obviam* sc. mihi fieri. Andr. III, 4, 11.

19. *quid port.* „Ferre et *portare* de negotiis majorib. dicitur.‘‘ Do.

*G.* Faciam. *A.* eloquere. *G.* modo apud portum [p]) *A.* meumne? *G.* intellexti. *A.* occidi. *Ph.* hem [q])!
*A.* Quid agam? *Ph.* quid ais [r])? *G.* huius patrem vidisse me, patruum tuum.
*A.* Nam quod ego huic nunc subito exitio remedium inveniam? miser.
Quod si eo meae fortunae redeunt, Phanium [s]), abs te ut distrahar,
Nulla 'st mihi vita expetenda. *G.* ergo istaec cum ita sint, Antipho,
Tanto magis te advigilare aequum 'st. fortis [t]) fortuna adjuvat.
*A.* Non sum apud me. *G.* atqui opus est nunc cum maxume ut sis [u]), Antipho.
Nam si senserit te timidum pater esse, arbitrabitur,
Commeruisse culpam. *Ph.* hoc verum 'st. *A.* non possum immutarier [x]).

p) V. I. *vidi patrem.* q) Hunc vers. Fa. fatetur unum se fecisse ex illis qui duo versus fuissent in omnib. libb. r) V. I. o Geta. s) V. I. *nomen uxoris.* t) *fortis* pro *fortes.* Ibid. C. G. m. c. gl. *prudentes.* Eun. III, 1, 2. u) V. I. *apud te.* x) Id. *quin tristis sim.*

20. *meumne?* sc. patrem. *hem.* ,,Propria et sua cuiq. personae exhibuit: celeritatem ex praesagio metuenti Antiphoni, et tarditatem intellectus quieti pectoris securo Phaedriae.“ Do.

22. *Nam.* Haec partic. *Nam* connectit sermonem superiori, *Quid agam?* v. 21. *quod ego huic nunc etc.* Itid Geta v. 8. supra. *subito*, ,,et adverb. et nomen est.“ Do.

23. *Quodsi eo meae etc.* Cf. supra 3, 1. ,,Tragice amator hoc negotium *fortunas* omnes dixit esse.“ Do. *abs te ut distr.* Cf. Hec. III, 5, 42.

24. *Nulla est mihi etc.* Adde, s¢ine Phanio. Vid. supra 3, 12. Et Cic. de Offic. III, 7. ,,nihil praeter id quod honestum sit; propt. se esse *expetendum.*“ *ist. cum ita sunt.* Species formulae est.

25. *te advigil. aeq. est.* Subaudi, ut pater tibi placetur, neq. tu distraharis a Phanio. Andr. IV, 1, 49. *fort. fort. adjuv.* Huc pertinet Cicero, Tusc. II, 4. ,,*Fortes* enim, inquit, non modo *fortuna adjuvat*, ut est in vet. proverbio, sed multo magis ratio. etc.

26. *Non sum ap. me*; Cf. Andr. V, 4, 30. *nunc cum max.* pro *nunc* solo, vel eo tempore, quo *maxime*; vid. Tursellin.

28. *commeruisse* pro contraxisse, *culpam* i. e. poenam. Nam *culpa* Tacitus ait, quam poena est tempore prior.“ Ann. 15, 20. *non poss. immutarier*; cf. Andr. I, 5, 40. Schmied. explic. immutare me.

*G.* Quid faceres, si aliud gravius tibi nunc faciundum foret?
*A.* Cum hoc non possum, illud minus possem. *G.* hoc nihil est, Phaedria. ilicet [y]).
Quid hic conterimus operam frustra? quin abeo [z])? *Ph.* et quidem ego. *A.* obsecro,
Quid si adsimulo [a])! satin' est? *G.* garris. *A.* voltum contemplamini, hem!
Satin' [b]) est sic? *G.* non. *A.* quid si sic? *G.* propemodum. *A.* quid si sic [c])? *G.* sat est.
Hem, istuc serva; et verbum verbo, par pari ut respondeas,
Ne te iratus suis saevidicis [d]) protelet. *A.* scio.
*G.* Vi coactum te esse invitum, lege, judicio. tenes?
Sed quis hic est senex, quem video in ultima platea? *A.* ipsus est.

y) Id. *ire placet.* z) C. G. m. *abeam.* a) Ald. et Erasm. ed. *adsimulabo.* b) L. Bemb. *satisne*; quo lecto trochaicus Fäerno stare videtur. c) Al. omitt. *si.* d) L. antiq. *saevis dictis.* In o libb. Fa. *saevidicis dictus.* Itid. C. G. m. et Bru. C. e. isp. c. gl. *saeva dicentib. verbis.* In Be. Codd. *saevidicis.* Al. *saevidictis.*

30. *Cum hoc non poss.* Subaudi, facere. *hoc.* Intellige id, quod ei faciend. esset coram patre, ut *maxime* apud se esset, cf. v. 26. *hoc nihil est*, floccipendentis. Heaut. I, 2, 1. Congrue fit, ut Geta et Phaedria audaciores sint; et hos oportet objici pro Antiphone irato seni." Do.

31. *conter. op. frustra*; cf. Ad V, 4, 15. *et quidem* pro quid mirum? etiam." Tursell. Sub. abeo.

32. *adsimul.* sc. constantiam vultu." *sat. est.* „His locus actoris magis quam lectoris est." Do. *garris*; cf. Heaut IV, 6, 19. *vult. exempl.* „Ostenditur enim conari ad simuland. audaciam, quo magis ridicula est formidolosa persona." Do. Nota eund. esse Antiphonem qui supra dixerat, *non poss. immutari*," v. 28.

34. *ist. serva*, h. e. serva istum vultum, quem nunc fingis, et cura ne tristem te esse pater sentiat. *verbum verbo.* Cf. Ad. Prol. 11. Magister enim adsimulandi vult, ut juvenis tyro patris et orationi et gestui parem etiam suam et orationem et gestum, servato audaci vultu, opponat.

35. *protelet*, protrahat, praeveniat, exagitet." Do. Varia est hujus verbi etymologia. *scio.* „Apparet hoc verb. eo vultu dici, ut manifestum sit, absenti animo esse eum qui dicit." Do.

36. *Vi coact. te esse etc.* Cf. Andr. IV, 4, 41. Poterat breviter dixisse, lex coegit; sed oratorie rem in plura divisit." We. *lege, judicio*; cf. supra 2, 75. 79. *tenes.* Hoc admonet, ne perturbatus ille coram patre haec obliviscatur.

37. *in ultima plat.* Cf. Heaut. V, 1, 29, not.

Non possum adesse. *G.* ah, quid agis[e])? quo abis? Antipho mane,
Mane[f]), inquam. *A.* egomet me novi et peccatum meum.
Vobis commendo Phanium et vitam meam. (*Antipho abit.*)
*Ph.* Geta, quid nunc fiet? *G.* tu jam lites[g]) audies;
Ego plectar pendens[h]), nisi quid me fefellerit.
Sed quod[i]) modo hic nos Anthiphonem monuimus,
Id nosmetipsos facere oportet, Phaedria.
*Ph.* Aufer mi oportet; quin tu, quid[l]) faciam, impera.
*G.* Meministin' olim ut fuerit vostra[m]) oratio

e) C. G. m. *ais* pro *agis.* f) *Mane* hoc posterius delet Fa. post eum Be. quoque; sed immerito. Nam *inquam* urgentis postulat *mane* geminatum. Hoc modo Hec. III, 5, 45. 46. Habent *mane* poster. C. G. m. et Hal. it. Edd. Erasm. We. al. g) V. I. *patris.* h) Id. *in cruce.* i) C. G. m. *quo* pro *quod* perperam. l) Id. *quod.* m) Quatuor Be. Codd. *nostra.* Contra Do. „Ut magis excitaret, inquit, non *nostra* dixit, sed *vostra.*“

38. *Non poss. adesse.* Ex conspectu patris confunditur.

39. *egom. me novi et etc.* Pavorem amittere non potest, quem supra et absente patre ostendit, et verum dixit, v. 28. *non poss. immut.* Quod *peccatum* attinet, de eo anxium vidimus superiori scena. *egom. me novi*; cf. Heaut. II, 3, 130.

40. *Vob. commendo Ph. et etc.* Cf. Eun. III, 5, 29. „Animadverte, quod amator prius ponit *Phanium* quam *vitam* suam.“ Do.

41. *quid n. fiet?* cf. supra 2, 71. *tu j. lites.* Subaudi, inter patrem tuum et Phormionem. Supra 2, 83.

42. *Ego plect. pend.* Eun. V, 6. 20, ubi not. plectar „feriar: unde et plectrum et plagae dictae.“ Do. *nisi quid etc.* Ellips. opinio.

43. 44. *Sed quod modo hic etc.* Itid. fere Cic. Fam. 6, 1. „Sed tu illum animum nunc adhibe, quaeso, quo me tum esse oportere censebas.“

45. *Auf. mihi oport.* Formula reprehendendi aut silentium jubendi. Hor. sat. II, 7, 43. 44. Et Cic. de Or. II, 46. ubi vetus poeta: *Auferte* istam enim superbiam.“

46. *Meminist. ol. ut fuerit.* Notanda est constructio conjunctionis *ut* pro accusativo c. infinit. post verb. *memini*; de qua vid. Sanct. Min. III. 14. *oratio* h. l. maxime argumenta notat, quib. inventis verba aptantur.“ Bi. *vestra.* Dicendo *vestra* alludit haud dubie ad juvenum amborum non modo assensionem factam, sed ipsum auxilium promissum, quod utrumq. conjici videatur ex verbis Getae, *Persuas. est homini etc.* supra 2. 85.

In re incipiunda ad defendendam [n]) noxiam [o]);
Justam illam causam, facilem, vincibilem [p]), optumam?
*Ph.* Memini. *G.* hem, nunc ipsa 'st opus ea [q]), aut, si quid potest,
Meliore et callidiore; *Ph.* fiet sedulo.
*G.* Nunc prior adito tu; ego in subsidiis [r]) hic ero [s])
Succenturiatus [t]), si quid deficias [u]). *Ph.* age.

n) Al. *defendendum.* o) *noxiam* dicit Do. per epenthesin esse pro *noxam* propt. jambum. p) I. et V. *invincib.* q) Abest *ea* a Codd. Be. it a C. G. m. r) Do. *in insidiis.* s) C. G. m. *adero.* t) V. I. *permeditatus*, *suc*. *instructus dolis.* u) Al. *deficies.*

47. *In re incip. Incipere* quasi de re magna, vid Heaut. III, 3, 39. Sensus, „Quum inciperetis rem h. e. nuptias.“ We. *ad defend. nox.*, h. e. ad eam ab Antiph. transmovendam culpam in patronum mulieris, qui in se omnem iram senis derivare promiserat; cf. 2, 83. et infra II, 2, 8. 9.

48. *Just. ill. caus.* „Habet hic v. oratoriam amplificationem facilitatis causae.“ We. *causam*, defensionem. Quae vero *justa* erat Phanii, auctoritate legum suffulta. *facil.* Phormionis nempe callidissimi patroni in Antiphonem. *vincibil.* „quae facile vincat.“ Do. Supra 2, 85. *optum.* „Sc. favore summo judicum utebantur orbae, quib. sic provideri honestum videbatur.“ Bi.

49. *Memini.* Confirmat Phaedria hujusmodi suam olim fuisse de ista causa orationem; cf. v. 46. *nunc ipsa est ea.*) „Causa scilicet.“ Do. Sed Do. non cepit. Subaudiend. enim est, oratione; sed alia *nunc*, eaque *meliore etc.* utendum est oratione vel defensione causae. *si qu. potest*; cf. Eun. II, 3, 86.

50. *Meliore et callid.* „Bene *Meliore et callidore*: quia tunc prolusio fuit, nunc ipsum proelium.“ Do. *fiet sedulo.* Miror equid. qui Do. *τὸ sedulo* abundare existimet, quippe quod vim addit dictione obsequentis.

51. *adito.* Hoc verb. sicut sequentia *subsid. ero succentur.* de re bellica desumsit. Cujusmodi allegoria utitur Eun. IV, 7. *adito.* Sic it. Sallust. Jug. 89. „castella munita *adire.*“ Et Virg. et V, 378. *in subsid. Subsidia* sunt milites, qui primis deficientibus submittuntur; Caes. C. G. II, 22. *ero* pro adero. Ita Sallust. Jug. 87. „pugnae adesse.“ Aut jungendum, *ero Succentur.* Nam *succenturiati* dicuntur, qui explendae centuriae gratia subjiciunt se ad supplementum. ordinum.“ Do. *si q. defic.* Etiam hoc verb. *deficere* militare est, quod vid. Caes. B. G. 3, 64. *age* adhortantis.

## ACTUS II. SCENA 1.[a])

### DEMIPHO. GETA. PHAEDRIA.

*De.* (*secum*) Itane tandem uxorem duxit Antipho injussu meo?
Nec meum imperium, ac[b]) mitto imperium, non simultatem meam
Revereri saltem? non pudere? o facinus audax! o Geta
Monitor! *G.* (*a tergo senis cum Phaedria*) vix tandem[c]). *De.* quid mihi dicent? aut quam causam reperierit?
Demiror. *G.* (*Haec domino aversus secum, et mox quae sequuntur, eod. modo.*) atqui reperi jam: aliud cura. *De.* an[d]) hoc dicet[e]) mihi?

a) Haec est Mureti scena quinta act. I; ead. Bip. tertia a. II. b) L. antiq. *age* pro *ac*, ut in Bemb. est. c) V. I. *evadam.* d) L. antiq. *anne.* e) C. G. m. et Hal. *di-*

„In portu senex duxisse filium suum uxorem audivit. Secum ergo conqueritur satis admiratus, quod ille tantum facinus ausus sit implere. Haec ergo scena continet accusationem et controversiam." Eu.

1. *It. tand.* „Iracundiae et stomacho inservit τὸ *tandem*," We. *injussu meo.* „Loquitur pro potestate patria." We. Hec. IV, 1, 47.

2. *Nec m. imper. ac mitto etc.* His dictis usus est Cicero, ad Att. II, 19, de Statio suo manumisso adhibitis. *ac mitto imper.* H. e. Ne dicam *imperium*, quippe quod levius forte inobdiens filius existimarit. *simultat.* odium tectum et dissimulatum. Do. explic. „jurgium, contentionem."

3. *Revereri, pudere*, infinitivi absoluti; cf. Andr. I, 5, 10. H. e. Neq. metu, neq. pudore deterritum esse. Ad. I, 1, 52. 53.

4. *Monitor.* „Titulus servi paedagogi; v. Barth. ad Stat. Theb. Supra I, 2, 21. 22. *vix. tand.* „Convenit hoc dictum ei, qui jam pridem se male audire putat." Do. *quam caus. reper.* Cf. Eun. III, 3, 6, not.

5. *Demiror*, pro, „Nescio." Do. Andr. IV, 4, 11. *reperi* sc.

„Invitus feci; lex coegit.“ audio, fateor. *G.* places [f]).
*De.* Verum scientem, tacitum, causam tradere adversariis,
Etiamne id lex coegit? *Ph.* illud durum. *G.* ego expediam [g]), sine.
*De.* Incertum 'st quid agam: quia praeter spem atque incredibile hoc mi obtigit.
Ita sum irritatus, animum ut nequeam ad cogitandum instituere.
Quamobrem omnes, cum secundae res sunt maxume, tum maxume
Meditari secum oportet, quo pacto advorsam aerumnam ferant,
Pericla, damna, exilia [h]). peregre rediens semper cogitet,

*eent.* Non recte. Nam sequitur, *Invitus feci*, ead. persona singulari. f) C. G. m. *placet* g) Ex o. libb. Geta dicet, *ego exped.* commode. Nam servi maxime rem *expedire* in se suscipiunt, quae impedita erat. Igitur male Be. haec tribuit Phaedriae. h) Respuit Be. *exilia* quippe quod de it ap. Cic. Tusc. Q III, 14. haec citantem. Sed non notat ille, in qua Edit. Ciceronis vocem illam non viderit. Nam in Manh. et Bip. certe adest. Alias non inspexi. Redeo tamen ad Terent. Codd. et Editt. quae quot certe in promtu

causam. Quam scilicet vocem a sene modo interceperat auditam. *aliud cura.* Formula jubentis alterum mittere sollicitudinem. Sic Ulyss. ap. Homer. Od. H. 208 ἄλλοτί τοι μελέτω φρεσίν. „*Aliud* quid tibi *curae* sit mentibus.“

6. *Invit. feci*; *lex. coeg.* „Bene Poeta jam scire facit senem, quid isti dicturi sint.“ Do. Sermocinatio. *audio*, approbantis invite. *places.* Sic supra I, 2, 38. Geta nempe *in subsidiis* collocatus, uti supra I, 4, 51. laudat senem, quasi coram.

7. *caus. trad. adversar.*, h. e. causam perdere, vel pati facile se vinci. „Id. ICtis causam donare adversariis; caus. prodere dicitur.“ We.

8. *ill. durum*, valde impeditum, difficillimum. Eun. IV, 7, 36. *ego exped.* Hoc id. servus promittit. Andr. III, 5, 11. *sine*, Eun. I, 1, 20.

9. *mi. obtig.* Cf. infra IV, 1, 11.

10. *Ita sum irritat. animum ut etc.* Cf. Heaut. V, 1, 47. 48. Et Plaut. Most. I, 2, 2. „Impedit ira *animum*, ne possit cernere verum.“

11. 12. *Quamobr. omnes, cum etc.* Hanc sententiam ex Euripide Nostrum desumsisse quidam existimant. *Medit. secum.* „Bene add. *secum*: insani enim videbitur, hoc palam agere.“ Do. *advors. aerumn.* Do. putat *advorsam* abundare. Sed verius Bi. judicare videntur, hac voce rem augeri a Demiphone.

13. *Ad* hunc v. We. exponit hac: Cicero Tusc. III, 1 . sen-

Aut fili [l]) peccatum, aut uxoris mortem, aut morbum filiae.
Communia esse haec [l]), fieri posse, ut ne quid animo sit novum.
Quicquid praeter spem eveniat, omne id deputare esse in lucro.
*G.* O Phaedria, incredibile est, quantum [m]) herum anteeo sapientia.
Meditata mihi sunt omnia mea incommoda, herus si redierit,
Molendum usque [n]) in pistrino; vapulandum; habendum compedes [o]);

mihi sunt, praeter Bi. *exilia* exhibent. Praeterea huic dictioni e verbis, *peregre red.* omnis fides accedere videtur. i) Ita Fa. ex l. antiq. per unum i, in fine, pro ratione versus. C. G. m. *filii.* l) Al. *et.* Hunc v. Fa. commemorat ab Cicerone l. c. adhiberi, non integrum quidem Terentii, sed memoria labente aliquantulum mutatum. m) L. antiq. *quanto.* n) Pro *usque.* L. Bemb. ac Vict. *esse.* Ms. We. *mihi esse.* o) Do. ad loc. „Vitiosam locutionem servili personae dedit Terentius: nam integra esset, si diceret, habendas compedes.“ At Bentlejo *habendum* gerundium est, non, ut Donato, participium. C. G. m. *habendae* exhib. et sup. script. *sunt.* Itid. hab. Cod. Guelferbyt. tert. mihi in contextu.

tentiam hanc ex Euripide, unde sumsit Terentius, latine convertit, e persona. Thesei etc.“ *peregre red.* Ut *peregre redire*, ita Plautus *peregre* advenire, *peregre* venire, *peregre* abire dicit.

14. *Aut filii pecc. aut etc.* „Quamvis iratus filio, non potuit tamen dicere, *filii* mortem.“ Do.

15. *Com. esse haec*, *fieri posse* sc. cogitet. P. Syr. „Cuivis potest accidere, quod cuiquam potest.“ *novum*, mirabile inauditum. Liv. 6, 40. „neq. *novum* neq. inopinatum *mihi* sit.“

16. *deput. esse in lucro*; cf. Ad. V, 3, 31.

17. *quant. her. aut. sap.* Contra Plaut. Bacch. V, 1, 5. Solus ego omnes longe *anteeo* stultitia.“ Posuit h. l. Terentius *anteeo* ut solet, pro conjunctivo, anteeam.

18. *Meditata* passive pro cogitata. Sic Cic. Cat. maj. 20. Participia autem verbor. deponentium saepius passive valere, de hoc vid. Sanct. Min. ac praesertim Priscian.

19. *Molend. usq. in pistr. etc.* Servorum supplicia enumerat nonnulla. *habend. comped.* Volebat forsitan dicere Poeta *habendum*, ut id prioribus consonaret *Molendum*, *vapulandum.* Etiam phrasi hac, „*habere* in vinculis,“ Sallust. quoq. utitur, Cat. 51. *compedes.* Haec syntax Varroni non inusitata; de R. R. I, 21. Canes - *habendum*; ibid. III, 16. colligendum eas,“ pro colligendae eae apes sunt. Per ellips. quoad, vel gr. κατά. Citat haec Terentiana Lactantius Div. Inst. VII, 27.

Opus ruri faciundum; horum nihil quicquam accidet animo novum.
Quicquid praeter spem eveniet, omne id deputabo esse in lucro.
Sed quid cessas hominem adire, et blande in principio alloqui? (*Phaedria prodit*)
*De.* Phaedriam mei fratris video filium mi ire obviam.
*Ph.* Mi patrue, salve. *De.* salve. sed ubi est Antipho?
*Ph.* Salvum advenire [p]). *De.* credo, hoc responde mihi.
*Ph.* Valet; hic est. sed satin' omnia ex sententia?
*De.* Vellem equidem. *Ph.* quid istuc [q])? *De.* rogitas, Phaedria?
Bonas, me absente, hic confecistis nuptias.
*Ph.* Eho, an [r]) id succenses nunc illi? *G.* (*etiam a tergo*) o artificem probum!

p) L. Bemb. *salvom venire.* C. G. m. *salv. te adven. gaudeo.* Sed id. *gaudeo* in Bru. C. e. pro glossa extat. Infra v. 56. q) Al. *est.* r) L. antiq. *tu.* Abest a Bemb.

20. *Op. ruri faciund.* Etiam *ruris* opera pro molestis habentur. Heaut. I, 1, 22. et 94.

21. *Quicq. praet. spem etc.* En vero comicam irrisionem senilis sapientiae, et ipsius verbor. mimesin. Cf. supra v. 16.

22. *adire.* „Bene *adire*, quasi terribilem et pugnaturum.“ Do. Cf. supra I, 4, 51, not. *blande in princip. alloq.* De exordiorum artificio v. Quinctil. Instit. orat. IV, 1.

23. *Phaedr. mei fratris etc.* „Haec verba ostendunt, quam miti pectore excipiatur Phaedria.“

24. *Mi patr.* *Mi* vim blandimenti habet. *patruus*, frater patris.

25. *credo.* Humaniter addit, pro, gratias ago; v. ad Andr. V, 4, 36. *hoc*, emphatice. Quasi plenius diceret, id quod quaerebam de Antiphone. *hoc resp. mihi*; cf. Andr. V, 2, 8.

26. *Valet*; *hic est.* „Cum ille de loco quaereret, ubi esset Antipho, hic de salute respondit.“ Eu. *sed satin' omnia etc.* sc. eveniunt. Notanda emphasis *τοῦ sed*, cuius elegans usus v. Eun. II, 1, 11. *o. ex sentent.* Cf. Heaut. IV, 3, 5. Sed e formula solemni redit ad rem.

27. *Vellem equid.* „Semper hoc verb. dolentis est ac negantis evenire, quod voti sit.“ Do. *quid ist.* Cf. supra I, 3, 4. „Magnam vim habet contra iram hujusmodi interrogatio.“ Do.

28. *Bonas*, ironice. Andr. III, 5, 10. *me absente.* „Summa criminis.“ Do. *hic*, Athenis, aut in hacce domo mea. *confecist. nupt.* Sic Andr. IV, 1, 50.

29. *an id. succ. n. illi?* cf. Andr. II, 3, 2. „Inepte Phaedria, *an succens. illi?* interrogando ducit irati animum ad id, unde declinare debuerat. *o artif. prob.* Exclamatio ironica. Da.

*De.* Egone illi non succenseam? ipsum gestio
Dari mi in conspectum, nunc sua culpa ut sciat
Lenem patrem illum factum me esse acerrimum.
*Ph.* Atqui nil fecit, patrue, quod succenseas.
*De.* Ecce autem similia omnia! omnes congruunt.
Unum cognoris s), omnes noris. *Ph.* haud ita'st.
*De.* Hic in noxa t) est; ille ad defendendam causam adest.
Cum ille est u), praesto hic est: tradunt operas mutuas.
*G.* (*ad spectatores*) Probe horum facta imprudens depinxit senex.
*De.* Nam ni haec ita essent, cum illo haud stares, Phaedria.
*Ph.* Si est, patrue, culpam ut Antipho in se admiserit,
Ex qua re minus rei foret aut famae x) temperans,

s) Codd. Be. *Un. cum noris.* Facile poterat vitio aurium confundi, *cum noris* et *cognoris*, quomodo *cum fit* et *confit*, Ad. V, 8, 23. t) Al. *noxia.* Supra I, 4, 47. u) C. G. m. *abest.* Al. *deest.* x) V. I. *bonae.*

„le bon acteur." Et cf. Liv. V, 3. „*artifices improbi*" h. e. qui malum quaerant, cui medeantur.

30. *Eg. ill. non succens.* Tenet arreptum senex, quod Phaedria tetigerat. *gestio. Gestire* quid sit, vid. ap. Cic. de Or. II, 23.

31. *Dari mi. in conspect.* Cf. Ad. III, 2, 13. *nunc s. c. ut sc. Lenem etc.* Ordo est, *nunc ut sciat*, *culpa sua Lenem etc.* Dicere etiam poterat, ex *leni acerrimum factum*, uti Andr. I, 1, 10. *illum*, significantius.

33. *Atq. nih. fec.* Cf. Ad. I, 2, 4.

34. *Ecce autem.* „Vox apta his, quae nova animo accidunt." Do.

35. *Un. cognor.* Praeponend. erat, Si. *omnes* sc. juvenes.

37. *Cum ille est.* Suppl. al. „reus;" al. „in noxa." *praesto h. est.* „Ad defendend. causam, subauditur." Do. Notetur pronom. *Hic ille*, et rursus, *ille hic* mutui usus atque ordinis elegantia. Quib. etiam voculis, ni fallor, ad rem ipsam scite alluditur, ita expressam, *trad. operas mutuas.* Apparet enim infra Antiphonem mutuam Phaedriae amori operam navare libenter.

38. *imprud.* insciens, ignarus. Eun. I, 2, 5, 8. *depinx.* descripsit. Itid. Plaut. Asin. II, 3, 22.

39. *cum illo haud. stares.* h. e. causam illius non defenderes tanq. patronus et advocatus." We. Plaut. Men. V, 2, 47. Est autem, *stare cum aliquo* i. q. partium esse alicujus, seu juvare aliquem.

40. *culp. admis.* Cf. Eun. V, 2, 14. Honesta insinuatio locutionis, *Si est, ut admis.* pro si admisit. Hec. IV, 1, 44.

41. *Ex qua re.* Eleganter *Ex qua re* dicit, ne dicat, *Ex qua culpa. min. rei aut famae.* „Et docuit in negotio nuptiar. duab

Non causam dico, quin, quod meritus sit [y]), ferat.
Sed si quis forte malitia fretus sua
Insidias nostrae fecit adolescentiae,
Ac vicit; nostran' culpa ea est? an judicum?
Qui saepe propter invidiam adimunt diviti,
Aut propter misericordiam addunt pauperi [z]).
*G.* (*ex occulto*) Ni nossem causam, crederem vera hunc loqui.
*De.* An quisquam judex est, qui possit noscere
Tua justa, ubi tute verbum non respondeas,
Ita ut ille fecit. *Ph.* functus adolescentuli est
Officium [a]) liberalis. postquam ad judices
Ventum est, non potuit cogitata proloqui.

y) L. antiq. *est* male. z) V. I. *puellae.* a) Mss. quid. *Officio.*

reb. consuli, *rei* et *famae.*" Do. Ad. V, 1, 9. et Andr. I, 1, 72. Ph. I, 3, 17. Unde quoque sicut aliunde cognoscitur, *famae* rationem maxime haberi in nuptiis jungendis. *foret temperans* pro temperaret. Conjugatio periphrastica; cf. Andr. III, 2, 28. Verb. *temperare* pro parcere. Liv. 33. 3. „irae *temperare.*"

42. *Non caus. dico* h. e. Non excuso, Non defendo. Nec veto *quin etc. Non caus. dico quin. etc.* Elegans est ratio loquendi etiam Plauti, Capt. III, 4, 92. „Hoc si secus reperies, *nullam caus. dico quin etc.*

43. *Sed si quis forte etc.* Praeparat ad percipiend. fraudem Phormionis. Bene dicit *forte* de parasito, ut qui obviam daretur. Supra I, 2, 72.

44. *adolescentiae.* Oportuna aetas, quae decipiatur; unde facilior prodit defensio peccati.

45. *vicit*, in judicio sc. *nostrane.* „Bene suam miscuit personam, ut reum sublevet et suo merito, et multitudine rerum." Do. *an judic.* Et judices peccabant. Sic Cic. Phil. XI, 5. „Sed haec *judicum culpa*, non mea est." Huc refer superiora, I, 2.

46. 47. *Qui saepe propt. invidiam etc.* „Per *pauperem* Phanium, per *divitem* Antiphonem designat." We. Et Lindenbr. ex Sotada adfert: ὁ πένης ἐλεεῖται, ὁ δὲ πλούσιος φθονεῖται. *adimunt, addunt.* Deest nomen: nisi forte fides est, quod utriq. verbor. subjungatur, ut Tacit. G. 3. „ex ingenio suo quisq. *demat* vel *addat* fidem."

50. *Tua justa.* Quod jure tuo aut postulare aut denegare possis. *verb. non resp.* Cf. Hec. IV, 4, 84. H. e. ne unum quidem *verb. resp.*

52. *liberal.* Bene *liberalis* dicit, ut ostendat, quantum differat ille a Phorm. litigoso ac fraudulento. Etiam derivatur causa ab Antiph. ad patron. mulieris; audetq. Geta, defensore illo laudato, prodire sane confidenter. *postq. ad. jud.* Cf. supra supra I, 2, 79.

53. *non pot. cog. proloqui.* „Haec pars venialis est, ex ac-

Ita eum tum timidum ibi obstupefecit pudor.
*G.* Laudo hunc. sed cesso adire quam primum senem? (*prodit*)
Here, salve. salvum te advenisse gaudeo. *De.* ho!
Bone custos, salve, columen vero familiae,
Cui commendavi filium hinc abiens meum.
*G.* Jam dudum te omnes nos accusare audio
Immerito, et me horunc[b]) omnium immeritissimo[c]).
Nam quid me in hac re[d]) facere voluisti tibi?
Servum hominem causam orare leges non sinunt;
Neque testimonii dictio est. *De.* mitto omnia.
Addo[e]) istuc, imprudens timuit adolescens: sino.
Tu servus. verum si cognata est maxume,

b) Sic l. Bas. et C. Be. veterr. In Mu. ac We. Edd. *horum*. c) Mss. We. *immeritissimum*. Sed elegantius illud propt. *Immerito*. d) V. I. *quod filius tuus compulsus est ducere uxorem*. e) Al. *Adde*.

tate." Eu. Cic. Brut. 72. „Ac, si *cogitata* praeclare *eloqui* possent, nonnulli studio et usu elaboraverunt."

54. *Ita*, in epiphonemate. Itid. Cic. Attic. 7, 10. „Neq. quid agam, neq. acturus quid sim scio: *ita* sum perturbatus etc. *pudor*. „Id vult dicere, Antiphonem pudentem vultus gravitatem in judicib. ferre non potuisse." Do.

55. *Laudo hunc*. Phaedriam nempe laudat, bonum fratris defensorem. *cesso adire*; cf. Heaut. IV, 5, 9.

56. *Here, salve*. Pudorem simulat ac reverentiam. Andr. I, 2, 12.

57. *Bone custos*. Ead. fere domini ironia in Andr. V, 2, 5. *colum. fam.* praesidium, auxilium; cf. Hec. I, 2, 44. Itid. Curt. 9, 6. „hoc Macedoniae *columen* ac sidus; ubi enim Craterus denotatur. Sed proverbialiter *columen familiae* dici Erasm. sat. ostendit; v. Adag.

58. *Cui commend.* Supra I, 2, 21. 22.

59. *Jam dud. te omnes nos etc.* Vultuose haec dicit veterator.

60. *et me hor. omn. im.* „Tantum impudentiae superest, ut non solum se, sed alios etiam defendat." Do.

61. *Nam q. me in hac re etc.* Graviter dicit *in hac re*, quasi in reliquis omnib. semper hero satisfecerit. *quid vol. tibi*; cf. Heaut. I, 1, 9.

62. *Serv. homin.* Itid. Plaut. Epid. I, 1, 58. „*Servum hominem*." *caus. orare* h. e. in judicio agere. Virg. A. VI, 846.

63. *testimonii dictio*, „h. e. jus et potestas testimonii dicendi." We.

64. *Addo*, concedo. *imprud. timuit*. Respice v. 53. 54. *sino*. τὸ *sino* ut *mitto* vel omitto concedentis est contra voluntatem.

65. *Tu. serv.* sc. es. i. e. expers juris litigandi. *si cognata*

Non fuit necesse f) habere; sed id quod lex jubet,
Dotem daretis, quaereret alium virum.
Qua ratione inopem potius ducebat domum?
*G.* Non ratio, verum argentum deerat. *De.* sumeret
Alicunde. *G.* alicunde? nihil est dictu facilius.
*De.* Postremo, si nullo alio pacto g), foenore.
*G.* Hui, dixti pulchre, si quidem quisquam crederet,
Te vivo. *De.* non, non sic futurum 'st, non potest.
Egon' illam cum illo ut patiar nuptam unum diem?
Nil suave meritum 'st h). hominem commonstrarier
Mi istum volo, aut ubi habitet, demonstrarier.

f) Libb. Be. *necessum*. g) Al. *vel*. h) Hic locus varie et legitur et explicatur. Do. vult. *suave merit.* signific. suavem mercedem. V. I. *non meruistis ut suave loquar*. Be. *merita 'st*. Govean. et Gu. maleb. *meritu 'st*. Sed equid. praetulerim vulgatam.

*est max.*, h. e. fac esse cognatam. *maxime cogn.* Gradum cognationis vel summum esse concedit. Supra I, 2, 77. 80.

66. *habere.* Sub. uxorem. *lex. jub.* Cf. I, 2, 75. Lex ipsa est Polluc. lib. III, notata haec: ἡ μέντοι κλῆρον οὐκ ἔχουσα πατρῷον, θῆσσα καλεῖται, ἣν ὁ ἀγχιστεὺς ἐκδίδωσιν, ἂν ἑτέρᾳ συνοικῇ, ἢ πάντως γαμεῖ.

67. *quaer. alium virum*; cf. Andr. II, 3, 24.

68. *Qua ratione duceb.* pro *Qua rat.* fiebat, ut duceret. *Qua rat.* Quo consilio.

69. *Non ratio. ver. argent. deerat.* Itid. Plaut. Trin. II, 4, 17. „*Ratio* quidem hercle apparet, argentum οἴχεται.“ (periit, abiit.) *sumeret* sc. argent. mutuum.

71. *Postr. si nullo etc.* „Ostendit se senex haec perdere: quum ab his ad alia transcendit exclusus.“ Do. *foenore.* Animadvertendum aliud esse, sumere mutuum, aliud sumere *foenore.* Nam mutua quoque dabantur sine usuris.

72. *dixti pulchre*, ironice. *si quid. quisq. cred. Te vivo.* Hic We. commemorat, vetus olim senatusconsultum fuisse, quod primum a Solone sancitum ad Roman. deductum sit; quo cautum fuerit, patre vivente, filio, qui sub patris potestate sit, credi pecuniam non licere.“

73. *non, non sic etc.* Magna vis est in repetitione negantis. Aut graecism. est, οὐ μή. *sic futur.* „Convictus in omnib. senex ad iracundiam redit, negatq. permissum esse, uti cum filio suo maneat illa nupta.“ Eu. *non potest* sc. fieri.

74. *Egone illam etc.* Cf. Heaut. V, 2, 5. Hec. IV, 1, 19. *un. diem* pro ne *unum* quidem *diem.* Ad. III, 2, 34.

75. *Nil. suave merit. est. suave* It. Plaut. Bacch. IV, 9. 120. *suavius* pro rectius, melius, salutarius. *merit.* Particip. Schellerus *meritum est*, explicat, „factum est;“ quod aegre probatur. *Nil suave merit. est.* Acerbe in auctorem facinoris. *homin. ist.* Cf. supra I, 2, 73, not. *homin commonstr.* „Bono ordine pervenit ad Phormionem, a quo magis confutabitur.“ Do.

78. *faxo hic aderit.* Comicum est, τὸ *faxo* jungere futuro

*G.* Nempe Phormionem. *De.* istum patronum mulieris.
*G.* Jam faxo hic aderit. *De.* Antipho ubi nunc est? *G.* foris[i]).
*De.* Abi, Phaedria, eum require, atque adduce huc. *Ph.* eo. (*clare; cetera submisse ad Getam tantum, non audiente patruo*)
Recta via quidem illuc. *G.* nempe ad Pamphilam.
*De.* (*solus, discedentibus illis*) At ego Deos Penates hinc salutatum domum
Devortar: inde ibo ad forum, atque aliquot mihi
Amicos advocabo, ad hanc rem qui adsient,
Ut ne imparatus sim, si[l]) adveniat[m]) Phormio.

i) Be. ita: Illud *foris*, quod libb. c. Phaedriae tribuunt, dandum erat Getae." Etiam libb. s. et e. ap. We. exhib. Getae praenotatam person. Acced. quod magis Geta custos, cum rogatus Antipho esset, poterat respondere quam Phaedria. l) *si* dubitantis, ex l. Bemb. recte. Al. *cum*. m) Var. *adveniet. advenerit.*

indicativi; cf. Eun. II, 2, 54. Itid. Plaut. Cas. II, 8, 50. „vir *aberit faxo* domo." *Ant ubi n. est?* cf. supra v. 24.

79. *Abi Ph. eum require etc.* Cf. Ad. III, 4, 65. *Abi*, imperantis, sicut Ad. II, 1, 13. *adduce*; cf. Eun. III, 2, 50. *eo*, obedientis. Sic Andr. V, 6, 15. Sed h. l. simulate.

80. *illuc.* Hoc ambigue: nam Phaedria cogitat ad amicam suam, senex ad Antiphonem. *nempe ad Pamph.* Hoc secum murmurat. *nempe*, explicandi causa. Cic. Flacc. 37. „Si Flacidius dat tant. pecuniam Flacco, *nempe* idcirco dat, ut rata sit emtio."

81. *At ego Deos Penates etc.* Solebant enim *salutare*, adorare *Deos*, prima post redit. prece. De hoc more vett. v. We. Par. al.

82. *Devort.* „Bene *Devort.* quasi de via." Do. *ad for.* Cf. Eun. IV, 6, 25, not. *atq. aliq. m. Amic. adv.* „Jam praeparat ridiculam advocationem; qua plures adhibendo jurisconsultos incertior reddetur." Do.

83. *Amicos*, testes, advocatos. Advocatus enim dicit. *amicus*, quem vocamus ad nos, ut eum consulamus de controversiis nostris." Ernest. *ad hanc rem* sc. agendam in foro *qui adsint.* Par. in marg. „auxilio sint. *Adesse* dicitur de advocatis et patronis.

# ACTUS II. SCENA 2.

## PHORMIO. GETA.

*Ph.* Itane patris ais conspectum [a]) veritum [b]) hinc abiisse? *G.* admodum.
*Ph.* Phanium relictam solam? *G.* sic. *Ph.* et iratum senem?
*G.* Oppido. *Ph.* ad te summa solum, Phormio, rerum redit [c]).
Tute hoc intristi [d]), tibi omne est exedendum. accingere,
*G.* Obsecro te. *Ph.* si rogabit. *G.* in te spes est. *Ph.* eccere [e]).

a) Al. *adventum* male. Nam advenisse patrem jam sciverat. Supra I, 4, 7. b) V. I. *Antiphonem*. c) I. *rediit*. d) Par. pro var. *intrusisti* inusitate. In C. G. m. leg. *instruisti* perperam. Ibid. p. var. *intristi*. e) Par. ms. tert. *ecce in rem*. quint. *ecce rem*. Utrumq. imperite. Mu. ed. *aecere*.

„In hac scena de parasitis viliorib. Terentius proponit imaginem vitae: ut in Eunucho de potioribus, et his, qui nuper processerint, id est, de assentatoribus. Animadvertendum autem, hujusmodi genus hominum magis a Terentio lacerari.“ Do.

1. *Itane patris ais etc.* „Haec et labia lingens, ut ebrius: et ructans, utpote satur, pronuntiavit actor bonus.“ Do. *hinc*, „ex domo patris.“ Par. *admodum*. Simplex affirmatio est, ut Plaut. Pseud. IV, 5, 53. „*admodum*, inquam.“

2. *Phan. relict. sol.* sc. ais.

3. *summa rerum* sc. praeteritarum, s. anteactarum.

4. *Tute hoc intristi etc.* Ex proverb. natum. quod est apud rusticos, cum male *intritum* cibum coactus est sumere, qui intrivit. Et est sensus: A te confecta res est, quam debes absumere.“ Eu. Proprie Phaedr. I, 26, 7. „*intrito* cibo.“ Ceterum „*Παροιμία*, apta parasito, quae de cibo est.“ Do. *tibi o. est exed.* Sic Ausonius ad Paulum, Idyll. VII. *Tibi* quod *intristi exedendum est*: sic vet. verbum jubet etc.“ *accingere*. „Appara te atque expedi.“ Do.

5. *Obsecro te*, timentis. *si rogab.* dubitantis secum, ac delibe-

Quid si reddet [f])! *G.* tu impulisti. *Ph.* sic opinor [g]). *G.* subveni.
*Ph.* Cedo senem [h])! jam instructa sunt mihi [i]) corde consilia omnia.
*G.* Quid ages? *Ph.* quid vis, nisi uti maneat Phanium? atque ex crimine hoc
Antiphonem eripiam, atque in me omnem iram derivem senis [l])?
*G.* O vir fortis, atque amicus! verum hoc saepe, Phormio,
Vereor, ne istaec fortitudo in nervum erumpat denique. *Ph.* ah,
Non ita est. factum est periclum, jam pedum visa 'st via [m]).

f) V. I. *illam.* g) Id. *illum ducturum.* h) Id. *feriam verbis.* i) Quid. mss. teste Fa. *in.* l) Libb. quid. Be. *patris* pro *senis.* m) Distingu. nonnulli, *fact. est peric. j. pedum: visa 'st via*, inconsulte. Jungend. est *pedum-via.*

rantis ita, ut Getam non audiat interloquentem. Subaud. Demipho. *in te sp. est.* sc. sita. Animus Getae nunc decrescit; supra I, 2, 89. *eccere.* Fest. Pompejus: *Eccere* jusjurandum est ac si dicatur, per Cererem; ut ecastor, aedepol." Plaut. Cas. II, 6, 34.

6. *Quid si redd.* Sic de muliere. Eun. IV, 7, 26. *tu impulisti*; cf. Andr. III, 2, 44. Par. in marg. „ut duceret." *subveni* sc. mihi et Antiphoni. Plenius id. Eun. V, 4, 47. Ad. II, 1, 2.

7. *Cedo senem*; cf. Phaedr. V, 2, 4. „*Cedo* illum." Explic. Fab. „statue eum mihi praesentem." *instructa cons.* Metaphorice a re militari desumt. ut acies *instructa.*" Et cf. Eun. IV, 7, 11. Ad. Virg. A. II, 152. „dolis *instructus.*"

8. *quid vis.* Cave ne jungas *quidvis.* Planius intelligetur, *quid vis? nisi* hoc, uti etc. *maneat* sc. apud virum; cf. V, 8, 55.

9. *eripiam.* Bene, quasi vi doli oppressam. Plaut. Rud. III, 4. 67. *deriv.* conferam, convertam. Sic. Cic. Attic. IV, 3.

10. *O vir fort. atq. amic.* Blandiendi formula, qualis illa Andr. IV, 5, 22. Partic. *o*, cum nominativo v. Sanct. Min. IV, 5. *hoc.* Aut pleonasm. aut ellips. est, ob, propter *hoc.*

11. *ist. fortitudo.* Huc refer quae id. praedicavit de eod. supra I, 2, 72. 75. *in nerv. erump.* Attingit Do. morem Romanor. ex quo *in nervum* conjiciebantur, qui ex aliquo maleficio in carcerem missi sunt. Ad. III, 4, 63, 64. Alii translatum id esse putarunt a sagittariis, quorum arcus intentione nimia seu nervus rumpatur. Infra IV, 4, 15.

12. *Non ita est*; cf. supra I, 55. *fact. est pericl.* Cf. Andr. III, 3, 33. H. e. experientiam habeo artis meae. *jam ped. vis. e. mihi* h. e. „jam perspecta mihi ratio est, qua pedes nervum effugere possint." Ru. Nervus autem vinculi lignei genus est, in

Quot me censes homines jam deverberasse usque ad necem,
Hospites, tum cives? quo magis novi, tanto saepius [n]).
Cedo dum, en! unquam injuriarum audisti mihi scriptam dicam?
*G.* Qui istuc? *Ph.* quia non rete accipitri tenditur neque milvo [o]),
Qui male faciunt nobis; illis, qui nil faciunt, tenditur.
Quia enim in illis fructus est, in istis [p]) opera luditur.
Aliis aliunde est periclum, unde aliquid abradi potest;
Mihi sciunt nihil esse. dices: ducent damnatum [q]) domum.
Alere nolunt hominem edacem; et sapiunt mea [r]) sententia,
Pro maleficio si beneficium summum nolunt reddere.

n) Palmer. invert. *quo saepius, tanto nov. magis.* o) Bi. *milüo* trisyllab. uti in libb. Fa. Al. *milvo.* p) Var. *his. illis.* q) V. I. *te ligatum.* Eun. IV, 7, 39. r) L. antiq. *quidem.* Non est in l. Bemb.

quod pedes arctabantur. *pedum* pro pedibus. *visa* h. e. provisa. Sensus, Calleo quo evadam.

13. *deverberasse usq. ad nec.* Itid. fere Ad. I, 2, 10.

14. *quo mag. novi, tanto saep.* Quoque modo alii interpretentur, quoque invertant verba, equid. Schmiedero assentior dicenti, parasitum ut de flagitiis gloriantem gradatione uti: peregrinos, populares, etiam notissimos.

15. *en unquam*; cf. infra 3, 1. Alias an *unquam*, interrogantis. Liv. 24, 14. *script. dic.* sc. esse. Supra I, 2, 77.

16. *Qui ist.* Hoc id. plenius cf. Hec. I, 2, 28. *quia non recte etc.* Capitur sensus ex Juvenal. II, 63. „Dat veniam corvis, vexat censura columbas." Alluditur autem ad voracitatem parasitorum. irae *opera luditur* h. e. perditur, amittitur. Plaut. Cas. II, 7, 1. „meam *operam luserim.*"

19. *Al. aliunde est peric. unde etc.* „Aliud aliis periculum affertur, a quib. aliquid auferri potest." Do. *pericul.* damnum. *unde aliq. abradi etc.* Sic Cic. pro Caec. 7. „nihil *ab Caecina posse* litium terrore *abradere.*" *abradi*, „per vim auferri." Do.

20. *nihil* sc. rei. *dices*; cf. Andr. IV, 1, 16. *ducent damn. d.* „Secundum jus scilicet, quo obaerati, quum solvendo non essent, ipsi manu capiebantur." Do.

21. *Alere nol. hom. edac.* i. e. parasitum. Debitores enim creditorib. addicebantur in servitutem, donec solverent. Interea autem, nisi ipsi habebant unde viverent, alendi erant ab illis. Inde judicati, *damnati* aut nexi dicebantur; vid. We. Et Plaut. Asin. V, 2, 87. „Quamvis judicatus non habeo quod pendam." *sapiunt*, sibi consulunt. Comice se significat, parasitus ac vere.

22. *Pro malefic.* Nota sup. v. 17. *Qui malefaciunt*, accipitres, *si benefic. summum.* „Parasitice *beneficium summum* dixit *Alere.*" Do. *reddere*, „retribuere, reponere." Do.

*G.* Non potest satis ^s) pro merito ab illo ^t) tibi referri gratia.
*Ph.* Immo enim nemo satis pro merito gratiam regi refert.
Ten' asymbolum ^u) venire, unctum atque lautum e balneis,
Otiosum ab animo; cum ille et cura et sumtu absumitur.
Dum fit tibi ^x) quod placeat, ille ringitur; tu rideas;
Prior bibas, prior decumbas. coena dubia apponitur.

s) t) „Ex *satis*, s, posterius eliditur: ex, *illo*, unum, l, ut in secunda et tertia sede sit dactylus, in quarta anapaestus." Sic Fa. Aliter Be. u) C. G. m. *ad symbolum.* Al. *ad symbolam.* Hic Do. sex vv. Ennii adfert, unde Terentium, non ab Apollodoro haec desumsisse credit. x) L. antiq. *Dum tibi sit.* Sed melius *fit* quam *sit.*

23. *ab illo* sc. Antiphone. Hujus enim causam Phormio egit.

24. *grat. regi. Ref. Rex* modo regnator, modo dominus, modo dives significat. Eun. III, 1, 11. Casaubon. ad Theophrast. 2. Praeterea parasiti solent *reges* eos appellare, a quibus aluntur. Et cf. Hor. Ep. I, 17, 43. „coram *rege.*" h. e. amico potentiore.

25. *Tene asymb. ven.* De constructione infinitivi absoluti v. Andr. I, 5, 10. Similit. Hor. Sat. II, 8, 67. *Tene* — torqueri —" *asymbol. ven.* Not. Lindenbr. *ἀσυμβόλως δειπνεῖν.* Est enim, quod We. monet, *ἀσύμβολος* immunis, qui nihil symbolae loco confert in convivium." Hor. Od. IV, 12, 23. ubi Lambin. Contrarium est, Andr. I, 1, 61. Eun. III, 4, 2, 5, 59. ubi nott. *unct. atq. laut.* „Tangit morem et luxum veterum, quib. unctiones et lotiones erant quotidianae, non sine maximis sumtibus." We. Inde *uncti* pro divites.

26. *Otios. ab animo; cum ille etc.* Enniana confer: Mox dum alterius obligurias bona: quid Censes dominis esse animi?" *Otios. ab animo.* Par in marg. „vacuum curis et sollicitudinibus. *et cura es sumtu.* „*Cura* in apparando, *sumtu* in coemendo." Do. Heaut. III, 1, 53.

27. *Dum fit tibi quod plac.* Contra Eun. III, 1, 58. 59. Est autem *fieri* proprium verb. in conviviis, ut patet ex Petron. c. 26. ubi v. Burman. *ille ringit.* sc. dominus. *tu rideas.* Ennius: Ille tristis cibum dum servat, tu ridens voras." *ille ringitur.* H. e. stomacho commovetur et iracundia. Et est *ringor* pro os aperio; unde rictus.

28. *Prior bib.* Not. Par. „Antequam accumberent, *potionem* poscebant; quam potionem Apulejus lib. 9. Metam. „antecursoriam" appellat. *prior decumb.* Plaut. Stich. V, 1, 6. „Jam ego *decumbam* solus, si ille huc non venit." Verb. *decumb.* pro accumbere, quod proprium est convivarum. *coena dubia.* Hujus vocis explicationem ipse dat Getae interroganti peritissimus

*G.* Quid istuc verbi est? *Ph.* ubi tu dubites quid sumas potissimum.
Haec, cum rationem [y]) ineas, quam sint suavia et quam cara sint;
Ea qui praebet, non tu hunc habeas plane praesentem Deum?
*G.* Senex adest. vide quid agas. prima coitio 'st acerrima.
Si eam sustinueris, post illa jam, ut lubet, ludas [z]) licet.

y) L. antiq. *ratione*. Haud dubie lit. m, abrasa. z) V. I. *illum*.

Phormio dicens: *ubi tu dubit. quid etc.* v. 29. Hinc eand. locut. Hor. mutasse videtur Serm. II, 2, 76. *apponitur*. Proprie de cibis. Cic. Q. Tusc. V, 32. —

29. *Quid ist. v. est*; cf. supra I, 3, 4. „Ut intelligat populus, idcirco non intelligit et vult doceri Geta. Ostendit autem Poeta pro unaquaque re verba propria esse etc." Do.

30. *cum ration. ineas*, cum tecum existimes, perpendas. *Haec quam s. suav.* Scilicet quae apposita sunt epularum. *cara*, sc. magni pretii.

31. *Ea qui praeb.* Phaedr. II, 4, 24. „largam *praebuerunt* dapem." *hab. praesent. Deum.* „Praesentes Dii sunt vel qui statim praestant, vel qui coluntur et videntur, ut Sol et Luna." Do. Hic allegat Victorius versum Menandri, *τό γὰρ τρέφον μὲ, τοῦτ' ἐγὼ κρίνω θεόν*, Nam quod me alit, id ego plane judico deum.

32. *Senex adest.* Ead. fere cautio senis in Heaut. IV, 3, 12. *prima coit. est acer.* „Sola tibi inceptio, et ingressus est arduus etc." Eu.

33. *Si eam sust.* Similis e re militari locutio est, „*sustinere primum* impetum," Jul. Caes. B. G. 1, 24. *ludas* sc. armis. Sic Ovid. Trist. III, 12. „levibus nunc *luditur* armis." Huic contrarium est, vere pugnare.

## ACTUS II. SCENA 3.

### DEMIPHO. GETA. PHORMIO.

*De.* (*ad advocatos loquitur*) En! unquam[a]) cuiquam contumeliosius
Audistis factam injuriam[b]), quam haec est mihi?
Adeste, quaeso. *G.* (*Phormioni*) iratus est. *Ph.* (*Getae dicit*) quin tu hoc age[c]). 'st[d]).
Jam ego hunc agitabo, pro Deum immortalium[e])!
(*clara voce*) Negat Phanium esse hanc sibi cognatam Demipho?
Hanc Demipho negat esse cognatam? *G.* negat.

a) C. G. m. script. *umquam.* Sic edd. Be. Mu. We. al. Sed Erasm. Lindenbr. per, *n.* b) V. I. *de filio meo.* c) C. G. m. *ages.* d) Do. ita: annuit ut taceat, *st.* signific. silentium. Abest nota haec silentii a C. G. m. et Hal. e) C. G. m. *fidem.* Sup. scr. *testor.* Plusculi mss. add. *atque hominum.* Andr. I, 5, 2.

„Haec scena tenet controversiam talem: Orba proxumo nubat; orbam proxumus ducat. Bis de ead. re actio ne sit." Eu. Ab altera parte Demipho pernegat filium proximum esse Phanio; ideoq. illum ~~non~~ cogi posse ducere eam.

1. *En. unq.* Cf. 2, 11. „*En* vim hab. indignationis post enarratam injuriam." Do. Jam instructi post scenam esse advocati videntur. *cuiq. contumel.* Cf. Andr. IV, 1.

3. *Adeste.* Sic proprie tres advocatos adloquitur, quorum nomina praefixit Daciera. *Adeste*; cf. supra I, 83. *hoc age.* „Formula solennis olim in sacris." Par. Andr. II, 5, 4. *'st.* „Silentii indicti particula vel nota." Far.

4. *hunc agitabo* sc. Demiphonem. *agitabo* pro exercebo uti Andr. IV, 2, 48. *Agitari* proprie ferae dicuntur a canibus venatorum. *pro D. im.* Cf. Ad. III, 4, 1. *pro,* interjectio.

5. *Neg. Phan.* „Magno ingenio Terentius impudentiam calumniatoris expressit; nam et prior incipit, et prior accusat." Do. *hanc.* „Pronom. utitur, quasi notam omnib. diceret.

6. *Hanc.* Collocat in principio hoc pronom. omni vi pronuntiandum, quo insigniorem reddat illam velut rectissime cognatam. Est enim flagitatio invidiosa. *negat.* Etiam Geta particeps doli ac fraudis est, juvando Phormionem atque incitando.

*De.* Ipsum esse opinor, de quo agebam. Sequimini.
*Ph.* Neque ejus patrem se scire qui fuerit? *G.* negat [f]).
*Ph.* Nec Stilphonem [g]) ipsum scire qui fuerit? *G.* negat.
*Ph.* Quia egens relicta est misera, ignoratur parens,
Negligitur [h]) ipsa. vide, avaritia quid facit!
*G,* Si herum insimulabis malitiae [i]), male audies.
*De.* (*ad advocatos, ut supra*) O audaciam! etiam me [l])
ultro accusatum advenit [m]).

f) Hunc vers. veterrimi Be. Codd. non agnoscunt. Quem ille tamen in aliis vetustis eoq. ordine invenit; quo supra est. Vulgo anteit hic versus priorem nostrum, quem vero sequitur commodius. g) V. I., *hoc nomen imposuit sibi Chremes apud Lemnum.* Hunc vers. nonnullae Edd. haud sine injuria eliminarunt. Sed Do. explicat eum, et Be. ex veterrim. libb. in ventum reposuit. Facile autem τὰ ὁμοιοτέλευτα, *negat, negat* in causa poterant esse, cur a librariis omitteretur. h) Par. Be. ed. *Nec legitur.* And. I, 5, 18. i) Un. ex Be. Codd. *averitiae* Quod *avaritiae* C. G. m. exhib. supra scriptum c. gl. marg. *ut propt. paupertat. dicat hanc non esse suam cognatam.* l) Al. *etiamne.* m) Al. venit.

7. *Ips. esse opin.* sc. Phormionem. Ad. I, 1, 54. *Sequimini.* „Apparet Demiphonem, ut patrem familias, perturbari non mediocriter: quippe qui et advocatos conquisiverit advers. hominem sine advocatis agentem, et progredi non audeat, nisi illi sequantur.“ Do.

8. *Neque.* Addendum, negat. Hic duas negationes adfirmare monet We. ita, ut Schottus ad Heaut. I, 1, 12. At ego mallem pro negat intelligi, dicit. Sanct. Min. II, 10. *ejus* Phanii. *patrem.* Par. in marg. ἀντίπτωσις. Accusativ. pro nominativo, pro, pater et Stilpho.“ Vid. ad Andr. III, 2, 23.

9. *Haec Stilph. ipsum etc.* Haec asseveratio mentientis est, imitata veritatem.“ Do. Audisse enim parasitum nomen *Stilphonis* ab ipsa puella verisimile est.

10. *relicta, est mis.* Notand. est; *relinqui* vivum, superstitem defunctis. Aurel. Vict. V. J. 6. a quo, mortuo Anco, tutor liberis *relictus.*“ *ignor. parens.* Par. „Negligitur, contemnitur.“ Plaut. Amph. IV. 5, 14. „quem omnes mortales *ignorant* vel ludificant.“ Haec pauperiorum fortuna.

11. *vide.* H. l. stomachantis vox. Ad. V, 1, 4.

12. *Si her. insimul. malitiae.* Hac syntaxi Romanis amata, it. Caes. B. G. VII, 20. Haec a me beneficia habetis, *quem proditionis insimulatis.*“ *male aud.* sc. a me. Andr. V, 4, 17. Hec. IV, 2, 24. Itid. Gr. ἀκούειν κακῶς. Adsimulat Geta defendere herum.

13. *O audac.* Ead. exclamatio plenior Heaut. II, 3, 72.

*Ph.* Nam jam adolescenti nihil est quod succenseam,
Si illum minus norat: quippe homo jam grandior,
Pauper, cui in opere [n]) vita erat, ruri fere
Se continebat; ibi agrum de nostro patre
Colendum habebat. saepe interea mihi senex
Narrabat, se hunc negligere cognatum suum.
At quem virum [o])! quem ego viderim in vita optumum.
*G.* Videas te atque illum, ut narras [p]). *Ph.* i [q]) in malam crucem!
Nam ni ita eum existumassem, nunquam tam graves
Ob hanc inimicitias caperem in nostram [r]) familiam,

n) L. antiq. *opera*, sexto casu pro, *in opere*. quod hab. Codd. Be. universi. o) V. I. *Stilphonem dico.* p) *Videas te atque etc.* Hunc locum non ita corruptum Be. et al. intactum, opinor, melius reliquissent. q) L. antiq. *abi.* Al. Codd. verbis et *abi*, et, *i*, omissis, hab. *in malam rem*, adverbialit. secund. Do. C. G. m. *abi hinc.* r) Libb. Fa. *vestram.*

14. *adolescenti*, Antiphoni. *nih. est quod etc.* „Veterator callidus haec omnia fingit, et subtiliter filium, qui veluti invitus nuptias contraxerit, ap. patrem purgat, sed ita, ut senex magis in invidiam adducatur.“ Bi.

15. *Si illum*, patrem ductae uxoris. *min. norat*; cf. Andr. IV, 5, 53. *homo j. grand.* Ad. IV, 5, 59. Sensus, „Qui *grandior* fuit quam ut illum adolescens optime nosse posset.“ Do.

16. *cui in op. vita erat.* Ex Graec. express. ὦ τὸ ἔργον ἦν ὁ βίος. Et Par. in marg. „Qui ruri agrum colendo et opus rusticum faciendo victum quaerebat, aut vitam tolerabat.“ Heaut. I, 1, 15. seqq.

17. *Se contineb.* *Continere* se dicit. qui contra voluntat. se continet.“ Do. Ille namq. ob inopiae pudorem ex urbe rus commigravit. *de nostro*, h. e. Phormionis, qui se etiam bonis ortum fingit parentibus.

18. *Colend. habeb.* Conductum agrum colere paupertatis indicium erat, vix liberi hominis. Liv. 27, 3. „*agrum* locare frumento;“ ubi explicant, „ut coloni pendant frumentum, non pecuniam.“ Itid. Virg. A. 12, 520. Tibull. I, 7, 50. *saepe inter. mihi senex* sc. Stilpho. *hunc*, Demiphonem. „Quod *se* negligeret hic cognatus suus.“ Eu.

20. *At quem v.* Formula laudandi; cf. Eun. III, 5, 5, 42. *quem ego vid.* h. e. cognoverim Sic. Cic. p. Arch. 7. „Ex hoc esse hunc numero, *quem* patres nostri *viderunt*, divinum hominem etc.“ *in vita*; cf. supra I, 3, 12, not.

21. *Videas te atq. illum.* Hunc vexatissim. locum explico per ellips. τοῦ aeque. v. Sanct. Min. IV, 7.

22. *nisi ita eum existimass.* sc. *in vita optimum.* Eun. IV, 6, 26.

23. *Ob hanc inimicit. cap.* Cf. Andr. IV, 2, 12. *Ob hanc.*

Quam [s]) is aspernatur nunc tam illiberaliter.
*G.* Pergin' hero absenti [t]) male loqui? impurissime.
*Ph.* Dignum autem hoc illo est. *G.* ain' tandem? carcer! *De.* (*submissa voce*) Geta.
*G.* Bonorum extortor, legum contortor. *De.* (*voce altiore*) Geta.
*Ph.* (*Getae suggerit*) Responde. *G.* quis homo est? ehem! *De.* tace. *G.* absenti tibi
Te indignas seque dignas contumelias
Nunquam cessavit dicere hodie. *De.* obe desine.
Adolescens, primum abs te hoc bona venia expeto,
Si tibi placere potis est, mi ut respondeas.
Quem amicum tuum ais fuisse istum, explana mihi,
Et qui cognatum me sibi esse diceret.
*Ph.* Proinde expiscare, quasi non nosses. *De.* nossem? *Ph.* ita.
*De.* Ego me nego; tu, qui ais, redige in memoriam [u]).

s) *Quam.* Subaud. Do. puellam. Recte. At Gu. *Quem* sc. Stilphonem. Falso. t) C. G. m. *absente.* Itid. duae Editt. ap. We. u) C. G. ch. *redig. ad mem.* Sic it. Mu. In C. G. m. gl. *reduc me.*

„Tanquam praesens sit, de qua lis est: sic demonstrativa particula usus est dicendo *hanc.*" Do.

24. *Quam is aspern.* sc. Demipho. Supra I, 2, 78. *illiberalit.* h. e. tali familia indigne.

25. *Perg. h. abs. m. loq.* Similiter Eun. V, I, 1. *hero abs.* Argute *absenti*, ut videatur fidelior, qui defendat absentem. Dissimulabat autem Geta se vidisse herum praesentem.

26. *Dign. aut. hoc il. est.* Significat *hoc*, quod aspernatur bonam, sed pauperem; quod vero *dignum est illo* avaro, non libero homine. *aisne tand.* Cf. Andr. V, 3, 4. *carcer.* Contumelia servilis est i. q. carcere dignus. Ita crux ponitur pro cruce dignus ap. Plaut.

27. *Bonor. extort. leg. contort* Cic. in L. Peson. 27. „Senatus adit te, afflictorem et perditorem." Hujusmodi enim convicia sunt in sycophantas et rabulas forenses.

28. *quis h. est*; cf. Andr. V, 6, 1.

29. 30. *contumel. dicere*; cf. Plaut. Pseud. IV. 7, 77.

31. *Adolesc*, Ita compellat Phormionem senex, et *bona venia* addit, ut ejus benevolentiam magis sibi paret quam iram. *bona venia* h. e. pace tua. Liv. 29, 17. „sine ira."

33. *Quem a. t. ais etc.* Verb. *ajo* de vanis, dicere de veris. Do.

35. *expiscare*, „exquiris, exploras." We. Cic. Fam. XI, 19. „Nescis me ab illo omnia *expiscatum.*" Expiscari est diligentissime quaerere, ubinam pisces lateant." Do.

36. *Ego me.* Subaudi, nosse. *qui ais*, me nosse. *redige in*

*Ph.* Eho, tu sobrinum tuum non noras? *De.* enicas [x]).
Dic nomen. *Ph.* nomen? *De.* maxume [y]). quid nunc taces?
*Ph.* Perii hercle, nomen perdidi. *De.* hem, quid ais! *Ph.* (*submissa voce*) Geta,
Si meministi id quod olim dictum 'st, subjice [z]). hem [a]),
(*ad Demiphon.*) Non dico. quasi non noris, tentatum [b]) advenis.
*De.* Egone autem tento? *G.* (*suggerit nomen*) Stilpho. *Ph.* atque adeo quid mea?
Stilpho 'st. *De.* quem dixti [c])? *Ph.* Stilphonem inquam; noveras.
*De.* Neque ego illum noram, neque mi cognatus fuit
Quisquam istoc [d]) nomine. *Ph.* itane? non te horum [e]) pudet?
At si talentum rem reliquisset decem [f]),

x) C. G. m. *enecas.* y) Hoc *maxume* tribuo, auct. Be. Demiphoni aptius quam, ut vulgo fit, Phormioni. z) C. G. m. *subice.* Supra Prol. 18. a) Al. *en.* b) C. G. m. script. *tempt.* c. gl. *adme.* c) Ms. Par. *disti.* d) C. G. m. *isto.* e) V. I. *quae dicis.* f) Virgulam posui post *decem*, ut continuationem Phormionis orationis interruptam Be. praeeunte denotarem.

*memor.* Cic. Fam. I, 9. „Quidq. sibi is de me recepisset, *in memoriam redegit.*"

37. *tu sobrinum etc.* „Scurriliter vexat hominem. Quem enim cognatum generatim dixerat, nunc *sobrinum* vocat etc." We.

38. *Dic. nom.* Ita nomine dicendo laborant in Andr. V, 4, 39. *maxume.* Itid. Eun. II, 3, 43. *quid n. tac.* Cf. Andr. III, 2, 18.

39. *nom. perdidi.* Non perdidit, sed fingit perdidisse; cf. v. 9. *nom. perd.* pro excidit memoria nomen.

40. *Si meministi.* Itid. Andr. V, 4, 41. Mire. *Si meministi*, quasi ipse non meminerit modo. *subjice* subministra mihi *hem.* Dacieriae videtur *hem* tussientis, ut Getae spatium det monendi.

41. *Non dico.* Videtur arte celare id quod non nesciebat.

43. *quem*, sc. hominem. Aut quod ejus nomen *dixisti*? Syllepsis *inquam*, cf. Andr. IV, 2, 32. Urget senem, quasi dicat: Convincam, si neges. In Lemno enim ille senex mutato nomime Stilpho nominabatur, Athenis vero Chremes.

46. *At si talent. rem etc.* H. e. tale patrimonium, quod in decem talentis est." Eu. *talentum* pro talentorum. *reliquiss.* Cf. Hec. V, 3, 8. Ad *avaritiam* senis redit; cf. v. 11.

*De.* Di tibi male faciant! *Ph.* primus esses memoriter
Progeniem vostram usque ab ovo atque atavo proferens.
*De.* Ita ut dicis. ego tum cum [g]) advenissem, qui mihi
Cognata ea esset, dicerem. itidem tu face.
Cedo, qui [h]) est cognata? *G.* en noster! recte. (*ad Phorm. conversus*) heus [i]) tu! cave.
*Ph.* Dilucide expedivi [l]), quibus me oportuit
Iudicibus; tum id si [m]) falsum fuerat, filius
Cur non refellit? *De.* filium narras mihi?
Cuius de stultitia dici, ut dignum 'st [n]) non potest.
*Ph.* At tu, qui sapiens [o]) es, magistratus adi,

g) Al. *si* pro *cum.* h) V. I. *dic quomodo.* i) Haec partic. variat in libb. *eu. heu. euge.* l) V. I. *feci* (perfeci), *quasi ea puella esset tua cognata.* m) L. antiq. *si id.* n) Ms. Par. *ut justum 'st.* o) V. I. *ironice.*

47. *Di tibi malefac.* Exsecrandi formula, ut supra I, 2, 73. Contra Ad. V, 7, 19. 20. *prim. ess. memorit. Progen. etc.*, h. e. *memoriter* totam *progeniem* parentum a summa origine contineres." Eu. *prim. ess.* Scilicet qui virginem coram judicibus ex lege heredem peteret. *memorit. P. v. usq. ab ovo etc.* Cf. Cic. N. D. I, 33. „Enumerasti *memoriter usque a Thalete* Miles. de n. d. sententias philosophor." *usque ab ovo*, proverbialiter dictum; cf. Hor. Sat. I, 3, 6. *atavo*, antiquissimo majorum. Hor. Od. I, 1. „*atavis* regibus." *ess. proferens* i. e. proferres; Cf. Andr. III, 2, 28.

49. *Ita ut dicis.* „Ita sum, inquit, ut dicis, avarus et superbus." Concedit Demipho, jure suo confisus, contra Phorm. litigosum, qui nulla re nisi contumeliis convincere studet. *cum adveniss.* Supple, ad judices. Supra I, 2, 79. *ego tum dicerem.* „Si hereditatem peterem, necessitas mihi imponeretur, ut unde mihi esset cognata dicerem." Eu. *qui*, unde, quomodo.

50. *itid. tu face.* Scilicet ut tu *itid.* quod mihi intenderis dicas, unde sit *ea cognata.* Eun. Prol. v. 11, ubi vid. nota. *face.* Plautinum pro fac.

51. *en nost.* Cf. Eun. I, 2, 74. *h. tu cave.* Sensus. „Tu interim *cave*, ne herus argumentis te vincat." We.

52. 53. *Diluc. expedivi quibus etc.* Ordo: *Dilucide exp. Judicib. quib. me oport.* expedire. Est autem *dilucide expedire* fere id. quod, „docere *dilucide*," Liv. 39, 47. Explic. Do. „probavi judicibus." *falsum.* Cui oppon. *verum.* Andr. V, 4, 19. *fuerat.* Latine *fuerat*, non fuisset.

54. *Cur non refell.* „*Refellere* est arguendo falsum ostendere." Do. *fil. nar. mihi.* Sic solent per contemtum et stomachum loqui. *narras*, commemoras.

55. *Cujus de stultitia etc.* Cf. supra I, 50. 51.

56. *At tu, qui sapiens es.* Id. sarcasmus est Phaedr. III, 14, 6. *magistrat. adi* h. e. judices, uti v. 53.

Judicium de eadem causa iterum ut reddant [r]) tibi;
Quandoquidem solus regnas, et soli licet
Hic de eadem causa bis judicium adipiscier [q]).
*De.* Etsi mihi facta injuria 'st, verum tamen
Potius, quam lites secter, aut quam te audiam,
Itidem ut cognata si sit, id quod lex jubet
Dotem dare, abduce hanc; minas quinque accipe.
*Ph.* Ha, ha, he! homo suavis. *De.* quid est? num iniquum postulo?
An ne hoc quidem ego adipiscar, quod jus publicum [r]) 'st?
*Ph.* Itane tandem quaeso, item ut meretricem [s]) ubi abusus sis,

p) Tres Be. Codd. *reddatur.* q) Be. *apiscier.* Heaut. IV, 3, 15. Sed est *apisci* verb. Plautinum. Hec, V, 4, 2. r) V. I. *justum judicium.* s) Mu. omitt. *it. ut meretric.* pro quib. verbis ingerit *civem.* Sed abest *civem* ab l. antiq. et Do. libb.

57. *Judic. de ead. causa etc.* Par. in marg. „Regula juris est: Semel causa approbata, sive vera sit, sive falsa, non retractetur." Apud Hermogen. *Δὶς περὶ τῶν αὐτῶν δίκας μὴ εἶναι.* Plura Eu. We.

58. *solus regn.* Ita Liv. II, 3 de Tarquiniis expulsis; „adsueti *more regio* vivere." Id. de his paulo ante, „quorum *in regno* libido solutior fuerat." Inde Athenis praecipue erat utrumq. et *solum* esse et *regnare* invidiosum. Ad. II. 1, 21. Quod id. dicit Liv. II, 3. „aequato jure omnium."

59. *judic. adipisci.* Huic compara Plaut. Rud. Prol. 16. „Qui hic *litem adipisci* postulant perjurio."

60. *Etsi mihi facta inj.* Cf. supra v. 2. Demipho ex altera parte legis, de iteranda lite profligatus, ad alteram confugit, de dote danda cognatae; sed et inde mox profligabitur. *ver. tam. Potius etc.* Anacoluthum esse videtur, sed non vere est. velim te abducere *hanc* et accipere *quinque minas.*

61. *Pot. quam etc.* Bis posuit *quam.* Ceterum conf. Andr. IV, 5, 16.

62. *Itid. ut* pro perinde ac si. Eun. I, 2, 13. *id quod lex. etc.* Cf. supra I, 66. 67. Ex Harpocratione citat Meussius Spicileg. ad Theocr. Id. XVIII. *Ἐπάναγκες δὲ ἦν τοῖς ἔγγιστα γένους τὰς θῆσσας ἢ λαμβάνειν πρὸς γάμον, ἢ πέντε μνᾶς διδόναι.*

64. *Ha, ha, he.* Hic risu destruxit, quod serio intendebat senex. *homo suavis* h. e. stultus. Sic Graeci fatuum ἡδὺν et γλυκὺν dicunt; vid Ru. ad Timaei Lexic. Platonic. *iniq. post.* Heaut. V, 3. 9.

65. *jus publicum*, hoc est, quod omnib. civib. est commune. Cic. p. Rosc. 13. „Nego potuisse *jure publico*, legib. iis, quib. haec civitas utitur, quemquam civem ulla ejusmodi calamitate affici sine judicio."

66. *Itane tand.* Cf. I, 1, not. *item ut.* Jungitur utrumq. hoc etiam Cic. Verr. 4, 9. „Fecisti *item uti* praedones solent." *me-*

Mercedem dare lex jubet ei, atque amittere? an [t]),
Ut ne quid turpe civis in se admitteret [u])
Propter egestatem, proximo jussa 'st dari,
Ut cum uno [x]) aetatem degeret? quod tu vetas.
*De.* Ita, proxumo quidem; at nos unde [y])? aut quamobrem [z])? *Ph.* ohe [a]),
Actum, ajunt, ne agas. *De.* non agam? immo haud desinam,
Donec perfecero hoc. *Ph.* ineptis. *De.* sine modo.
*Ph.* Postremo tecum nil rei nobis, Demipho, est.
Tuus est damnatus gnatus [b]), non tu: nam tua
Praeterierat jam ad ducendum [c]) aetas. *De.* omnia haec

t) Particulam, *an*, cum Lindenbr. ac Mu. huic appono versui. Vulgo infit ab illa sequens. u) Comma post *admitt.* Pareum secutus ego delevi, quo arctius jungerem quod sensus desideraret, *admitt. Propt. egestat.* x) V. I. *viro.* y) Id. *sumus proximi.* z) Id. *dabimus dotem.* a) C. G. m. *hoc.* Id. pro var. *ohe.* b) Id. *natus.* c) Mu. ex mss. *ducendi aetas.*

*retricem abusus.* Sic. et *operam abutitur* pro, opera; cf. Andr. Prol. 5. Ad hoc *abuti* ponitur de replenda libidine; quomodo *uti* quoque Plaut. Pers. I, 3, 47, „filiam *utendam* tuam mihi da.“

67. *Merced. dare. Merces* eod. sensu quo *pretium* valet, Andr. I, 1, 49. pro stupro. In aprico est Phormionem, ut acrius Demiphonem angat, de meretricib. loqui infimae conditionis. *amittere*, dimittere. Supra I, 3, 24. *an.* Nunc derisor ad seriam postulationem legis descendit.

68. *civis*, virgo ingenua honesta. *ne quid turpe in se admitt.* Cf. Ad. IV, 5, 48. Ut ne quaestum corporis sui facere cogeretur; quomodo Chrysis in Andr. I, 1, 44. 45.

69. *Propt. egestat.* Cf. v. 10. *prox. juss. e. dari.* Supra I, 2, 75.

70. *Ut cum uno etc.* Sic Heaut. II, 4, 12. *quod tu vetas.* Acerbe dictum; quia lex jubet.

71. *Ita*, assentientis invite. *proximo quid.* Ex versu 69 supple, *jussa est dari* h. e. lege. Convictus senex atque delusus ad superiora redit, unde erat profligatus. Vid. ad v. 60.

71. *Act. aj. ne ag.* h. e. noli operam perdere in re jam judicata. Ad. II, 2, 24. *non agam?* Interrogatio respondentis est, cujusmodi illa in Ad. V, 8, 27. *haud. desin.* Ad. I, 2, 57.

73. *Donec. perfec. hoc.* Nihil aliud significat, quam quod amittat filius mulierem. *ineptis.* „Ut a sapientia, sapis dicimus; ita ab ineptia, ineptis.“ Do. *sine modo* cf. Eun. I, 1, 20.

74. *tecum nih. rei nob.* Hac syntaxi ead. utitur Eun. IV, 7, 34. Jam ludit parasitus in senis aetatem.

75. *Tuus est damnat. gn. non tu etc.* Sensus, *Gnati tui* causa est de illa ducenda, non tua; quippe qui grandior es quam ut ipse ducas. *est damnatus* h. e. excidit causa coram judicibus.

76. *tua Praeterierat aet.* Jocose. Nec vero ultra certam ac-

Illum putato, quae ego nunc dico, dicere,
Aut quidem cum uxore hac ipsum prohibebo [d]) domo.
*G.* (*Phormioni insusurrat*) Iratus est. *Ph.* (*irridens*) tute [e]) idem melius feceris.
*De.* Itane es paratus [f]) facere me advorsum omnia?
Infelix [g])! *Ph.* metuit hic nos [h]), tametsi sedulo
Dissimulat. *G.* (*hoc dicit clam ad Phorm.*) bene habent tibi principia. *Ph.* quin, quod est
Ferendum, fers [i]). tuis dignum factis feceris,
Ut amici inter nos simus. *De.* egon' tuam expetam
Amicitiam? aut te visum [l]), aut auditum [m]) velim?
*Ph.* Si concordabis cum illa, habebis quae tuam

d) Al. *prohibeo.* e) V. I *si ejeceris filium.* f) Palmer. e mss. *pactus.* g) Palmer. *Juliz* Plautina vox. h) Ms. Graev. *me.* i) Sic Fa. In l. antiq. *feras.* Bemb. *feres.* Al. *fer.* l) m) C. G. m. sup. scr. l) *videre* m) *audire* imperite. Nam glossatorem fugit latine dict. esse in textu utrobiq. *velim* cum participio praeteriti.

tatem ducere quis cogebatur. *ad ducend.* sc. uxorem. *aet.* Cf. v. 87.

77. *Illum putato quae etc.* „Definitive respondit.“ Do. Pater enim pro filio dicit, quasi is ipse diceret; cum parasitus dixisset, cum filio rem sibi esse, non cum patre.

78. *quidem* pro certe. *hac domo* sc. mea.

79. *Irat. est*; cf. v. 3. Iram senis Geta timet. *tute id. m. fec.* Sensus, Tu ipse te melius prohiberes domo, ut solus esset filius cum uxore. Aperte enim non vult dicere: melius decederes vita vel moreris. *feceris*; cf. Heaut. II, 2, 7, not.

80. *Itane es par.* Cf. Eun. II, 2, 9. Et Nep. Datam. 9, 4. ut *parati essent facere.*“ Ubi not. Fischer. *parati facere*, more dici Graecor. pro *parati* ad faciendum. *me advors.* Transpone, *advors. me.*

81. *Infelix!* Improbus, ut ap. Graec. κακοδαίμων. Enimvero felices et *infelices* dicuntur, per quos alii seu felices seu infelices sunt. Sic it. Virg. Ecl. V, 65. „Sis bonus, o, felixque tuis!

82. *bene hab. tibi principia.* Cf. infra III, 1, 15. *principia*, initia. Vulgo: dimidium plus toto.“ *Principium* enim totius negotii dicitur dimidium in proverbiis, ac bene coepisse ab omnibus ubiq. laudi datur. Erasm. Adag. *quod est Fer. fers.* Repetit Phormio quod Geta ignavus supra dixerat, I, 2, 87. 88. Contra Phormio, ubi facto opus erat, se impigrum praestitit adversus dominum.

83. *tuis dign. fact. fec.* Cf. infra V, 9, 31.

84. *amici int. nos.* Itid. Heaut. III, 1, 102. *eg. expet.* Contra Eun. IV, 6, 5.

86. *Si concord. c. illa.* Cic. Tusc. IV, 13. „animi judicia opinionesq. *concordant.*“

Senectutem [n]) oblectet. respice aetatem tuam.
*De.* Te oblectet! tibi habe. *Ph.* minue [o]) vero iram.
*De.* hoc age
Satis jam verborum 'st. nisi tu properas [p]) mulierem
Abducere, ego illam ejiciam. dixi, Phormio.
*Ph.* Si tu illam attigeris secus quam dignum est liberam,
Dicam tibi impingam grandem [q]). dixi, Demipho.
Si quid [r]) opus fuerit, (*Haec Getae insusurrans Phormio abit*) heus, domo me [s]). *G.* intelligo.

n) Senectutem Fa. docet trisyllab. esse, uti *senex* monosyllab. Cf. Heaut. I, 2, 23. o) I. *minime* depravate. p) Al. *properes.* q) V. I. *colaphum.* r) Id. *rediens inde loquitur ad Getam.* s) In C. G. m. gl. est *reperies*; in Hal. c. *reperietis.*

87. *Senectut. oblect.* Bene non te dixit, sed *Senectut. tuam.* Hec. I, 2, 44. *respice aetat. t.* Cf. Heaut. I, 1, 18. *Aetas* vox media, h. l. senectus. Aliter supra v. 76, ubi aetas est juventus seu aetas juvenilis.

88. *tibi habe.* Quia dixerat, *abduce hanc*, v. 63. Sed irate dicit, uti Simo in simili re, Andr. V, 3, 18. *minue iram* cf. Hec. IV, 3, 10. „Contemnentis est dissuadere iracundiam, ubi non dicto, sed facto opus est.

89. *nisi tu properas*, cf. Ad. III, 2, 25, not. *mulierem Abducere*; cf. infra V, 3, 16.

90. *ego ill. ejiciam.* Fortius nunc erumpit; cf. v. 78.

91. *Si tu illam attig.* Cf. Eun. IV, 7, 26. *q. dign. est lib.* sc. attingere. Solet infinitivus post suum verb. omitti. v. Sanct. Min.

92. *Dicam etc. dixi.* Utrumq. verb. Phormio reddit Demiphoni cum irrisione. Effuderat enim ille, *ego ill. ejiciam. dixi.* Tum hic, *tibi impingam grandem. dixi.* [Est autem *Dicam* comminantis, ut *edico*, Eun. IV, 7, 36.] *grandem.* Suppresso nomine vel causam, vel pugnam vel hujusmodi quid.

93. *Si qu. op. f.* Andr. IV, 3, 13. 21. *domo me* sc. evoca Andr. III, 3, 47. IV, 2, 30. 31. Bene discedit, ne forte infringeretur superior comminatio."

## ACTUS II. SCENA 4.

### DEMIPHO. GETA. HEGIO. CRATINUS. CRITO.

*De.* Quanta me cura et sollicitudine afficit [a])
Gnatus? qui me et se hisce impedivit nuptiis.
Neque mihi in conspectum prodit, ut saltem sciam,
Quid de hac re dicat, quidve sit sententiae.
Abi [b]), vise, redieritne jam, an nondum domum.
*G..* Eo. *De.* videtis, quo in loco res haec siet.
Quid ago? dic, Hegio. *H.* ego? Cratinum [c]) censeo,
Si tibi videtur. *De.* dic, Cratine. *Cra.* mene vis?

a) C. G. m. et mss. We. *affecit.* b) C. G. m. *tu Geta.* c) C. G. m. sup. scr. *judicare.* Ibid. in marg. *advocatos alloquitur.*

„Haec deliberativa est, in qua tres advocati sunt: quorum unus suadet, alter dissuadet, tertius, qui se alterutri addere debuisset, ejusmodi sententiam dicit, ut rursum deliberatione opus esse videatur.“ Do.

*Cratinus*, a κράτος robur, ut a Valens Valentinus.“ Far.

2. *impedivit*, implicuit. Andr. III, 5, 11.

3. *Neq. mihi in consp. prod.* Plaut. Bacch. IV, 9, 84. „Pudet *prodire* me ad te *in conspectum* pater.“

5. *Abi*, cf. Ad. II, 1, 13. *vise*; cf. Eun. IV, 3, 21. Sic it. Micio servum rogat de Aeschino, in Ad. I, 1.

6. *Eo*, obsequentis. *vid. quo in l. res h. sit.* Infra III, 1, 9. Itid. Plaut. Epid. I, 1, 75. „*quo in loco haec res sit, vides.*“

7. *Quid ago?* Formula consilium petentium. Sic Cic. pro P. Quint. 16. *dic Hegio.* Solennis formula, qua utebantur, qui advocatos narrare causam volebant; sed et consules, quoties senatores dicere sententiam jubebant. Briss. d. Form. *ego?* Plenius, *ego* dicam? *Cratin. censeo* sc. de sententia sua rogandum.

8. *Si tibi videtur.* Vet. formula, qua utebantur cum senatus aliquid consulib. fieri demandaret. Justinus Trogi lib. XXXI. init. „Senatus scripsit Flaminino, „*si ei videatur*, sicuti etc. *mene vis?* sc. dicere.

*De.* Te [d]). *Cra.* ego quae in rem tuam sint, ea velim facias. mihi
Sic hoc videtur. quod te absente hic filius
Egit, restitui in integrum, aequum ac bonum est [e]);
Et id impetrabis. dixi. *De.* dic nunc, Hegio,
*H.* Ego sedulo hunc dixisse credo; verum ita est,
Quot homines, tot sententiae: suus cuique mos [f]).
Mihi non videtur, quod sit factum legibus,
Rescindi posse, et turpe inceptu [g]) est. *De.* dic, Crito.
*Cri.* Ego amplius deliberandum censeo.

d) Be. male extrudit *D. Te* contra morem Poetae; cf. Hec. IV, 4, 70. e) We. p. var. *esse.* f) Codd. quid. We. *est.* Hoc id. pro gloss. in C. G. m. g) Sic l. antiq. Nam elidi lit. m, facile poterat; ut ap. Ennium -*fortis equus- Vicit Olympia nunc senio confectu' quiescit*; ubi metri causa in voce *confectus* lit. s, eliditur.

11. *restitui in integr.* Sensus, „Ut facta habeantur pro infectis, et irrita fiant.“ We. Et ICti *restitui in integrum* dicunt pro restitui in pristinum jus. Calv. Lex. Jurid. Contrarium igitur hoc illi esset, quod Phormio Demiphoni responderat, *Act. aj. ne agas.* supra 3, 7. *aequum ac bon.* est. Hoc junctum verb. judiciale est. Heaut. IV, 1, 9. Ad. V, 9, 30.

12. *impetrab.* Sub. apud judices. Argumenta hic a tribus locis petit, inde quod justum, utile et possibile est. *dixi.* Hoc verbo utebantur perorata causa. Supra 3, 92. Asconius in Prooem. Act. Verr. sub fin. „Moris, inquit, veterum fuit, cum satis visum esset fluxisse verborum, hanc sibi necessitatem finiendae orationis imponere, quod dicerent ad ultimum, *dixi.*“

13. *Ego sedulo hunc etc.* „Artificiose personam defendit sententiam reprehensurus: ne si inimicus sit, adimat auctoritatem sententiae suae.“ Do. *verum*, sed, *ita est* sc. res. Heaut. II, 3, 77.

14. *Quot hom. tot. sent.* Erasm. in Adag. „Nihil, inquit, vel hodie vulgo tritius est, quam haec Terentiana sententia, *quot homines etc.* Add. Hor. Sat. II, 1, 27.

15. *Mihi non videtur*; cf. v. 8. *quod sit. fact. leg. Rescindi etc.* Hanc sententiam suam Hegio petiit ab honesto et impossibili.

16. *Rescindi*, abrogari, aboleri, per metaphoram. Liv. 4, 7. „Judicium populi *rescindi* ab senatu non posse.“ Sic it. Cicero judicium, sive rem judicatam *rescindere* dicit, pro Cluent. 21. Contrarium enim est, *ratum esse*; cf. infra V, 7, 58. *turpe incept.* sc. a Phormione. Qui quod consilium dederit, videatur I, 2, 72 seqq.

17. *Ego ampl. delib. censeo.* Haec tertii advocati sententia est; qui formula hac utitur e judiciis deducta. Nam judices cum significare vellent, rem intricatam esse et nondum definiri posse — dicebant *amplius*, aut, non liquet. Unde ampliare est,

Res magna est. *H.* numquid nos vis [h])? *De.* fecistis probe.
Incertior sum multo quam dudum. *G.* negant
Rediisse [i]). *De.* frater est exspectandus mihi.
Is quod mihi dederit de hac re [l]) consilium, id sequar [m]).
Percontatum ibo ad portum, quoad se recipiat.
*G.* (*secum*) At ego Antiphonem quaeram, ut quae acta hic sint [n]), sciat.
Sed eccum ipsum video in tempore huc se recipere.

h) C. G. m. et Bru. C. c. gl. cad. haec *amplius morari.* i) Itid. utrobiq. gl. *famuli Antiphonem.* l) Un. Be. Cod. colloc. *de hac re ded.* m) L. antiq. *exsequar.* Hic versus fere id. est, qui in Ad. III, 4, 54. n) L antiq. *sunt.*

differre sententiam, diutius velle de causa deliberare." Brisson. de Formul. V, 4, 55.

18. *Res magna est.* Sic Plaut. Aul. IV, 10, 41. Et Virg. B. III, 54. „Sensib. haec imis, *res est non parva*, reponis." H. e. magni momenti seu majoris consilii est. *fecist. probe.* Eun. I, 2, 106.

19. *Incertior sum etc.* Dicta ratione incertiorem se factum dixit, si quidem suasit unus, dissuasit alter, contra tertius nihil dixit, quoad se recipiat, quando redeat." Eu. *dudum*, de incerto tempore, ut nuper, modo, ante.

20. *Rediisse.* Antiphonem nempe, quem conquirendum Demipho demandaverat Phaedriae supra I, 79.

21. *quod ded. consil. id sequar.*

22. *Percontatum* ibo ad port. Cf. Hec. I, 2, 1. 2. *ad port*, sc. Piraeum. *quoad* cf. supra I, 2, 98. *se recip.* sc. domum, vel redeat.

24. *Sed ecc.* Ad. V, 6, 2. *in temp.* 'Εὐκαίρως." Do. *huc se recip.* Cf. Plaut. Rud. IV, 6, 19. „*recipe te huc.*"

## ACTUS III. SCENA I.

### ANTIPHO. GETA.

*A.* (*ad semetipsum*) Enimvero, Antipho, multimodis [a]) cum istoc animo es vituperandus,
Itane [b]) hinc abisse [c]), et vitam tuam tutandam aliis dedisse?
Alios tuam rem credidisti magis, quam tete [d]), animadversuros.
Nam ut ut erant alia, illi recte, quae nunc tibi [e]) domi 'st, consuleres,
Ne quid propter tuam fidem decepta pateretur [f]) mali.
Cuius nunc miserae spes opesque sunt in te uno omnes sitae.

a) L. antiq. *multis modis.* Andr. V, 4, 36. b) Al. *te.* c) V. I. *debueras.* d) L. antiq. *te.* e) C. G. m. *tuae* pro *tibi.* f) Donatus: Legitur et *potiretur.*

„Haec scena rationem gestorum tenet, cum quaestione et obiurgatione Antiphonis in semetipsum, quod dimiserit amorem, et irritus eam quam diligebat, neq. ei ac sibi attulerit patrocinium."

1. *cum ist. animo*; cf. Andr. V, 4, 38, not. *istoc* i. e. tam parvo, tam exiguo. Omnino autem semetipsum redarguit Antipho, quod ipse suam causam fugerit atque aliis commiserit agendam.

2. *Itane hinc abisse, et etc.* Cf. Andr. I, 5, 10, not. Et vid. supra I, 4. *vitam tuam*; cf. supra I, 3, 12. et 4, 40.

3. *Alios t. rem credidisti etc.* Ab infinitivo ad indicativum transitum fecit. *credidisti* „pro putasti." Do. *animadvers.* i. e. curaturos." We. Sententiam Ennii Gellius II, 29 servavit similem hanc – „Ne quid expectes amicos, quod tute agere possies"

4. *Nam ut ut erant etc.* „Nam qualiacunq. cetera essent circa te, illi saltem auxilium ferres, quae tuae domi est." Eu.

5. *Ne quid pat. mali.* Vid. quae pater minatus erat, supra II, 1, 74. 3. 78. *propt. tuam fid. decepta*; cf. Andr. I, 5, 36.

6. *spes opesq. sunt etc.* Itid. Sallust. Jug. 114. „*Spes atque opes* civitatis *in illo sitae.*"

*G.* Equidem [g]), here, nos jam dudum hic te absentem incusamus [h]), qui abieris.
*A.* Te ipsum quaerebam. *G.* sed ea causa nihilo magis [i]) defecimus [l]).
*A.* Loquere, obsecro, quonam in loco sunt [m]) res, et fortunae meae?
Num quid patri subolet [n])? *G.* nihil etiam. *A.* ecquid [o]) spei porro 'st? *G.* nescio. *A.* ah!
*G.* Nisi Phaedria haud cessavit pro te eniti. *A.* nil fecit novi.
*G.* Tum Phormio itidem in hac re, ut [p]) aliis, strenuum hominem praebuit.
*A.* Quid is fecit? *G.* confutavit verbis admodum iratum senem [q]).
*A.* Eu! Phormio. *G.* ego quod potui porro. *A.* [r]) mi Geta, omnes vos amo.

g) C. G. m. et Hal. *Et quidem.* h) Bru. C. e. et C. G. m. gl. ead. haec, *incusamus majores*, *accusamus minores.* Quam vero explicationem Donati esse recordor, nescio quo loco exhibitam. i) Sic vulgo. In C. G. m. *minus*, c. gl. *quam si adesses.* l) V. I. *ego et Phormio.* m) Id. *sint.* n) C. G. m. in marg. *turpe est quod feci.* o) C. G. m. *etquid.* p) L. antiq. *in.* Hoc *in* posterius non est in l. Bemb. q) Sic l. Bemb. In al. *patrem.* Supra II, 2, 9. r) C. G. m. *o.*

7. *qui abieris*, h. e. propterea quod abieris.

8. *Te ips. quaereb.* Cf. Andr. II, 2, 8. *sed ea causa*; cf. Andr. II, 3, 18. „quia abieris." Do. *defecim.* sc. te. Caes. B. G. V, 53. „ut *eum* omnia *deficere* viderentur."

9. *Loquere obs. quonam etc.* Ad. III, 2, 27. *quon. in loco s. r.* Itid. supra II, 4, 6.

10. *Num q. patri subol.* Subaudi, rem ex compacto gestam, et me mea voluntate esse coactum, ut ducerem Phanium." We. Ad. III, 3, 43. Et Plaut. Cas. II, 3, 59. „*subolet* hoc jam *uxori*, quod ego machinor." *etiam*, adhuc. *ecq. spei.* Par in marg. „de retinenda Phanio." *ah*, dolentis.

11. *Nisi Phaedria haud cess. etc.* Gu. explic. Nihil aliud boni spe praecipio, nisi quod Phaedria haud cessat pro te ap. patrem tuum intercedere." *Nisi* quidam comice accipiunt pro Sed: v. Andr. IV, 1, 40. *Aliis* placet, *Nisi* est, *Nisi* quod. *nih. fec. novi.* H. e. „antiquum morem suum obtinuit." We.

12. *stren. homin. praeb.* Subaudi pronomen, se.

13. *Quid is fec.* Cf. supra I, 2, 74. *confutav.* Plaut. Truc. II, 5, 28. „Ego istos, qui me culpant, *confutaverim.*"

14. *Eu*, laudantis est. Sic Supra II, 3, 51. *omn. vos amo*, cf. supra I, 2, 4, not.

*G.* Sic habent principia sese, ut dico. adhuc tranquilla res est.
Mansurusque patruum pater est, dum huc adveniat. *A.* quid eum [s])? *G.* ita aibat [t]),
De ejus consilio velle sese facere, quod ad hanc rem [u]) attinet.
*A.* Quantum metus [x]) est mihi, venire huc salvum nunc patruum? Geta.
Nam per ejus unam [y]), ut audio, aut vivam, aut moriar, sententiam.
*G.* Phaedria tibi adest. *A.* ubinam 'st [z])? *G.* eccum ab [a]) sua palaestra exit foras.

s) V. I. *expectat.* t) Sic a Be. recepi. In l. antiq. *ut ajebat.* u) V. I. *ad uxor. tuam.* x) Sic ded. Fa. ex l. Bemb. venustius quam quod vulg. est, *Quantus metus.* y) Be. vult *de ej. una-sententia*, ut supra est, v. 17. *de ej. cons.* z) L. antiq. non hab. *est.* a) Al. *a* pro *ab.*

15. *Sic hab. princip. sese.* Supra II, 5, 32. *tranquilla res*; 16. *Mansur. patrem*, Chremetem; cf. supra II, 4, 20.

17. *De ej. cons.* pro Ex *ejus consilio.* Plaut. IV, 9, 113. „Fecisse dicas *de* mea sententia."

18. *Quant. met. est etc.* Cf. IV, 3, 3. „*Patruos* vulgo acres severosq. vitior. reprehensores faciunt Satyrici. Horat. Sat. II, 3, 87." We. *ven. h. salv. patr.* Non optat salvum patruum venire, secundum Apollodorum, sed ostendit, non congruere salutem ejus cum commodo suo." Do.

19. *aut viv. aut. mor.* Sic solent in veteri fabula amantes, ubi se amoribus ~~se~~ spoliari vident. Eun. I, 1, 21. *per ej. unam sentent.* Patruum enim solum esse suspicatur in causa, cur metuat amittere uxorem.

20. *Ph. tibi adest*; cf. Heaut. II, 3, 2. *ubin. est*, circumspectantis, Andr. V, 6, 1. *ab sua pal.* „Bene palaestram ejus dixit lenonis domum, in qua est exercitus amator assidue." Do. Atque We. not. „Proprie de loco gymnastico, ubi cursu, luctu, hasta, disco, saltu aliisq. ludis exercebantur." Virg. A. VI, 642. *Palaestra.* a *πάλη*, luctatio; vid. Paufler. ad Cornel. Epam. 2. Et Vitruvio *palaestra* est, lib. 5, c. 11. quod est gymnasium.

## ACTUS III. SCENA 2.

### PHAEDRIA. DORIO. ANTIPHO. GETA.

*Ph.* Dorio, audi, obsecro. *Do.* non audio. *Ph.* parumper. *Do.* quin omitte me [a]).

*Ph.* Audi, quid [b]) dicam. *Do.* at enim taedet jam audire eadem millies.

*Ph.* At nunc dicam, quod lubenter audias. *Do.* loquere, audio.

*Ph.* Nequeo te exorare? ut maneas triduum hoc, quo nunc abis?

*Do.* Mirabar, si tu mihi quicquam adferres novi.

*A.* Hei, metuo [c]) lenonem, ne quid suat suo capiti [d]). *G.* idem ego metuo.

a) V. I. *noli amplius loqui de hac re.* b) Ita Codd. Be. recte. In l. antiq. *quod.* c) Sic l. antiq. In Bemb. *idem ego vereor,* d) Var. mss. ap. We. al. *suo suat cap.* al. *ne aliquid suo s. c.* al. *neque suo assuat c.* Ut taceam ceteros. Be. fatetur nescire se, quid *suat* significet, in cuius locum Palmerii lection. substituit *fuat.* Placet tamen *suere capiti* ut comice dictum ac proverbialiter. C. G. m. sup. scr. *id est, ne aliquam fallaciam machinetur.* Scilicet ne dixisse Antipho videatur auditoribus: Phaedriae capiti; subito per imprecationem inflectit sermonem subjiciendo, *suo capiti,* q. d. quae res ipsi lenoni male vertat.

„Haec scena petitionem tenet, quod deliberativae saepe genus diximus, quippe cum leno peteret argentum ab adolescente, ille dilationem postulavit.“ Eu.

*Dorio,* leno, a gente, unde etiam δωριάζειν.

3. *quod libent. aud.* Contra Andr. V, 4, 17.

4. *ut maneas;* cf. Eun. III, 2, 49. 50. *triduum hoc;* cf. Ad. IV, 1, 4.

5. *Mirab. si tu mihi etc.* Andr. I, 2, 4. *quicq. adf. novi;* cf. Ad. V, 4, 2.

6. *Hei,* dolentis. *metuo lenonem ne etc.* Constructio Terent. Eun. III, 5, 62. *ne quid* sc. mali. *suat.* Leno sartor scelerum, *capiti* h. e. ne quid leno nunc avarius, gravius dolose faciat,

*Ph.* Non mihi credis? *Do.* hariolare [e]). *Ph.* sin fidem do. *Do.* fabulae!
*Ph.* Foeneratum [f]) istuc beneficium pulchre tibi dices. *Do.* logi!
*Ph.* Crede mihi, gaudebis facto; verum hercle hoc est. *Do.* somnia [g])!
*Ph.* Experire, non est longum. *Do.* cantilenam eandem canis.
*Ph.* Tu mihi cognatus, tu parens, tu amicus, tu ... [h]). *Do.* garri [i]) modo.
*Ph.* Adeon' ingenio esse duro te atque inexorabili?
Ut neque misericordia neque precibus molliri queas.

e) C. G. m. sine aspirationis nota, *ariolare*, et sup. scr. syllab. *ris*, ut sit *hariolaris*. f) V. I. *retributum*, *remuneratum*. g) L. antiq. *somnium*. h) C. G. m. *loco fratris eris*. Hoc id. gloss. esse ex al. mss. apparet. i) L. antiq. *garris*.

quod in ipsum potius auctorem recidat velim." Bi. Huic simile conf. illud in Andr. I, 1, 46. Add. Erasm. Adag. ubi proverb. hoc videmus ex Homer. Il. XVIII, 367. petitum. Inde phrasis nota est, *κακὰ ῥάπτειν τινὶ* i. e. consuere, vel construere, machinari alicui mala; v. Berndt. Lex. Homer. sub voce *ῥάπτω*. Dixit autem *suo capiti*, etiam Graecor. more, *εἰς κεφαλήν*, quasi diceret, sibi aut suo periculo, vel in suam perniciem. Hec. III, 1, 54. Et Cic. tangit. id. proverb. Attic. VIII, 5. „Multa, inquam mala eum dixisse, *suo capiti*, ut ajunt."

7. *sin. fid. do.* Itid. fere est, *firmare fidem* alicui, ut Hec. IV, 2, 5. Subaud. We. me argentum confecturum, atque tibi pro psaltria persoluturum."

8. *Foenerat. ist. benefic. etc.* H. e. magno foenore redditum. Ad. II, 2, 11. Senec. Benef. I, 1. Demus beneficia, non *foeneremur*." Jungenda sunt, *pulchre tibi foeneratum*. Nempe senties posthac, hoc benefic. tibi esse in foenore positum. *logi*. Lindenbr. ex Graec. esse notat, *λόγους λέγειν*, pro inaniter verba fundere. Non. Marcell. expon. sermones vel dicta ridicula.

9. *gaudeb. facto.* „H. l. ne te fecisse poeniteat." We. Plaut. Poen. I, 1, 69. „faciam, ut *facto gaudeas*." Infra V, 6, fin. *ver. herc. h. est.* Formula qua uti licet, ubi dictis fidem non invenis." We.

10. *non est long.* Nempe *triduum hoc* v. 4. *cantilen. eand. can.* Dictum affine alteri, „Ead. aberras chorda." v. Erasm. De eo, qui molestus est, ead. saepius inculcans. Heaut. II, 3, 19.

11. *tu mihi cogn. tu parens etc.* Cf. Ad. III, 4, 10. *tu*. Plura additurus a lenone interpellatur.

12. *Adeone ingen. esse etc.* Cf. Andr. I, 5, 10. *duro*, rigido, aspero. Deponitur *ingenium lene*, quod flecti facile possit. Heaut. I, 1, 99.

13. *Ut neq. misericordia etc.* Epexegesis superioris. *molliri.* Proprie de ingenio duro. Infra IV, 3, 27. Notanda est inprimis binorum versuum structura elegans, *Adeone etc.* *Ut etc.* cf. v.

*Do.* Adeon' te esse incogitantem atque inprudentem [l])? Phaedria,
Ut phaleratis dictis ducas me, et meam ductes gratiis [m]).
*A.* Miseritum 'st. *Ph.* (*secum*) hei! veris [n]) vincor. *G.* quam uterque est similis sui!
*Ph.* Neque, Antipho alia cum occupatus esset sollicitudine,
Tum hoc esse mi objectum malum [o]). *A.* ah, quid istuc autem est [p])? Phaedria.
*Ph.* O fortunatissime Antipho! *A.* egone? *Ph.* cui, quod amas [q]), domi 'st.
Nec cum huiusmodi unquam usus venit, ut conflictares malo [r]).

l) Sic Be. ex duob. bene. Vulg. *imprudentem.* m) Al. *gratis.* n) V. I. *verbis Dorionis.* o) Id. *cogitabat.* p) L. antiq. colloc. *est autem.* C. G. m. gl. *quod loqueris.* q) V. I. *uxor.* r) Id. *ut ego cum lenone.*

12 — 15. Qua vero diligentia concinnando sermoni adhibita factum est, ut posterior itid. fere, ut prior interrogaverat, responderet.

14. *imprud.*, h. e. ut Be. explic. rerum humanar. imperitum.

15. *phaleratis.* „comtis et fucatis." Par. A *phaleris* est desumtum, equorum et equitum ornamentis. Liv. 30, 17. Graec. voc. φάλερα v. Hesych et Suidam. *phal. dict. duc.*, h. e. quam maxime inducas, persuadeas. Andr. IV, 1, 20. Et Plaut. Capt. IV, 2, 7. Hic ille est senex *ductus*, cui verba data sunt." *duct.* Par. in marg. *Ductare* meretricium verbum atque obsoenum. Et Plaut. Capt. III, 4, 110. „*ductavit* dolis." *meam.* Ellips. v. Ad. II, 1, 44, not.

16. *veris vincor.* Dicere vult: „vera praedicat leno." Ph. I, 1, 9. *quam uterq. est simil. sui.* Haec murmurans secum memor est Geta, quam fortiter Phaedria vicissim causam Antiphonis defenderit coram patre.

17. *Neq. Antipho alia etc.* „Queritur Phaedria, sibi nihil esse praesidii in Antiphone, qui in ead. laboret Charybdi." We. *alia occup. sollicit.* Cf. Andr. V, 1, 10.

18. *Tum.* Animadverte particulas *Tum*, et quae praecedit, *cum* quae signific. eodem tempore. *mal.* Subaudi a lenone. Totum Eu. expon. ita: Vere nunc ingemisco, me hoc temp. cogi amare, quo *Antipho in al. sol. occupatus* mihi auxilium ferre non potest. *quid ist. est.* Plenius supra I, 4, 7. Ceterum imperfecta est tota oratio secum loquentis ac perturbati.

19. *O fortun. Ant.* Cf. Heaut. II, 3. *egone.* Per. interrogation. recusantis. Heaut. IV, 4, 18. *quod amas.* Eleganter pro, quam amas; cf. Eun. II, 3, 18. Et sic Plaut. Epid. V, 1, 46. „Tibi quidem, *quod ames, domi* praesto *est.*" Unde et haec Terentius sua petivit.

20. *Nec cum hujusmodi etc.* Cf. Andr. I, 1, 66. Difficillimum

*A.* Mihin' domi 'st? immo, id quod ajunt, auribus teneo lupum s).
Nam neque quomodo a me amittam, invenio; neque uti retineam, scio t).
*Do.* Ipsum istuc mi in hoc est. *A.* heia! ne parum leno sies.
Num quid u) hic confecit? *Ph.* (*ad Getam et Antiphon.*) hiccine? quod homo inhumanissimus:
Pamphilam meam vendidit. *G.* quid? vendidit? *A.* ain'? vendidit?
*Ph.* Vendidit. *Do.* quam indignum facinus! ancillam aere emtam suo.

s) Id. *qui per aures teneri non potest.* t) Hic vers. trochaicus hypercatalecticus Faerno non placet. u) Ms. Par. quint. *impurissimus.* Quod glossema videtur. Pro *Numq.* Ald. Mu. Heins. edd. *Nam quid.* mire.

sibi amorem ab impurissimo lenone esse ostendit, quem sine molestia conficere non possit. Vid. V, 4, 6. *usus venit* pro, tibi contigit." Eu. Ordo verbor. est, *cui Nec unq. us. venit ut cum h. malo confl.*

21. *Mih. domi est.* Hoc minus est interrogantis, quam leviter corigentis. *id. quod aj.* Cf. Ad. V, 7. Innuit per hoc, illud esse quod sequatur, proverbialiter dictum. *aurib. ten. lup.* Graec. adfert. Do. proverb. *τῶν ὤτων ἔχω τὸν λύκον οὔτ' ἔχειν, οὔτ' ἀφεῖναι δύναμαι.* ,,Dicitur in eos, qui ejusmodi negotio involvuntur, quod neq. relinquere sit integrum, neque tolerari possit."

22. *Nam neq. quomodo etc.* Hoc versu sententia continetur proverbii praecedentis, quam Antipho causae suae applicuit. Supra I, 3, 24. *amitt.* pro dimittam. *invenio*, video, scio. Itid. Cic. Rosc. A. 15. ,,ille, *quomodo* — confirmaret, *non inveniebat.*"

23. *Ips. ist. m. in hoc est.* ,,*Δεικτικῶς* de Phaedria haec dicit leno, q. d. hic mihi lupus est, quem neque ferre diutius, quia nihil numerat, neq. absolvere possum, quia improbe blandus est, et multa pollicendo me obtundit." We. *in hoc.* Par. explic. ,,in Phaedria." *heia*; cf. Hec. II, 2, 8, not. *ne par. leno sies.* Ellipsis est, metuis seu vereris; cf. Eun. I, 2, 104. Plenior haec locutio Plaut. Pers. IV, 6, 4. ,,*Ne* non sat *esses* leno, it metuebas miser." Sensus mihi est, Satis te lenonem h. e. improbum, avarum esse ostendis. Etenim ad vulgus lenonum respicitur, ac sumitur persona pro morib. ipsius.

24. *Numq. h. confec.* sc. mali. Supra v. 18. Et Plaut. Most. II, 98. ,,*confeci* malum."

26. *Vendid.* Par. suppl. ,,militi." Infra v. 46. 47. *quam ind. fac.* ,,Haec leno ad spectatores conversus sarcastice dicit." We. *aere suo.* Cf. Hor. Serm. II, 3, 129. ,,servosq. *tuo* quos *aere* pararis." Et *suo* eleganter pro, meo.

*Ph.* Nequeo exorare, ut me [x]) maneat, et cum illo [y]) ut mutet fidem
Triduum hoc, dum id, quod est promissum, ab amicis argentum aufero.
Si non tum dedero, unam praeterea horam ne oppertus sies.
*Do.* Obtundis [z]). *A.* haud longum est [a]) quod orat, Dorio! exoret sine.
Idem hoc [b]) tibi, quod bene promeritus fueris, conduplicaverit.
*Do.* Verba istaec sunt. *A.* Pamphilamne hac urbe privari sines?
Tum praeterea horunc [c]) amorem distrahi poterin' [d]) pati?
*Do.* Neque ego, neque tu. *G.* (*indigne effert*) Di tibi [e]) omnes id quod est dignum [f]) duint.
*Do.* (*ad Phaedr.*) Ego te complures advorsum ingenium meum menses tuli,
Pollicitantem, nil ferentem, flentem; nunc contra omnia haec [g]),

x) C. G. m. et Hal. *me* non hab. y) V. I. *cui vendidit.* z) C. G. m. et Hal. *Obtunde.* a) L. antiq. *id.* b) Al. *hic* pro *hoc.* c) L. antiq. *horum.* C. G. m. in marg. *Phaedriae et Pamphilae.* d) Al. *potero.* e) C G. m. *te* pro *tibi.* f) Ms. Graev. *quod es dignus.* g) Abest *haec* a C. G. m. Necesse est haec verba serie una

27. *Neq. exor. ut me etc.* Cf. supra v. 4. *et cum illo ut mut. fid.* Est enim *mutare fidem cum* aliquo q. d. fidem alicui datam fallere. Plaut. Pseud. I, 3, 141. „perdere" pro *mutare fidem.*

28. *Triduum hoc.* Vid. supra v. 4. *ab amic. arg. auf.* Cf. Heaut. IV, 8, 9.

30. *haud long. est.* sc. tempus. Supra v. 10. *exor. sine.* Andr. V, 3, 30.

31. *Id. hoc tibi etc.* Haec fere ead. Phaedria dixerat, v. 8. Verb. *promereri* in utramq. part. accipi solet, ut Ovid. Trist. I, 2, 61. Id. Pont. II, 3, 96. *conduplic.* Lucret. III, 71. „*conduplic.* divitias."

32. *Verba.* Supra v. 8, λόγοι. Sic Plaut. Pseud. I, 3; 27. it. leno adolescenti „mortua re, inquit, *verba* nunc facis." Ceterum *verba* pro re dare mendaces debitores dicuntur.

33. *distrahi poterisne pati.* Cf. Hec. III, 5, 42.

34. *Neq. ego neq. tu.* Intellige, in causa sumus; aut, quod antecesserit, poterimus pati. Ita culpam confert in Phaedriae inopiam. *int. duint* pro dent.

35. *advors. ingen. meum*; cf. Eun. IV, 7, 42. Da. „contre mon naturel."

36. *nihil ferentem* sc. argentum idq. promissum, v. 28.

Reperi qui det, neque lacrumet: da locum melioribus.
*A.* Certe hercle ego si satis commemini, tibi quidem est olim dies,
Quoad dares [h]) huic, praestituta. *Ph.* factum. *Do.* num ego istuc nego?
*A.* Jam [i]) ea praeteriit? *Do.* non; verum haec ei antecessit. *A.* non pudet
Vanitatis? *Do.* minume, dum ob rem. *G.* sterquilinium [l]). *Ph.* Dorio,
Itane tandem facere oportet? *Do.* sic sum: si placeo, utere.

continuari. Falso igitur Par. *nunc. contra, omnia haec* virgula interposita distinxit. h) Ita Be. ex uno c. Vulg. *Quam ad* per anastrophen. i) Quid. mss. *Jamne.* l) C. G. m. *sterciliniun*, in contextu; in marg. *te dico esse, convicium in Dor. et antique pro sterquilinium dixit.* Be. ex veterr. C. *sterculinum* edid. quadrisyllab.

37. *neq. lacrumet.* Acerbe hoc dictum in comparatione militis. *da locum*, cede. *meliorib.* Ditiores in honestis dicuntur *meliores.*

38. *ego si satis etc.* „Si satis in memoria teneo, praestituta dies est, in quam diem pecuniam huic dares." Eu.

39. *Quoad.* Vox Terentio solemnis; cf. Index. Itid. Plaut. Pseud. II, 2, 28. „argento haec dies Praestituta est, *quoad* referret nobis." *fact.* Cf. Eun. IV, 4, 40. *num. ego ist. nego.* Impudenter concedit.

40. *Jam ea* sc. praestituta dies. *haec ei antecess.* Est enim *haec dies*, qua ipsa hoc dicit, proxima ante praestitutam. Ita Sallust. Jug. 113. „Nocte ea, quae proxima fuit ante diem." *ei.* Nempe praestitutae. haec responsio, *antecessit*, comica vel ridicula fit, quia ille interrogaverat, *praeteriit*?

41. *Vanitatis*, h. e. mendacii, perfidiae, de non servata tridui promissi fide. Vid Cic. p. Quint. 6. *minume* sc. pudet. *dum*, pro dummodo. Cic. Attic. VI, 1. *ob rem* Par. explic. lucrum." Sallust. Jug. 31. „id frustra, an *ob rem* faciam, in vestra manu situm." *sterquilin.* coenum. Itid Plaut. Pseud. I, 3, 131. ubi Taubm. *sterquilinium* hoc Terentii allegat, additq. notam: gr. κόπριος ἀνήρ. Vid. Schwabe ad Phaedr. III, 12, 1. Et Columell. I, 6. Sed id. convicium patet ex Plaut. Cas. I, 1, 26. „Ex *sterquilinio* effosse, tua etc.

42. *sic sum.* Eod. sensu in Andr. V, 4, 16. „Et satis ille ostendit, se non parum esse lenonem, cui nihil praeter pretium dulce est." Eu. *sic sum.* Q. d. hoc ingenio, his morib. sum. *si placeo utere.* Huic conf. Horatianum illud, Ep. I, 6, fin. *utere.* Explic. Ru. „vive, versare mecum." Nisi potius me vel opera mea supponatur, ut infra extat *Mea lege utar*, v. 48.

*A.* Siccine hunc decipis? *Do.* immo enim vero hic, Antipho, me dicipit [m]).
Nam hic me huiusmodi esse sciebat; ego hunc esse aliter credidi.
Iste [n]) me fefellit; ego isti nihilo sum aliter ac fui.
Sed ut ut haec sunt, tamen hoc faciam: cras mane argentum mihi
Miles dare se [o]) dixit. si mihi prior tu adtuleris, Phaedria,
Mea lege utar; ut sit potior [p]), prior [q]) ad dandum qui est. vale.

m) Al. *decepit.* n) L. antiq. *is.* C. G. m. in marg. *promittendo non dando.* o) Id. invert. *se dare.* p) C. G. m. colloc. *pot. sit.* q) Vocem *prior* emphaticam Be. anteire jubet. Vulg. *qui prior.*

44. *Nam.* Inceptiva particula, quae simul explicandi causa ponitur. *hic me hujusmodi etc.* „Sciebat me lenonem esse perjurum, et perniciem adolescentium; ego credidi hunc esse fide dignum et promissis stantem.“ We.

45. *sum alit. ac fui*; cf. Andr. III, 5, 13.

46. *ut ut haec sunt*; cf. supra I, 4, not. *cras mane.* Vide avarum lenonem, qui jam *mane* praestitutae diei argentum exspectat.

47. *dare se.* „Enallage temporis pro daturum.“ We. *adtul.* Cf. Heaut. II, 11.

48. *Mea lege utar.* „Id lenonis, apud quem semper commodum prius.“ Eu. *ut sit potior.* Subaudi, ad ducendam. *potiorem* esse, de amantib. it. Tibull. I, 69. *vale*, abeuntis, uti Eun. V, 8, 64.

## ACTUS III. SCENA 3.

### PHAEDRIA. ANTIPHO. GETA.

*Ph.* Quid faciam? unde ego nunc a) tam subito huic argentum inveniam? miser,
Cui minus nihilo est; quod, si hinc b) pote fuisset c) exorarier
Triduum hoc, promissum fuerat. *A.* itane hunc patiemur, Geta,
Fieri miserum? qui me dudum, ut dixti, adjurit d) comiter.
Quin cum opus est, beneficium rursum ei experimur e) reddere?
*G.* Scio equidem hoc esse aequum. *A.* age vero, solus servare hunc potes.

a) Al. *nunc ego.* b) Sic Be. pro *hic* vulg. c) Sic Be. ex uno c. Pro *pote fuiss.* vulg. *potuisset.* d) Sic Be. ed. auctore Mu. ut Ennius ap. Cic. de Senect. *adjuro* pro adjuvero. In l. antiq. *adjuverit.* Inde Fa. per unum, u, *adjuerit.* e) Sic Fa. In l. antiq. *experiamur.*

„Consultatio de pecunia, ut amissae postea triginta minae plus turbae faciant." Et Do. oeconomiam inesse putat ad futurum exitum Comoediae.

1. *unde argent. inven.* Cf. Heaut. II, 3, 88. *tam subito.* Nempe *cras mane*, ut supra 2, 46. Est autem *argent. invenire* comice dictum Terentio ac Plauto.

2. *minus nihilo.* Hyperbole. Heaut. II, 3, 136. *quod*, argentum. *hinc*, ab hoc lenone. Ad. III, 3, 7. *pote fuiss.* Cf. Heaut. IV, 1, 46.

3. *promiss. fuer.* Nota transacto demum hoc triduo. Adde quod id. rogaverat, supra 2, 28.

4. *ut dixti.* Supra I, 11. *comiter*, sine dolo malo; v. Cic. p. Balb. 16.

5. *Quin experim.* *Quin* cum indicativo v. Ind. *experimur*, nitimur, conamur.

6. *esse aequ.* Cf. Heaut. I, 1, 104. *age vero*, ut, age sis; cf. Cic. p. leg. Man. 14. Utrumq. transitioni servit.

*G.* Quid faciam? *A.* invenias [f]) argentum. *G.* cupio; sed id unde, edoce.
*A.* Pater adest hic. *G.* scio; sed quid tum? *A.* ah, dictum sapienti sat est.
*G.* Itane [g])? *A.* ita. *G.* sane hercle pulchre suades. (*ad Phaedriam*) etiam tu hinc abis?
(*ad Antiphon.*) Non triumpho, ex nuptiis tuis si nil [h]) nanciscor mali,
Ni etiam nunc me huius causa quaerere in malo jubeas malum [i])?
*A.* (*ad Phaedr.*) Verum hic dicit. *Ph.* quid? ego vobis, Geta, alienus sum? *G.* haud puto.

f) Mu. We. *inveniamus.* g) Al. *dicis.* h) Fa. ed. *nihil* quod monosyllab. esse dicit. i) C. G. m. ut l. antiq. *crucem.* Do. autem *malum* legisse Be. existimat, ut infra v. 22.

7. *edoce.* Plus valet *edocere* quam docere. Vid. Sallust. Cat. 48, ibi Cort.

8. *Pat. ad. hic.* Sic Andr. II, 3, 29. *dict. sap. sat. est.* Ex Plaut. Pers. IV, 7, fin. expressum. Et v. supra IV, 2, 4, not.

9. *Itane.* Plenius hoc in Hec. III, 4, 4. *pulchre suades.* Scilicet satis intellexerat Geta dicentem, *dict. sapienti sat. est*, h. e. patrem esse emungendum argento. *et. tu h. ab.* Cf. Eun. IV, 7, 29.

10. *Non triumpho.* Itid. Syrus in Heaut. IV, 2, 5. *ex nupt. tuis.* Sc. quod et quomodo Antipho duxerat Phanium. De quo ipse hic secum locutus est, supra I, 2. seqq. *nih. nancisc. mali.* Antiphrasis comica. Nam bonum *nancisci* dicunt, non *malum.* Quid *malum* sit, quod servor. generi metuendum, vid. ad Eun. V, 5, 27. Et sensum totius Far. capit hunc. ,,Non sufficit tibi, quod *ex nupt. tuis* certum malum mihi imminet; nisi *etiam hujus*, cognati tui, *causa quaerere me jubeas in malo*, quod malorum ultimum est, crucem.“ Mihi tamen altera placet explicatio haec: tu me *in malo* propter te mihi contrahendo, *quaerere* jubes aliud *malum*, quod item Phaedriae causa commerui. Ad haec meminimus, quam valde sibi doluerit Geta, munere magistri in utrosq. juvenes male defunctus. Supra I, 2, 23. 24.

12. *Ver. hic dic.* Cf. Hec. I, 2, 56. *alien. sum.* Itid. Demea in Ad. I, 2, 57. Sed quo sensu hic? Non sufficit Ruhnkenii explicatio quae est: *alienus* est, quocum nulla nobis intercedit amicitia.“ Nam his explicat ille, non tam quid sentiatur ab utroq. dicentium, sed magis, quid denotetur verbo ipso. Atqui haec mihi Phaedria sentire videtur: Non ita *alienus* vobis sum, ut plane nihil mali propter me pati sustineatis. Ad quae tum Geta, v. 13: minime *parum* mali esse id, quod *omnib.* sibi *senex* succenseat. Antea vero id. humaniter responderat, *haud puto* scilicet, *alienum* te esse nobis.

Sed parumne est? quod omnibus nunc nobis succenset senex,
Ni [l] instigemus etiam, ut nullus locus relinquatur preci.
*Ph.* Alius ab oculis meis illam in ignotum hinc abducet locum? hem,
Tum igitur dum licet [m], dumque adsum [n], loquimini mecum, Antipho,
Contemplamini me. *A.* quamobrem? aut quidnam facturu 's [o]? cedo.
*Ph.* Quoquo hinc asportabitur terrarum, certum est persequi,
Aut perire. *G.* Di bene vortant; quod agas! pedetentim [p] tamen.
*A.* Vide si quid opis potes adferre huic. *G.* si quid! quid? *A.* quaere, obsecro,
Ne quid plus minusve faxit; quod nos post pigeat, Geta.

l) C. G. m. *Ne.* m) L. antiq. *Dum igit. diem lic.* Un. C. veterr. Be. *Tum igitur* et cett. o. Fa. pro *diem* hab. *dum.* n) C. G. m. scr. *assum.* o) Id. *es factur.* p) Var. script. *pedetempt.* ap. Non. *pedetemt.*

13. *nob. succens. sen.* Cf. Andr. II, 6, 17. *senex*, Demipho.

14. *Ni instig. etiam.* Hoc it. Andr. IV, 2, 9. *ut null. loc. etc.* Cf. Andr. III, 4, 22. Par. in marg. „pro Antiphone."

15. *Al. ab ocul. meis etc.* Hoc fere modo Aeschinus in Ad. IV, 5, 20. et ibid. v. 34.

16. *dum licet.* Subaudi, mecum loqui. *dumq. ads.* „Ita loquitur, quia mox dicturus erat, se persecuturum amicam esse." We. *Antipho.* Hunc solum compellat, quemadmodum modo Getam, quorum tamen intuetur utrumque.

17. *Contemplamini*; cf. supra I, 4, 32. *Contempl. me.* „Tanqu. nunc ultimum allocuturi et visuri." Far.

18. *Quoquo huic asportabitur etc.* sc. amica. Sic Plaut. Merc. V, 2, 16. „*certa re'st.* Me usque quaerere illam, *quoquo hinc* abducta est gentium." Valet autem *asportab.* pro *absportab.* Vid. Cornel. Themist. 2, ibi Fischer in nott.

19. *Aut perire.* Maxime commotius loquitur. Eun. I, 1, 21. *pedetent. tamen.* „Omnia tenta, omnia experire, ne aut plus aut minus facias." Eu. Vulgo putant, ironice loqui Getam.

20. *si quid! quid?* Reddit verba Antiphonis, *si quid.* Rogando enim ostendit, ipsum se quid opis ferat nescire.

21. *Ne quid plus min. fax.* Sic Plaut. Capt. V, 3, 18. Huc pertinet, explicandi causa, Liv. 3, 34. „atque in medium, *quid* in quaque re *plus minusve* esset." Hec. V, 1, 3, 4. *post.* adverb. ut Ad. V, 9, 25. Hec. IV, 4, 78.

*G.* Quaero: salvus est, ut opinor; verum enim metuo malum.
*A.* Noli metuere: una tecum bona, mala [q]) tolerabimus.
*G.* Quantum opus est tibi argenti? eloquere. *Ph.* solae triginta minae.
*G.* Triginta! hui, percara 'st [r]), Phaedria. *Ph.* istaec [s]) vero vilis est.
*G.* Age, age, inventas reddam. *Ph.* ó lepidum [t])! *G.* aufer te [u]) hinc. *Ph.* jam opu 'st, *G.* jam feres.
Sed opus est mi Phormionem ad hanc rem adjutorem dari.
*A.* Praesto 'st: audacissime oneris quidvis impone, et feret [x]).
Solus est homo amico amicus. *G.* eamus ergo ad eum ocius [y]).

q) Codd. Be. *malaque.* r) V. I. *puella.* s) Sic l. antiq. Al. *ista.* Al. *istoc* sc. pretio. t) C. G. m. ut l. antiq. *caput.* Abest a Bemb. u) Fa. *aufer te hinc.* At Be. ex trib. Codd. *auferte.* absolute, ut Ad. V, 8, 14. Sed ego exhib. divisim *aufer te*, ad Phaedriam solum referend. qui nimis exsultans a complexu Getae discedere jubeatur. x) Al. *ferat* omisso *et.* y) Add. al. mss. *Ph. Abi, dic, praesto ut sit domi.* Quae vero Fa. ut sudititia delevit. Adsunt quidem in C. G. u. ubi integrum constituunt versum. Par. huic versui apponit. Inserit additamentum Lindenbr. post vers. nostr. 27. C. G. m. cum Bru. C. e. post *ocius.*

22. *Quaero.* Possit subaudiri, consilium; cf. Andr. IV, 2, 19. *salv. est*; cf. Eun. V, 6, 9. Far. not. „Εὕρηκα, jam inveni quod illum salvum faciat." *ver. enim met. mal.* Da vert. „mais je crains pour ma peau."

23. *una tec. b. m. tolerab.* Cf. Ad. III, 4, 50. Sic Virg. A. II, 709. „unum et commune periclum, Una salus ambobus erit." *bona mala:* Contraria haec eleganter sibi invicem opponuntur. Ad. V, 9, 33. Propterea lectio *malaque* nobis displicet.

24. *solae trig. minae*, non plus.

25. *ist. vero vilis est.* „Amatoris animo pretium non credit pro ea magnum esse quam diligebat." Eu.

26. *inventas* sc. minas. *o lepid.* Cf. Ad. V, 9, 9. *auf. te.* Duae voces sunt; nam dicitur auferre se, Plaut. Rud. IV, 3, 95. pro se amovere.

27. *ad hanc rem.* Intellige, ad conficiendum argentum.

28. *oneris quidv. impone*; cf. Andr. V, 3, 26.

29. *Sol. est h. am. amic.* Sic Plaut. Bacch. III, 2, 2. „*Homini amico*, qui est amicus etc." Id. Mil. III, 1, 65. „non invenies alterum, qui *amicus amico* sit magis."

*A.* Numquid est, quod opera mea vobis opus sit? *G.* nil; verum [z]) abi domum,
Et illam miseram, quam ego nunc intus scio esse exanimatam metu,
Consolare. cessas? *A.* nihil est, aeque quod faciam lubens.
*Ph.* Qua via istuc facies? *G.* dicam in itinere [a]): modo te hinc amove.

z) Un. ms. We. *vero.* a) Be. vult. *itere* antique, ut Heaut. II, 3, 30.

30. *abi dom.* Cf. Ad. IV, 5, 65. Impedimento est autem ille, quem Geta consilii sui minime vult participem. Andr. IV, 2, 24.

31. 32. *Et ill. mis. int. Consolare*; cf. Ad. III, 3, 55. ibid. 5, 1. 2. H. l. Geta nihil aliud admonet Antiphonem, quam quod is ipse secum dixerat, eand. suam uxor. miseratus; vid. supra I, 1 seqq. *quam scio esse ex anim. metu*; cf. Andr. I, 5, 16. *nih. est aeque quod.* Supple, quam illud, videlicet consolari meam.

33. *Qua via*, s. ratione. Hec. I, 1, 16. *istuc*, sc. ut *minas triginta* mihi invenias; cf. v. 26. *dic. in itin. Iter* etiam de brevi via intra ips. urbem usurpatur. Plin. Paneg. 76. *iter* illi saepius in forum: ubi v. Schwarz. *modo te hinc amove.* Similiter Andr. IV, 2, 24.

---

# ACTUS IV. SCENA 1.

## DEMIPHO. CHREMES.

*De.* Quid? qua profectus causa hinc [a]) es Lemnum? Chreme,

a) V. I. *ab hac civitate.*

„In hac scena narratio itineris et reversionis simplicem continet expositionem, quomodo praeterito tempore senes fecerant pactum, ut filiam Chremetis uxorem duceret filius Demiphonis etc.“ Eu.

1. *Quid? qua profectus etc.* Similit Plaut. Bacch. II, 3, 15. „*Quid* hoc? *qua causa* eum *hinc* in Ephesum miseram.“ *Lemnum.* Supra I, 2, 16. *Lemnus* est insula una e Cycladibus.

Adduxtin' tecum filiam? *Ch.* non. *De.* quid ita non?
*Ch.* Postquam videt me ejus mater esse hic diutius,
Simul autem non manebat aetas [b]) virginis
Meam negligentiam [c]); ipsam cum omni familia
Ad me profectam esse [d]) aibant [e]). *De.* quid illic tamdiu,
Quaeso, igitur commorabare? ubi id audiveras [f]).
*Ch.* Pol me detinuit morbus. *De.* unde? aut qui? *Ch.* rogas?
Senectus ipsa est morbus [g]). sed venisse eas
Salvas audivi ex nauta, qui illas vexerat.
*De.* Quid gnato obtigerit me absente, audistin'? Chreme.
*Ch.* Quod [h]) quidem me factum consili incertum facit.
Nam hanc conditionem si cui tulero extrario [i]),

b) Id. *quia jam apta erat nuptiis.* c) I. *Meam ob neglig.* d) V. I. *huc Athenas.* e) Fa. scr. *ajebant* dissyllab. Be. *aib.* et sic ubiq. locor. f) Multi libb. *audieras.* Ita etiam C. G. m. cum sup. scripta syllaba, *ve*, ut sit *audiveras.* g) Cod. Hal. *Senect. ipsa morb. est.* Hic ordo Terentii esse videtur, vocula *est* plerumq. finientis. h) „Arbitror ex *Quod* elidi, d, ut brevi remanente ea syllaba primus pes sit anapaestus.“ Fa. i) Mu. ex antiquis *extraneo.* Sic it. al. mss. At plurimi exhib. *extrario.* Hoc Mu. quidem quasi minus latinum respuit, quod Ru. invenit, Festo praeeunte, ex optim. mss. probatum.

3. *ejus*, Phanii, nuptae Antiphoni. *hic*, Athenis.

4. *Simul.* „Ad haec, praeterea.“ We. *maneb.* Par. in marg. „exspectabat.“ Supra III, 2, 4. 27.

5. *Meam neglig.* h. e. cunctationem meam, usque dum Athenas eam arcesserem. *cum omni fam.* Cf. Ad. I, 2, 9. III, 4, 35. Vix serio dicit, *cum omni familia*, cum audivimus supra I, 2, 48, neminem Phanio, qui funus matris adjutaret, extra unam aniculam adfuisse.

6. *Ad me prof. esse aib.* „Ἀνακόλουθον pro, Ad me profecta esse dicebatur.“ Do.

7. *Quaeso.* Cum indignatione quad. loquitur, quippe qui opinatur, hac commoratione factum esse, ut filius interea nuptiis illis implicaretur. *ubi id audiv.* sc. mulierem esse cum filia profectam Athenas.

8. *me detin. morb.* Cf. Eun. II, 2, 49. *unde* sc. ortus est. *qui* morbus? *rogas?* Sic solent, quos quasi poeniteat responsionis.

9. *Senect. ipsa est morb.* Itid. Apollodorus, τὸ γῆρας ἐστιν αὐτὸ νόσημα.

12. *me cons. incert. facit*; cf. Andr. II, 3, 16. Hec. I, 2, 46. *factum* sc. nuptiarum; vid. Rt.

13. *hanc condition.* Par. in marg. h. e. nuptias filiae clam ex

Quo pacto, aut unde mihi sit, dicundum [l]) ordine est.
Te mihi fidelem esse aeque atque egomet sum mihi
Scibam [m]). ille, si me alienus adfinem volet,
Tacebit [n]), dum intercedet familiaritas;
Sin spreverit me [o]), plus, quam opus est scito, sciet;
Vereorque, ne uxor aliqua hoc resciscat mea.
Quod si fit [p]), ut [q]) me excutiam [r]) atque egrediar domo,
Id restat: nam ego meorum solus sum meus.

l) Sic edd. Fa. Par. al. antique pro *dicend.* m) C. G. u. *Scieb.* Sed *Scib.* l. Bembini expedit versum. n) V. I. *in accipiendo filiam meam.* o) Id. *denudando meum facinus.* p) Ms. Par. tert. *sciet* perperam. At ego mallem, si per Codd. liceret, *siet* vel *sit*; quippe quae periphrasis esset Nostro valde familiaris. q) L. antiq. *uti.* r) Do. notat, „Legitur et *excutiat.*" Quam variam lect. Donati Schmiederus fovet. Ego non. Nam conjunctio *atque* constructionem continuat. Et inde sequitur, ut si *excutiat* vera esset lectio, Terentius sane scripsisset, pronomine addito, *ego egrediar.* Par. p. var. *excrucias* depravate.

uxore Lemnia susceptae." Vid. Lex. Plaut. *conditio.* Valet autem, *ferre conditionem*, pro offerre. Caes. B. G. IV, 11. „ea *conditione* quae a Caes. *ferretur.*" Itid. Cic. Phil. VI, 1. Praeterea *conditio* de collocanda filia usurpatur. Liv. III, 45. „sibi *conditionem* filiae quaerendam esse." *extrario* i. e. alieno s. nulla nobis cognatione conjuncto. Festus *extrarium* exponit esse, qui extra focum jusq. nostr. ad sacramentum versetur. Et Sueton. Vespas. 5. „canis *extrarius* i. e. alienus.

14. *mihi sit.* Subaudi, illa suscepta. *dicend. ord. est.* Eun. V, 4, 48.

15. *Te mihi fidelem*; cf. Andr. III, 1, 2. *aeque atqu. ego*; cf. Andr. IV, 2, 19. Vult dicere, In te longe aliter esset quam in *extrario*, si nimirum gnata mea tuo filio jungeretur.

16. *si me alien. adfin.* sc. sibi. Ad. V, 8, 25. Et ex Hec. II, 1, 14. recte addos, esse. Sensus, Si quis me socerum sibi esse volet.

17. *Tacebit.* Da. „gardera le secret." *dum interced. familiar.* „quousq. familiaritatis copuletur." Eu. *Taceb.* I. Rhenius: sc. hoc factum meum de ortu filiae."

18. *Sin spreverit*, contemserit, fastidierit. *plus sciet.* Tum conscius ille huius secreti valde mihi nocebit.

19. *aliqua* sc. via seu *aliqua* ex parte. Haec ellipsis praet. alios Livio usitata. *ne ux. h. resci sc. meu.* Peccatum scilicet aut factum meum de Lemnia uxore. Locutio ipsa est Plauti, Asin. III, 3, 152. „*ne uxor resciscat* metuit." Chremes enim merito timet, unde sub exitum Fabulae magna turba existat.

20. 21. *Quod si fit, ut etc.* Ordo est, *Quod si fit, Id restat, ut me excut. atque etc.* Est quidem, *se excutere*, sine exemplo scriptorum. Veruntamen Ru. explicat, „ut me ejiciam domo,"

*De.* Scio ita esse, et istaec mihi res sollicitudini 'st;
Neque defetiscar s) usque adeo t) experirier,
Donec tibi id, quod pollicitus sum, effecero.

s) L. Bemb. *defitisc.* In C. G. m. *defecisc.* quasi ex deficio corruptum. Sed Ea. probatur *defetisc.* ex l. antiquo. Ad hoc v. Priscian. lib. x. t) C. G. m. *ego* pro *adeo.* Al. *unquam* omisso *ego* leg. et collocant, *Neq. adeo def. unq. exper.* Alii aliter.

ex Cic. Phil. II, 2, 22. dicente: „Consules ex Italia *excussos.*" Vid. Broukhus. ad Tibull. II, 6, 12. *meorum.* Expon. quidam, domesticorum, aut eorum, qui partium sunt nostrarum. At ego putem significari, bonorum seu fortunarum, quas suas Chremes nullas habeat nisi uxoris; id quod ita esse ipse infra 3, 74. seqq. satis declarat. Sic fere it. Eu. „illa dives est, ego pauper." *solus sum meus* h. e. mei arbitrii. Nam *solus* est, qui ab aliis destituitur. Andr. I, 5, 55.

22. *res sollicitudini est*; cf. Andr. II, 6, 9. 10.

23. *Neq. defetisc.* Cf. Hec. III, 4, 29. *experiri.* Andr. II, 1, 11. „Neque lassabor semper tentare." Eu.

24. *id quod tibi pollicit. sum.* „Intelligit filii sui cum filia fratris nuptias." We.

---

# ACTUS IV. SCENA 2.

## GETA.

Ego hominem callidiorem vidi neminem,
Quam Phormionem. venio a) ad hominem b), ut dicerem,

a) Schmied. et Bo. pro *venio* edd. *veni*, nullius, quantum scio, codicis auctoritate adjuti. b) V. I. *Phormionem.*

„Haec scena expositionem tenet, quod cum Phormione actum sit: nempe ut argentum quaereretur, quod lenoni ferri posset pro Phaedria: ut Phaedriae se ostendat Phormio nihilo minus amicum esse, quam Antiphoni.

1. *Ego hominem etc.* Exsultantis sunt verba. Sic Davus in Andr. V, 2, 3. *callidiorem.* Contra Plaut. Epid. III, 3, 37. „minusq. ad hanc rem callidum"

2. *ad homin.* Venuste et comice *hominem* repetit. *venio ut*

Argentum [c]) opus esse, et id quo pacto fieret.
Vixdum dimidium dixeram, intellexerat.
Gaudebat, me laudabat, quaerebat senem [d]),
Dis [e]) gratias agebat, tempus sibi dari,
Ubi Phaedriae ostenderet nihilominus
Amicum se [f]) esse, quam Antiphoni. hominem ad forum
Jussi [g]) opperiri: ego me esse adducturum senem [h]).
Sed eccum ipsum! quis est ulterior [i])? at at, Phaedriae [l])
Pater [m]) venit. sed quid [n]) pertimui autem? bellua [o])!
An quia, quos fallam, pro uno [p]) duo sunt mihi dati?

c) Sic I. Bemb. „Antiqui enim *opus esse*, etiam cum accusativo jungebant.“ Fa. Miror hanc Faerni monitionem, in constructione, quae h. l. est accusativi c. infinitivo. Leg. in l. antiq. aliisq. mss. *argento*. d) V. I. *Demiphonem*. e) Id. *Diis*. f) Sic Be. pron. *se* colloc. e Cod. Reg. huc reductum. Vulgo ponitur post *Phaedriae* v. 7. g) I. *Jussu*. h) V. I. *nostrum Demiphonem*. i) Pro *ulterior* Gu. *interior* nimis argute. V. I. *senex posterior*, *qui post illum graditur*. l) Be. vult *Phaedriäi*, graece sic scriptum. At vero est terminatio, ae, pro, äi, latine diu recepta. m) Ex *Pater* Fa. r, jubet elidi, ut versus sustentetur. n) V. I. *secum*. o) C. G. u. et Hal. *belua* per unum, l. Et sic edd. Fa. Par. Be. al. Sed Mu. cett. consuetudinem secuti per duo. p) V. I. *sene*.

*dicerem*. Haec temporum consecutio nobis quidem minus latine poterit videri, sed Comico poetae non ita. Ac temeritatis esset ex norma consueta mutare, *veni ut dicerem*. Vid. Sanct. Min. de modd. et tempp. verbor.

3. *fieret* pro confici posset. Verb. *fieri* urgetur in hac re, ex Sallust. „Quae pecunia *facta* erat.“

4. *Vixd. dimid. dix. intellex.* In Phormione igitur verum, quod supra dicebat Antipho, *dict. sapienti sat*, III, 3, 8.

5. *Gaudeb. laudab. quaereb.* De usu imperfectorum hoc constat, tunc temporis adhiberi, cum interea aliud quidquam agatur. Huc conf. ex Andr. I, 1, 32. 33. it. Eun. III, 5. 39.

6. *temp. sibi dari.* Hoc fere sensu Liv. I. 46. „crescendiq. in curia *sibi occasionem datam* ratus est.“

7. *Ubi*, Quo tempore. *nih. min. quam* pro aeque ac.

8. *Amic. Antiph.* Cf. supra III, 3, 29.

9. *ego me esse etc.* Subaudi, ego dicebam.

10. *Sed ecc. ips.* Cf. Ad. V, 6, 2. *quis est alter*. h. e. quis est praeter eum ille alter?“ Bi.

11. *Pat. ven.* Par. in marg. „*Ex Lemno rediit.*“ *bellua*, „convicium in se ipsum.“ We. Et Plaut. Trin. IV, 2, 109. „nae tu, me aedep. arbitrare *beluam*.“

12. *An quia.* Ordina ac supple, *An* propter id *timui*, *quia*.

Commodius esse [q]) opinor duplici spe utier.
Petam hinc unde [r]) a primo institui. is si [s]) dat, sat est;
Si ab eo nihil fiet [t]), tum [u]) hunc adoriar hospitem.

q) Ms. Graec. *est* pro *esse.* Hunc v. expungit Gu. sane dignissimum Poeta, quem et Priscianus Instit. gr. lib. 7. citat laudatum. r) V. I. *argentum a Demiphone.* s) Al. invert. *si is.* t) Al. *fiat.* Eun. III, 2, 47. u) Ed. an. 1469 *tamen* minus recte.

Eun. V, 2, 63. *pro uno duo.* Sensus liquet, Si unum fallere non licebit, alter restat, quem fallam.

13. *Commod. esse opinor*; cf. infra V, 3, 31. Est autem *commodum*, quod libet, quod facile est neq. nos gravat. *dupl. spe uti.* Suscipitur ergo *spes duplex* de uno aut altero illorum fallendo. Sic Plaut. Truc. IV, 4, 16. „si unum ostium obsideatur, aliud perfugium erit."

14. *a primo.* Sic plenius pro, primo, primum. Plaut. Most. III, 2, 159. „multum improbiores sunt, quam *a primo* credidi." *is si dat* sc. argentum.

15. *Si ab eo* sc. Demiphone. *nihil fiet*; cf. supra v. 3. *hunc*, Chremetem. *hospit.* „Astute *hospitem*, de eo qui supervenit: nomen aptum imprudenti rerum, atque alieno ab earum scientia." Do.

---

# ACTUS IV. SCENA 3.

## ANTIPHO. GETA. CHREMES. DEMIPHO.

*A.* Exspecto [a]), quam mox recipiat huc [b]) sese [c]) Geta.
Sed patruum video cum patre adstantem. hei mihi!

a) C. G. m. scr. *Expecto.* b) Al. non hab. *huc.* c) C. G. m. *se* non *sese* quod in l. antiq. est.

„Ad errorem cumulandum, persona Antiphonis interponitur: ut ei adducto metu amittendae uxoris, major vis fiat repentinae laetitiae." Do.

1. *Exsp. quam mox etc.* Scil. Phormionem exspectant, qui omnes se adjutaret; cf. III, 3, sub fin. *recip. h. sese*; cf. supra II, 4, fin.

Quam timeo! adventus huius quo impellat patrem.
G. Adibo hosce. o [d]) noster Chreme. *Ch.* o salve, Geta.
*G.* Venire salvum [e]) volupe [f]) 'st. *Ch.* credo. *G.* quid agitur?
*Ch.* Multa advenienti, ut fit, nova hic compluria [g]).
*G.* Ita. de Antiphone audistin'? quae facta. *Ch.* omnia.
*G.* (*ad Demiphon. herum*) Tun' dixeras huic? facinus indignum! Chreme.
Sic circumiri? *De.* id cum hoc [h]) agebam commodum.
*G.* Nam hercle ego quoque id quidem agitans mecum sedulo [i]),
Inveni [l]), opinor, remedium huic rei. *Ch.* quid? Geta.
*De.* Quod remedium? *G.* ut abii abs te, fit forte obviam

d) L. Bemb. *salve* Non hab. l. antiq. e) Ms. We. *te.* f) C. G. m. *voluptas* gr. καθ' ἡδονήν. g) Τὸ *compluria* hab. fere omnes, antique sicut *pluria*; v. Gell. 5, 21. ut Priscian. lib. 6. Sed in C. G. m. *complura* invenio, quod est usitatius. h) L. antiq. *cum hoc id.* i) V. I. *hic jam incipit illos senes decipere.* l) Al. *ut opin.*

3. *quo impell. patr.* Recte: nam dixerat id. supra II, 4, 21. *Is quod mihi etc.*

4. *o nost. Chr. o salve Geta.* Salutatio ac resalutatio, uti Andr. I, 5, 32.

5. *Ven. salv.* Cf. Eun. V, 5, 6. *Venire* pro advenire. *credo*; cf. Andr. V, 4, 36. „Adveniens enim Chremes Getae adventum gratulanti respondet.“ We.

6. *Multa advenienti etc.* Ordinem ac sensum verbor. teneo ita: Multa advenienti mihi *hic*; *ut fit*, narrantur, inter quae *nova* sunt *compluria*.“

8. *facin. indign.* Liv. I, 17. „postquam *facinus* facinorisq. caussam audivit.“

9. *circumiri*, decipi, falli. Hoc verb. de bello sumtum aut venatu. *ageb. commod.* Cf. Eun. II, 3, 52. *cum hoc*, ~~Geta~~ sc. *commodum* adverb. pro modo nunc.

10. *Nam hercle ego.* „Commendat consilium ex cura“ Eu. *id agitans*, hac de re meditans. Liv. 21, 2. *agitare* in animo bellum.“

11. *Inv. remed.* huic rei; cf. Andr. III, 1, 10. De nuptiis Antiphonis et Phanii loquitur, quas dissoluturum se simulat Geta. *quid? Geta*, admirantis cum gaudio. Supra I, 2, 97.

12. *ut abii abs te.* Supra II, 4, 23. *fit forte obv.* Mentitur servus, *obviam* sibi *factum esse* Phormionem; nam venit *ad hominem*, ut ipse dixit supra 2, 2.

Mihi Phormio. *Ch.* qui Phormio? *G.* is qui istam ... [m])
*Ch.* scio.
*G.* Visum est mihi, ut ejus tentarem [n]) prius [o]) sententiam.
Prendo hominem solum: cur non, inquam, Phormio,
Vides inter vos [p]) sic [q]) haec potius cum bona
Ut componantur gratia, quam cum mala?
Herus liberalis [r]) est, et fugitans litium.
Nam ceteri quidem hercle amici [s]) omnes modo
Uno ore auctores fuere, ut praecipitem hanc daret.
*A.* Quid hic [t]) coeptat? aut quo evadet hodie? *G.* an legibus

m) V. I. *tuetur.* n) Ed. 1469 *pertentarem.* o) Sic Be. ex veterrimo c. Abest *prius* ab al. mss. et edd. p) In mult. libb. memorante Be. *nos*, non *vos*. Sed rectius al. *vos*. q) Abest *sic* a compl. mss. r) V. I. *humanus.* s) Id. *quos adduxit advocatos sibi.* t) V. I. *Geta.*

13. *is qui istam.* „Sub. defendit, nobisq. obtrusit, Phanium scilicet. Dict. autem vultuose, et ut subblandiretur fastidio Demiphonis. Cujus rei apta est ellipsis.“ We. *scio*; cf. Andr. IV, I, 29.

14. *Vis. est mihi,* placuit. Eun. V, 6, 17. *ut ej. tent. p. sent.* Supra II, 4, 5. 4.

15. *Prendo homin.* Andr. II, 2, 16. *Prendo* metri causa contract. ex Prehendo; sicut Phaedr. I, 22. *prensa* pro prehensa. Ita rem exponit Geta coram dominis, ut omnem fidem vultu suo faciat illi narratae.

16. 17. *Vides, Ut compon.* Cic. Fam. XVI, 1. „*ut* navem idoneam habeas, diligenter *videbis.*“ Rem leviter tangit Geta, inter Phorm. et senes ambos intricatam. *haec compon.* Cf. Ad. IV, 7, 17. *pot. cum bona gr. quam c. mala.* „Quemadmod. fides, dolus, sic *gratia* seu *bona* seu *mala* dicitur.“ We.

18. *fugitans litium.* Genitivo casui vim nominis habet *fugitans* junctum: accusativo, vim tantum participii.“ Do.

19. *Nam cet. amici*; cf. supra II, 1, 83. *modo*, paulo ante.

20. *Uno ore*; cf. Andr. I, 1, 69. Par. in marg. *μίᾳ φωνῇ κ'ἐξ ἑνὸς στόματος.* *auctor fuere ut etc* Cic. ad Attic. 15, 5. mihiq. *ut absim* vehementer *auctor est.*“ Alluditur facete ad senatus auctoritatem romani, qua senatores auctores fierent, si quid populo placuisset; h. e. ut confirmarent, quod populus jussisset. *praecipit. dar.* h. e. domo ejiceret. Phaedr. V, 7, 39. Subblanditur hic servus domino, quod is supra II, 3, 78. comminatus fuerat.

21. *Quid h. coept.* Eun. V, 7, 1. „Hunc accipiens servi consilium Antipho irascitur.“ Eu. *quo evad.* Cf. Andr. I, 2, 25. *an legib. Datur. poen.* Minesin continuat Geta, et nunc responsionem fingit ex sola permissione. *legib.* pro, ex *legib.*

Daturum poenas dices? si illam ejecerit.
Jam id exploratum 'st. heia! sudabis satis,
Si cum illo inceptas homine: ea eloquentia est.
Verum pono [u]) esse victum [x]) eum; at tandem tamen
Non capitis ei [y]) res agitur, sed pecuniae.
Postquam hominem his verbis sentio mollirier,
Soli sumus nunc, inquam, hic: eho, quid vis [z]) dari
Tibi in manum? herus ut [a]) his desistat litibus.
Haec hinc facessat, tu molestus ne sies.
*A.* (*secum*) Satin illi Di sunt propitii? *G.* nam sat scio,
Si tu aliquam partem aequi bonique dixeris,

u) Ad. *pone.* x) V. I. *ab aliquo.* y) Ita c. Gu. vet. pro *ejus* vulg. z) C. G. m. *velis* pro *vis.* a) L. antiq. *ut erus.*

22. *dices*, putabis; cf. Andr. IV, 1, 28. Ad. III, 4, 32. Itid. Plaut.

23. *explorat. est.* „H. e. satis constat, Phanium tuto posse ejici ex aedib. et sine multa legum." We. *sudab. sat.* i. e. satis exerceris, sat. negotii habebis. Hor. A. P. v. 241.

24. *Si cum illo incept. hom.* Inceptare dicitur cum magno nisu efficere. *ea eloq. est.* Huc refer illud ironice dictum, Ad. III, 3, 40. Sed hic intelligi vult Demiphonis *eloquentiam*, quam quasi coram parasito laudarit. *Eloquentia* autem causidico inprimis vel patrono opus est.

25. *pono*, facio, fingo. Cic. Divin. I, 52. „hoc *posito* atque concesso." Translatio est de calculis qui *ponuntur* et finguntur valere, quod ratiocinator velit. Burm. ad Petron. c. 101. *vict. eum* sc. Demiphonem. Verb. *vincere*; cf. supra I, 2, 82. *at tand. tamen.* Per tmesin euphoniae causa disjunctum pro *attamen tand.*

26. *Non cap. ei res ag. sed pec.* Cf. Heaut. III, 1, 67. „Et causae capitis sunt res capitales, in quib. caput hominis agitur." v. Ernest.

27. *molliri*; cf. supra III, 2, 13. placari, mitigari. Virg. A. I, 57.

28. 29. *quid v. d. Tibi in man.* „H. e. quantam pecun. in praesenti accipere vis, ut dominus ab hac lite discedat." Eu.

30. *Haec*, Phanium. *hinc facess.* Cf. Liv. I, 47. „*Facesse hinc* Tarquinios."

31. *Sat. i li D. s. prop.* Nempe huc spectat, quod veteres credebant, Deos his hominib. qui sanam mentem haberent, maxime esse propitios. Credit autem Antipho, ignarus consiliorum Phormionis, eum insanire, qui de dimittenda sua uxore verba faciat.

32. *Si tu aliq. p.* „Et si non totum, vel *aliquam partem.*" Do. *dixeris*, promiseris. Vid. Nep. Milt. 3. et Cic. Offic. I, 10, 6.

Ut est ille [b]) bonus vir, tria non commutabitis
Verba hodie inter vos. *De.* quis te istaec jussit loqui?
*Ch.* Immo non potuit melius pervenirier
Eo quo nos volumus. *A.* occidi [c])! *Ch.* perge eloqui [d]).
*G.* A [e]) primo homo insanibat [f]). *De.* cedo [g]), quid postulat?
*G.* Quid? nimium quantum [h]) libuit. *Ch.* dic. *G.* si quis daret
Talentum magnum. *De.* immo malum hercle. ut nil pudet [i])!

b) V. I. *Demipho.* c) Id. *secum.* d) Haec in quibusd. Codd. teste We. Demiphoni tribuuntur. e) We. p. var. *At.* f) Ed. 1469 *insanieb.* g) We. p. var. *credo.* Sed praevalet. *cedo.* Haec enim dictio passim et Phormioni et Getae tribuitur, aptius tamen Demiphoni. h) Far. ed. more suo junctim *nimium-quantum*, h. e. immane quantum. Probe. Varie tamen dividuntur haec verba inter personas. Mihi rectius videtur tribui *quant. lib.* Chremeti, quippe qui nullum abhorret pretium, modo ne rescindantur nuptiae. Quod ita esse ex infer. vv. 59. 65. et 72. probabitur. Pro *libuit* Be. ex veterr. *voluit.* i) V. I. *dixisse.*

33. *Ut est ille bon. vir.* Formulam esse puto. Igitur virgulam sustuli, quam We. hab. positam post *ille.* Vid. infra V, 2, 9. Cic. in Pis. 25. „Dices, ut es homo facetus." Id. p. Mur. 25. Valet autem *Ut* pro utpote qui. *tria non com. Verba etc.* Cf. Andr. II, 4, 7. „Sic dicebant, jurgium significantes." Do. Par. not. „vix trib. verbis agetis." Andr. II, 4, 7. 8.

34. *quis te istaec etc.* Persuasus quidem ostenditur Demipho, sed simul difficilior Chremete fratre, qui se faciliorem praebeat fraudis periculo.

35. *perv. Eo quo n. vol.* Cf. Eun. I, 2, 44.

36. *occidi*; cf. Eun. II, 3, 1. *perge eloqui*; cf. Ad. IV, 5, 19.

37. *A primo*; cf. supra 2, 14. Pergit Geta fictum suum cum Phorm. sermonem. *insanib.* Par. explic. „Iratus tumultuabatur ac debacchabatur."

38. *Quid?* Interrogatio animum suspendens audientis. *nim. quant.* Hoc utrumq. junct. it. Cic. Fin. IV, 25. „Zeno dicit differre inter honestum et turpe *nimium quantum*, nescio quid immensum." Male igit. We. post *nimium* distinxit.

39. *Talent. magn. Talent. magnum* seu Atticum comprehendit sexaginta minas, s. sex millia drachmarum Atticarum; vid. Gronov. de Sestert. III, 4. *Magnum* autem Romani appellabant Atticum *talentum*, quoniam aliorum Graecor. talenta minoris erant summae; cf. Gronov. de pecun. vet. *immo mal. hercle* Iunge *immo hercle*, uti Ad. III, 4, 37. *malum*; cf. Eun. IV, 7, 10, not. *ut nihil pud.* mirantis. *ut* pro quomodo. Sic Cic. Mil. 24. „Ut contemsit! *ut* pro nihilo putavit."

*G.* Quod dixi adeo ei: quaeso, quid si filiam
Suam unicam locaret? parvi retulit
Non suscepisse: inventa est, quae dotem petat.
Ad pauca ut redeam, ac mittam [l]) illius ineptias,
Haec denique ejus fuit postrema oratio.
Ego, inquit, jam a principio amici filiam,
Ita ut aequum fuerat, volui uxorem ducere.
Nam mihi veniebat in mentem ejus incommodum [m]),
In servitutem pauperem [n]) ad ditem [o]) dari.
Sed mi opus erat, ut aperte nunc tibi fabuler,
Aliquantulum quae adferret, qui dissolverem

l) Al. *omitt.* m) Be. *incommodi* ut supra I, 3, 2. n) V. I. *mulierem* o) Id. *hominem.*

40. *Quod dixi ad.* Particulae *adeo* vis incerta videtur v. Ind. *quid dotis* sc. postulasses.

41. *Locaret.* Verb. simplex pro composito, collocaret sc. in matrimonium. Cic. Divin. I, 46. „cum vellet sororis suae filiam in matrimonium collocare.“ *Suam unicam.* Huic verbo oppositum intellige, quod sequitur, *inventa est* sc. aliena.

42. *Non suscepisse* sc. suam. Infra V, 8, 49. 50. „In Graeca Fabula senex hoc dicit, Quid interest me, non suscepisse filiam, si modo dos dabitur alienae.“ Do. Ceterum de hoc loco et explicando et distribuendo inter personas dissentiunt interpretes, quos praetermitto.

43. *Ad pauca ut red.* Formula videtur, qua inflectitur sermo. Eun. IV, 6, 3.

44. *ejus.* Phormionis.

45. *Ego, inq. jam a pr. am. fil.* „Per ethopoeiam oratio inducitur Phormionis ad summam necessariam pervenientis persuasione.“ Eu.

46. *vol. ux. duc.* „Figmentum merum Getae, ex persona Phormionis.“ We.

47. *ejus incommod.* Sub. rei seu matrimonii. Eun. I, 2, 122. Locutio tamen, *venit in mentem*, amat genitivum objecti. Cic. Fin. V, 2. „Venit mihi *Platonis* in mentem.“ Sed nominativum quoque promiscue. Eun. II, 2, 2.

48. *In servitut. paup. ad dit. dari.* Invidiose dixit *servitutem*, quum de conjugio sermo sit. Atqui *divitis* uxoris *pauperem* virum Graeci fere ead. phrasi, δουλεῖν τὸν ἄνδρα dicunt, vel subjugare maritum.

49. *ut ap. n. tibi fab.* Hoc in parenthesi, ut causa pecuniae ingeratur petendae. *fabuler.* „Narrem, et hinc fabula pro vera narratione interdum.“ Far.

50. *Aliquant. quae adf.* Subaud. argenti, pecuniae, bonorum. Ellips. frequens. Ovid A. II, 279. „Si nihil attuleris, ibis Homere, foras.“ *adferr.* Par. in marg. „pro dote.“ Diminutive utitur *Aliquantulum*, ut alliciat senes ad negotium. *qui*, unde. *dissolv. Quae deb* Eod. fere sensu Cic. p. Sulla 20. „praediis venditis *aes alienum* ejusd. (P. Cincii) *dissolutum* est.“

Quae debeo; et [p]) etiam nunc, si volt Demipho
Dare quantum ab hac accipio, quae sponsa 'st mihi,
Nullam mihi malim, quam istanc [q]) uxorem dari.
*A.* (*secum*) Utrum stultitia facere ego hunc an malitia
Dicam, scientem an imprudentem, incertus sum.
*De.* Quid, si [r]) animum debet? *G.* ager [s]) opposi-tu 'st pignori
Ob decem minas, inquit. *De.* age, age, jam ducat; dabo [t]).
G. Aediculae item sunt ob decem alias. *De.* oi, ei [u])!
Nimium 'st. *Ch.* ne clama: petito hasce a me decem.
*G.* Uxori emenda ancillula 'st; tum autem plus-cula

p) C. G. m. et al. omitt. *et.* q) We. ed. *isthanc.* r) V. I. *hominis.* s) Id. *meus.* t) Id. *argentum.* u) C. G. m. ut Be. Codd. *hui.* L. antiq. *hoi*, *hui.*

51. *et etiam nunc, si etc.* Hanc enim conditionem facit Phormio, qui omnino id cepit consilii, ut hoc argentum, dotis nomine, acceptum Phaedriae daret, et is pro amica meretrice lenoni, ipse vero Phormio offerendo et placando produceret nuptias, si argentum, quod Phaedriae ab amicis promissum est, cum acceptum fuerit, senibus reddatur." Eu.

52. *quae sponsa est mihi.* Eun. V, 8, 6. Par. „desponsata."

53. *Nul. mihi mal. quam etc.* Sic Ad. III, 2, 13. Verbo *malle* Noster utitur cum infinitivo sequentis. Alia syntaxis Catulli cum conjunctivo, Carm. XXIV, 4 — 6.

54. *stultitia*, temeritas quae caret consilio. Cui opp. *malitia*, malis artibus vacans. Hec. II, 1, 6.

56. *si anim. deb.* Proverb. Graecor. τὴν ψυχὴν ὀφείλει, dicitur de eo, qui immodico aere alieno teneatur, ut plus quam omnes facultates debeat, ac deniq. se ipsum s. vitam suam debeat. Erasm. *ag. opp. pign.* „Id est, agrum dedi loco pignoris i. e. vadimonii." Eu. Et Plaut. Pseud. I, 1, 85. si me, *opponam pignori.*"

57. *Ob decem minas.* „Noluit semel summam proponere, ne magnitudo terreret; dum praeter *ancillas* et *suppellectilem* inter omnia ad XXX. minas pervenit." Eu. *Ob*, notat pro, in emtione et contractu." We. *jam ducat*, sc. Phanium. Infra 4, 12. *inquit* sc. Phormio.

58. *Aediculae.* Diminutiv. nomen, sicut *Aliquantulum*, v. 50, ut attenuet rem suam. *oi. ei.* Graeca hac particula dolentis, *οι* utitur, cui quid gravius incommodat." v. Hoogev. de Partic. L. Graec.

59. *petito hasce etc.* Quae desunt, ut suppleantur illae *triginta.*

60. *Ux. emend. anc. est.* Cf. Eun. I, 2, 55. Paucitas sumtus ostenditur, ut Heaut. II, 3, 52. *plusc. Suppellect.* Contra haec vide ut maxim. sumtus sponsae necessarios, Heaut. V, 1, 20.

Suppellectile opus est; opus est sumtu ad nuptias.
His rebus pone sane, inquit, decem [x]).
*De.* Sexcentas [y]) proinde [z]) scribito jam mihi dicas.
Nil do. impuratus me ille ut etiam irrideat?
*Ch.* Quaeso, ego dabo, quiesce [a]). tu modo filius
Fac ut illam ducat, nos quam volumus. *A.* hei mihi!
Geta, occidisti me tuis fallaciis [b]).
*Ch.* Mea causa ejicitur, me hoc est aequum amittere.
*G.* Quantum potes [c]), me certiorem, inquit, face,
Si illam dant, hanc ut mittam [d]); ne incertus siem.
Nam illi [e]) mihi dotem jam constituerunt dare.

x) Vulg. *minas.* Abest a duob. Be. Codd. Nec magis hic opus est quam supra v. 58. 59. y) Par. ed. *Sescent.* pro *Sexc.* V. I. *ita ut scripsisti XXX. minas.* z) Mss. We. perinde. Ed. 1469 *potius.* a) V. I. *ab ira.* b) Hunc vers. testatur Lindenbr. a vett. Codd. abesse. c) Sic l. antiq. In Bemb. *potest.* Quae duae sunt, ait Fa. partes orationis, *pote* et *est.* Supra III, 3, 2. d) Al. *omitt.* e) V. I. *parentes ejus.*

61. *op. est sumtu ad nupt.* Cf. Andr. II, 2, 25 seqq.

62. *pone*, destina; cf. Virg. A. I, 282. *sane.* „Bene *sane*, quasi plus quiddam exigat, sed hoc contentus sit.“ Do.

63. *Sexcent. pr. scr. j. m. dicas.* Magnitudine summae excitatus exclamat, Quascunque et quot quot velit calumnias mihi et causas Phormio indicet. *sexcent.* pro quamvis multis. Ita Cic. Verr. I, 47. „Possum *sexcenta* decreta proferre.“ *scrib. dic.* Cf. supra I, 2, 77, not. et II, 2, 15.

64. *impurat.* Proprie de lenone impurus et *impuratus.* Itid. *sordid.* et *sordidat.* Heaut. II, 3, 56. *etiam*, insuper.

65. *quiesce*, tranquillo sis animo. Ad. V, 3, 51. 52.

66. *quam volumus.* „Intelligit filiam suam, clam in Lemno susceptam.“ We. *hei mihi.* Misere exclamat qui opinatur aliam praeter Phanium sibi obtrudi. Ex eo igitur errore turba exsistit.

67. *Geta, occidisti me etc.* Itid. Pamph. in Dav. invehitur, Andr. III, 5. *occidisti.* Non proprie valet *occidere*, sed ut enecare, Andr. IV, 1, 36. *fallac.* Cf. Andr. I, 5, 7.

68. *Mea causa.* Etiam *mea causa*, non solum fratris. *ejicit.* ux. Antiphon. Cf. supra II, 3, 90. *me hoc est etc.* Ordo, *me hoc amitt. aequ. est.* Scilicet id ego perdam, quod promissum est Phormioni. Hoc dicit ad Demiphonem rerum suarum conscium.

70. *Si illam* sc. Phanium. *hanc.* Nempe quam Phormio sibi sponsam esse ex commento Getae dixisset; cf. v. 52.

71. *Nam il. m. dot. jam etc.* Vis omnis est in voce *jam.* Unde adeo Chrem. respondet, *Jam accipiat.* Nam si Phaedria urgeatur a milite, qui *cras dare argent.* dixerit, supra III, 2, 46. 47. ergo necesse erat, hodie Phormionem a senib. accipere dotem. Vid. quod notat. est ad v. 51

*Ch.* Jam accipiat[f]), illis repudium renuntiet;
Hanc ducat. *De.* quae quidem illis res vortat male!
*Ch.* Opportune adeo argentum nunc mecum attuli,
Fructum, quem Lemni[g]) uxoris reddunt praedia.
Inde sumam, uxori, tibi opus esse, dixero.

f) L. antiq. *accipiet.* g) Palmer. *Lemno.*

72. *illis.* Sponsae ipsi et his qui eam cum dicta dote desponderunt Phormioni. *repud. renunt*, h. e. *repud.* remittat. Infra V, 8, 35. 36. Modestin. in Pandect. XXIV, 3. *repudium*, „proprie cum sponsus a sponsa dirimitur." Lex. Jur.

73. *Hanc duc.* sc. Phanium. *quae quid illis etc.* Ad. II, 1, 37. Invidia agitur Demipho in illos, qui dare volunt aliam.

74. *nunc mec. attuli.* Comice argentum praesto est, quo commodius emungatur a Geta.

75. *Fruct. quem Lemni etc.* Fructus agri et rei familiaris; v. Ad. V, 4, 16. Nep. Attic. 6. et Catull. carm. CXI. Et cum verb. *reddere* hoc significatu vid. Tibull. II, 6, 21. 22.

76. *Inde sumam.* „Non fructum, sed argentum." Do. *tibi op.* esse. Huic conf. infra V, 3, 3. *dixero* pro dicam. Jurgio paratur locus.

---

# ACTUS IV. SCENA 4.

## ANTIPHO. GETA.

*A.* (*iracunde*) Geta! *G.* hem! *A.* quid egisti?
*G.* emunxi argento senes.
*A.* Satin' id est? *G.* nescio hercle, tantum jussus sum.

„In hac scena iracunde interrogat dominus, ac servus simpliciter respondet, interrogari se credens, narrat quid egerit." Eu.

1. *emunxi arg. sen.* H. e. absentib. argentum abstuli." Eu. *emunxi.* Hor. A. P. 238. *emuncto* i. e. deluso. Metaph. a quadrupedib., quibus lac subtractum est. Plaut. Epid. III, 4, 58.

2. *Satin id est?* Ambigue sonat, aut pro formula objurgandi q. d. *Satin' id* tibi placet? Eun. V, 2, 12. aut pro, Sufficit hoc? *tantum*, signific. non plus. Bene *tantum* respondet ad id quod interrogatum est, *Satin' id est?* Innuit autem Geta *triginta mi-*

*A.* Eho, verbero, aliud mihi respondes ac rogo.
*G.* Quid ergo narras? *A.* quid ego narrem? opera tua
Ad restim mi quidem res rediit planissume.
Ut te quidem omnes Di Deaeque, Superi, Inferi
Malis exemplis perdant! hem, si quid velis,
Huic mandes [a]), qui te ad scopulum e tranquillo auferat [b]).
Quid minus utibile [c]) fuit? quam hoc ulcus tangere,

a) Vulgo sequuntur verba, *quod quidem recte curatum velis.* Sed hunc integrum vers. a plerisq. omissum ego cum Be. Mu. et Bo. ex Adelph. III, 3, 18. huc traductum putarim. b) Var. *inferat. afferat. auferat.* Omnino autem haec verba, *qui te ad scop. e tranq. auf.* quae Fa. ex lib. suo delevisse fatetur, eod. teste nec in II. Bemb. Vict. et Bas. sunt, nec a Do. explicita. Si qui sunt libri qui ista habent, ibi verba praecedentia, *quod quid. recte cur. vel.* aut desunt, aut extra contextum adscripta leguntur. Commoda tamen habuimus illa, ac Be. Mu. aliorumque auctoritate adducti recepimus. c) Sic plurimi et s. et e. inusitatius pro *utile.*

*nas*, quas Phormioni senes concesserant praebendas. Ideo dicit *jussus sum.*

3. *verbero.* Convicium in servos Plauto frequens. *aliud respond. ac rogo.* Rogaverat enim Antipho, *quid egisti?* Id est, non quantum? sed quid?

5. *Ad restim. m. quidem etc.* Formula desperationis. Plaut. Pers. V, 2, 34. „*Restim* tu tibi cape, ac suspende te.“ Inter leges Roman. haec erat: infelici arbori *reste* suspendito.“ v. Liv. I, 26. Ter. Heaut. I, 1, 61.

6. *Ut te quid. o. Dii etc.* Cf. Heaut. IV, 6, 6. Quod ille *superos*, *inferos* Deos addit, imprecationem facit plenissimam.

7. *Malis exempl.* h. e. gravissimis poenis ac suppliciis. Eun. V, 4, 24. Haec evenire Getae videntur, quae praesagiverat, III, 3, 10. 11. *si quid vel. Huic mand.* Ex Plaut. express. Asin. I, 1, 107. „Eid. homini, *si quid* recte *curatum velis, Mandes.*“

8. *qui te ad scop. e tranq. auf.* Sensus, Qui te ex re tranquillissima in summum periculum vel perniciem projiciat. *e tranquillo* sc. mari. Sic metaphorice it. Cic. Divin. 2. „Intelligo, quam *scopuloso* difficiliq. in loco verser.“ *aufer.* de tempestate et flectu; cf. Ovid. Amor. II, 4. „*Auferor* ut rapidá concita puppis aquá.“

9. *utibile.* Ead. voce utitur Plaut. Men. V, 6, 22. Servi heris *utibiles.*“ *ulcus tang.* h. e. dolorem excitare volueris. Quod significat, mentionem facere rei, quae alteri, ad quem pertineat, ingrata sit. Itid. Cic. p. dom. 5. „Tu *in hoc ulcere*, tanq. unguis, existeres.“ *hoc ulcus.* Quod Phanium duxerat Antipho, id duplici, sed diverso, vulnere vel dolore et ipsum angit et patrem.

Aut nominare uxorem. injecta est spes patri,
Posse illam extrudi. cedo, nunc porro Phormio
Dotem si accipiet, uxor ducenda est domum.
Quid fiet? *G.* non enim ducet [d]). *A.* novi. ceterum
Cum argentum repetent, nostra causa scilicet
In nervum potius ibit. *G.* nihil est, Antipho,
Quin male narrando possit depravarier.
Tu id, quod boni [e]) est, excerpis; dicis quod mali est.
Audi nunc contra jam: si argentum acceperit,
Ducenda est uxor, ut ais. concedo tibi.
Spatium quidem tandem apparandis nuptiis [f]),
Vocandi, sacrificandi dabitur paululum.
Interea amici, quid polliciti sunt [g]), dabunt.

d) V. I. *Phormio illam.* e) Id. *a me dictum.* f) G. Fabric. *adparandi nuptias.* g) C. G. m. et al. *argentum*, Glossam olet.

Filius enim in metu est amittendae uxoris, pater ejus taedio affligitur.

12. *Dot. si accip. ux. duc. est dom.* Sic erat necesse. Qui namq. dotem accipiet, ei etiam ducenda est uxor; cf. supra 3, 75. Aut hoc modo: „Uxorem ducet: si non duxerit, argentum reddat.“ Eu.

13. *Quid fiet* sc. de me. Ad. V, 9, 39. *non en. ducet*; cf. Andr. II, 3, 17. 18. *novi.* Unde *novit* Antipho? non esse illum ducturum. Novisse poterat ex illo dicto Phormionis, *Act. aj. ne agas*; cf. supra II, 3, 72.

14. *argent. repet.* sc. Demipho et Chremes. *scilicet*, per ironiam.

15. *In nerv. p. ibit.* Proverb. a sagittariis tractum, h. e. in vincula ibit. Nam qui solvendo olim non erant, vincti tradebantur creditoribus, donec opera pensarent creditum.‘ Supra II, 2, 11. Sensus est, In vincula *potius* ibit Phormio, quam ut argentum reddendo nobis fidelis sit. *nih. est Quin etc.* Ead. fere sententia est Cic. Parad. I. ~~„Sed nihil est Cic. Parad. I.~~ „Sed nihil est tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile.“

6. *male narrando*; cf. Eun. Prol. 7. *male scribendo.* Nisi *male* referend. sit ad *depravar.* significantius. Nam *depravari* dicitur, quod fuerat rectum.

17. *excerpis*, eximis, praetermittis.

20. 21. *Spat. dabitur*; cf. Hec. IV, 4, 62. ibid. I, 2, 55. et III, 3, 14. *tand.* ad minimum, saltem. Eun. V, 8, 25. Sensus est totius, Spatium certe tu aliquod temporis nanciscaris, antequam ille ad nuptias accedat. Quibus enim *apparandis* opus est, convivas *vocare*, Diis *sacrificare etc.* Hac vero et alia hujusmodi anteire solebant. Huc referendi sunt loci Andr. II, 2, 35. Ad. IV, 5, 65.

22. *Interea amici etc.* Consolandi gratia dicit. *Interea*, sicuti Andr. II, 1, 14. *quod pollic. sunt dab.* Cf. supra III, 3, 3.

Id ille[h]) istis reddet. *A.* quamobrem? aut quid dicet?
*G.* rogas?
Quot res[i]) post illa monstra evenerunt mihi!
Introiit aedes ater alienus canis;
Anguis in impluvium[l]) decidit de tegulis;
Gallina cecinit; interdixit hariolus,
Aruspex vetuit, ante brumam autem[m]) novi

h) L. antiq. *Inde iste.* i) V. I. *hoc dicet senib. cogitasse tum.* Mimesis verbor. Phormionis. l) Vulg. *per* pro *in.* Sed Be. *in* ex conject. Gu. Itid. Paut. m) In l. antiq. *aliquid novi Negoti.* Al. non hab. *aliquid.* Cuius in loco hab. *autem.* In C. G. m. textu quid. est *autem*, sed sup. script. *aliquid.* Omnino qui respuunt *aliquid*, illi interpretantur τὸ *incipere* nominis esse loco.

23. *istis*, senibus. Vid. v. 14. *quamobr.* Qua de causa, cur reddat? *quid dic.* Nihil habet quod ex ratione dicat. Igitur *monstra* facto suo praetexet, quae ratione carent atque consilio.

24. *Quot res post illa etc.* H. e. prodigia nuptias remorantia." *post. illa* pro postea; cf. Andr. V, 4, 33. Signific. postquam mihi est Phanium desponsa. *monstra*; cf. Enn. IV, 3, 14. *Monstrum* unde dicatur v. Cic. Divin. I, 42. et Theophrast. Ch. 16. περὶ Δεισιδαιμονίας.

25. *Introiit in aed. at. al. can.* ,,Haec omnia sunt mala signa." G. Multa de *canibus* prodigia recenset Jul. Obsequens, quem vide. *ater. Ater* color pro infausto est habitus. *alien. canis* Id quoque prodigium; cf. Sueton. Vespas. 5. ,,Prandente eo quond. *canis extrarius* e trivio manum humanam intulit, mensaeque subjecit."

26. *Anguis in impluv. dec. de teg.* Sic Plaut. Amph. V, 1, 56. Et Liv. I, 56. ,,Portentum terribile visum, *anguis* ex columna lignea elapsus."

27. *Gallina cecinit.* Observatum est, in qua domo gallina canat, superiorem (superstitem) marito esse uxorem." Do. Mirum, quidni potius gallus quam *gallina* cecinerit. Nam Petron. est Sat. 74. ,,gallus gallinaceus cantavit;" et paulo post, ,,aut incendium oportet, fiat, aut aliquis in vicinia animam abjiciet." Sed id ipsum prodigium erat, *gallinam* cecinisse, Not. Eu. ,,Fingit causas, quibus protrahendo nuptias interea votis fruerentur." *interdix. hariol.* ,,Hariolus est qui divina mente vaticinatur etc. Do. *interdix.* Cf. Hec. IV, 1, 48. Notand. est, veteres ante nuptias conficiendas sacrificare cum aliqua precum ac votorum solemnitate.

28. *Arusp.* Al. script. *Harusp.* cum aspiratione. Eu. hic aruspicem ab hariolo distinguit ita, ut *hariolus* divinet de humanis, *aruspex* de divinis. *ante brumam.* h. e. antequam dies decrescunt. Irrisit Noster, quod monet Be. homines, quib. religiosum sit, aggredi negotium aliquod diebus decrescentibus.

Negotii incipere; quae causa est justissima [n]).
Haec fient. *A.* ut modo fiant. *G.* fient: me vide.
Pater exit. abi, dic esse argentum Phaedriae. (*Antipho abit.*)

n) Pro *justissima* Bc. unicus edid. *sontica* voc. ne Plautinam quidem. In mss. quod. We. test. *tunc bonae fient nuptiae.*

29. *quae causa est justiss.* Itid. Jul. Caes. B. G. IV, 16. ,,multis de causis - iila fuit *justissima.*‘‘ Huc usq. verba a servo simulata Phormionis.

30. *Haec fient.* Id est responsum ad dubitationem Antiphonis, supra v. 13. *ut modo.* Inverte, modo ut. Andr. II, 4, 6. *me vide*; cf. Andr. II, 2, 13.

31. *esse* pro, adesse. Ordo, dic Phaedriae, adesse *vel esse* nobis *argentum.*

---

# ACTUS IV. SCENA 5.

## DEMIPHO. GETA. CHREMES.

*De.* (*ad Chrem. conversus*) Quietus esto, inquam: ego curabo, ne quid verborum duit [a])
Hoc temere nunquam amittam ego a me, quin mihi testes adhibeam.

a) Vulg. *duint.* Sed Codd. antiquiss. Bc. *duit*, ut de solo Phormione. Recte.

,,In hac scena Demiphonis continentur verba promittentis fratri, omnia se esse facturum, uti Phormio cogatur et argentum accipere, et uxorem ducere.‘‘ Eu.

1. *Quiet. esto*; cf. supra 3, 65. *Quietus*, securus. Gestu adjuvanda sunt verba; praesertim *inquam* acuendum. *ne quid verbor. duit. Verba dare* pro, fallere, decipere; cf. Heaut. IV, 4, 13. ,,Scilicet metuebat Chremes, ne Phormio ubi accepisset triginta minas, eluderet senes, nec Phanium duceret.‘‘ We.

2. *Hoc*, δεικτικῶς. ,,Ostendit enim marsupium cum argento.‘‘ We. *amitt.* pro dimitt. *test. adhib.* Sic Plaut. Poen. III, 4. ,,*testib.* spectantibus argentum datur lenoni.‘‘

Cui [b]) dem, et quamobrem dem, commemorabo. *G.* (*secum*) ut cautus est, ubi nihil opu'st.
*Ch.* Atque ita opus facto est, et mature [c]), dum libido eadem haec manet.
Nam si altera [d]) illa magis instabit, forsitan nos reiciat [e]).
*G.* (*ad Chrem.*) Rem ipsam putasti. *De.* (*ad Getam*) duc me ad eum ergo. *G.* non moror. *Ch.* ubi hoc egeris,
Transito ad uxorem meam, ut conveniat hanc prius quam hinc abeat [f]),
Dicat eam dare nos Phormioni nuptum, ne succenseat [g]);
Et magis esse illum idoneum, ipsi qui sit familiarior [h]),
Nos nostro officio nil degressos [i]); quantum is voluerit,

b) Var. *Cui. Cum. Cur.* Primum placet. Construunt vulgo, *adhibeam, Cui dem* perperam. c) Vulg. *at matura.* Fa. Be. Par *et mature.* Placet item ut, *propere* prae *propera.* d) V. I. *puella.* Supra 3, 52. 53. e) Sic Be. pro *rejic.* Cf. Prol. 18. V. I. *non accipiet Phanium.* f) Al. *abit* male. g) Be. script. *suscens.* ex libb. antiquiss. Itid. Par. h) Ita c. Be. Acad. In l. antiq. hoc ordine, *qui ipsi sit fam.* V. I. *puellae Phanio propinquior.* „Optimum hunc vers. qui inservit persuadendae Phanio, ut Antiphone relicto nubat Phormioni, expungit tamen Guyetus.“ We. i) L. antiq. *egress.* Al. *digress.* Al. add. *esse.*

3. *Cui dem.* Cum emphasi h. e. homini parasito, qui post facile neget accepisse. *quamobr.* Pro dote, ut Phanium ducat uxorem. *ut caut. est, ubi etc.* Cautio ridicula. Nam consulit, Do. observante, quemadmod. detur, ubi omnino dare non debuerit: siquid. argentum Phaedriae detur sub nomine Phormionis.

4. *dum libido* sc. Phanium ducendi.

5. *Nam si altera.* Par. in marg. „sponsa Phormioni.“ Supra 3, 52. *reic.* Verb. electum. Ovid. Met. IX, 51.

6. *Rem ips. putasti.* Eod. sensu quo Plaut. Rud. V, 2, 19. „tetigisti acu.“ *Putare rem*, comicum est, ut Andr. II, 6, 11. Ad. V, 3, 10. *duc me ad eum*; cf. supra II. 1, 75. 76. *non moror.* cesso, nulla mora in me est. *ubi hoc eg.* i. e. ubi duxeris herum tuum ad Phormionem. *egeris* pro feceris; cf. Andr. II, 1, 22.

7. *ad ux. meam.* Nausistratam. *hanc*, Phan. Antiph. ux.

8. *Dicat* sc. Nausistrata.

10. *Nos nost. offic. nil. degress.* Sensus, „Nos nihil fecisse quod ab officio nostro alienum sit.“ Ru. *quant. is vol.* Cf. supra 3, 39. 52.

Datum esse dotis. *De.* quid tua [l]), malum! id refert?
*Ch.* magni, Demipho.
*De.* Non satis est tuum te officium fecisse [m])? si non id [n]) fama approbat.
*Ch.* Volo ipsius quoque voluntate [o]) haec [p]) fieri, ne se ejectam praedicet.
*De.* Idem ego istuc facere possum. *Ch.* mulier mulieri magis congruet.
*De.* Rogabo. (*abit cum Geta*) *Ch.* ubi ego [q]) illas [r]) nunc reperire possim, cogito.

l) *tuā*. Sic not. al. posteriore longa. m) Be. *facere*. Non probatur. n) Var. ord. Bi. *id si non*. We. *si non id*. Be. *si id non*. Hunc versum Palmerius tribuit Chremeti. o) Bo. mutat, *ipsa quoq. volente*, ita ut versum sibi fingat satis audacter. p) Ita Codd. Be. In l. antiq. *hoc*. q) L. antiq. *ubi nunc illas ergo*. Al. *ego* pro *ergo*. Ceterum variat ordo verborum. r) V. I. *uxorem meam et filiam quae me huc a Lemno quaerere* (quaesitum) *venerunt*.". Supra I, 5, 6.

11. *quid tua id ref.* Cf. Hec. V, 3, 12. „Gu. mire putat, *tua*, nominativum esse casum, ut, a, corripiatur. *malum*. Interjectio. *magni* sc. refert. Demipho quidem asperior et iratior vix opus esse existimat, Phanium de repudio placari. Ab eo tamen Chremes mitior ac humanior longe dissentit.

12. *fama si id non prob.* Recte judicat Chremes, fratrem male auditurum, si Phanium, quae nupta gnato suo esset, domo prohibuisset vel ejecisset. Supra II, 3, 78. *si non*, etiamsi non. *fama approb.* Cf. infra V, 8, 18. Cic. de Offic. I, 28: „Negligere, quid de se quisque sentiat, non solum arrogantis est, sed etiam omnino dissoluti."

13. *Volo ips. q. vol. h. f.* Infra V, 3, 2. *haec fieri*. Plura sunt, quae Phanium repudio sibi facta patiatur. Ergo nos lection. *hoc* non probamus, *ne se eject. praedic.* Supra II, 3, 90.

14. *Id ego ist. fac. poss.* Scilicet quod demandatum erat Nausistratae, v. 8. *mul. mulieri mag. congr.* Adagium simile laudante Plutarcho; *Γέρων γέροντι γλῶτταν ἡδίστην ἔχει, παῖς παιδὶ, καὶ γυναικὶ προσφορὰν γυνή.* Haud fere aliud est, „simile simili gaudet." v. Erasm.

15. *Rogabo.* Sc. Nausistratam uxorem fratris, ut conveniat Phanium; cf. v. 7. *ubi ego illas etc.* His verbis facit transitum Chremes ad actum sequentem.

# ACTUS V. SCENA 1.

## SOPHRONA [a]). CHREMES.

*So.* Quid agam? quem mi amicum misera inveniam? aut quo [b]) consilia haec referam?
Aut [c]) unde mihi auxilium petam?
Nam vereor, hera [d]) ne ob meum suasum indigne [e]) injuria adficiatur:
Ita patrem adolescentis facta haec tolerare audio violenter.

a) V. I. *Sophrona nutrix Phanii puellae.* Infra v. 9. b) L. antiq. *cui* pro *quo.* c) Utrumq. *aut* Be. ejecit, posito pro hoc posteriore, *Atque.* Sed nos dictt. *quo - unde* propt. antithes. melius retinemus. d) V. I. *Phanium.* e) L. Bemb. *indigne* et *indigna.* Et Par. ed. *indignâ injuriâ*, ut *indigna* haberetur pro ablativo. Praestat autem nominativ. sc. hera.

,,Dum quaerere filiam et uxorem meditatur Chremes, nutrix filiae a Demiphone egreditur in scenam, quam querentem de herae periculo ubi aliquantum audisset et agnovisset, ipse ad eam accedit, ac resciscit, filiam suam, quod voluerat, nuptam esse Antiphoni.“ Haec Bipontini editores, qui simul Donatum forte secuti, hac indicata catastrophe, ab sequente demum scena quintum actum incipiunt.

1. *Quid ag.* Cf. Ad. V, 3, 3. Haec et sequentia secum loquitur Sophrona, quae metuit, ne forte pater Phanii sibi malum inferat, quod nuptias cum filia Antiphoni concessisset. *quem mihi etc*, Itid. Thais in Eun. I, 2, 67. 68. *quo cons. h. ref.* Pro *quo*, quod est adverbium, intellige, ad quem hominem. Heaut. III, 1, 64. 65.

2. *unde*, a quo. Cic. Orat. I, 37. ,,ut illi, *unde* peteretur, exceptio daretur.“

3. *hera* sc. minor; ut *herilis filius*, Andr. III, 4, 23. *ob m. suas.* h. e. *ob meum* consilium, quo adjutarem nuptias. *Suasus*, vox rarior, nec alibi uspiam obvia.

4. *Ita patr. adolesc. facta etc.* Junge *tolerare violenter.* ,,Quod Graeci dicunt δεινῶς.“ Do. Eun. V, 4, 32.

*Ch.* Nam quae haec anus est [f]) exanimata? a fratre quae egressa 'st meo.
*So.* Quod ut facerem egestas me [g]) impulit, cum scirem infirmas nuptias
Hasce esse, ut id consulerem, interea vita ut in tuto foret [h]).
*Ch.* Certe aedepol, nisi me animus fallit, aut parum prospiciunt oculi [i]),
Meae nutricem gnatae video. *So.* neque ille investigatur. *Ch.* quid agam [l])?
*So.* Qui ejus pater [m]) est. *Ch.* adeo [n])? an maneo? dum ea quae loquitur, magis cognosco [o]).
*So.* Quodsi eum nunc reperire possim, nihil est quod verear. *Ch.* ea 'st ipsa.

f) Be. distingu. post *est*, We. post *exanimata.* Vide quo sensus differat. g) V. I. *ut traderem nuptui.* h) Id. *in securo esset, ne fame periclitaretur.* i) Colloc. al. *oculi prosp.* al. *prosp. par. oc.* l) L. Bemb. *quid ago?* m) C. G. m. colloc. *Qui est ej. pat.* Par. *Quid* pro *Qui*, nescio unde. n) Al. *adeon*' Par. c. Fa. *adeo? maneo?* omisso *an.* o) Al. *cognoscam.*

5. *Nam quae*, per metathes. pro *Quaenam.* Sic Virg. G. IV, 445. „*Nam* quis" pro Quisnam.

6. *Quod* pro Hoc. *egest. me impul.* Cf. Andr. I, 5, 40. *cum scirem.* Partic. *cum* pro etsi. Nep. Attic. 4. *infirm.* non stabiles.

7. *ut id. consul.* providerem, curarem. An. I, 2, 47. Quod vero jungatur necesse est superiori, *egest. impulit*, adeo ut ordinem observes: *egest. me imp. ut id* certe *consul. ut etc.* Andr. III, 2, 44. *interea* Par. explic. „Si forte nuptiae minus firmae essent." *vita ut in tuto* for. Itid. fere infra 2, 5.

8. *nisi me anim. fall.* Cf. Heaut. IV, 1, 1. „Docte Terentius. Nam visa, vel corporis vel animi sunt: hoc est, rationis vel sensus." Do.

9. *Meae nutric. gn. vid.* Cf. Eun. II, 2, 58. V, 6, 5. *neq. ille investig.* Cf. Eun. II, 3, 5. Heaut. IV, 2, 8. *quid ag.* Deliberatio.

10. *Qui ej. pat. est.* Nota, continuari orationem Sophronae, Chremete non animadverso. Itaque conserenda una serie sunt, *neq. ille investigatur. qui ej. pat. est.* Eod. modo Chaerea in Eun. II, 3. solus sibi visus loquitur secum usq. dum Parmenonem adesse animadverterit, *Qui* pro Quis. Nescit enim, quo nomine lateat Phanii pater Athenis. *adeo*; cf. Eun. III, 5, 9, not. *dum cognosco.* Partic. *dum* cum indicativo modo; cf. Andr. II, 1, 29. III, 6, 12. et Eun. I, 2, fin.

11. *Quodsi eum etc.* H. e. pone, finge, *eum* esse repertum; cf. Andr. I, 5, 23. *nih. est quod ver.* Animo recreato, deposuit aliquantum timoris. Vid. supra v. 3 *ea est ipsa.* Agnitio. Itid. Andr. IV, 5, 7.

Conloquar. *So.* quis hic loquitur? *Ch.* Sophrona! *So.* et meum nomen nominat?

*Ch.* Respice ad me. *So.* Di, obsecro vos, estne hic Stilpho? *Ch.* non. *So.* negas?

*Ch.* Concede hinc a foribus paulum p) istorsum q) sodes, Sophrona.

Ne r) me istoc posthac nomine appellassis s). *So.* quid? non t), obsecro, es?

Quem semper te esse dictitasti. *Ch.* st u)! *So.* quid has metuis fores?

*Ch.* Conclusam hic habeo uxorem saevam; verum istoc me x) nomine

Eo perperam olim dixi, ne vos forte imprudentes foris

Effutiretis y), atque id porro aliqua z) uxor mea rescisceret.

p) Fa. *paululum* antefert lectioni *paulum*, quam recentiorum libb. esse existimat. At ego in recent. C G. ch. an. 1472 exarato *paululum* inveni. q) C. G. m. *istrors.* c. gl. *in hanc partem.* r) Id. *Nec.* s) Var. *appellaris. appellasses.* V. I. *appelles.* t) L. antiq. *is.* Abest a Bemb. u) Pro, *st*, Codd. Be. exhib. *est*, quod Riv. tuetur. Sic it. in plusc. mss, x) Vulg. *de.* Non placet. Omitt. *de* l. Vict. quem cett. sequuntur. y) V. I. *diffamaretis.* z) Id. *via.* Ad. II, 4, 19.

12. *meum nom. nominat.* Infra 9, 1. Syntax. *nomen nominare* Cf. Eun. III, 5, 38.

13. *Resp. ad me.* Contemplare me, si me recognoscas. *Dii obs. vos.* Cf. Andr. IV, 5, 5. 6. *estne h. Stilpho?* „Cognitum dominum eo nomine appellavit, quod apud villam. In urbe id. dicebatur nomine Chremetis. *non.* Negat hoc nomen, ne cognoscatur ab uxore.

14. *Concede hinc etc.* Sic Heaut. III, 3, 11. Ad IV, 4, fin. *Concede* recede. *istors.* Cf. Heaut. III, 3, 27.

15. *Ne me ist. p. nom. appellass.* Sic Plaut. Amph. II, 2, 181. „*ne me appella* falso falso *nomine.*“ *appellassis.* Forma antiqua, cujusmodi Grotefend de lege Romuli adfert, „plorassit“ pro plorarit, ploraverit.

16. *'st*, nota silentii; cf. Andr. IV, 1, 58. *met. fores.* Recedere nempe a forib. jusserat Sostratam, supra v. 14.

17. *Conclus.* Cf. Andr. II, 3, 12. *saevam*, rabidam, iratam. Andr. V, 2, 27. *saeva* bestia vel fera dicitur. Phaedr. I, 31. „*saevis* unguib. Milvi etc.“ Citat apte Lindenbr. ex Tibull. III, 4, 74. „ferum conjugium.“ *verum*, assentientis.

18. *Eo*, Ob id, hanc ob causam. Eun. I, 2, 17. *Eo* vehementius eloquentiae studend. est, *ne* mali magno cum detrimento honor. plurimum possint.“ *foris*, palam. Heaut. V, 1. 50.

19. *Effutir.* Cic. Tusc. V, 31. „Nec haec sic agit, ut ex temp. quasi *effutire* videatur.“ *id*, nomen. *porro*, amplius. *ne ux. rescis.* Cf. Heaut. IV, 2, 5.

*So.* [a]). Istoc pol nos te hic invenire miserae nunquam potuimus.
*Ch.* Eho, dic mihi, quid rei tibi est cum familia hac [b]), unde exis.
[c]) Ubi illae [d])? *So.* miseram me! *Ch.* hem, quid est? vivuntne? *So.* vivit gnata.
Matrem ipsam ex aegritudine [e]) miseram mors consecuta est.
*Ch.* Male factum! *So.* ego autem quae essem anus deserta, egens, ignota,
Ut potui, nuptum virginem locavi huic adolescenti,
Harum qui est dominus aedium. *Ch.* (*obstupefactus*) Antiphonine? *So.* isti inquam ipsi [f]).
*Ch.* Quid? duasne is uxores habet [g])? *So.* au! obsecro, unam ille quidem hanc solam.

a) L. antiq. *Hem.* Delev. Fa. Nec est in Bemb. et Vatic. antiquiss. libb. b) V. I. *Demiphonis.* c) L. antiq. *Aut.* Delev. Fa. ex fide o. libb. suor. et ratione versus. d) L. antiq. *sunt.* Non agnosc. duo Be. Codd. Nec hab. ms. quid. ap. We. e) L. Bemb. *hac.* Abest a compl. al. f) L. antiq. *Antiphonin? Em, isti ipsi*: Sed Be. ex Codd. duob. inserit *inquam*, omisso *Em.* Sic it. mss. We. g) Delet Be. *habet* contra omnes, quod existimat esse ex interpretatione interlin. natum.

20. *Istoc.* Par. in marg. „Stilphonis nomine."

21. *quid rei tibi est cum etc.* Cf. Ad. II, 1, 22. *unde exis*; cf. v. 5.

22. *hem, quid est etc.* Sciscitantis. Sic it. Plaut. nescio quo loco, „Quid pater? vivitne?"

23. *ex aegritud. mis.* „Breviter et casus et causa modo ostenditur." Eu. Adjungo notam Donati hanc, „Bene modo ratus est ut neq. nimis aegre ferat, neq. rursum ἀπαθής sit. Et haec est οἰκονομία, ne in ead. urbe duae uxores plus mali ex sollicitudine afferant Chremeti, quam ex alterius morte tristitiae. Neque in comoedia possunt nimis miserabiles mortes esse; ne res in tragoediam transeat."

24. *Male fact.* Formula dolentis et indignantis. Andr. I, 1. 78. *ego aut. quae ess.* „Purgatio veniali statu posita." Eu. *anus deserta, egens, ignota.* Singula pronuntianda sunt.

25. *nupt. virg. locavi h. adolesc.* Cf. supra IV, 3, 41, not. Et Plaut. Curc. Argum. 7. „Ipsius sororem Phaedromo *nuptum locat.*"

26. *Har. qui est domin. aed.* Mirari possumus, filium patre vivo *dominum aedium* appellari. Sed We. ex ICtorum sententia hoc ita esse affirmat.

27. *Quid*, mirantis magis quam interrogantis. Eun. III, 2, 10. *duasne is ux. hab. Duas* dicit, solam recordans, quam a Phor-

*Ch.* Quid illam alteram [h])? quae dicitur cognata. *So.* haec ergo 'st. *Ch.* quid ais?
*So.* Composito factum 'st, quo modo hanc amans habere posset
Sine dote [i]). *Ch.* Di vostram fidem! quam saepe forte temere
Eveniunt, quae non audeas optare. offendi adveniens
Quicum [l]) volebam, atque uti [m]) volebam, filiam locatam.
Quod nos ambo [n]) opere maxumo dabamus operam, ut fieret [o]),
Sine nostra cura maxima [p]), sua cura haec sola fecit.
*So.* Nunc quid opus facto sit [q]), vide. pater adolescentis venit;

h) L. antiq. *illa altera.* Bemb. ut supra. i) V. I. *ut non dotaret eam sicut alienigenam.* l) Fa. *Quocum.* m) L. antiq. *ut.* n) V. I. *ego et Demipho.* o) Al. ord. *dab. ut fier. oper.* p) Distinguo post *maxima* cum Par. Be. Mu., non cum We. post *cura.* Hunc vers. Be. ut subdititium uncinis inclusit. q) Mss. quid. et Ed. 1469. ap. We. *Numquid op. facto est.*

mione scit injunctam adolescenti. *au, obsecro*; cf. Eun. IV, 3, 14. *quidem*, sane, certe.

28. *Quid.* Ellips. propter *Quid.* Sic saepe. *ill. alteram.* Fa. subaudit, „nonne habet uxorem? *quae dicit. cognata.* Par. in marg. „Antiphonis a Phormione scilicet." Supra II, 3. *ergo.* Cum affirmatione. Andr. V, 2. 9. Et Plaut. Epid. III, 4, 40. „quia tu fidicinam Produci intus jubes? Pe. Haec *ergo* est fidicina. hic alia nulla est." *quid ais*, obstupentis.

29. *Composito.* Adverbii loco pro de, ex composito. Virg. A. II, 129. *hab. poss. Sine dote.* Plaut. Trin. III, 3, 7. „Ut eam *sine dote* frater nuptum collocet."

30. 31. *forte tem. Even.* Menander: *Ταὐτομάτων ἡμῶν καλλίω βουλεύεται:* Similis sententia Plauti, „Insperata accidunt magis saepe quam quae speres." Most. I, 3, 40. *forte temere.* Jungitur utraq. vox Liv. X, 43. et Cic. Divin. II, 68. *offendi adven.* Eun. II, 2, 3. Far. not. „*Παραγενόμενος*, postquam adveni."

32. *Quicum. Qui* est proprie sext. casus pro Quo. Unde et *Quicum* pro Quocum. Cic. de Offic. III, 19. *voleb. locatam.* Cf. *oratos volo*, Heaut. Prol. 26.

34. *Sine nostra c. max.* Recte *maxima*, quia dixerat *maximo opere*, v. 32. Ante *Sine nostra etc.* praemittendum est, Id. Unde ordinares v. 33. 34. *Quid nos ambo etc.* Id *sine nostra cura etc.* Pronom. *sua* pro ejus, vid Sanct. Min. II, 12.

35. *vide*, Nunc a patre, cui consilia placent, auxilium petit, cujus ipsa inops fuit ab initio scenae

Eumque animo iniquo hoc oppido ferre ajunt. *Ch.* nil pericli 'st.
Sed per Deos atque homines! meam esse hanc, cave resciscat quisquam.
*So.* Nemo ex me scibit. *Ch.* sequere me: intus cetera audies [r]).

r) Be. *audiemus.* Sic vult, sic ponit invitis libris.

36. *Eumq. animo iniquo etc.* Cf. supra v. 4. *nih. pericl. est.* subaudi, Nisi ab uxore.

37. *Sed per Deos etc.* ,,Adjurationis genus est." Do. Et Eu. notat, Chremes poscit silentium, ne aliquis ejus esse filiam recognoscat, *per Deos atq. hom.* rogat potius quam terret." *cave resc. quisq.* Cf. supra v. 19.

38. *Nemo ex me scib.* Docta responsio; nostram enim taciturnitatem debemus polliceri, utcunq. alias fortasse res palam fiat. *scibit* antique pro sciet. *intus.* Par. explic. ,,In aedibus Demiphonis." *audies.* Eod. sensu quo *scies*, Andr. I, 1, 88.

## ACTUS V. SCENA 2.

### DEMIPHO. GETA.

*De.* Nostrapte [a]) culpa facimus, ut malis [b]) expediat esse,

a) V. I. *nostra ipsa.* b) Sic Be. ex trib. veterr. Recte. Placet enim *expedit* cum duplici dativo, uti licet: etsi careamus exemplis aliorum. Vulg. *malos.* Heaut. II, 4, 8.

,,Haec scena verba tenet Demiphonis revertentis, posteaquam datum est argentum. Aut arctius ab ea parte argumenti: Demipho se ipsum excusat, quod dum avaritiae maculam studet effugere, in stultitiae reprehensionem incideret. Dolet enim Phormioni datum esse argentum."

1. *Nostrapte.* Adjuncta syllaba, *pte*, ut Liv. I, 25. ,,feroces *suopte* ingenio." *Nostr. culpa facim. ut etc.* Haec in universum dicta ~~sunt, ea~~ vertere videtur in semetipsum. *ut mal. exped. esse.* ,,Succenset Demipho fieri non posse, ut quis famam bonam et opus simul tueatur." We. *expediat*, juvet. *Expedit* cum dativo q. d. prodesse, utile esse. Cic. de Offic. III, 19. ,,facere quod

Dum nimium dici nos bonos studemus et benignos.
Ita fugias, ne praeter casam [c]), quod ajunt. nonne id sat erat?
Accipere ab illo [d]) injuriam; etiam argentum 'st ultro objectum [e]),
Ut sit qui [f]) vivat, dum aliud aliquid flagitii conficiat.
*G.* (*assentando deridet senis seram poenitentiam*) Planissume. *De.* his nunc praemium est, qui recta prava faciunt.
*G.* Verissume. *De.* ut stultissime quidem illi rem gesserimus.
*G.* Modo ut hoc consilio possiet [g]) discedi, ut istam ducat.
*De.* Etiamne id dubium 'st? *G.* haud scio hercle, ut homo 'st; an mutet animum.
*De.* Hem! mutet animum [h])? *G.* nescio; verum, si forte, dico.

c) V. I. *ne excedas mentem tuam.* d) Id. *Phormione qui nobis nolentib. filio nostro dedit uxorem.* e) Erasm. ed. *ei.* f) V. I. *quomodo.* g) Id. *possit.* h) Vulg. *autem*

utile sit, *quod expediat.*" Et Justin. 34, 1. „*expedire* omnibus, ut leges habeant."

2. *benignos*, nimium faciles, comes. Supra IV, 3, 18.

3. *Ita fug. ne praet. cas.* „Adagium venustum, quo quidem admonemur, ne sic aliquod vitium fugiamus, ut in aliud majus incauti devolvamur." v. Erasm. p. 127. Quod vero Gronov commode observat de more esse servorum fugitivor. exortum, domini *casam* aut villam fugitantium, ubi facile comprehensi retrahantur in servitutem. Cujus verbi vim Demipho expertus est eam, ut se, dato argento traderet in potestatem alienam. *non. id sat. er.* Cf. infra 5, 14.

4. *Accip. ab illo injur.* Eun. IV, 7, 1. *etiam*; cf. Hec. IV, 1, 20. *object.* Tanq. bolus cani.

5. *qui*, unde, qua re. *aliud aliquid* vetuste pro *aliud* quid.

6. *his n. praem. est qui etc.* Haec vultuose dicta. Tangit aurem cum Phormione causidicos omnes.

7. *Verissime.* Sic adulatus senem Syrus elusit, in Ad. III, 3, 63. *stultiss.* Conice hic resonat superlativus post prior. *Planiss. Veriss.* v. 6. 7. *illi rem gesserimus.* H. e. illi lucrum conciliaverimus. Plaut. Pers. IV, 3, 34. „Ego valeo recte, *et rem gero*, et facio lucrum." *illi* pro illic, i. e. hac in re. Andr. IV, 3, 5.

8. *Modo ut* pro, dummodo; cf. supra I, 2, 9. *poss. disc.* Verb. *discedere* signific. abire. Eun. IV, 4, 48. Sensus, „*Modo ut* Phorm. hac pecunia adducatur, ut eam ducat." We.

9. *Etiamne*; cf. supra v. 1, not. *haud scio an* pro fortasse. *ut homo est*: vid. ad Ad. I, 2, 63.

10. *nescio* sc. an mutet. *si forte.* Par. „*si forte* casus aliquis.

*De.* Ita faciam, ut frater censuit, ut [i]) uxorem huc ejus [l]) adducam,
Cum ista ut loquatur. tu, Geta, abi prae, nuntia hanc venturam.
*G.* Argentum [m]) inventum 'st Phaedriae: de jurgio siletur.
Provisum est, ne in praesentia haec [n]) hinc abeat. quid nunc porro?
Quid fiet? in eodem luto haesitas. vorsuram [o]) solves,
Geta. praesens quod fuerat malum, in diem abiit [p]); plagae crescunt,
Nisi prospicis. nunc hinc domum ibo, ac Phanium edocebo,

pro *animum.* Sed mss. quid. We. *animum* idq. ex more Terent. repetendi prius; cf. Eun. II, 3, 57. V, 2, 19. 20. Heaut. I, 2, 18. et sic al. i) Recentt. Codd. ut Be. test. non hab. *ut.* l) Al. inv. *ej. huc.* m) V. I. *secum.* n) Id. *Phanium.* o) Mss. var. *vorsuram* et *vorsura.* Differt quidem utraq. lect. in syntaxi, sed in sensu convenit. p) Cod. Hal. *abit* c. gl. *crescit.*

ita tulerit." Nota formulam *si forte etc.* Heaut. III, 2, 40. *verum, si f. dico.* It. callide Davus in Andr. I, 2, 33. 34. domini praeparat animum ad ea, quae eventura sint, ut, quae ipse machinatus sit, videatur praedixisse.

11. *Ita fac. ut fr. cens.* Cf. supra IV, 5, 7. *ut ux. huc ej. adduc.* Scilicet Nausistratam in domum Demiphonis, ubi Phanium sit cum Antiphone marito.

12. *Cum ista ut etc.* Cf. infra 9, 22. *abi prae*; cf. Andr. I, 1, 144. *nunt. hanc vent.* Cf. Hec. III, 1, 34. Sensus, Nuntia Phanio, Nausistratam esse *venturam.*" We.

13. *Argent. invent. est.* Quo sc. emunxerat senes; cf. IV, 4. *Phaedriae.* Dativ. commodi. *de jurg. sil.* Par. „inter Demiphon. Phorm. et mecum;" vid. supra II, 3. Senes enim cavebunt, ne quid de *jurgio* illo ad Nausistratae veniat aures.

14. *in praesentia*, hocce temporis momento.

15. *in eod. luto haesitas.* „A viatorib. et viis lutulentis translata metaphora, q. d. in ead. difficultate implicitus teneris." We. Add. Erasm. Adagg. *vorsur. solv.* Proverb. de iis qui sic se praesentib. malis extricant, ut aliis grandiorib. implicentur. Dicit autem Cicero *versura* pro sumtione pecuniae mutuae p. Flacc. 20. Sensus, Creditorem mutas, manente debitore.

16. *praesens quod f. mal.* Par. in marg. „Ne eriperetur fidicina Phaedriae." *in diem ab.* Dilatum est. Eun. V, 6. 19. *plagae cresc.* Cf. Eun. II, 2, 13. plagae mihi ingerentur innumerae.

17. *Nisi prospic.* Cf. Heaut. II, 1, 11.

Ne quid vereatur Phormionem [q]), aut ejus orationem.

q) Mutat Be. *Phormionem* in *Nausistratam*, quo nomine, a librariis neglecto, arbitratur sane sensum adjuvari, illo supprimi. Nam non est, inquit, cur Phormionem vereatur Phanium. Gu. hunc vers. improbante We. ejecit.

---

# ACTUS V. SCENA 3.

## DEMIPHO. NAUSISTRATA. CHREMES.

*De.* Agedum, ut soles, Nausistrata, fac illa ut [a]) placetur nobis,
Ut sua voluntate, id quod est faciundum, faciat. *N.* faciam.
*De.* Pariter nunc opera me adjuves [b]), ac dudum re [c]) opitulata es.

a) L. antiq. *ut illa.* Sed Fa. ut supra numerosius. b) Var. *adjuvas. adjuva.* c) L. Bemb. *re dud.*

„Divitis uxoris de marito licentius conquerentis haec allocutio est, cum dispositione futurarum turbarum." Do. *Nausistrata*, „matrona, magnificum nomen, a copiis navalibus, quarum gloria populus Atheniensis aliquando floruit." Mu.

1. *Agedum*; cf. Eun. IV, 4, 27. Heaut. III, 2, 39. „Hic Demipho inducitur, ut Nausistratam ex praecepto Chremetis ad Phan. ducat, Chremes, ut filia sua recognita Nausistratam removeat." Schol. *ut soles.* „His verbis benevolentiam captat." We. *fac. illa ut etc.* Respicit dictum fratris, supra IV, 5, 13. Sic Andr. II, 5, 11. *plac.* Cf. Heaut. V, 4, 21. *illa* sc. Phanium.

2. *faciat.* Abeat sc. ab Antiph. viro nuptum Phormioni. *faciam* sc. ut placetur.

3. *Parit. nunc op. m. adj. ac dud. etc.* Ordina, *nunc par. ac dud.* Adeo autem concinna est oratio, ut paria haec singula sibi respondeant vicissim, *nunc*, *dudum*; *opera*, *re*; *adjuves*, *opitulata es.* Vid. Heaut. I, 1, 15. *opera me adjuv. ac etc.* Auxilium amici est aut in *opera* positum aut in *re* sc. familiari; cf. Cic. de Amicit. 14. *re opit. es. re* sc. pecunia, quam ex rure redactam praebuisti mihi in necessitatem." G. Parum abest, ut incaute Demipho effutiat, quod sibi soli patefecerit Chremes supra IV, 3, 76.

*N.* Factum volo, ac pol minus queo viri culpa, quam me dignum 'st.
*De.* Quid autem? *N.* quia pol mei patris bene parta indiligenter
Tutatur: nam ex his praediis talenta argenti bina
Statim capiebat. hem, vir viro quid praestat! *De.* bina? quaeso.
*N.* Ac rebus vilioribus multo [d]), tamen talenta bina [e]). *De.* hui!
*N.* Quid haec videntur? *De.* scilicet. *N.* virum me natam [f]) vellem!
Ego ostenderem ... *De.* certo scio. *N.* quo pacto. *De.* parce, sodes [g]),

d) Be. ejicit *multo*, nec ullius c. auctoritate suffultus. e) Al. *duo* minus latine. f) Sic l. antiq. In Be. codd. *natum*. Sed placet prius. Itid. Cic. Fam. IV, 5. „quoniam homo *nata* erat;" et Justin. I, 2. „Semiramis puer esse *credita* est." Notand. est enim latine non puerum, sed Semiramidem esse creditam. Id etiam ex Cic. probatur ad Fam. epp. IV, 5. „quoniam (muliercula) *homo nata* fuerat." In ead. epist. „Visne tu-Servi, memimisse, *hominem* te esse *natum*." Itid. g) V. I. *minus loquere*.

4. *Fact. volo.* „Formula significantis animi promtitudinem" We. *minus queo* Sub. vel tibi vel amicis aliis opitulari. *min. quam me dign. est.* Honestum verb. mulieris honestae et ingenuae. Itid. Eun. IV, 6, 10. V, 2, 25.

5. *bene parta.* Proprie bona aut *bene* aut male parta dicuntur. Cic. Senect. 19. *indilig.* Proprie. Diligentia enim desideratur inprimis patris familias. Cic. Verr. IV, 18.

6. *Tutatur*, servat. Hec. V, 1, 9. *talenta arg. bina*; vid. ad Andr. V, 4. *ex his praed.* Supra IV, 3, 75.

7. *Statim*, „perpetuo, aequaliter, quasi uno statu." Do. Tacit. A. IV, 38. Sed We. explic. „Ita singulis annis ut nunq. minus." *capieb.* sc. pater meus. *Capere* proprie dicunt fructus vel reditus praediorum. Cic. Parad. VI, 3. *Capit* ille *ex* suis *praediis* sexcenta: ego centena ex meis." *vir viro quid praest.* Cf. Eun. II, 2, 1. Sensus, „Quod pater industria et diligentia auxit, id maritus vel negligentia vel luxu perdit." We.

8. *reb. viliorib. multo.* H. e. quum *multo* minus cara esset annona, minorq. adeo reditus exspectaretur. Phaedr. II, 7, 9. „*vile* hordeum," pro ratione fiscorum cum pecunia. *tamen*, significantius, suppresso, etsi vel quamvis.

9. *Quid h. vid.* sc. tibi. *Quid* pro Quomodo. *scilicet.* Est frigide respondentis. *natam.* Hoc eleganter additum.

10. *Ego ostend.* „Haec cum stomacho pronuntiantur; unde et interpellatur a Demiphone. Similis ejusd. verbi usus est, Andr. V, 2, 26." We. *certo scio.* Haec interponit placandi causa. *quo pacto.* Collige interrupta sic: *Ego ostend.* quo *pacto* pacta essent tutanda

Ut possis cum illa, ne te adolescens mulier defatiget [h]).
*N.* Faciam, ut jubes. sed meum virum abs te exire video. *Ch.* ehem [i]), Demipho,
Jam illi datum est argentum? *De.* curavi ilico. *Ch.* nollem datum.
Hei [l])! video uxorem: paene plus quam sat erat. *De.* cur nolles? Chreme.
*Ch.* Jam recte. *De.* quid tu? ecquid locutus cum ista [m]) es? quamobrem hanc ducimus [n]).
*Ch.* Transegi. *De.* quid ait tandem? *Ch.* abduci [o]) non potest. *De.* qui [p]) non potest?
*Ch.* Quia uterque utrique est cordi. *De.* quid istuc nostra? *Ch.* magni: praeter haec

h) Var. *defetig. adfatig. adfetig.* i) C. G. m. *hem.* Hoc loco Bi. novam incipiunt scenam. l) V. I. *dolentis interjectio.* m) Id. *Nausistrata.* Errat interpres; nam Phanium potius intelligitur. n) Id. *a domo nostra.* o) C. G. m. gl. *abstrahi ab Antiphone.* p) V. I. *quare.* Al. leg. *quid? non potest?*

s. servanda. Pergit Nausistrata stomachari, sed iterum interpellatur. *parce.* Bi. suppl. „voci tuae.“ *tibi* ex Heaut. I, 1, 112. Gall. ménagez-vous.

11. *Ut poss.* absolute. Heaut. Prol. 27. 47. At We. suppl. „contendere verbis.“ *cum illa.* Pronom. *illa* utitur, ne Phanio iratus nominet ipsam. Explic. Par. „Si forte sua voluntate nolit abire;“ cf. v. 2. *ne te adolesc. m. defatig.* Quippe quae *adolescens* eoq. valentior quam matrona, facile eam superabit.

12. *Faciam.* Redit de viro culpato ad superius, v. 2. Observat autem Eu. „naturale esse mulierum, uti de viris querantur, maxime si ipsae dives sint.“ Poeta tamen bene praeparavit ad iracundiam mulieris.

13. *Jam illi.* Phormioni. Hoc id. est, quod convenerat inter fratres, supra IV, 5. *curavi ilico.* Quod videlicet transactum fingitur post scenam. *noll. dat.* Cf. supra v. 9. Bene *nollem datum* dicit, postquam a nutrice repertam sibi natam cognovit.

14. *paene plus quam etc.* Subaudi, dixi. Argentum innuit commemoratum, cujus intempestiva esset mentio praesente uxore. Supra IV, 1, 19.

15. *Jam recte.* Concedentis est quodammodo. Sed ob uxoris praesentiam non ausus est loqui, nec potest tamen reprimere linguam fratris. *hanc ducim.* sc. Nausistratam. Supra IV, 5, 7.

16. *Transegi*; cf. Andr. V, 9, 17. *tand.* Cf. Ad. IV, 5, 31.

17. *uterq. utriq. est cordi.* Antipho et Phanium. Cf. Heaut. II, 4, 14. *quid ist. nostra* sc. refert.

Cognatam comperi esse nobis. *De.* quid? deliras. *Ch.*
sic erit.
Non temere dico, redi mecum in memoriam. *De.* satin' sanus es?
*N.* Au! obsecro, cave [q]) ne in cognatam pecces [r]). *De.*
non est. *Ch.* ne nega.
Patris nomen aliud dictum est: hoc [s]) tu errasti. *De.*
non norat patrem?
*Ch.* Norat. *De.* cur aliud dixit? *Ch.* nunquamne
hodie concedes mihi?
Neque intelliges? *De.* si tu nil narras. *Ch.* pergis [t])?
*N.* (*secum*) miror, quid hoc siet.
*De.* Equidem hercle nescio. *Ch.* vin' scire? at ita
me servet Jupiter,
Ut proprior illi, quam ego sum ac tu, homo [u]) nemo 'st.
*De.* Di vostram fidem!
Eamus ad ipsam. una omnes nos aut scire aut nescire
hoc volo. *Ch.* ah!

q) L. antiq. *vide.* r) V. I. *ejiciendo.* s) Id. *propter.* t) L. Vict. *perdis.* u) Abest *homo*, a l. Bemb. Retinet Fa. ac Be. ex suis libb. Eun. III, 5, 1.

18. *Cognat. comperi etc.* A Sophrona scilicet, supra I, 28. seqq.

19. *Non tem. dico.* Ita Sallust. Jug. 93. „Audacter hoc dico, non *temere* confirmo." *red. mec. in memor.* Plaut. Capt. V, 4, 24. „*In memoriam redeo.*" Vult enim meminisse fratrem, quid narraverit ei de altera uxore Lemnia, atque inde nata filia. Demipho autem et tardus et importunus est." We. Supra IV, 1. *sat. san. es?* cf. Andr. IV, 4, 10, not. Nequaquam credere potest Demipho illam, de qua cum Phorm. tam acriter contenderit, et quam ipse voluerit prohibere domo, sibi esse cognatam. Inde obstupet hac re audita.

21. *Patris nom. aliud dict. est.* „In judicio a Phormione, sed et a Phanio ejusq. matre mortua." We. Supra II, 3, 42. 43.

22. *cur al. dix.* sc. nomen. *conced. mihi.* Cedere et *concedere.* dicuntur, qui desinunt adversari. Hor. Serm. II, 3, 305. „liceat *concedere* veris."

23. *Neq. intellig.* Plane immemor esse videtur Demipho fratris supra monentis ac verentis, *ne ux. resciscat*; cf. IV, 1, 19. *perg.* Sic Micio fratri it. importuno, Ad. V, 3, 67. *miror* pro nescio

24. *Ita me serv. Jup.* Jurandi formula, aut scabrosus sermo ob praesentiam uxoris. *ita servet. ut - est.* Constructio haec ead. I, 3, 13.

25. *prop. illi.* Sub. genere et consanguinitate. *homo*; cf. Andr. II, 2, 7.

26. *Eamus ad ips.* Cf. supra III, 3, 29. *aut scire aut nescire.* Formula significans, quacunq. ratione scire. Sic Plaut. Epid.

*De.* Quid est? *Ch.* itan' parvam [x]) mihi fidem esse apud te? *De.* vin' [y]) me [z]) credere?
Vin' satis quaesitum mi istuc esse? age, fiat. quid [a])? illa filia
Amici nostri quid futurum 'st? *Ch.* recte. *De.* hanc igitur mittimus?
Quidni? *De.* illa maneat [b])? *Ch.* sic. *De.* ire igitur tibi licet, Nausistrata.
*N.* Sic pol commodius esse in omnes arbitror, quam ut coeperas [c]),
Manere hanc; nam liberalis visa 'st, cum vidi, mihi. (*Nausistrata abit*)

x) Al. *parum.* y) C. G. m. *vis.* z) Id. *hoc.* a) Mallem si per Codd. liceret text. distributum int. personas ita: *Ch. age, fiat. De. quid? illa filia Amici etc.* b) V. I. *Phanium.* c) Ms. Par. *eicere.* Glossam sapit.

III, 1, 3. „sit ne quid, nec ne sit *scire* cupio.“ *ah.* Indignabundus inclamat; ac nutu capitis, ob Nausistr. timens loquitur, quod tardior frater non intellexit.

27. *Quid est?* Quid hoc tibi vis? Ad. II, 1, 21. *itane parvam fidem etc.* Plaut. Pseud. I, 5, 52. „*Parvam esse apud te mihi fidem* ipse intelligo.

28. *Visne sat. quaesitum etc.* H. e. visne, me ultra nihil quaerere? Ita abrumpit sermonem ac dubitationem. At Do. ad h. l. notat: Hoc totum pro una persona quidam legunt.“ Ac revera incommodum videtur, haec omnia, quae tam diverso argumento sint, uni personae adscribere. Quapropt. aptius erit statuere, ut Chremes fratri sibi molesto respondeat, *age, fiat,* h. e. ut supra, *Eamus ad ipsam.* Tunc Demipho, parum minuta animi concitatione, pergit, *quid? illa fil. Amici etc.* Et accipitur *illa filia* sexto casu pro de *illa fil.* Heaut. III, 1, 53.

29. *Amici nost.* Recte *Amici nostri* dicit, ne, nomine Chremetis appellato, rem sentiat Nausistrata. *recte.* Laudantis fratrem, qui tandem aliquando in memoriam redit superiorum; cf. IV, 1. *hanc,* Nausistratam scilicet. Supra v. 15. Quae cum illa loquatur; secund. v. 1, 2. *igitur.* Hac particula solent sequentia priorib. annecti. Quod enim pluries constituerant senes, mittere Nausistratam ad Phanium colloquendam, id nunc denuo commemorat Demipho faciendum. Alii Phanium mittendam opinantur. Falso.

30. *Quidni?* Cf. Andr. II, 1, 15. *illa maneat*; cf. v. 16. *ire igitur tibi licet* sc. domum. Atque inde Nausistratae opera non est opus. Nam mutata est Phanii causa eventu.

31. *in omnes.* Subaudiunt quidam, nos. *commodius esse in omnes.* Haec accipimus pro magis convenire, magis prodesse. Andr. III, 3, 15. IV, 1, 4.

32. *Manere hanc*; cf. infra 8, 33. *perliberal.* Cf. supra I, 3, 16.

*De.* Quid istuc negoti 'st? *Ch.* jamne operuit ostium?
*De.* jam. *Ch.* o Jupiter.
Di nos respiciunt: gnatam inveni nuptam cum tuo filio.
*De.* hem!
Quo pacto id potuit? *Ch.* non satis tutus est ad narrandum [c]) locus.
*De.* At tu intro abi. *Ch.* heus, ne filii quidem nostri hoc resciscant volo.

d) We. Par. Lindenbr. al. *Jupp.* C. G. u. *Jup.* per unum, p. e) C. G. m. *hic.*

33. *quid ist. neg. est?* cf. Ad. IV, 5, 4, 8. Postquam abiit Nausistrata, Demipho fratri propius accedit, ut ab eo audiat, an verum sit, quod is Phanium sibi ex Lemnia uxore natam esse annuisset. *jamne op. ost.* Meticulosus Chrem. est, ne uxor paulum aperta janua auscultet. *jam* sc. operuit ostium. *o Jup.* ,,Haec uxore jam remota clarius exclamat Chremes.'' Do.

34. *Dii nos respic.* Andr. IV, 1, 18. *nupt. c. t. fil*; cf. Hec. IV, 1, 19.

35. *Quo p. id potuit* sc. fieri. *ad narrand.* Illa scilicet quae ex Sophrona de Phanio audiverit ejusq. matre mortua.

36. *intro.* Intelliguntur aedes Demiphonis. *hoc rescisc.* Hec. V, 4, 28.

---

# ACTUS V. SCENA 4.

## ANTIPHO.

Laetus sum, ut [a]) meae res sese habent [b]), fratri obtigisse, quod volt.

a) L. antiq. *ut ut.* Sed Fu. unum *ut*, ex ratione versus detraxit. b) Ed. an. 1469 *habeant.*

,,Antipho adolescens ignorans, quod comperta sit uxor sua secum loquitur, laudans fortunas Phaedriae.'' Eu.

1. *Laet. sum, ut meae res s. hab.* Explic. Be. Pro malo rerum mear. statu; in quantum res meae me laetari patiuntur.'' Ad. II, 2, 40. Et Cic. Orat. I, 25. ,,*res se* praeclare *habet.*'' Itid. II, 67. *fratri obtig. q. vult*; cf. Heaut. IV, 5, 5. *fratri.* ,,Intelligit Phaedriam patruelem.'' We. Sic Sueton. Caes. 29. — ,,C. Marcello, qui *fratri* patrueli successerat.''

Quam scitum 'st [c])! ejusmodi parare [d]) in animo cupiditates,
Quas [e]), cum res adversae sient, paulo mederi posses.
Hic simul argentum [f]) reperit, cura sese expedivit.
Ego nullo possum remedio me evolvere [g]) ex his [h]) turbis,
Quin, si hoc celetur, in metu; sin patefit, in probro sim [i]).
Neque me domum nunc reciperem, ni mi esset spes ostenta [l])
Huiusce habendae [m]). sed ubinam Getam invenire possum [n])?
Ut rogem, quod tempus conveniundi patris me capere jubeat [o]).

c) V. I. *salubre.* d) Ms. Pal. quint. *huiusm. parere.* e) Id. ms. *Quibus.* f) Ms. quid. ap. We. *ut.* g) C. G. m. *exsolvere.* Ibid. Mu. teste in lib. G. Fabricii ac Lolgii. h) Ms. Lindenbr. *istis.* Itid. C. G. m. i) L. antiq. al. *siem.* Sed Fa. *sim* metri causa. l) Var. *ostensa. ostentata.* m) Be. *habendi* mire. Infra 6, 40. n) Al. *possim.* o) In mult. antiquis Be. monente, *suadeat.*

2. *Quam scit. est*; cf. Heaut. I, 2, 36. *cupidit.* h. e. meretricii amoris.

3. *Quas mederi.* Sic Priscian. cum accusativo antique, vid. lib. 8. Et est *Quas* per hellenism. Similit. Virg. A. VII, 756. „medicari cuspidis ictum." *cum res adversae s.* „Quum desideratae fuerint; id. est, quum harum penuria fuerit." Do. *paulo.* Adjectiv. nomen est sc. pretio. Quo nempe soluto, Phaedria potitus erat sua amica.

4. *Hic* sc. Phaedria frater. *simul* pro simul ac, quam primum. *argent. reper.* Cf. supra 2, 13. *cura sese expediv.* Cf. Hec. III, 1, 8.

5. *nullo remed.* Cf. Andr. III, 1, 10. *me evolv. ex his turb.* Cf. Eun. IV, 4, 55. „Est autem metaphora a fili glomere translata." We. Atque *turbae* in comoediis dicuntur, ubi res gerendae adeo implicitae sunt, ut vix eventus earum appareat.

6. *Quin, si hoc celetur.* Tangit argentum Phormioni datum. *si celet. sin. patef.* Constructio haec cf. supra I, 2, 66. *patefit* pro patefiat; cf. IV, 1, 18. Quod vero metrum excusat. *in probro sim* sc. apud patrem.

7. *me dom. recip.* Cf. supra IV, 3, 1. *nisi mihi spes ost.* Hanc *spem* ostenderat Geta, supa IV, 4. siquid. Phormio, si vel maxime accepisset argentum, non erat ducturus Phanium, quod promiserat senibus." We. *ostent.* Cf. Eun. III, 5, 57.

8. *habendae*; cf. Andr. V, 3, 8. Ad. IV, 4, 14. *sed ubinam etc.* Cf. Andr. V, 6, 1.

9. *quod temp.* Par in marg. „Tempore venire omnium rerum est primum." Cic. Fam. XI, 16. „ut tempus observaret epistolae tibi reddendae."

# ACTUS V. SCENA 5.

## PHORMIO. ANTIPHO.

*Ph.* (*secum*) Argentum accepi, tradidi lenoni; abduxi mulierem;
Curavi, propria ea [a]) Phaedria ut potiretur [b]). nam emissa 'st manu [c]).
Nunc una mihi res etiam [d]) restat, quae est conficiunda, otium
Ab senibus ad potandum [e]) ut habeam: nam aliquot hos sumam dies.
*A.* Sed Phormio 'st. quid ais? *Ph.* quid? *A.* quidnam nunc facturu 'st [f]) Phaedria?

a) Sic in libb. Bc. In antiq. *ea propria*, absque synaloepha. b) L. Bemb. *poteretur*. c) V. I. *lenonis*. d) L. antiq. colloc. *res mihi etiam*. e) V. I. *ad convivandum cum Phaedria*. f) Bc. ex optimis *est*. Sic etiam in C. G. m. Vulgo *facturus*, omisso *est*. Par. ed. *factur 's* male.

,,Haec scena jactationem Phormionis continet, quod consiliis suis quae voluerit cuncta compleverit.'' Eu.

1. *Argent. accepi*, a Demiphone. *trad. lenoni.* pro redimenda puella. Supra III. 2. et 3, 24. *abduxi mul.* Ad. II, 1, 44. Par. in marg. ,,fidicinam.'' Supra II, 3, 89. 90.

2. *propria.* Par. explic. ,,non communi cum alio: immo potius perpetua, ut Andr. V, 5, 4. Et Virg. A. I, 77. ,,Connubio jungam stabili, propriamq. dicabo.'' *emissa est manu.* ,,Proprie de servis et ancillis libertate donatis, atque e potestate heri dimissis.'' We. Donaverat enim Phormio libertate puellam; id quod licebat emtori.

3. *Nunc una mihi res etc.* Cf. Andr. V, 4, 37. *conficienda*, perficienda. Heaut. IV, 5, 55. *otium Ab sen. ut hab.* Par. in marg. ,,Ne me statim cogant Phanium ducere, et ita mihi sint molesti.''

4. *hos sumam dies;* cf. Ad. II, 4, 23, not. Not. Eu. ,,dilationem petam.''

5. *Sed Ph. est?* cf. supra I, 4, 7. *est*, pro adest. Ad. V, 1, 5.

Quo pacto satietatem amoris ait se velle absumĕre [g])?
*Ph.* Vicissim partes tuas acturu 'st. *A.* quas? *Ph.* ut fugitet [h]) patrem.
Te suas [i]) rogavit rursum ut ageres; causam ut pro se diceres.
Nam potaturus est apud me. ego me ire senibus Sunium
Dicam ad mercatum, ancillulam emtum, quam dudum dixit Geta,
Ne, cum hic non videant, me conficere [l]) credant argentum suum.
Sed ostium concrepuit abs te. *A.* vide, quis [m]) egrediatur. *Ph.* Geta 'st.

g) Al. *sumere.* h) I. *vi fugit et.* i) L. antiq. *suam* sc. partem. Sed Fa. placuit *suas*, partes, quod est in Bemb. l) C. G. m. sup. script. *expendere*, quod it. pro gl. Bru. C. e. exhibet. m) Be. *qui* ex auctorit. Täerni.

6. *staietat. amor. absumere.* H. e. cavere ne *satietate amoris* corripiatur, tota possessione amica accepta. *satietat.* fastidium, cf. Eun. III, 1, 13.

7. *Viciss.* Bene *Vicissim*, cum Phaedria Antiphonis causam absentis coram patre tam fortiter defenderat. Supra II, 1. *part. tuas act.* „Translatio ab actorib. scenicis desumta q. d. t. imitaturus est." We. *ut fug. patr.* Eu. not. Quemadmod. tu propt. facinus ductae uxoris patrem fugisti, etiam ille propt. meretricem afuturus est."

8. *Te suas rogav. rurs. ut ag.* Ordo est, *Te rog. ut s. rurs. ag.* partes. Subauditur, apud patrem.

9. *potat. est ap. te.* Cf. supra v. 4. *apud me*; cf. Heaut. I, 1, 10. *Sunium*, vid. ad Eun. I, 2, 35. Fuit autem *Sunium* oppidum et aede Minervae magnifica et mercatu servor. antiquitus celebratum.

10. *ad mercat.* Plaut. Poen. I, 2. 127. „Quia ap. aedem Veneris hodie est *mercatus* meretricius." *ancill. emt.* „uxori Phanio" Par. *quam dud. dix. Geta*; cf. IV, 3, 60.

11. *hic*, Athenis. *conficere*, consumere, perdere. Sic Plaut. Capt. III, 5, 14. *argent. suum.* Sc. quod datum fuerat Phormioni pro Phanio ducenda uxore; cf. supra 3, 13. et quod ipse fatetur accepisse, supra v. 1.

## ACTUS V. SCENA 6.

### GETA. ANTIPHO. PHORMIO.

*G.* O fortuna! o fors fortuna [a])! quantis commoditatibus,
Quam subito, hero meo Antiphoni ope vestra hunc onerastis diem!
*A.* Quidnam hic sibi volt? *G.* nosque [b]), amicos ejus, exonerastis metu.
Sed ego nunc mihi cesso, qui non humerum [c]) hunc onero pallio;

a) V. I. *felix eventus fortunae.* b) Ms. We. *nos quoque.* c) Al. *umerum*, h lit. praecisa.

,,Haec scena totum solvit errorem, quod puella est cognita, quod conceditur Antiphoni. Nam Geta servus narrationem supponit, qua docet, quemadmod. cognitio sit effecta.'' Eu.

1. *o fors fortuna.* Eun. I, 2, 54. *Fortuna* autem ipsa est Dea. *commoditat.* Cf. Eun. II, 3, 81.

2. *hero meo Ant. hunc onerast. d.* Per. hypallag. pro herum meum onerast. hoc die. *onerastis*, cumulastis. *Onerare commoditatib.* locutio comica est, ut, ,,onerare voluptatibus.'' Plaut. Stich. IV, 1, 24.

3. *Quidn. h. sib. v.* Andr. II, 5, 1. 6, 26. Hoc ad Phorm. loquitur Antipho, non audiente Geta. *nosque.* Per partic. *que* continuatio indicatur Getae sermonis. *exonerast. metu.* Antithesis elegans. Plaut. Pseud. I, 3, 122. ,,onera hunc maledictis.''

4. *mihi cesso.* Sic Plaut. Pseud. I, 3, 12. ,,It dies, ego *mihi cesso.*'' Est autem *cessare* sibi q. d. se ipsum morari. *hum. hunc*, δεικτικῶς sc. sinistrum. Patet ex Propert. I, 20, 44. ed. Broukhus. ,,ex serto *humero*, ubi al. leg. *dextro* humero.'' Ita autem solebant festinantes palliati.'' *hum. h. onero pallio*; cf. Plaut, Capt. IV, 1, 1, 11. ,,eod. pacto, ut Comici servi solent, Conjiciam in collum *pallium.*'' Vid. ad. Eun. IV, 6, 31. Sed Eu. omnino recordari jubet, palliatas hic intelligi personas Graecorum, non Romanor. togatas. Sermonem quod attinet, Terentius, id quod probe We. notavit, accedit ad πολυλογίαν Plautinam, *onerast. exonerast. onera* dicendo.

Atque hominem propero invenire, ut haec, quae contigerint, sciat?
*A.* Num [d]) tu intelligis? quid hic narrat. *Ph.* num tu? *A.* nil. *Ph.* tantundem ego.
*G.* Ad lenonem hinc ire pergam: ibi nunc sunt. *A.* heus, Geta! *G.* hem tibi!
Num mirum aut novum est revocari? cursum cum institueris [e]). *A.* Geta.
*Ph.* Pergit [f]) hercle. nunquam tu odio [g]) tuo me vinces. *A.* non manes?
*G.* Vapula [h]). *A.* id quidem tibi jam fiet, nisi resistis, verbero.
*G.* Familiariorem oportet esse hunc [i]): minitatur malum.

d) Al. *Non.* e) We. p. var. *institeris.* f) V. I. *secum.* Al. leg. *Pergin.* Post *hercle* Bi. revoc. ex libb. quibusd. *curialis vernula est, qui me vocat.* g) Pro *tu odio* un. Be. Cod. *hodie.* h) Sic. l. Bemb. et Vatic. At We. ex Leidens. *Vapulabis.* Itid. C. G. m. ubi in marg. *vapulabo te si remansere.* i) Vulg. praemitt. *qui.* Quod vero pronom. nec Be. libb. agnoscunt.

5. *hominem* sc. Antiphonem. *prop. inv. ut etc.* Eod. fere modo Pamph. exsultans Davum quaerit, cui nuntiet, *quid* sibi ipsi *obtigerit*; cf. Andr. V, 6.

6. *Num tu intellig. quid etc.* Cf. Andr. III, 1, 19. *tantund. ego*; cf. Heaut. IV, 2, 9, not. Positum autem id in gestu est, ut ostendat, se ne minimum quid. intellexisse.

7. *Ad lenon. h. ire perg.* Cf. supra I, 2, 62. *ibi nunc s.* Par. suppl. „Antipho, Phaedria, Phormio.“ *hem tibi*, corrigentis. Itid. Plaut. Stich. V, 4, 46.

8. *Num mirum aut etc.* Sensus, Vulgo ita fit, ut servus currens revocetur. *novum*, inusitatum. Liv. 45, 29.

9. *Perg. hercle* sc. revocare. *nunq. tu od. t. me vinc.*“ Id est, nunq. pertinacia tua me revocare poteris.“ Eu. *odio tuo*, odiosa tua importunitate. v. Lexic. Plaut. Et Hor. Sat. I, 7, 6.

10. *Vapula*; cf. Eun. IV, 6, 4. Festus notat, *Vapula* tum dici solitum, cum vellent minitantibus significare, se eos negligere et non curare. *id quid tibi j. fiet.* Quod mihi optes, accidat tibimet ipsi. Eun. V, 4, 26. *resist.* Cf. Eun. II, 3, 46. *verbero*; cf. supra IV, 4, 3.

11. *Familiar.* „h. e. ita servum ut nunc sum.“ Eu. Nam *familia* dicitur servorum. *malum*; cf. Eun. V, 5, 27, not. Et Plaut. Pers. V, 2, 35. „Cave sis me attingas: ne tibi hoc scipione *Malum* magnum dem.“ Geta enim opinatur, se ab alio quod. suae conditionis, non a domino vocari.

Sed isne est? quem quaero; an non? ipsu 'st. *Ph.* [l]) congredere actutum. *A.* quid es'?
*G.* O omnium, quantum est, qui vivant [m]), hominum homo ornatissime [n])!
Nam sine controversia ab Dis solus diligere, Antipho.
*A.* Ita velim; sed, qui istuc credam ita esse mihi dici velim.
*G.* Satin' est? si te delibutum gaudio reddo. *A.* enicas [o]).
*Ph.* Quin tu hinc pollicitationes aufer, et quod fers, cedo. *G.* oh,
Tu quoque [p])'aderas? Phormio. *Ph.* aderam; sed tu cessas? *G.* accipe, (*tussit*) hem.
Ut modo argentum tibi dedimus apud forum, recta domum (*ad Phorm.*)

l) Be. continuat verba haec Getae, delcto nomine Phormionis. Non placet. m) L. Bemb. *vivont.* n) Al. *honoratissime.* o) C. G. m. *enecas.* Sup. scr. *me.* p) L. antiq. *hic.* Non hab. Bemb.

12. *Sed isne est*; cf. Andr. V, 4, 4. *ips. est*; cf. supra I, 3, 26. *congred.* accede huc.

13. *O omn. quant. est qui etc.* Periphrasis comica pro, quotquot vivunt. *quant. est* sc. hominum. Heaut. IV, 4, 6. Geta est maxim. adulator. *ornatiss.* *Ornatissimi* dicuntur qui maxime hujusmodi rebus instructi sunt, quae gloriam et magnam laudem existimationis pariunt. Flor. I, 7. ubi Duker. H. l. servus beatissimum praedicat ac felicissimum, matrimonio concesso.

14. *Nam*, Partic. haec in vulgato usu est, serviens explicationi prioris. *sine controvers.* „sine dubitatione, sine quaestione." Eu. *ab Diis sol. dilig.* Cf. Andr. V, 6, 9. *diligere* pro diligeris.

15. *Ita velim* sc. esse. Per mod. optativum. *qui*, quomodo.

16. *Satin' est.* Absolute dicit. sine dativo. Hor. Sat. I, 10, 76. *delibut. gaud.* „Ad animum transtulit, quod est corporis. Nam *delibutus* unctus dicitur." Do.

17. *Quin tu auf.* Cf. Heaut. V, 1, 17. H. e. omitte. Supra I, 4, 45. *pollicitation.* Quas sc. Antiphoni velut beatissimo hominum fecerat. *quod fers* h. e. quod novi mihi adfers. Supra III, 2, 5. Explic. Eu. „promissiones tolle et rem potius narrato." *oh.* Geta a Phormione occupatus, quem non viderat.

18. *sed tu cess.* novi quid adferre. *accipe*, ausculta.

19. *modo argent.* Huic narrationi initium est, unde oportuit, sumtum." Eu. Hoc transactum fingitur post scenam. Nam de argento illo dato vel accepto nihil commemoratum est, nisi quod supra 3, 13. Demipho dedisse, et 5, 1, Phormio accepisse testatur. Sed recte dicit, *dedimus*, *Sumus profecti*, non dedi, Sum profectus, quia una fuit dominus. *argent. ap. forum.* Romae erant in foro tabernae argentariae, unde semper, quantum sibi quisque commodum putaret, pignore posito, petere lice-

Sumus profecti. (*ad Antiphon.*) interea mittit herus me ad uxorem tuam.
*A.* Quamobrem? *G.* omitto proloqui. nam nihil ad hanc rem est, Antipho.
Ubi in gynaeceum [q]) ire occipio, puer ad me adcurrit Mida,
Pone [r]) apprehendit pallio, resupinat; respicio, rogo,
Quamobrem retineat me. ait, esse vetitum intro ad heram [s]) accedere.
Sophrona modo fratrem huc, inquit, senis introduxit Chremem,
Eumque nunc esse intus [t]) cum illis. hoc [u]) ubi ego audivi, ad fores
Suspenso gradu placide ire perrexi, accessi, adstiti [x]),
Animam compressi, aurem admovi, ita animum coepi attendere,

q) V. I. *ad locum mulierum.* r) C. G. m. *me* c. gl. *retro.* s) We. p. var. *ad ead.* Quod depravatum forsitan est ex, *aderam*, quomodo exhib. mss. t) C. G. m. *intro.* u) Id. *haec.* x) Par. ed. *astiti.*

bat. Hujusmodi tabernas commemorat Livius, 27, 2. *proficisci* pro ire. Cic. div. I, 30. „ad somnum *proficisci.*"

20. *interea.* Par. in marg. „Priusquam ipse Demipho domum iret. *mitt. her. me ad ux. t.* Huius rei mentio est supra 2, 12. *herus.* Par. suppl. „Antipho." Haud dubie per errorem. Nam Demipho intelligi liquet.

21. *omitto proloqui*; cf. Eun. V, 5, 19. *nih. ad hanc rem est.* Subaudi, quam narraturus nunc sum. Est autem formula sermonem abrumpentis etc." We. Andr. II, 6, 18.

22. *Ubi in gynaeceum etc.* „Γυνὴ Graece, latine mulier. Inde *gynaeceum* locus, ubi mulieres operantur." Eu. Et cf. Nep. Praefat. *puer*; cf. Ad. III, 2, 56. *Mida. Mida* s. Midas graece nomen fuit olim regis ditissimi Phrygiae; quod h. l. servo inditum est.

23. *apprehend. pallio.* Plaut. Epid. I, 1. „quis properantem me *prehendit pallio*? Supra v. 40. *resup. resp. rogo.* Asyndeta; cf. Andr. I, 5, 50. *resupin.* Liv. 4, 10. „adsurgentem regem umbone *resupinat.*"

24. *retin. me.* Cf. Heaut. II, 4, 23. *ad heram*; Phanium sc.

25. *senis*, Demiphonis. *introdux.* Cf. Eun. V, 2, 70.

26. *intus cum illis.* Scilicet *intus* esse putantur Sophrona ac Phanium. *ad fores accessi*; cf. Hec. III, 1, 35. ubi similis auscultandi opportunitas.

27. *Suspenso gradu.* Hoc modo graditur felis ap. Phaedr. II, 4, 18. „*suspenso* pede." Et Senec. Nat. Qu. VII, 31. Tenero et molli ingressu *suspendimus gradum.*" *placide*, leniter. Plaut. Pseud. I, 3, 13. „*placide* ire." *adstiti*; cf. Heaut. V, 2, 7.

28. *Anim. compressi.* Uti *animam*, ita in Heaut. III, 3, 29.

Hoc modo sermonem captans. *A.* eu [y]). Geta. *G.* hic pulcherrimum
Facinus audivi: itaque paene hercle exclamavi gaudio.
*A.* Quod? *G.* quodnam [z]) arbitrare? *A.* nescio. *G.* atqui mirificissimum:
Patruus tuus est pater inventus Phanio uxori tuae. *A.* hem.
Quid ais? *G.* cum ejus consuevit olim matre in Lemno clanculum.
*Ph.* Somnium! utin' [a]) haec [b]) ignoraret suum patrem? *G.* aliquid credito,
Phormio, esse causae; sed me censen' potuisse omnia
Intelligere [c]) extra ostium? intus quae inter sese ipsi egerint.
*A.* Atque hercle ego quoque illam inaudivi [d]) fabulam. *G.* immo etiam dabo,

y) L. antiq. *euge* pro *en.* Supra II, 3, 51. z) In Ed. 1469 We. testatur esse, *A. Quid? G. quidnam etc.* In C. G. m. praenotatum est Phor(mio) ante *Quid?* Sed rectius vulgo Antiphonis nomen praefigitur; quippe qui Getae proxime interroganti confestim respondet, *nescio.* a) V. I. *an uti.* b) Duo Be Codd. a) b) *ut haec.* c) Al. script. *Intelleg.* ab etymo *leg.* d) Sic Do. In l. antiq. *audivi.* Verba *Atque – fab.* Be. ex Bod. Acad. Antiphoni tribuenda esse censet.

*manus comprimere* dicitur. Similit. Cic. de Orat. I, 61. „Spiritum repressi.“ *aurem admovi* sb. foribus. Haec omnia fecit, ut melius audiret.

29. *Sermon. capt.* Cf. Andr. II, 4, 1. Et Plaut. Cas. II, 8, 8. „*Captandus* est horum clanculum *sermo* mihi.“ *eu.* Blandientis interjectio. *pulr. her. Facin. Facinus* in utramq. part. et Ciceroni usurpatum.

31. *quodn. arbitrare* sc. facinus esse. Eun. II, 2, 44. *atqui*; cf. Andr. II, 6, 4. *mirificiss.* inusitate pro mirificentiss. Sed venia datur ori servili. It comice Accius, „magnificissime.“

32. *inventus*, cognitus. *hem.* Cum magna admiratione.

33. *Quid ais?* Sic it. Chremes de re nova commotus in Heaut. V, 1, 27. *cum ej. consuev.* Cf. infra 8, 49. et 9, 15. Verb. consuescere in re venerea; it. Plaut. Amph. V, 1, 70. „*cum* Alcmena clam *consuetum.*“

34. *Somnium.* Vanum est quod loqueris. *utin' haec ignor. etc.* „Phrasis elliptica pro Itane rudis erat, ut *ignoraret patrem suum?* We. Hec. I, 1, 9.

35. *esse*, subesse. *causae*, cur ignorarit patrem.

37. *inaudivi. Inaudire* verb. Plauto usitatum. Quod vero We. adhiberi docet de reb. occultis, qualis esset consuetudo in-

Quo magis credas: patruus interea inde huc [e]) egreditur foras;
Haud multo post cum patre idem recipit se intro denuo;
Ait uterque tibi potestatem ejus habendae [f]) se dare [g]).
Denique ego sum missus, te ut requirerem atque adducerem. *A.* hem!
Quin ergo rape me, quid cessas? *G.* fecero. *A.* o mi Phormio [h]),
Vale. *Ph.* vale, Antipho: bene, ita me Di ament! factum [i]) gaudeo.

e) G. Fabric. tuetur *intus.* Mu. *hic* pro *huc.* f) Fa. ed. *exhibendae* ex Cod. Bemb. g) Al. *dari* omisso *se.* h) C. G. m. invert. *o Ph. mi.* i) Post *factum* plurimi distinguunt. Ego aliter. Nam videtur *factum gaudeo* speciem formulae mihi habere; cf. supra III, 2, 9. Andr. I, 1, 13.

ter Chrem. et Lemniam uxorem. *fabulam*; cf. Andr. V, 4, 22. Heaut. II, 1, 10. Rem fabulosam esse putat, quae aegre mereat fidem. *dabo*, dicam, narrabo. Heaut. Prol. 10.

38. *inde.* Par. in marg. „Ex gynaeceo in aedib. Demiphonis."

40. *habendae*; cf. supra 4, 8. Et Cic. Fam. X. 13. „Ut prim. *potestas* data est *augendae* dignitatis tuae."

41. *requir.* Cf. Ad. III, 4, 65. *adduc.* sc. ad senes ipsos. *hem* laudantis exsultantisque.

42. *Quin ergo.* Junctae hae particulae inserviunt hortationi. Curt. V, 7. „*quin igitur* ulciscamur Graecos." *rape me*, exsultantis gaudio. Eun. II, 3, 86. *fecero* pro faciam. Heaut. I, 1, 122.

43. *Vale*; cf. Hec. I, 2, 122. *fact. gaudeo.* Junge ac supple *bene* factum esse tibi *gaudeo.* Aliter Eun. III, 1, 58. 59.

# ACTUS V. SCENA 7.[a])

## PHORMIO.

Tantam fortunam de improviso esse his [b]) datam?
Summa eludendi [c]) occasio 'st mi nunc senes,
Et Phaedriae curam adimere argentariam;
Ne cuiquam suorum aequalium supplex siet.

a) Hanc scenam separatim a ceteris edid. Fa. Be. Par. ac Schmieder; qui vero incipit a verbis, *Bene ita me Di ament* scenae prioris. Quod ipsum ex Eun. IV, 1. facile probetur. Veruntamen video hanc scenam in C. G. u. ut in al. complurib. priori continuatam. b) C. G. m. h*ais*, ut solet. Hec. V, 1, 29. Ibid. Bru. C. e. hoc uno tantum loco; nisi forte illinc desumtum. c) Codd. quid. ap. We. *ludendi*.

Hac scena Phormio novum consilium invenit, quo senes non reddito argento eludat.

1. *Tant. fortun.* Cf. Andr. I, 5, 10. Est non tam gaudium, quam admiratio improvisae alior. fortunae, qua Phormio, ut homo parasitus, afficitur. Igitur non placent mihi, qui haec verba, *Tant. fortunam etc.* putant cum *gaudeo* praecedente esse jungenda. *his.* Scilicet Antiphoni et uxori cum patribus. Quoad construction. v. Andr. IV, 3.

2. *Summa elud. occasio est etc.* Ea namq. *eludendi occasio* est, ut fingat Phormio velle se eam ducere uxorem, quae jam a viro avelli non potest; ita ut, cum illi non dederint uxorem, necessario dotem amittant.

3. *adimere.* *Ἀνακόλουθον*, pro adimendi. *curam argentar.* Eod. sensu Plaut. Pseud. I, 3, 65. „inopia *argentaria*.“ Nota, non solvendam significari pecuniam, quae jam dudum soluta erat pro Phaedria lenoni; sed cf. scen. 5. quomodo argentum illud non reddatur senib. deceptis.

4. *Ne suppl. sit.* Vide quam propitius Phormio juveni est, ad causam vero patribus eludendam. *cuiq. suor. aequal.* Supra enim Geta dixit, *Interea amici etc.* IV, 4, 22. *suppl. siet.* „Ut nimirum dent illam summam senibus reddendam.“ We.

Nam idem hoc argentum, ita ut [d]) datum 'st, ingratiis [e])
Ei [f]) datum erit. hoc qui cogam, re ipsa reperi.
Nunc gestus mihi voltusque est capiundus novus.
Sed hinc [g]) concedam in angiportum hoc [h]) proxumum.
Inde hisce ostendam me, ubi erunt egressi foras.
(*ad spectatores*) Quo me adsimularam ire ad mercatum, non eo.

d) C. G. m. et Bru. C. e. explic. *mihi.* e) Vulg. *ingratis* Eun. II, 1, 14. f) *Ei* recte, sc. Phaedriae. Al. *His* perperam. g) Al. *hic* invito Terentio; cf. Eun. I, 2, 126. Heaut. III, 3, 11. h) Duo Be. Codd. *hunc.* Non inepte. Dicitur enim *angiportum* et *angiportus.*

5. *ita ut dat. est*; cf. supra 3, 13. *ingrat.* i. q. invite. Cic. Quint. 14. „extorquendum est invito et *ingratiis.*" Totum autem sic intellige, *Ut ingratiis* i. ab invitis senib. *dat. est, ita ingratiis* senum *Ei dat. erit,* aut nunq. illis reddetur.

6. *hoc qui cog.* „Hoc unde agam et perficiam, ipsa ratione cognovi." Eu. *re ipsa rep.* Sic. Ad. V, 4, 6.

7. *Nunc gestus etc.* Cf. Plaut. V, 2, 149. *gestus.* Quo scilicet denotatur motus quidam corporis, vid. Cic. de Or. II, 57. *vultusque*; cf. Cic. Fam. 12, 30. ubi Ernesti: oris conformatio ex animi habitu orta. Sed aliter h. l. Nam Phormio tenet non verum *vultum,* sed simulatum.

8. *hinc conced.* Cf. Heaut. III, 3, 11.

9. *hisce,* senib. nempe Chremeti et Demiphoni. *egressi for.* sc. ex aedib. Demiphonis.

10. *adsimulav.* Vid. supra 5, 10 *non eo* pro non ibo Temp. praesens pro futuro. De hac re exemplis illustrata vid. Sanct. Min. I, 14.

## ACTUS V. SCENA 8.

### DEMIPHO. PHORMIO. CHREMES.

*De.* Dis magnas merito gratias habeo atque ago,
Quando evenere haec nobis, frater, prospere.
Quantum potest, nunc conveniendus Phormio est,
Priusquam dilapidet [a]) nostras triginta minas,
Ut auferamus. *Ph.* (*prodit*) Demiphonem, si domi est,
Visam, ut, quod... (*interpellatur*) *De.* at nos ad te ibamus, Phormio.
*Ph.* De eadem hac fortasse causa? *De.* ita hercle. *Ph.* credidi [b]).

a) Cod. Bemb. *dilapidat.* b) Hunc vers. Be. integrum dat Phormionis personae. Nos praeferim. vulgat. lectionis distinctionem personarum.

„Haec scena concertationem habet senum ac Phormionis. Illi enim argentum repetunt, hic pugnat ex pacto, uti aut argentum perdant, aut uxorem dent.“ Eu.

1. *Diis magn. merito etc.* Cf. Eun. III, 1. Ad. I, 2, 41.

2. *Quando*, Quoniam. Sic Plaut. Amph. I, 1, 284. *even. prosp.* Cf. Andr. V, 6, 4.

3. *Quant. pot.* sc. fieri. Vid. ad Eun. II. 3, 86. *conven. Ph. est.* Cf. Eun. III, 2, 14. Et Liv. I, 58. „Collatinus Romam rediens ab nuncio uxoris *erat conventus.*“

4. *Priusq. dilapid nostr. etc.* Cf. supra 2, 4, 5. *dilapidet*, disperdat. Translat. inde est verb. quod *lapides* sine cura, temere jacimus atque ita disperdimus. Supra 5, 11. *nostr. trig. minas.* Quas scilicet ambo senes pro sua quisque parte contulerant. Supra IV, 3.

5. *Ut aufer.* h. e. Ut rursum ei eripiamus. Heaut. IV, 8. 9. *Demiph. si domi est, Vis.* Ead. locut. Eun. III, 4, 7.

6. *ut quod.* „Nisi interpellasset sermonem Demipho, dicturus erat Phormio, ut quod de uxore ducenda dictum et constitut. inter nos est, eam nunc ducam, vel simile quid.“ We. *at*, occupantis. *ibamus.* Imperfect. temp. pro fut. ituri eramus.

7. *De ead. causa etc.* „Simulat se credere, senes cum ipso acturos, ut mox Phanium abducat.“ Bi. *ita hercle.* Demipho ex

Quid ad me ibátis? ridiculum. an veremini [c]),
Ne non id facerem, quod recepissem semel?
Heus, quanta quanta [d]) haec mea paupertas est, tamen
Adhuc curavi unum [e]) hoc quidem, ut mi esset fides.
*Ch.* Estne [f]) ita, ut dixi, liberalis? *De.* oppido.
*Ph.* Idque adeo advenio [g]) nuntiatum, Demipho,
Paratum me esse. ubi voltis, uxorem date.
Nam omnes posthabui mihi res, ita uti par fuit,
Postquam, tantopere id vos velle, animadverteram.
*De.* At hic dehortatus est me, ne illam tibi darem.

c) L. antiq. *verebamini.* Gu. hunc v. ponit inter adulterinos. d) Sic geminat l. antiq. Id. l. teste Fa. unum exhib. *quanta*, detracto altero. C. G. m. *Heus heus, quantacunque.* e) Id. colloc. *un. curavi.* f) L. antiq. *ea.* Omitt. Fa. Be. al. Ab hoc v. Bi. scenam incipiunt sequentem. g) L. antiq. *Itaque ad vos venio.* Multi ll. et in his Vict. pro *Itaq.* hab. *Idque.* Bemb. *Idque adeo.*

sua ipsius, non ex Phormionis sententia consentit. *credidi*, assentientis, sed animo averso.

9. *Quid.* Ellips. propter *Quid. ridicul.* Plenius Heaut. II, 3, 112.

9. *recepiss.* Par. in marg. promisissem. Liv. 40, 35. Hoc autem promisisse Phormionem, uterq. senex per Getam audivere, supra 4, 3.

10. *quanta quanta.* Cf. Ad. III, 3, 40. Sic Gr. ὅσον ὅσον. Quae sententia hoc v. et sequenti comprehenditur, ead. fere illa est. Ennii Annal. X. „Ille vir haud magna cum re, sed plenu fidei."

12. *Estne ita etc.* Chremes a Phan. egreditur, quo introductus erat, supra 6, 25. *ita ut dixi.* Fingitur dixisse, tum forsitan, cum ex sup. V, 3, 35. cum fratre ad narrandum secessit. *liberal.* Hoc *liberalis* varie interpretantur, modo de facie Phanii vel modestia matronali, modo de ingenio ejus, pudore ac vultu modesto honestoque, aut de aliis rebus, quas non aeque putent ad servos ancillasve pertinere. *oppido* sc. liberalis. Etiam Demipho eam vidit. Hoc patet ex sup. 7, 9.

13. *Isq. adeo etc.* Hic continuat Ph. orationem suam a senib. supra v. 12 interpellatam.

14. *Par. me esse etc.* Cf. supra II, 3, 80. *ubi vultis*, officiose atque humaniter. Eun. III, 2, 7, 11.

15. *posthabui*, postposui. Ad. II, 3, 9. Simulat veterator, se gratum id illis facere, quo satis graventur. *ita uti p. f.* Hec. V, 1, 13.

16. *Tantop. id vos velle.* „Nuptias meas cum Phanio, relicta priore sponsa mea." We. Supra IV, 3, 70. Urget autem dolose nuptias, quas sibi non fieri scit.

Nam qui erit rumor populi, inquit, si id feceris?
Olim cum honeste potuit, tum non est data.
Nunc viduam extrudi turpe'st; ferme eadem omnia,
Quae tute dudum coram me incusaveras.
*Ph.* Satis [h]) pol superbe illuditis me. *De.* qui? *Ph.* rogas?
Quia ne alteram quidem illam potero ducere.
Nam quo redibo ore ad eam, quam contemserim?
*Ch.* Tum autem Antiphonem video ab sese amittere
Invitum eam, inque. *De.* tum autem video filium
Invitum sane mulierem ab se amittere.
Sed transi sodes ad forum, atque illud mihi
Argentum rursum jube rescribi, Phormio.

h) Al. ex Do. *Satin'* per interrogat. Itid. C. G. m..

17. *At hic.* Hoc dicens fratrem intuetur. Supra 2, 11. *dehortat. est.* Non solum Chremes, sed etiam Nausistrata dehortata erat; cf. scen. 3.

18. *qui erit rum. pop.* Sic Andr. I, 2, 14.

19. 20. *Olim cum honeste etc.* Sensus, *Quod olim honeste potuit* fieri, ut virgo tibi daretur in matrimonium, *Nunc viduam etc.* Supra IV, 4, 11. *viduam*, separatam a viro. Certe quae extrudebatur, antequam nuberet Phormioni, vidua erat." We. Sed et senex ficta nec vera dicit Phormioni. *extrudi turpe.* Longe aliter Demipho supra II, 3, 78.

21. *Quae me incusav.* Verb. *incusare* cum gemino accusativo v. Perixon. ad Sanct. Min. II, 5, 6. *Quae tute dudum etc.* Hujusmodi sunt inter alia, III, 2.

22. *superbe illud. me.* Quasi non legib. essetis obnoxii. *superbe* i. q. regie. Sic Cic. I, 12. et Liv. I, 54. „invisam profecto *superbiam* regiam civibus."

24. *quo red. ore.* Cic. Phil. VII, 8. „*Quo ore* ille vos poterit, quibus vicissim vos illum oculis intueri?" H. l. impudenter repeterem repudiatam. Supra IV, 3, 70, *quam contems.* Cf. Andr. I, 5, 13. 14.

25. *Tum autem etc.* „Haec Chremes insusurrat Demiphoni, Phormione non audiente. Laudat Priscian. Just. Gr. lib. X." We. *Tum*, deinde. Ut altero argumento instet Phormioni. *ab sese amitt. Invitum eam*; cf. supra 3, 17.

26. *inque* Cf. Heaut. IV, 7, 1. not. Ridiculum est, alterum senem submisse verba praeire, quae alter clara voce reddat Phormioni.

28. *transi ad for.* Cf. Hec. II, 2, fin. *illud Argent.* Videlicet quod a Demiphone datum fuerat Phormioni; cf. supra 3,13.

29. *rurs. jube rescribi. Rescribi* reddi, seu per mensae scripturam dari. *jube rescribi.* Quoniam ad numerationem pecuniae antecedit scriptura, *rescribere* dicebant pro numerare." Do. Cf. Hor. Sat. II, 3, 75. ubi et hic Terentii locus a scholiasta laudatur. Par. in marg. „Cave mihi a mensa redditum iri. Id autem

*Ph.* Quod? nae ego discripsi[i]) porro illis, quibus debui.
*De.* Quid igitur fiet? *Ph.* si vis mi uxorem dare,
Quam despondisti, ducam; sin est, ut velis
Manere illam apud te, dos hic maneat, Demipho.
Nam non est aequum, me propter vos decipi,
Cum ego vostri honoris causa repudium alterae[l])
Remiserim[m]), quae dotis tandundem dabat.
*De.* In[n]) malam rem hinc cum istac magnificentia,
Fugitive. etiamnum[o]) credis, te ignorarier[p])
Aut tua facta adeo? *Ph.* irritor. *De.* tune hanc duceres,
Si tibi data esset[q])? *Ph.* fac periclum. *De.* ut filius

i) Ita l. Bemb. In antiq. *perscripsi.* Codd. Fa. *descripsi.* l) Sic vulg. Heaut. II, 3, 30. In Bemb. Vict. al. *alteri.* m) V. I. *renunciaverim.* n) Be. *In'* contracte pro *Isne.* Heaut. IV, 6, 9. Magis equid. putarim rectius intelligend. esse *I in.* L. antiq. *I hinc in mal. rem.* Sic it. C. G. m. o) L. antiq. *nunc* pro *num.* p) V. I. *a nobis.* q) L. Bemb. *daretur.* Codd. Be. *data esset.*

Demipho volebat, ut sibi summa triginta minarum parasiti nomine debitoris rescriberetur. Vid. Salmas. de foen. trapezitico.

30. *Quod?* sc. argentum. *discr. p. ill. quib. dab.* H. e. adscripsi confestim quod acceperam, creditorib. singulis meis solvendum; atque ita expunxi nomina, quib. debebam v. Turneb. Adverss. IV, 13. *discripsi.* Hoc verb. distributionem ac divisionem notare videtur, quod ea significatione Grutero quoque placet ad Cic. de Senect. 2. prae *describere.*

31. *Quid igit. f.* Supra I, 4, 41.

32. *Quam despond.* Recte *despondisse* dicebatur, qui dotem dederat; cf. supra IV, 5, 11.

33. *Manere ill. ap. te.* Cf. 2, 11. et 3, 32. *dos hic man.* Gestu adjuvandum; se enim indigitat, dicendo *hic.* Quasi id dicam: nunquam recuperabitis eam.

35. *vest. hon. causa* pro in vestrum honorem. v. Duker. ad Flor. I, 3. *repud. alt. Remis.* Cf. IV, 3, 72.

36. *quae dot. tantund. dab.* Cf. supra IV, 3, 52.

37. *Isne in mal. rem:* Cf. supra II, 3, 21. et Andr. II, 1, 17. *cum ist. magnific.* Andr. V, 4, 38, ubi v. nota *magnificentia*, vana verba, inutilia. Da. vert. „rodomontades.“ Eun. IV, 6, 3.

38. *Fugitive*; cf. Eun. IV, 4, 2. *etiamnum* pro adhuc. *cred. te ignor.* Cf. Heaut. I, 1, 53. Eun. V, 8, 59. *ignorarier.* Cum paragoge, er; v. Par. Lexic. Plaut.

39. *Aut tua facta* sc. credis ignorari? Omnia enim jam, agnita Phanio, senibus innotuerunt. *irritor.* Hoc verb. nonnulli ab ira deducunt, vel ab ἐρεθίζειν, provocare, iram commovere. Supra II, 1, 10. Proprie de canibus dicitur; vid. Nonius. Unde

Cum illa habitet apud te, hoc vestrum consilium fuit.
*Ph.* Quaeso, quid narras? *De.* quin tu mi argentum cedo [r])
*Ph.* Immo vero uxorem tu cedo [s]). *De.* in jus ambula.
*Ph.* In jus [t])? enimvero si porro esse odiosi pergitis.
*De.* Quid facies? *Ph.* egone? vos me indotatis modo
Patrocinari fortasse arbitramini;
Etiam dotatis soleo. *Ch.* quid id nostra? *Ph.* (*ironice*) nihil.
Hic quandam noram, cuius vir [u]) uxorem... *Ch.* hem! *De.* quid est?

r) C. G. m. *cede.* Sup. scr. *da.* s) Id. *cede.* t) Sic Par. per interrogat. At Lindenbr. *In jus!* Placet autem admirantis repetitio, ut v. 8. Quo magis miror, hoc *In jus* posterius, quod tam convenienter Comico nostro repetitum sit, ab Anglo omitti. Nec sufficiunt cur omiserit caussae adlatae. Andr. V, 4, 19. u) C. G. m. *viri.*

Persius literam, r, caninam dixit. Sed Da. pro more suo liberius vertit, „Vous m'echauffez les oreilles."

41. *Cum illa habit.* Cf. Andr. V, 3, 18. *habit. ap te* Eod. sensu quo in Hec. V, 1, 17. *meum receptas filium etc.* Id vero dicere vult senex, Ut ab illo haberes, unde viveres lautius.

42. *Quaeso quid narras?* „Faceta irrisio." We.

43. *in jus ambula.* Sic Plaut. Curc. V, 2, 23. „*Ambula in jus.* Atqui *jus* dicitur locus, in quo jus redditur. Synecdoche.

44. *enimvero si porro etc.* „Comminatio est cum aposiopesi." We.

45. *Quid fec.* Cf. Ad. IV, 7, 23. *indotatis,* ut Phanio. Dicit autem quasi de universis. Sed *indotata* Phanium erat, nondum filia ea Chremetis cognita. *indot.* pro non *dotata*; cf. Ad. III, 4, 62. *indicente.* Supra I, 2, 70.

46. *Patrocinari*; vid. Ulpian. in Pandect. Et cf. supra II, 1, 77.

47. *dotat.* h. e. dote auctis ornatisve. Qualem scilicet nunc esse filiam Chremetis, Phormio ex supp. satis cognovit. Mire Eu. interpretatur: *Dotatis* vero i. e. uxori Chremetis, cui patrocinari volebat prodendo rivalem." *nihil.* Quasi nullius momenti, quod tamen Chremeti valde doleat.

48. *Hic,* Athenis. *quand. nor.* Contra Eun. III, 5, 5. Boeclerus hanc comicam esse mimesin bene videt narrantis. Facete enim Phormio incipit, a quib. certe vocibus, *quandam*, *quidam,* olim vulgo hujusmodi narrationes incipiuntur. Supra I, 2, 45. Add. Andr. I, 5, 16. Eun. III, 2, 30. *quandam.* Innuit Nausistratam, *uxorem.* sermo Phormionis hic interruptus versu seq. continuatur. *hem,* ingemiscentis. Supra IV, 1, 19. *quid est*, non quaerentis, quod scit; sed perturbati de re patefacta.

*Ph.* Lemni habuit aliam. *Ch.* nullus sum. *Ph.* ex qua filiam
Suscepit; et eam clam educat[x]). *Ch.* sepultus sum.
*Ph.* Haec adeo ego illi jam denarrabo. *Ch.* obsecro!
Ne facias. *Ph.* oh, tune is eras? *De.* ut ludos facit!
*Ch.* Missum te facimus. *Ph.* fabulae! *Ch.* quid vis tibi?
Argentum quod habes, condonamus te. *Ph.* audio.
Quid vos, malum[y])! ergo me sic ludificamini,
Inepti, vostra puerili sententia?
Nolo, volo; volo, nolo rursum; cape, cedo[z])
Quod dictum, indictum 'st; quod modo erat ratum, irritum 'st.
*Ch.* Quo pacto, aut unde haec hic[a]) rescivit? *De.* nescio,

x) Legit. etiam *educit*, quo verbo Terentius alibi quoque usus est. Et adnotavit interpres in Adelph. „veteres *educere* dixisse, quod nos *educare*.“ Haec Mu. y) Bru. C. e. gl. *exclamatio*. C. G. m. in marg. *exclamando*. Hi duo Codd. ut h. l. ita alias et in explicationib. et in lectionib. parum differunt, saepissime conveniunt. z) C. G. m. *cede, cape*. a) Id. *hic haec* invenuste.

49. 50. *ex qua fil. suscep.* Cf. infra 9, 18. *Suscep.* pro habuit. *sepult. sum.* Metaphorice it. Vellej. Pat. II, 90: „bella *sepulta* i. e. confecta, finita. H. l. est exclamatio hyperbolica.

51. *Haec adeo. Adeo* usurpat, secundo loco pro vero, profecto. Cic. Verr. 6, 64. „Id *adeo* ex ipso ICto cognoscite.“ Vid. ap. Tursellin. qui addit, vim hujus particulae saepius sentiri facilius quàm exprimi. *ego illi j. denar.* sc. uxori ejus viri. *obs. Ne fac.* Cf. Heaut. V, 5, 4. 5.

52. *oh. tune etc.* „Sarcastice fingit se nescire, quod dudum ex Geta intellexerat.“ We. *lud. fac.* sc. nobis, vel, illudit nos. Andr. III, 1, 21.

54. *Argent. quod hab. cond. te.* Placatum sibi volunt, modo ut taceat. *condon. te*; vid. ad Eun. Prol. 17. Notetur insuper, Terentium cum Plauto dicere, *condonare* aliquem, non alicui, ut alias solemne. *audio*; cf. Andr. III, 3, 20.

55. *me sic ludificam.* Cf. Eun. IV, 4, 49.

56. *vest. puerili sent.* Andr. II, 6, 18. *puerili*, levi. Menander: *Παντάπασι παιδαρίου γνώμην ἔχει.*

57. *Nolo, volo; volo, nolo rurs.* In senes dicit puerili levitate notatos: qui primo nolebant dare argentum, deinde volebant, ac *rursum* contra. Pulchre talis dubitandi miseria describitur, Curt. X, 7, 12. „Nec *velle*, nec *nolle* quidquam diu poterant; poenitebatq. modo consilii, modo poenitentiae ipsius.“ etc.

58. *indict.* pro non *dictum*. Ad. III, 4, 62. *quod modo erat etc.* Plaut. Cist. II, 1, 10. „*Modo quod* suasit, dissuadet.“

Nisi me dixisse nemini, id [b]) certo scio.
*Ch.* Monstri, ita me Di ament! simile. *Ph.* (*ad auditores*) injeci scrupulum [c]). *De.* hem!
Hiccine [d]) ut a nobis tantum hoc argenti auferat,
Tam aperte irridens? emori hercle satius est.
Animo virili praesentique ut sis, para [e]).
Vides peccatum tuum [f]) esse elatum [g]) foras;
Neque jam celare id posse te uxorem tuam.
Nunc quod ipsa ex aliis auditura sit [h]), Chreme,
Id nosmet ipsos [i]) indicare, placabilius est.
Tum hunc impuratum poterimus nostro modo
Ulcisci. *Ph.* (*secum*) atat, nisi mihi prospicio, haereo [l]).
Hi gladiatorio animo ad me affectant viam.

b) Id. ordin. *id nemini*, ut *id* referatur ad *dixisse*. c) V. I. *secum*. d) L. antiq. *Hicine* per unum, c. e) V. I. *o Chreme*. f) Be. add. *hoc*, ut more Terent. positum sit pronomen juxta pronomen. Id moris Terent. esse, non nego. Sed pronomen aliquod posuisse, quod Nostri non extat, haec alia res est. g) L. Bemb. *delat.* Al. *lat.* h) Al. *est* pro *sit*. i) Fa. et al. omitt. *ipsos*. l) V. I. *dubito*.

60. *Nisi me dixisse etc.* Interdum *Nisi* post *nescio* interpretantur, Sed; sic Hotomannus ad Cic. p. Rosc. Am. 35. „*nescio, nisi* hoc video."

62. *Hiccine ut auferat*; cf. infra 9, 3. *emori h. sat. est*; cf. Eun. IV, 7, 2.

64. *Animo virili pr. ut s. para.* Cf. Eun. IV, 6, 31. *para ut*; cf. Eun. II, 2, 18. Et Cic. Fam. XVI, 10. „Tu Musis nostris *para ut* operas reddas."

65. *peccat. tuum.* Quod sc. illam habueris in Lemno. *esse elat. for.* Cf. Ad. IV, 4, 16. Et Cic. Phil. X, 3. „*Efferri* haec *foras*, et ad populi rom. aures pervenire."

68. *placabilius est.* „Ad placendum aptius et efficacius." We.

69. *impuratum.* Convicium acerbum. Sic Plaut. Rud. II, 6, 59. *nostro modo.* „*Nostro* arbitrio, ut nobis lubet." We.

70. *atat.* Geminatae particulae *atat* desubito aliquid demonstrantes. Lex. Plaut. *nisi mihi prosp.* Id est, *nisi mihi cavebo.*

71. *gladiat. animo* h. e. „parato ad periculum, atque ita perdito ac temerario, ut non sibi caveant, dummodo vulnerent." Do. Vid. A. Gell. N. VII, 3. Etiam *gladiatoris* appellatio inter convicia refertur Ciceroni in Philippicis. Verum hoc loco a quibusd. notatur, quod immiserit Poeta de gladiatoribus, plane alienum esse a morib. Graecorum. Sed equid. non video, qui ille ob hoc dignus sit vituperatione, cum in ipsa urbe Romae hae agerentur comoediae. *ad me affect. viam.* Sic Heaut. II, 3. 60. Locutio. *affect. viam*, poetica est; v. Virg. G. IV, 562.

*Ch.* At vereor, ut placari possit. *De.* bono animo es [m]).
Ego redigam vos [n]) in gratiam, hoc fretus, Chreme,
Cum e medio [o]) excessit, unde haec suscepta 'st tibi.
*Ph.* Itane agitis mecum? satis astute adgredimini [p]).
Non hercle ex re istius me instigasti, Demipho.
Ain' [q]) tu? ubi peregre, tibi quod libitum fuit [r]), feceris,
Neque huius [s]) sis veritus feminae primariae [t]),
Quin novo [u]) modo ei faceres contumeliam [x]);
Venias [y]) mihi precibus lautum peccatum tuum?
Hisce ego illam dictis ita tibi incensam dabo,

m) Id. *esto.* n) Id. *te et uxorem.* o) C. G. m. et Bru. C. e. gl. *hominum.* p) Al. *me.* Post *sat astute* Be. mire distinguit, et accipit *adgredimini* pro imperativo. q) *Ain* pro Aisne; cf. Cic. Orat. 45. Ms. Lindenbr. *Ain' tu tandem.* r) L. Bemb. *fuerit.* s) Lectionem *huius* Gu. pro glossa habet. Nec vero infitiand. est, τὸ *veritus* genitivo junctum maxime novum videri. t) V. I. *nobilis.* u) *novo* pronuntiand. *n'νo.* x) L. antiq. *comtumelias.* y) C. G. m. pro var. *veneas* c. gl. *vendas* mire.

73. *redig. in grat.* Cf. supra II, 3, 36. In veterem *gratiam* restituam.

74. *Cum* pro, quia. *e med. excess.* h. e. mortua est. Sup. 2, 23. *haec,* Phanium. *unde suscepta est.* Cf. supra v. 49. 50.

75. *Itane ag. mecum.* Cf. Heaut. IV, 1, 29. *sat. ast. adgred.* Ironia. „Et proprie *adgredi*, accedere est ad dimicandum. Bene ergo servavit translationem a gladiatorib. coeptam." Do.

76. *ex re istius*, e commodo Chremetis. Hec. II, 2, 7. *istius* Hanc vocem enuntians adspicit Chremetem.

77. *Ain tu?* „Modo ad Chrem. cum invectione conversus est. Do. *peregre*, in Lemni insula, ab Athenis.

78. *Neq. huius sis veritus.* Interpretes genitivum *huius* appositum jure suo mirantur. Sed longum esset, quomodo dissentiant inter se, enarrare. Prae ceteris tamen Perizonius mihi probatur, qui supplend. esse notat, causa, more Graecorum, qui ἕνεκα saepe omittant. *primariae*, honestae. Cic. Fin. II, 55. et Fam. V, 11. „femina *primaria* Pompeja."

79. *novo*, inaudito; cf. Hec. III. 1, 18. *fac. contumel.* Cf. Hec. III, 5. 20.

80. *laut. pecc. tuum.* „Ut laves ut maculam." Do. Ad. II, 1, 10.

81. *Hisce.* Palmer. et Par. hoc non pronomen, sed verbi putant esse imperativum ab *Hisco*, ut sensus sit, *Hisce* h. e. mutire incipe, si quid audes. Sed placet pronomen, ut igitur h. l. pergat, *Hisce ego ill. dictis etc.* siquid supra id. dixerat v. 51. *Haec adeo ego etc.* Et cf. supra I, 4, 35. *incens. dabo.* Dixit vero *incensam* pro irritatam, sed reliqua allegorice subjungit, quasi vere ardentem crederet." We. Cic. p. Cluent. 64. „*incensa* odio."

Ut ne restinguas [z]), lacrumis si exstillaveris.
*De.* Malum, quod isti Di Deaeque omnes duint!
Tantane adfectum quemquam esse hominem audacia?
Non [a]) hoc publicitus scelus hinc deportarier
In solas terras? *Ch.* in id redactus sum loci,
Ut, quid agam cum [b]) illo, nesciam prorsum [c]). *De.* ego scio.
In jus eamus. *Ph.* in jus? huc, si quid lubet.
*De.* Adsequere ac retine, dum ego huc [d]) servos evoco.
*Ch.* Etenim [e]) solus nequeo [f]). adcurre huc. *Ph.* (*ad Demiph. conversus*) una injuria 'st
Tecum. *Ch.* lege agito ergo [g]). *Ph.* altera est tecum, Chreme.

z) Id. *exsting.* a) L. antiq. *Nonne.* b) Al. *ex* pro *cum* C. G. m. c) Al. *prorsus.* d) L. antiq. *hinc.* e) In l. Bemb. *Enim.* Hec. II, 1, 41. f) C. G. m. suppl. *retinere eum.* g) Haec verba in Codd. quibusd. teste We. Demiphoni tribuuntur; quippe qui respondeat ad proxime superiora. Satis commode.

82. *Ut ne* pro Ut non. *lacr. si exstil.* Itid. Plaut. Trin. III, 2, 49. *Exstillare*, ipsum corpus guttatim finiri; ergo quasi totum in lachrymas converti." *si* pro etiamsi.

83. *Malum quod isti etc.* sc. Phormioni. Haec ead. imprecandi formula est ap. Plaut. Most. III, 1, 125. it. Catull. XXVIII, 14. 15.

84. *Tant. adfectum etc.* Cf. Andr. I, 5, 10, not.

85. *publicitus*, „id est, publica cura atque consilio." Do. *scelus* pro scelestus. Andr. III, 5, 1. *deportari.* Cic. Phil. 13, 1. Ex numero hominum ejiciendum etc. v. Ernest. Clav. Cic.

86. *In sol. ter.* Cf. Andr. II, 4, 5. *solas*, desertas. Et Virg. A. XI, 545. „*solorum* nemorum." Notum est autem supplicium, quo nocentes in desertas regiones deportabantur. Casaubon. ad Sueton. Caes. 66. *in id redact. s. loci.* Cf. Eun. IV, 4, 25. *id loci.* Simili syntaxi Eun. I, 2, 46. Et Cic. Divin. II, 66. „quo *loci* nasceretur;" nec non Tacit. A. XV, 74. „eo *loci*," pro, eo loco.

87. *quid ag. c. illo.* Cf. Eun. V, 1, 21. Sed *agere cum* parasito h. l. significat, aut pactione, aut via litigandi.

88. *huc si q. lub.* „Apparet parasitum niti ad domum Chremetis: senes vero ad forum conari attrahere." Do.

89. *Adseq. ac retine.* Phormionem nempe ad ostium Chremetis aedium recta vadentem. *huc serv. evoco.* Ut servos suos habeat auxilio.

90. *accurre huc*; cf. in simili re Ad. II, 1, 14. *una injur. est Tecum.* Scilicet cum Demiph. qui desponsam Phanium denegaret. *injuria*, actio injuriarum.

91. *lege ag. ergo.* Sic Plaut. Aul. III, 3, 10. „*Lege agito* mecum. Et Cic. p. Caec. 33. „Et *lege agant*, et jus suum persequantur." Not. We. „Est igit. *lege agere* i. q. litem intendere, quae Lege XII Tabb. civib. populoq. conceditur." *altera.* „Quam fecisti dotatae uxori." Do.

*De.* Rape hunc. *Ph.* itan' agitis? enimvero voce 'st opus.
(*clamat quam maxume*) Nausistrata! exi. *Ch.* os opprime. *De.* inpurum vide,
Quantum valet. *Ph.* Nausistrata! inquam. *Ch.* non taces?
*Ph.* Taceam? *De.* nisi sequitur, pugnos in ventrem ingere.
*Ph.* Vel oculum [h]) exclude [i]). est ubi vos ulciscar locus [l]).

h) C. G. m. *oculos.* i) L. antiq. *exculpe.* Par. ed. *exsculpe.* l) L. antiq. *probe.* In eod. et legitur *locus.*

92. *Rape hunc*; cf. Andr. V, 2, 20. Hoc facere jubet verisimiliter servum aliquem convocatorum. *itane ag. mec.* Cf. v. 75. *enimvero.* Auget ea partic. quocunq. modo. v. Schaef. ad Liv. II, 22.

93. *os opprime.* Ne plura jactet improbus. Ovid. Met. III, 295. „Voluit Deus *ora* loquentis *opprimere.*"

94. *Quant. valet* sc. viribus. Non enim rixantur, sed luctantur.

95. *nisi sequitur.* Scilicet rapientem. *pugn. in ventr. ing.* Cf. Ad. II, 1, 17. Dicit *in ventrem*, quia parasitus est.

96. *Vel. ocul. exclude.* Ad III, 2, 20. *est ubi vos etc.* Plaut. Pseud. V, 2, 26. „*Erit ubi te ulciscar*, si vivo."

# ACTUS V. SCENA 9.

## NAUSISTRATA. CHREMES. PHORMIO. DEMIPHO.

*N.* Quis [a]) nominat me? *Ch.* hem! *N.* quid istuc turbae 'st? obsecro
Mi vir. *Ph.* (*Chremet. irridens*) ehem, quid nunc obstipuisti [b])? *N.* (*ad maritum conversa*) qui [c]) hic homo 'st?
Non mihi respondes? *Ph.* hiccine ut tibi respondet?
Qui hercle, ubi sit, nescit. *Ch.* cave isti quidquam creduas [d]).
*Ph.* ad *Nausistratam*) Abi, tange; si non totus friget, me enica.
*Ch.* Nihil est. *N.* quid ergo est [e]), quid istic narrat [f])? *Ph.* jam scies.

a) Sic C. G. ch. In C. G. m. *Qui.* b) Sic l. Bemb. In al. *obstup.* Par. p. var. *obticuisti.* Andr. I, 5, 21. c) C. G. m. *quis.* Itid. Par. minus commode. d) Ita Fa. versu jubente. Sic it. Edd. plur. In mss. est *credas.*

„In hac scena reus senex fit, quod aliam in villa uxorem habuerit. Est status venialis. Accusatio hinc incipit: In Lemno, clam te, uxorem duxit. Cujus improbatio magnifice completa est. Et inde filiam suscepit. Unde indignata hic uxor est, et convertitur etc.“

1. *Quis nom. me.* Audiverat enim se vocatam; cf. 8, 93. 94. *hem*, irascentis. *quid ist. turb. est*; cf. Heaut. II, 3, 13.

2. *qui homo.* „Miratur Nausistrata, viro suo rem esse cum Phormione, homine ignoto.“ We.

3 *Non misi respond.* Ad. III, 4, 53. *hiccine ut etc.* Subaudi an fieri possit, *ut hic etc.* Hac ellipsi Cicero quoque utitur, in Cat. I, 2. „Quamquam quid est quod loquar? te *ut* ulla res *frangat*? tu *ut* unq. te *corrigas*?“

4. *Qui h. ubi sit nescit.* Eun. II, 3, 14. 15. Perturbatus est sensibus. Similit. Flor. II, 10. „*ubi essent* prae poculis *nescientes.*“

5. *tange.* Scilicet ut sentias, *frigere* totum prae timore. Ad

Ausculta. *Ch.* pergin' credere? *N.* quid ego, obsecro,
Huic credam? qui nihil dixit. *Ph.* delirat miser
Timore. *N.* non pol temere 'st, quod tu jam [g]) times.
*Ch.* Ego timeo? *Ph.* recte sane; quando nil times,
Et hoc nihil est, quod ego diço; tu narra. *De.* scelus!
Tibi narrat? *Ph.* eho tu, factum 'st abs te sedulo
Pro fratre. *N.* mi vir, non mihi dicis [h])? *Ch.* at. *N.* quid at?
*Ch.* Non opus est dicto. *Ph.* tibi quidem; at scito huic opu 'st.
In Lemno. *Ch.* hem, quid agis [i])? *De.* non taces? *Ph.* elam te. *Ch.* hei mihi.

e) L. Bemb. non hab. *est.* Hab. Codd. Be. et C. G. m. f) Fa. ed. duplici interrogatione, *quid ergo? quid istic narrat.?* Sed juncta utraq., *quid ergo est, quod istic narret?* ex c. Hal. placet. Be. ed. *quid ergo est, quod istic narrat?* minus latine. g) C. G. m. *tam.* h) Al. *narras.* i) L. antiq. *ais.*

IV, 4, 4. *si non etc. me enica.* Ita Davus in Andr. V, 2, 22. qui ut servus, cuius fides nulla est, vitam suam spondet, verum se dicere. *si non.* Formula; cf. Eun. V, 1, 22, not.

6. *ergo*, indignantis. Nam dudum rogavit semel iterumque. *istic.* in isto loco. *jam scies*; cf. Andr. III, 4. et 4, 6.

7. *pergisne cred.* Cf. Heaut. II, 2, 8. *credere.* Sc. Phormioni qui ista garriat.

8. *qui nih. dix.* Atqui vere Nausistrata non alia de re, nisi de perturbatione viri audivit quidquam. *delir. mis. Tim.* Cic de Or. III, 38. ex Ennii Alcm. haec: Tum pavor sapientiam mihi omnem exanimato expectorat.“ *delirat.* Per metaphor. et mente et lingua.

10. *recte sane.* Ironia. *quando nih. tim. Et hoc nihil etc.* Ex concessis hominem confutat ac redigit ad absurdum. Nam quod horruit Chremes narrare, id simulat idem se nihil timere. *Et* pro Etiam. *nihil*, nullius momenti. *dico* pro dicam. Supra 8, 51. *tu narra.* Acuendum est *tu* pro *tu* ipse. Ipse autem ut rem detegeret uxori, hoc id. Chremeti consuluerat Demipho, supra 8, 68. *scelus* pro sceleste.

12. *Tibi narr.* „Ut sibi suave sit.“ Bi. *Tibi,* dativ. commodi. *fact. est,* narratum est. Eun. II, 3, 98, ubi nota.

13. *Pro fratre* h. e. in rem. in gratiam fratris. Spectare videtur superiora, 8, 62 seqq. *mi vir.* Blande. Eun. I, 2, 6. *at.* exsecrantis. *quid at?* Sic solent Terentianae personae vocem interdum repetere prioris. Ad. III, 2, 26. Quod est contra Be. v, supra 8, 44.

14. *tibi quid.* Acerbe hoc dictum. *Dicto* enim *non opus est* Chremeti, quod non prosit ipsi, sed obsit. *huic,* Nausistratae.

*Ph.* Uxorem duxit. *N.* mi homo, Di melius duint!
*Ph.* Sic factum 'st. *N.* perii misera! *Ph.* et inde filiam
Suscepit jam unam, dum tu dormis. *Ch.* quid agimus?
*N.* Pro Di immortales! facinus indignum [l]) et malum.
*Ph.* Hoc actum 'st [m]). *N.* an quidquam hodie est factum indignius?
Qui mi, ubi ad uxores ventum 'st, tum fiunt senes [n]).
Demipho, te appello; nam [o]) cum isto [p]) distaedet loqui.
Haeccine [q]) erant itiones crebrae, et mansiones diutinae
Lemni? haeccine [r]) erat ea [s]), quae nostros fructus minuebat [t]), vilitas [u])?

l) Al. *miserandum.* m) Mss. We. verba *Hoc actum 'st* Chremeti tribuunt. n) Hanc sentent. ubi incipit, *quidquam etc.* Anglus dat Phormionis personae, quasi matrona indignam. o) L. antiq. *me.* p) Al. *hoc.* Un. ms. Be. *isto* bene. q) L. antiq. *Haecine.* Et *Haec* pro *Hae* cf. Eun. III, 5, 34. Errat igitur Far. enallagen generis hanc esse opinans, quippe qui nec formam vocis antiquam novisset, nec legi *Haeccine* in libro Faërni. r) L. antiq. *minuit.* u) Al. *utilitas* mire. Nisi forte ironice.

16. *mi homo,* ironice. Ad. III, 2, 38. *Di mel. duint.* Formula deprecandi. Ovid. Heroid. XVII, 30. „*Di melius*, similis non fuit ille tui."

17. *Sic fact. est.* Hoc addit, quasi affirmatione opus esset dictorum. *perii mis.* Cf. Eun. V, 4, 25. *fil. Suscep.* Supra 8, 50.

18. *jam unam.* „Invidiose. Tacite enim insinuat, fore, ut plures suscipiat." We. *dum tu dormis*, secura es. Heaut. II, 3, 101. *quid agim.* „Metu stupentis verba haec, et de fuga cogitantis." Far.

19. *facin. indign. et mal.* Solent haec jungi. Plaut. Most. II, 2, 27. „non potest Dici, quam *indignum facinus* fecisti *et malum.*"

20. *Hoc act. est*; cf. Ad. IV, 5, 2. *hodie*, saepe non tempus significat, sed iracundiam et stomachum. Itid. Virg. A. II, 670. *fact. indignius* sc. hoc facto mei viri.

21. *Qui mi.* Par. in marg. „τὸ *mihi* παρέλκει." Sed cf. Andr. III, 2, 29, not. *Qui mi ubi etc.* Manca est oratio, qualis iratorum. Quae plenior tamen vix deceret matronam honestam. Nam explicatur in C. G. m. ita: *quum cum uxorib. coeunt, fingunt se senes; quum vero cum pellicibus, juvenes.*" Et cf. Plaut. Asin. IV, 2, 4. „*uxori* excuses te et dicas *senem.*"

22. *te appello*, sc. ut testem. *distaedet*, „valde pudet. Objurgatio indignatione et argumentis plena, quam Demipho deprecatorie mitigat." Eu.

23. *Haec. erant itiones etc.* Ita accipiendum et explicand. ut Andr. I, 1, 99. *Hinc illae lacr.*

24. *haec erat ea vilit.* Cf. supra 3, 8. Nunc videt Nausistra-

*De.* Ego, Nausistrata, esse in hac re culpam meritam [x]) non nego;
Sed ea [y]) quin [z]) sit ignoscenda. *Ph.* (*ad spectatores*) verba fiunt mortuo.
*De.* Nam neque negligentia tua neque odio id fecit tuo.
Vinolentus fere [a]) abhinc annos quindecim mulierculam
Eam compressit, unde haec nata 'st; neque post illa [b]) unquam attigit.
Ea mortem obiit; e medio abiit, qui fuit [c]) in hac re scrupulus [d]).
Quamobrem te oro, ut alia tua sunt facta, aequo animo et hoc [e]) feras.
*N.* Quid ego aequo animo? cupio misera in hac re jam defungier.

x) Sic l. antiq. In Bemb. *meritum.* y) Sic l. Bemb. In antiq. *eam.* C. G. m. leg. etiam *ea* et explic. *culpa.* z) L. antiq. *quae* pro *quin.* Sed Fa. *quin* tuetur subaudiens, „negare non poteris.“ a) I. *vero* pro *fere.* b) Ed. an. 1469 *illam.* Sic it. C. G. m. *illā* cum apice superaddito. Sed praest. *post illa* vulg. Andr. V, 4, 35. c) Lib. Fäerni *fit.* d) V. I. *stimulus doloris.* e) C. G. m. *haec* omisso *et.*

ta, rem suam viliorem olim simulari propter sumtus alienae uxoris. *nostr. fruct.* h. e. ex praediis Nausistratae captos. Supra 3, 6. 7. *haeccine.* Majore vi efferendum.

25. *esse in hac re culpam.* Dixit enim *in hac re*, ut fratri parceret, pro, in Chremete. Vid. Hec. II, 1, 32. *meritam*, passive.

26. *verba fiunt mortuo.* Pro hoc dicitur in Heaut. II, 1, 10. *surdo narrat fabulam.* Errat Do. qui ad *mortuo* subaudit Chremeti pro Nausistratae. Nam recte Be. exponit, „frustra aeque eam orari, ac *mortuo verba fieri.*“

27. *neglig. tua.* Accipe *tua* pro tui; cf. Hec. IV, 2, 4. *fecit.* Eod. fere sensu quo Eun. V, 2, 17.

28. 29. *Vinolent. Eam compress.* Hic quoque, ut saepe fit, in Bacchum culpa stupri confertur. Ad. III, 4, 24. Hec. V, 3, 25. *Eam compress.* Hec. V, 4, 30. *neq. attig.* Cf. Hec. I, 2, 61.

30. *Ea mort. obiit*; *e med. ab.* Duae hae phrases aeque valent; in quib. tamen *obiit abiit* placuit paronomasia. *qui fuit scrupulus.* Scilicet mulier peregrina. Ad hoc notari debet de pronomine relativo, latine *qui scrup.* dici, non quae *scrupulus.*

31. *ut alia tua etc.* Cf. supra 3, 1. Parum abest, ut blande ei dicat, quae facta ab ipsa sint, his opponi quae a viro.

32. *Quid ego* sc. feram. *cup. mis. in h. re j. defung.* Ru. explic. quasi Nausistrata defungatur. Sed magis Gu. assentior, eum subaudienti sc. Chremetem. Idcirco recte Schmieder: „maritum meum in hac re fecisse finem peccandi.“ At Da. aberrat vertens: „le veux rompre avec lui pour toujours.“ *Defungi*, „desinere.“ Do. v. Eun. Prol. 15.

Sed qui [f]) sperem? aetate [g]) porro minus peccaturum putem?
Jam tum erat senex, senectus si verecundos facit [h]).
An mea forma atque aetas nunc magis expetenda 'st [i])?
Demipho.
Quid mi hic [l]) adfers, quamobrem exspectem, aut sperem porro non fore [m])?
*Ph.* (*„Exsultans in hoc parasitus ad spectatores convertitur, casum Chremetis funeri comparat, et praeconem funeris agit.“ Bi.*) Exsequias Chremeti [n]), quibus est commodum ire, hem, tempus est.
Sic dabo. age, age [o]) nunc, Phormionem, qui volet, lacessito.

f) Sic mss. Lindenbr. pro *quid* vulg. g) Al. add. *hac.* h) Effert Be. hunc vers. per interrogat. praemisso *Non. Displicet.* i) V. I. *quam tunc esset.* l) L. Bemb. ac Do. *hic.* Vulg. *nunc.* m) V. I. *hunc amplius peccaturum.* n) Sunt qui *Chremetis* legant, sed praeter phrasin latinam, qua dicebant, *exsequias ire alicui.* Sic We. o) Al. omitt. *age* posterius.

33. *Sed qui sper.* sc. illum esse defunctum.

34. *Jam tum.* Par. in marg. „Cum eam primum compressit.“ Id quod vetuit pudicitia mulieris enuntiare. *erat senex.* Maturius enim senes vocari olim solebant quam hodie. *senect. si verecund. fac.* Consimile Plauti est, „Non aetate, verum ingenio adipiscitur sapientia.“ *si.* Conditionalis particula, hoc sensu, Si verum est, quod ponatur. Propert. III, 15. *senect. si verec. fac.* „Modeste et graviter.“ Do.

35. *An mea forma etc.* Sensus, Provectiorem me multo magis spernet praeferens alienam.

36. *Quid mi hic etc.* H. e. *Quid* mihi documenti *adfers*, quo exspect.

37. *Exseq. Chrem. quibus etc.* His conf. supra 8, 50. *sepult. sum.* Insultat enim parasitus Chremeti tanq. jam mortuo; seu de quo plane actum sit. Formulam hanc observa funerum indictivorum. Sil. Ital. XV, 394. „vos *ite* superbae *Exsequias* animae etc.“ Diligentius haec exponit Do. „Bono ordine, inquit. Primo, *Delirat miser timore*, post, *verba fiunt mortuo*; ad ultimum *Exsequias Chremeti*: delirat, moritur, effertur.“ *quibus.* His scilicet qui ex defuncti cognatis atque amicis funus sequebantur. Totum improprie, „post vindictam possum abire.“ G.

38. *Sic dabo.* Plaut. Asin. II, 4, 53. „*Sic datur.*“ Formula triumphandi, quando res successit ex voto; v. Par. Lex. *Phorm. qui vol. lacess.* Sensus est, Quemcunq. postea, Chremetis exemplo edoctum, *Phormionem lacessivisse* poenitebit.

Faxo tali eum mactatum [p]), atque hic [q]) est, infortunio.
Redeat sane in gratiam: jam supplici [r]) satis est mihi.
Habet haec ei quod, dum vivat [s]) usque [t]), ad aurem obganniat [u]).
*N.* (*ironice ad maritum*) At meo merito credo. quid ego nunc [x]) commemorem, Demipho,
Singulatim [y]), qualis ego in hunc fuerim? *De.* novi aeque omnia
Tecum. *N.* meriton' [z]) hoc meo videtur factum? *De.* minume gentium;
Verum quando jam accusando fieri infectum non potest,
Ignosce. orat, confitetur, purgat; quid vis amplius?
*Ph.* Enimvero prius quam haec dat [a]) veniam, mihi prospiciam et Phaedriae.

p) L. Bemb. *sit mactatus* absque pronom. *eum.* q) Al. *Chremes.* Glossa videtur. r) C. G. m. *supplicii.* s) t) Distinguo non cum Be. We. al. post *vivat*, sed cum Lindenbr. post *usque.* Transpositae enim more Terentii videntur particulae *dum usque* pro *usque dum.* u) Al. *oggan.* x) L. Bemb. *ea.* Non hab. tres Be. Codd. y) C. G. m. *sigillatim.* Bemb. *singulat.* Erasm. ed. *singill.* z) L. Bemb. *merito.* a) C. G. m. *det.*

39. *Faxo tali eum mact. etc.* Ex locutione Plautina est, ,,*Mactare infortunio*, quae Pareo transducta videtur e sacrificiis. Cic. Catil. I, 11. ,,summo supplicio *mactari.* Syntax.autem *Faxo mactatum* fere ead. est quae Ad. V, 9, 34. *Missa facio.*

40. *Red. in grat.* Cf. supra 8, 73. *supplic. sat. est mihi.* Andr. V, 3, 32.

41. *Habet haec* sc. Nausistrata. Adnot. Par. ,,Nempe genus mulierum contumeliosum et injuriosum.“ *ad aur. obgan.* Plaut. Asin. II, 4, 16. ,,Centies ead. imp. atque *obganniam.*“

42. *At meo merito credo.* Scilicet commisisse hoc maritum; cf. v. 44. *quid ego n. commem.* Cf. Eun. V, 8, 14.

43. *qual. ego in hunc fuer.*; cf. Hec. V, 1, 20. *novi aeq. o. Tec.* Cf. Plaut. Asin. II, 2, 65. ,,ut *aeque mecum* haec scias.“

44. *meriton' hoc meo vid. fact.* Plaut. Capt. V, 2, 18. ,,— multa evenient. et *merito meo.*“

45. *Verum quando jam etc.* Precator omnia concedit, dum modo venia detur. *infect.* pro non factum. Supra 8, 58. Ita Plaut. Aul. IV, 10, 11. ,,Quid vis fieri? factum est illud. *fieri infectum non potest.*“

46. *Ignosce* sc. marito. Ne accuses frustra, sed *ignosce* potius. *orat, conf. purg.* ,,Verba venialis status sunt.“ Do. En vero Demiph. ita functum officio precatoris ut pollicitus erat supra IV, 1, 4.

47. *mihi prospic.*: cf. Heaut. V, 2, 8.

Heus, Nausistrata! priusquam huic respondes [b]) temere, audi. *N.* quid est?
*Ph.* Ego minas triginta per fallaciam [c]) ab isto [d]) abstuli.
Eas dedi tuo gnato; is pro sua amica lenoni dedit.
*Ch.* Hem, quid ais? *N.* adeon' hoc [e]) indignum tibi videtur, filius,
Homo [f]) adolescens, si habet unam amicam, tu uxores duas?
Nil pudere? quo ore illum objurgabis? responde mihi.
*De.* Faciet [g]) ut voles. *N.* immo ut meam jam scias [h]) sententiam,
Neque ego ignosco, neque promitto quicquam, neque respondeo,
Prius quam gnatum video [i]). ejus [l]) judicio permitto omnia.
Quod is jubebit, faciam. *Ph.* mulier sapiens es [m]), Nausistrata.

b) Id. c. *respondeas.* c) Un. c. Be. *fallacias.* d) Sic tres Be. Itid. C. G. ch. In l. antiq. *illo.* Sic it. C. G. m. e) C. G. m. omitt. *hoc.* f) In C. G. ch. *Nam* pro *Homo* mendose. g) C. G. m. sup. scr. *dimittet XXX minas.* h) Al. *sciat;* male. Nam conversa ad virum mulier loquitur. i) Libb. Fa. *videro.* Sic et C. G. m. l) Fa. in dimetiendo versu τὸ *ejus* facit monosyllabum. m) Al. omitt. *es.*

48. *huic*, Chremeti. *respond. temere*, h. e. nesciens, needum instructa rebus.

49. *Ego min. trig. etc.*; cf. supra 8, 62.

50. *Eas dedi tuo gnato*; cf. scen. 7. *pro amica sua.* Supra I, 2, 31. 52. *lenoni*, sc. Dorioni; de quo supra III, 2.

51. *adeone hoc indignum etc.* Graviter enuntianda sunt verba, *filius*, *Homo*, *adolescens*, quibus quasi opponat, *tu*, pater. senex. Nam quod filio condonandum, hoc satis erit dedecori marito.

53. *Nih. pudere?* Infinitivus mod. in usu est indignantis; cf. supra II, 1, 2. 3. Definita oratio esset ac planior haec. *Nihil pudet* te senem *uxores duas* habere? *quo ore illum*, filium etc. Aliter Heaut. IV, 5, 22. Sententiam hanc tangit Juvenal. XIV, 56. „Unde tibi frontem, libertatemq. parentis; Cum facias pejora senex?" *objurg.*; Andr. I, 1, 111. 127. *responde mihi*: cf. Andr. V, 2, 8. Ita solent urgere eum, qui nihil habet in promtu, quod defendendi sui causa dicat.

54. *ut scias.* Itid. Heaut. III, 1, 40.

56. *ejus judicio perm. omn.*; cf. Ad. V, 9, 38.

57. *Quod is jub. fac.* Heaut. IV, 1, 48. *mul. sap. es.* In postrema parte parasitus beneficio conclusit. Quapropt. blan-

*N.* Satin' tibi [n]) est? *Ch.* immo vero pulchre discedo et probe,
Et praeter spem. *N.* tu tibi [o]) nomen dic quod est? *Ph.* mihin'? Phormio,
Vestrae familiae hercle amicus, et tuo summus Phaedriae.
*N.* Phormio, at ego ecastor posthac tibi, quod potero, et quae voles,
Faciamque et [p]) dicam. *Ph.* benigne dicis. *N.* pol meritum 'st tuum.
*Ph.* Vin' primum hodie facere? quod ego gaudeam, Nausistrata,
Et quod tuo viro oculi doleant. *N.* cupio. *Ph.* me ad coenam voca.

n) Al. *Satis id* omisso *tibi*. Be. add. *Chreme* post *est* contra Codd. o) Illud *tibi*, quod Be. e. Cod. Reg. restituit, certo probabitur. Apparet enim hoc *tibi* magis respondere τῷ *mihi* quod sequitur, quam τῷ *tuum* vulg. lect. Praeterea similis est syntax. Andr. I, 1, 59. p) Sic fere o. l. s. per particulas conterminantes *que et* elegantius quam quod est in C. G. m. *et*, in chartaceo *atque*. In utroq. horum Goth. omissum *que*.

ditur Nausistratae, ut ab ea vocetur ad coenam. Hoc autem supra volebat dicendo, *mihi prospiciam*; cf. v. 47.

58. *Sat. tibi est?* cf. supra II, 1, 26. Hac ratione Plaut. Pseud. I, 1, 110. ubi Pseudolus interrogat Callidorum, „*Satin' est*, si hanc hodie mulierem efficio tibi etc.?" Ad quae posterior respondet, „*Satis.*" Verum h. l. Chremes non *satis* tantum, sed quod plus est, *pulchre* et *probe*, respondet. *immo vero* pro certe. Cic. Somn. Scip. 3. *pulchre discedo*; cf. Ad. V, 9, 22. Verb. *discedere* ut *abire* vel bene vel male vel *sic*; cf. Andr. I, 2, 4.

59. *tu tibi nomen etc.*; cf. Andr. I, 1, 59. Bene Do. adnotat, potentiorum blandimentum circa inferiores hoc fuisse, ut nomina eorum quaererent, et cum audivissent, ipsis nominibus eos appellarent. Sic Ad. V, 6, 3.

60. *Vest. fam.*; cf. supra II, 2, 23. *Vestrae* dixit propt. Antiphonis amicitiam. *tuo* Ellips. filio.

62. *Faciamque et dic.* Particul. *que et*; cf. Ad. I, 1, 39. Sic it. Liv. II, 5. „vultus*que et* os ejus." *benigne dicis.* „Formula gratias agentium." We. Ad. V, 4, 24. *meritum tuum.* Accipitur in bonam partem.

63. *Vin' primum etc.*, h. e. *Visne* ante omnia id. *quod,* propter quod. v. Perizon. ad Sanct. Min. III, 3.

64. *quod t. v. oculi dol.* „*Oculi dolere* dicebantur illi qui quod nollet videret." We. Et Far. „Propt. quod vir tuus ringatur? quod sit illi ἀλγηδὼν ὀφθαλμῶν, ut Graeci vulgo." Proprie Plaut. Most. IV, 2, 19. „Vah *oculi dolent.* – quia fumus

N. Pol vero voco. *De.* eamus intro hinc. *Ch.* fiat q).
sed ubi est Phaedria,
Judex noster? *Ph.* jam hic faxo aderit r). vos valete
et plaudite s).

q) Hoc *fiat* Be. Chremetis esse ex aliq. libb. ostendit. Et recte id. ait, senem cura ac miseria liberum non sine joco ex scena exire. Cui sane assentior. Nam etiam in Cod. Goth. membr. ad calcem scriptum legitur: *omnis comoedia sumit finem in gaudio et plausu.* Do. ac libb. quid. vocem *fiat* in ore ponunt Nausistratae. r) In quibusd. mss. adest signum, Ω vel ω; quod pars interpretum existimat esse cantoris, in fine actae fabulae, *plaudite*, alta voce exclamantis. s) C. G. m. et al. mss. sicut Editt. vett. add. in marg. „*Calliopius recensui.*" Quae nota ibi etiam est in fine priorum quoque fabularum Terentii. Quis vero hic fuerit Calliopius, in eo sunt interpretum sententiae divisae. Alii enim aequalem ipsi faciunt Terentio, cui is prologum cuiusq. fabulae dicendum demandarit. Alii hoc nomine latere opinantur Alcuinum Carolo M. Imperatori familiarem. Sunt denique qui illum criticum nescio quem fuisse sibi persuadent, qui in comoediis Nostri seu castigandis seu emendandis multum curae impenderit. Vid. Andr. fin.

molestus." *me ad coen. voca.* Beneficium quod palmarium aufert parasitus. Eun. II, 2, 28.

65. *eamus intro hinc*; cf. Andr. I, 1, 144.

66. *Judex nost.* In jocum convertitur; cf. supra v. 56. „Proprie *judex*, etsi a muliere est dicta sententia: *Quod is jubebit, faciam.* Aliter enim de patre filius non potest judicare." Eu. *jam hic faxo ad.* Hoc fere id. est supra II, 1, 78. *vos valete et plaud.* vid. ad. Eun. fin. Huc refer Cic. de Senect. 19. „Neque histrioni ut placeat, peragenda est fabula etc. neque sapienti usque ad plaudite vivendum." Hor. A. P. 155. „donec cantor, *vos plaudite*, dicat." Et Quinctil. 6, 2. „Tunc est commovendum theatrum, cum ventum est ad ipsum illud, quo veteres tragoediae comoediaeque clauduntur, *plaudite*." Ex his omnibus id saltem cernitur, hac formula finiri comoedias.

# INDEX.

## A.

## E.

## F.

## G.

## H.

## I.

## L.

## N.

## O.

## R.

## S.

## T.

## V.

## W.

# COMPENDIA SCRIBENDI EXPLICATA.

*Al.* alius. All. alii.
*Be.* Bentlejus.
*Bi.* Bipontini.
*Bo.* Bothe.
*Bru. c. ed.* Brunsii codex editus.
*Calph.* Calphurnius.
*C. G. ch.* codex Gothanus chartaceus.
*C. G. m.* cod. Goth. membraneus.
*C. G. u.* cod. Goth. uterque.
*Da.* Dacieria.
*dicit. legit.* aut *dicunt. legunt. etc.* cum puncto pro dicitur, legitur, dicuntur etc.
*Do.* Donatus.
*Ed.* Editio. Edd. Editiones.
*ed.* edit vel edidit; etiam editus lib.
*edd.* edunt vel ediderunt; etiam editi libb.
*Eu.* Eugraphius.
*Fa.* Faernus.
*Far.* Farnabius.
*gl.* glossa.
*Gov.* Goveanus.
*Gu.* Guyetus.
*I.* Jenensis cod.
*l. s. e. ed.* libri scripti et editi. libb. libri.
*L. V.* Laurentius Valla.
*Lindbr.* Lindenbrog.
*Mu.* Muretus.
*Non.* Nonius Marcellus.
*Par.* Pareus.
*Pal.* Palatinus cod.; Pall. Palatini codd.
*Plut.* Plutarchus.
*quid.* quidam aut quidem, pro contextu verborum.
*Ri.* Rivius.
*R.* Romanus cod.
*Ru.* Ruhnken.
s. lit. s. suus, suo, suorum, aut alio declinationis casu, pro contextu verborum.
*Si.* Sincerus.
*V.* Venetus cod.
*V. I.* Vetus Interpr
*Vi.* Victorius vel [illegible]anus cod.
*We.* West[illegible]us.
*Z.* Z[illegible]

# VARIETAS LECTIONIS

## MANUSCRIPTI GUELFERBYTANI I.

Andr. Prol. v. 8. script. *advertite.*

I, 1, 5. omitt. *arte.* v. 9. *fuit.* Ibid. *tua* in fin. 30. *aut ad philos.* leg. *autve.* 60. post *tres* leg. *tum.* 69. *Tum* pro *Cum.* 84. *Causa* ad prior. vers. v. 98. *post anim.* add. *pavor.* 102. *posita.* 112. post *aut* add. *quid.* 138. pro *sin even.* leg. *sine ut even.*

— 2, 2, *ut* pro *ubi.* 20. *omnes qui etc.* Antepon. Si. *Si quaeras, dicam.*

— 3, 7. *in* omitt. 22. *imprudenter.*

— 5, 15. *et* post *alunt.* 23. *resciss.* 25. *adverse* pro *div.*

— — 28. *eine.* 33. *die.* 38. *in animo.* 45. *Commoneat neq. commov.*

— — 55. *ejus* pro *huius.* 58. *maximum.* 61. *committo.* 63. *equidem.*

II, 1, 4. *et confect.* 13. *protrah.* 16. omitt. *sibi.* 17. *crucem* pro *rem.*

— — 21. *ita ajunt.* 29. *proficiscar.* 33. *aut tu.* 35. *mihi qui.*

— 2, 8. *ambos.* 10. omitt. *certe.* 11. *et* absque *si.* 13. *atqui.*

— — 19. *ibi* post *inv.* 23. *tristis erat.*

Continuatur haec scena sequenti.

— 3, 13. omitt. *hoc esse.* 25. *haud dub. quid. est id.*

— 4, 5. *Qua* pro *Qui.*

— 6, 6. omitt. *ego?* 9. omitt. *si.* 10. *sinet.*

— — 19. *perparce.* 21. *Non* pro *Num.*

III, 2, 5. *revertar.* 11. omitt. *intus.* 41. *tantum* pro *tam. idem.*

— — 49. *Quid* pro *Qui.*

— 3, 8. *nostrum* pro *meum.* 30. *Dehinc.* 39. *invenias.*

— — 36. *discensio* mendose.

— 5, 1. *perdidit* post *hodie.*

IV, 1, 9. *eos* post *premit.* 20. *seducere* pro *ducere.* 28. omitt. *vel* prius.

— — 56. *aliud melius.*

— 2, 4. *illa* post *se.* 9. abest *Age.*

— — 28. *ego* pro *ergo.*

Andr. IV, 3, 1. *esse* ante *propt.* 18. *primo.*
— 4, 11. *video.* 13. *verb. si mihi ullum.*
— 5, 21. *despoliare.*
V. 1, 6. *Vides.*
— 2, 5. *ehem.* Script. *eh hem.* c. gl. „interjectio perturbati est."
— — 7. *is* pro *id.*
— 2, 23. 24. *Tamen tu cura.* 25. *Davo* post *tibi.*
— 3, 17. Non hab. *ut.* 22. *licetne* transpos. *ne licet.* 23. *At tandem*; ibid. *audiam ego?*
— 4, 13. *attentate* pro *adtemp.* 27. *tum* post *in Andro.*
— — 29. *suamne?* 34. *de illa.* 35. *et tum.* 44. *ut credo.*
— 5, 3. *quid.*
— 6, 17. *valete et plaudite.*

Eun. Prol. v. 5. *Existimat, hoc esse, sic existimet, sciat, praesumat.* 6. *quia laes. prior.* In locum horum verbor. leg. *quale sit prius.* 10. *a thesauris.* 14. *fraudet.*
I, 2, 7. *in roib. via.* 12. *aut* pro *ac.* 41. *P. rogas? quia etc.* 72. *pessima es.* 109. *deducantur.* 125. *se* post *const.*
II, 3, 61. *et* ante *ei.* 66. *sen. et mul.* 72. *vis* post *numq.*
III, 1, 45. *suspicatur.* 55. *remord.*
— 2, 48. *Fac ut c.*
— 3, 14. *posse* post *se.* 30. *abis.*
— 4, 1. *Pireo.*
— 5, 2. *erump.* 5. *hic* post *curios.* 6. non hab. *quoquo eam*; pro his *quique.*
— 5, 22. *erat* post *ad eam.* 26. *essemque.* 43. *facerem.*
— — 44. *it* post *interea.* 53. *lim. sp. oculis.* 64. colloc. *ubi — ibi.*
IV, 1, 8. *mansit ibi, illa cum illo sermonem incip. ilico.*
— 2, 4. *reputo.* 7. *veni.* 8. *Hoc coepi.* 14. *Sed q. h. est qui tim.*
— 3, 4. *misere.* 9. *dign. es.* 10. *illepid.* 11. *Rogas me?* 14. *Pythia.*
— — 14. *conferend.*
— 6, 5. *expecto.* 17. *atque quant.*
— 7, 2. *sequim. me.* 4. *Dorax.* 12. *locum.* 25. *Quid tu.* 37. omitt. *Thais.* 43. *ubi tu velis.*
V, 2, 1. *pat. et mat.* 23. non hab. *id si fec.* 44. *Chaerea* pro *hera.*
— 4, 2. *Qui se.* 6. *Quam amabo.* 35. *facturum* post *id.* 43. *nam* h. ita. 48. *narrato.*
— 6, 6. *Py. ahaheh, perii.* 11. *Par. Quid? Py. ilicone cred. etc.*
— 7, 2. *quid dicis?* pro *quid est?*
— 8, 3. *contigere.* 7. *aud. tu quid hic ait?* 8. *felicit.* pro *facilit.* 19. Voce *nobis* scena finitur. 23. *hui* ante *Mihi.* 41. *id* post *vos.*

Heaut. I, 1, 10. *aut qu. quaer.* 21. *Quid.* 36. *Dic tibi.* Ibid. *tantum* pro *tamen.* 47. abest *rem.* 61. *ad id* pro *adeo.* 63. script. *boniv.* pro *benev.* 71. *perturbato.*

Heaut. I, 2, 5. *proin opinionem.* ibid. *omittas.* 19. *esse* post *quidem.* 32. *scortari non vult, crebro convivarier.* 37. *qu. sit nobis.*

II, 1, 9. Hic vers. anteit nostro priori. 10. *narrat* omisso *mihi.*

— 3, 10. *Qui ist.* lit. *d*, ut videtur, abrasa. 11. abest *ancillula.* 13. abest *scio.* 15. *Sed vid. ecquos vol.* 20. incipit *Dolet.* 58. *haud* pro *aut.* 63. *scieb.* ut ubique pro *scibam.* 80. post *tace* leg. *Clit. quid est? Sy. quid est?* 106. *si* post *Ejus*, et *unqu.* pro *nunq.* Tunc verba essent comminantis. 116. *ne utique* divisim. 119. *necesse.*

— 4, 2. abest *isti.* 26. *exspectate* ante *Clinia.* 28. *exoptato.*

III, 1, 1. *cur jam.* 22. *sic ita est.* 55. *quid.* 79. *Qui.* 86. *velle* post *incip.* 96. *hoc* post *eo.*

— 2, 7. *demiror.* 11. *est* ante *meretr.* 22. *fallaciam.* 44. *ne quid* mutatum in *nequit.*

— 3, 6. *recipe.*

IV, 1, 3. *esse* post *videtur.* 18. omitt. *si.*

— 3, 13. *frust. op. op. hanc sumo operam.*

— 4, 17. *huc* post *transeund.*

— 5, 18. *Syrus* post *hercle.* 30. *qui comp. tenesne? Chr. comparet?*

— — 32. omitt. *Chr. quamobr.*

— 8, 9. *auferatur.* 11. *Chr. Erravi res acta est Me. quanta de spe decidi.* 12. *Et quid. istaec quae etc.*

V, 1, 13. *risti* pro *risisti.* 15. *itidem.* 49. abest *id.* 62. *rogo* pro *volo.* 63. *malis.* 70. *Admirari* pro *Id mir.* 72. *in luxur.* 75. *et praeparet se.* 81. *Quod.*

— 2, 15. *receptas.* 16. *Sat. hoc est.* 47. *ob hoc* pro *adhuc.*

— 3, 6. *hic* post *pecc.*

— 4, 19. *illud.*

Adelph. Prol. 23. *primum.*

I, 1, 25. *idem.* 28. *Patre.* 55. *clamitans.* 40. ord. *Et err. quid. m. long. sent.*

— 2, 16. *facti.* 19. *facit.* 50. *Al. aet. post.* 51. abest. *curare.* 54. *pereat* in fine versus. 60. *grav. quicq.* 68. *faciat.* 71. *se* post *velle.*

II, 1, 9. *h. quisquam.* abest *ego.* 10. *in re.* 13. *praestrenue.* 20. abest *tamen.* 27. *intus.* 56. *id rest.*

— 2, 9. *huic* pro *nunc.* 40. *potiusque* omisso *quam.*

— 4, 2. *quid sit.* 17. omitt. *hem.*

III, 1, 8. *Natae tantae* pro *E re nata.* Lectio litem dirimens. 20. *post hoc.*

— 2, 22. *revocemus Getam, o Geta, Geta.* 41. *proferemus.*

— 3, 20. *Quid agitur?* 35. *Etiam intus.* Ibid. *sit hab.* 41. *Il. futilis.* 43. *ceperit.* 75. *siet.* 80. *obtemperat.* 85. *est* post *hercle.* 89. *scito.*

Phorm. III, 4, 10. *pater* pro *parens*. 25. *ubi sit*. 31. *hanc deserat*. 40. *deferor*. 48. omitt. *erat*. 55. *tecum*. 57. *et nobil*.
— 5, 2. *consolare*.
IV, 1, 2. *aut* non *cum*. 4. *nesciat* pro *neq*. 16. *vell. ut etiam*. 21. Abs. *quasi puero*. Ibid. *prae gaudio*.
— 2, 21. 22. *Num tu eum rus hinc mihi prodiisse ajebas?* 23. *puduit se*. 45. *ex adverso*. 49. *ociose* mutat. in *odiose*.
— 4, 15. *repressi*.
— 5, 64. Distinct. post *cupio*. Tunc uno commate serieque: *Verum id vereor magis*.
— 7, 9. *Num cl. num insan*. 26. *vel gratis*.
V, 2, 7. *abiit*.
— 3, 11. *exort*. 65. add. *Mi. hoc est sapere*.
— 4, 10. *nullum*. 20. *expetunt*.
— 5, 6. *precii*.
— 7, 2. *totum hunc*. 14. *Fratris*. 18. *ago* pro *ergo*. 20. *Benefaxint*.
— 8, 14. abest *aufer*. 22. *istuc* post *tantop*.
— 9, 31. non hab. *atque*. 33. abest *omnino*.

Hec. Prol. I, 8. *cognoscis*.
I, 1, 18. *aut pro et*.
— 2, 12. *perpetuo*. 18. *nos*. 32. *haec*. 59. *hodie* post *odio*. 71. *Sed anteq*. 77. *et*. 80. *ubi hoc*. 86. *ipsus sese*. 111. Non adest hic versus.
II, 1, 17. incip. *Ah*. 21. *Ideoque*.
— 2, 7. *Quo*. 15. *ne* post *satis*. 30. *est* post *quidem*.
— 3, 1. abest *inique*.
III, 1, 16. *obtrusit*. 35. *hors. rurs. Par. prors. aged*. 47. abest *hunc*.
— 3, 2. *acciderunt*. 12. *ego ej. videndae*. 17. *lacrim*. 27. *vis* pro *jus*. Quae permutatio fit ex scriptione fere aequali, *uis* et *ius*. 33. abest *tecum*. Et leg. *duob. post*. 44. abest *ejus*.
— 4, 24. *et ne me fr. illic expectet, vola*.
— 5, 9. *Sobrinus*. 23. *hoc malim*. 28. *tolleret*. 35. *pulsus*. 55. *decidet*.
IV, 1. 9 *tune*. 15. *hunc* post *quamobr*. 26. hab. *plus* non *prius*. 37. abest *ea*. 44. *gnatae*. 58. *possit*.
— 4, 11. *Laches*. 15. *Sin autem*. 48. *neglexerit*. 51. *nequeo*. 54. *id quod*. Ibid. *sollicitare*. 59. abest *nactus*, haud dubie per errorem. 83. *socer* mendose propter *adjutrix*. 99. *Et tete*.
V, 1, 5. *Aggrediebar*. 21. abest *aetatem*. 30. abest *pol*. 37. *aut* post *Nunc*. 39. *audiat*.
— 2, 6. *arbitror*. 7. *exquirere licet*. 13. *comperit*. 25. *nullam* in fine.
— 3, 28. *ille alias, ille alias*. Nisi alterum errore est iteratum. 30. *virginem quam* (*quā*) absque *nescio*. 32. *haec* post *Eum*. 34. script. *Philomen*. 36. *propt. tot*. 40. *de nupt*.

— 4, 1. abest *mi.* 9. abest *te.* 16. leg. *o serv. m.* 17. *volupte.* 27. *Hi quos par fuerat scire, sciunt.* 32. non hab. *nobis.* 37. *vere.*

Phorm. I, 1, 9. *dimenso.* 15 *auferret.*
— 2. Juncta haec est scena priori. 12. *do.* 28. *Adversus.* 31. *puellam.* 47. *ex adversò.* 50. *ip. fac. facie egr.* 73. *quem* pro *qui.* 89. abest *Hem.* 93. *addatur.*
— 3, 3. *Qui.* 7. non hab. *illos.* 24. non hab. *ejus sit.*
— 4, 2. *tanta te impediunt mala.* 7. abest *mali.* 31. Hic v. ab alia manu adscriptus anteit nostrum priorem. 32. abest *hem.*
II, 1, 6. *et* post *audio.* 41. *obtemp.* 46. *semper* pro *saepe.*
— 3, 1. *Nunq. cuiq.* absque interrogatione. 2. *Vidistis.* 15. *natu grand.* 31. *peto.* 43. *non noveras?* 51. *quid.* 68. *ejus* pro *civis.*
III, 1, 7. *hinc.* 19. *Nam ut.*
— 2, 6. *ne aliquid.* 15. *seducas.* 26. *meo.* 28. *affero.* 43. abest *Antipho.*
— 3, 15. *abducit.* 19. *quod agis.* 20. *Vides.*
IV, 3, 16. 17. *sit haec pot. c. bona. Herus lib. est etc.* Absunt intermedia verba, *Ut comp. grat. qu. mela.* 22. *Laturum.* 59. *peti* pro *petito* vitiose.
— 4, 18. *j. si accep. Phormio.*
— 5, 4. *hic.* 13. *Nolo* pro *Volo.* 15. *experire* vitiose.
V, 1, 24. abest *egens.* 27. *haud obsecro.* 32. *collocatam.* 38. *repetit. intus* post *cet.*
— 2, 5. *casā* in loco deraso. 8. omitt. *ut* post *Modo.* 12. *praenuncia.*
— 3, 9. *tibi* post *haec.* 13. *Num* pro *Jam.* 16. *quid non potest?* uno commate. 23. *narres.* 30. Absunt verba: *D. ire igit. tibi licet, Nausistr.*
— 4, 6. *patri in metu siem.* 7. *etiam* ante *esset.* 9. *persuadeat.*
— 5, 3. abest *etiam.* 4. abest *hos.* 10. Ord. *Dic. empt. ad mercat. ancillam illam dud. qu. dix. Geta.*
— 6, 4. *exonero.* 18. non hab. *ut.* 22. *occurr.* 31. *Quid?*
— 8, 9. 10. *heus, Heus.* 30. *Quodne.* 40. non hab. *ut fil.* 50. *educabat.* 54. *Argento.* 59. *hic hoc.* 62. abest *hoc.* 80. *nunc* post *Venias.* 81. *Hic* pro *Hisce.* 89. *advoco.*
— 9, 3. *queris* (quaeris) post *hiccine.* 31. non hab. *et.* 37. *hinc jam* pro *hem.* 54. *Faciat.* 58. *Satis.*

# VARIETAS LECTIONIS

## MANUSCRIPTI GUELFERBYTANI II.

Andr. Prol. 13. non hab. *hic.*

I, 1, 6. leg. *his.* 36. colloc. *iis una sese.* 43. *huic.* 48. *et tela.* 60. *tum* post *hi.* 64. non hab. *Quicq.* 69. *Tum* pro *Cum.* 93. abest *adeo* posterius, posito *atque* in ejus locum. 96. *ac lib.* 116. *facies.* 141. *simules.*

— 2, 1. *Pamphilus* pro *fil.* 10. *inter.* 20. *ignoro* post *sit.* 27. *Aut te videro velle etc.* 31. *locut. es.* Ibid. *et* ante *nil.* 54. Continuatur haec scena sequenti.

— 3, 10. *accidit*, omisso *etiam.* 13. *incept. haec.* 15. *nunc* post *fing.* 22. *ne pat. de hac imprudenter opprimat.*

— 5, 4. *antea.* Ibid. *esse* post *commun.* 8. colloc. *ut me mis.* 15. *et ea.* 36. *decepi.* 58. *maximum.* Post v. 63. sequuntur haec: *Nisi mors adimet hanc mihi nemo*; cf. IV, 2, 14.

II, 1, 4. *lapsus.* 10. *autem* post *Tu.* 13. *protrahat.* 17. *crucem.* 28. *saltim.* 31. *promereatur.*

— 2, 7. *vocat* post *qui.* 10. abest *hercle.* 11. *id* pro *si.* 21. *est* post *molest.* 24. *egomet.* 25. *illuc.* Ibid. *solit. erat.* 39. *Nihil vid.* Continuatur haec scena sequenti.

— 3, 1. *Dave* post *igit.* 5. *negares.* 7. *aut* pro *ac.* 8. abest *ac.* 24. *aliquod.* 29. *cave ne te trist. sent. esse.*

— 4, 5. *Qua.*

— 6, 15. *sibi* post *ux.*

III, 1, 3. *narrat.*

— 2, 4. *dare.* lit. *i* mutata in *e.* 5. *Date.* Quod fuerat *Dato.* 24. *Egone.* 26. abest *ego.* 28. abest *futur.* 35. *afferat.* 47. *Chremetem.* 49. *Quid.* 50. *id* ante *mihi.* 52. Chremetem in fine.

— 3, 23. colloc. *integr. amor.* 37. *inde* pro *vide.* 40. abest *si.* 41. *in me claud.* 42. *maximum.* 43. abest *nunc.*

— 4, 6. absunt *D. quid? S. scies.* 7. *Jam* pro *Nam.* 12. *narra.* 14. *fact. est.* 15. *huic renuntiabo.* 20. abest *haec.* 25. *Hem astutia mea!*

Andr. III, 5, 1. *perdidit* omisso *hodie*. 8. abest *Nec*. Ibid. leg. *de me*. 27. abest *tu* post *viden'*. 13. *restitues*.

IV, 1, 9. *prem. eos*. 12. *fid. est*. 28. *cognoveris*. 39. *P. Davus interturbat. Ch. quamobr*. 40. *ei* post *qui*. 42. *utinam* post *tibi*. 50. *unicis*. 56. *aliud* post *tute*. 59. *quamobrem?* ante *quaero*.

— 2, 19. *fortis es*. 22. *ut ne*. 23. *putes*. 26. *de me*. 27. abest *tu*. 30. *Ch. at tam, si q. age. D. age, ego ven*.

— 3, 1. *Nihilne esse*.

— 4, 2, *est* in fin. 13. *si mihi*. 16. *est* post *mir*. 21. *excesseris*. 22. *quid ita*. 27. *effugi*. 35. abest *dabit* posterius. 45. abest *jam*.

— 5, 7. *Is est, Crito*. 10. *quandoquidem*. 14. *esse haec* sine *ejus*.

V, 1, 16. *eum*. 17. *facta* pro *ficta*.

— 2, 8. *tibi* non *ita*. 17. *novi* post *equidem*.

— 3, 4. *Ha* pro *Ain*. 6. *pudet*. 7. *Vide non*. 17. abest *ut*. 20. ad *inventi* leg. *sunt*. 27. distinct. *duc. hanc?*

— 4, 5. *Hic est*. 7. Abs. *Tune imp. h. fac*. 10. *meretriculos*. 13. abest *hodie*. 14. *ergo* pro *vero*. 19. *dixi*. 28. *tum* post *in Andr*. 33. *tempora* post *illa*. 36. *Sane* pro *Nae*. 39. *Huic nom*. 43. *Ex ea*. 49. *noscere*.

— 6, 1. *quisquam*. 3. abest *ego*. 6. *est* post *Pat*. 9. *salv. s. ego*. 11. *Benef. est*. Ibid. *hem aud*. 14. *apud. Glyc*. 17. *restat*.

Eun. Prol. 5. Sequuntur verba, *sciat*, *praesumat*. 6. *quale sit prius*. 31. *et eas*.

I, 1, 9. *ilico* non *ilicet*.

— 2, 41. *rogas? quia etc*. 79. abest *ego*. 125. *adeo* pro *hodie*.

II, 1, 8. *quoad*. 16. *haec moll*. 17. *ne ut ego*.

—, 2, 4. *itid. ut ego* sine *qui*. 12. *defit*. 36. *stare* post *trist*. 37. *hic*. 42. *Quiddam*. 48. *beare*. 49. *fuisses*.

— 3 14. abest *egone?* ibid. *quors. vadam*. 16. *ostendas*. 21. *Si*. 44. *occurr*. 50. *dicit*. 51. script. *habeo*. 56. *scilicet*. 58. *equidem*. 59. *et novi et scio*. 61. *adducta*. 62. *ita pot*. 64. abest *dono*. 65. quidnam. 66. *sen. et m*. 72. *Ch. quid n. is domum?* 80. *ducam*. 81. *frui* post *quib*. 82. *capies*. 86. *duc me*. 99. *tuam*.

III, 1, 12. *exerc. suum*. 23. *rex praef*. 24. ord. *mag. molest*. 32. *jam* post *mil*. 34. *lud*. non *adlud*. 38. *esse* post *cred*.

— 3, 5. *illa*. 29. abest *cur*.

— 4, 1. *Pireo*. 2. *ut* post *diem*. 7. *Ibo ad eum*. Ibid. abs. verba, *Idq. adeo*.

— 5, 2. *erump*. 6. abest *quoquo eam*, pro quo leg. *quique jam rog*. 7. *aut* ante *unde*. 11. *san. es*. 15. *ut opin*. 19. non hab. *scio*. 25. *capies* omisso *ut*. 43. *istud*. 54. *al. loca*.

IV, 1, 4. *eum*. 8. *mans. ibi* conjunctim.

Eun. IV, 2, 14. *est* post *hoc*. ibid. *quid* pro *quod*.
— 3, 18. abest *hoc*. 21. *scias*.
— 4, 4. abest *tibi*. 5. *cessissem*. 17. *eo* post *Nunc*. 30. add. *nec, quis esset, unquam audieram dicier*. 43. *si* pro *ni*. 44. *tu neg*. 53. *utrumne*.
— 5, 11. *ego int*.
— 6, 1. *ut* post *sine*. 5. *expecto*. 21. *cogito*.
— 7, 2. *sequ. me*. 4. *Dorax*. 6. *Sanga ecc. ad*. 15. *tibi* post *vid*. 18. *irruemus*. 25. *agis*. 27. *illam*. 43. *tu* post *ubi* utrumque.
V, 1, 3. *Num* pro *Non*. 5. *quod*. 8. *Quis*. 20. *potes*.
— 2, 8. *Fugi* pro *Fui*. 23. abs. *id si fec*. 38. *ita* pro *etiam*. 42. *tam* pro *ita*. 50. *certe*. 64. abest *servandum*; nisi forte negligentia librarii omissum.
— 3, 4. *Tu*. Ibid. *ego* ante *mov*.
— 4, 6. *Quam* pro *Quo*. 10. *Meretricium*. 11. *tum cognosceret* pro *cum cognor*. 52. *esse* ante *fact*. 34. *collig. eum*. 39. *anne*. 47. *si sap*.
— 5, 5. *est*. *Thaidis* in fine. 6. *here* post *adven*. 11. *Quid id est*. 12. *praenarrare*. 29. *esse event*.
— 6, 6. *ha ha he* ante *perii*. (Delevit Antesignanus ob metrum.) 8. *edepol*. 16. *qui* pro *quid*.
— 7, 2. *quid*.
— 8, 4. *Qui*. 7. *hic* pro *illum*. 12. *hoc aud*. 26. *est facile* post *conlib*. 32. *tu* post *ergo*. 36. *huic* omisso *istuc*. 44. *et* post *victit*. 48. *Nemo potest esse*. 50. *tu* abest post *Neque*. 59. *sed* ante *postqu*. 64. add. *Calliopius recensui*.

Heaut. Prol. 1. *Ne cui vestr*. 7. *scripsit*. 21. abest *quod*. 30. *nec pro se*, omisso *ille*.
I, 1, 5. *propinqua* pro *aliqua*. 9. *aut* in fine. 11. *eo* post *plus*. 13. *adimples* post *siet*. 14. *et fung*. 17. abest *deniq*. 21. *Quid*. 24. abest *ea*. 26. abest *Vel*. 27. abest *ego*. 36. *tibi* post *Dicetur*. Ibid. abest *at*. 43. abest *ita*. 47. *scivi*. 52. abest *in*. 57. abest *nisi*, mendose. 71. *Perturbato*. 75. *ut* post *quo*. 80. *in* pro *uti*. 93. *talenta duodecim* absque *quasi*. 97. abest *hic*. 102. *ubi fit, ibi*. 106. *Alia* pro *Ita*. Ibid. *pecc. meum*. 109. *sed nunc com. est*. 118. abest *ut*. 121. *adeo*. 122. *quinam*.
— 2, 1. *aut* pro *haud*. 3. *quae quemquam excruciet omittas*. 10. Post hunc v. sequitur qui noster est v. 18. 32. *non vult*. 35. *similia*.
II, 2, 4. ord. *sub cu. imp*. 6. abest praeposit. *a*. 9. abest *jam* posterius. 10. *abesse*.
— 3, 14. *bib*. 18. abest *sum* posterius. 19. *meretricum* post *harum*. 24. *erga te*. 35. *aperuit*. 38. *et* fin. 46. *tum* post *quae*. 48. non hab. *esse*. 55. *hic dicitur* pro *credo*. 56. *tu* post *scin*. 58. *Cum ej. tam negligenter internuntii*. 61. Absunt voculae *te* et *ne*. 71. *adducis*. 75. omitt. *si*, et add. *modo* post *paull*.

Heaut. II, 3, 76. *illo tempore* pro *illa.* Ibid. *sinas* absq. *si.* 80. *Clit. quid est?* 81. *Sy. quid est? vis etc.* 92. *quid hic suam* pro *fac. sua.* 102. *quod boni est.* 105. *agam.*

— 4, 2. *dum* pro *cum.* 14. non hab. *ab utrisq.* 18. *reducere* pro *reducem.* 24. *Ant. disperii misera.* 26. *exspectate Clin.*

III, 1, 1. *hoc cur jam cesso etc.* 7. *quantum* pro *quod.* 13. *Dicere.* 14. abest *quidem.* 15. *quantum.* 17. *adibo atque.* 21. *hic* ante *apud.* 22. *ita est.* 37. *ea re.* 43. *et* pro *atque.* 45. *si sit.* 58. *illud id*, pronom. *illud* relato ad superiora. 77. *illum* pro *ipsum.* 79. *Qui.* 82. abest *ego.* 84. abest *ut.* 100. *appreh.*

— 2, 7. *te demiror* absque *sed.* 13. *satis* pro *sane.* 14. *Minime quoque.* 30. *illaec.* 31. *lib.* pro *lub.*

— 3, 2. *huius.* 7. add. *τῷ fact.* verb. *est.* 10. *putat* pro *pater.* 11. non hab. *ut* et *hinc.* 32. *servand.* 33. *sapis*; ab altera manu *sapias.* 34. *et quid.* 40. *mutuo.* 41. script. *reliquid*; ac saepe ita. 46. *Dubiumne.* 48. *hab. et* in loco verbor. *in ea.*

IV, 1, 10. *haec* et *adversus.* 17. *tantamne.* 32. *gnata.* 35. abest *istuc.* 36. *loqu.* 46. *reperi.* 48. *τὸ fecisse* Chremeti tribuitur etiam dicendum. Continuatur scena.

— 2, 10. *est* post *optume.*

— 3, 2. *adorta.* 8. abest *nunc* ante *non.* 15. deest *oper.* 37. leg. *curas* pro *pendis.*

— 4, 5. *et* ante *Clitipho*, omisso *in.* 14. *nunc* post *istanc.* 23. *et ferant.* 25. *paululum.* 26. non hab. *id.*

— 5, 4. *aliquod* vitiose. 31. *spondeo.* 36. *Egon.* 38. abest *tu.* 45. *confugias.*

— 6, 3. abest *dedit.* 5. *excludar?* 7. *perdant.* 8. abest *mihi.* 15. *adduxisti.*

— 7, 4. *nunc* post *me.* 8. *nutrimentis.* 9. *pro ornam.*

— 8, 3. abest *Chreme. quid?* omisso *est.* 10. abest *ipsa.* 28. *scio* post *proped.*

V, 1, 31. *ac* post *dict.* 34. *hoc.* 38. abest *quod.* 40. *Quod.* 41. *M. ha ha he. quidni etc.* 43. *Quod.* 51. abest *tu.* 59. *tibi* post *incom.* 60. *ostendis.* 63. *Qu. malis.* 73. *et redig.* 74. *dimitte.* 75. *praep.* 78. *depess. usque dum.*

— 2, 1. abest *quaeso.* 11. *tu eger.* ibid. abest *ut* posterius. 12. *cui cui.* 16. *Sat hoc est.* 20. *licet me.* 21. *Quae* sine *ve.* 30. abest dictio, *id egi.* 33. non hab. *est.* 34. abest *fuisti.* Locus est derasus. Distinct. *quae prop. ess. te indulg. tibi.* 38. *expecta.* 40. *ergo* post *quid.* 41. *profert.* 42. *vera.* Supra script. „suspicio." 48. *nunc* post *hinc.*

— 3, 3. abest *unquam.* 7. abest *ego.* 11. *num* pro *non.*

— 4, 17. *ut* pro *et.* 21. *nec.*

— 5, 5. *ut mihi ignosc.* 9. *istuc.* 13. abest *etiam.* 16. abest *tu.* 22. *ut ignosc.*

Adelph. Prol. 4. *et* ante *vos*. 9. abest *cum*. 24. *ut* ante *aequanimit.*

I, 1, 9. abest *Et*. 11. abest *Et*. 13. *in animo*. 18. *quo*. 22. *sunt* post *duo*. 25. *idem*. 35. *clamitans*. 38. *vestitum nimium*. 39. *aeq. et bon.* omisso *que*. 43. *et* post *ratio*.

— 2, 3. abest *hoc*. 12. distinct. *Fact. esse hoc. advenienti etc.* 21. *credere*. 23. *Id si neq. tu fecim. nequ. ego*. 25. *tu* sine *tum*. 26. *id* post *unde*. 30. *post fac. tam*. 53. istuc pro *istic*. 54. *pereat* in fine vers. 57. *jam* pro *hem*. 59. *et* ante *iste*. 60. *quicquam* post *grav*. 66. *jam* ante *adjut*. 71. *se* post *velle*. 72. *deveruisse*. 73. *sed* pro *nisi*.

II, 1, 6. *modorum* pro *morum*. 9. abest *hoc* in contextu, sed est sup. scriptum. 10. *in re*. 11. abest *ego*. 14. *j. tu nunc*. 18. *ego* pro *ergo*. 20. abest *in*. 25. *Quin*. 32. abest *me*. 33. abest *vah*. 36. *id* pro *hoc*.

— 2, 2. *ut* post *bene*. 9. *huic* pro *nunc*. ibid. *si* post *atque*. 24. *omittam*. 39. *jam* post *immo*. 45. *quicquid*.

— 3, 5. non hab. *praet. alias*. 8. abest *Syre*. 9. *pro*.

— 4, 7. *non*.

III, 2, 23. *et* post *quaer*. 35. *senis sui* pro *se in sui*. 45. *agis* p. *ais*. 55. abest *tu*.

— 3, 6. *Aeschinus* post *persuas*. 10. incipit nova scena a verbis, *omnem rem etc.* 14. abest *id*. 21. *dolos*. 25. *equidem*. 27. *ut* post *Fac*. 28. *hunc* post *sibi*. 41. *futile somn*. 46. distinct. *Quid? eum vid*. 55. hab. *tuo* non *nostro*. ibid. *oh oh lacr. praegaud*. 58. *est* post *plen*. 74. abest *in* poster. 84. *ille* pro *illic*. 85. *est* post *hercle*.

— 4, 2. *Quod*. 8. *auferrent*. 10. *pater* pro *parens*. 31. *deserat*. 33. *hic Ge*. 39. *nec* pro *neq*. 40. post *Scio* haec: *G. Intus clamat Pamphila*. Incipit ab hoc versu scena nova. 44. *ut* post *id*. 51. *enit*. 54. *exequar*. 57. *divites*. 63. *haec* pro *illaec*.

IV, 1, 1. *tu* post *Ain*. 3. *defatigari*. 5. *ut* ante *hunc*. 7. *tam* post *quia*. 12. *es* post *nequior*. 22. *paterne*.

— 2, 3. colloc. *is fil. neg. esse*. 6. abest *credo*. 8. abest *fit*. 11. *non tac*. 16. *sunt*. 22. *est* post *fact*. 35. *et rursum*. 36. *rursus* pro *vors*.

— 4, 5. abest *consilii*. 6. abest *nescio*. 13. *satis ad haec*. 15. *ad* non *id*. 17. *id quod*. 18. *omitte*. 23. *n. jam*. 26. abest *aliquis*.

— 5, 8. *jam* pro *nam*. Ibid. *huic* ante *hic*. 20. *adveh*. 21. *sic* omisso *est*. 22. abest *quid* medium. 25. *et* pro *huic*. 27. *hinc*. 54. *b. viri* omisso *item*. Ibid. *eveniet*. 55. *prospexisti*. 57. distinct. post *haec*. 59. abest *haec*. 61. *Noli te*. Ibid. *esse* post *socord*. 64. *ideo* pro *eo*. 75. non hab. *est*. 76. *injec*.

Adelph. IV, 7, 20. *Non cum nunc queo.* 23. abest *forte.* 29. *erit* ante *una.* 30. *sanumne.* 35. abest *D. Probe?* 44. *Salvare.*

V, 2, 1. *carnifex* post *abi.* 9. *ergo* pro *ego.*

— 3, 3. *quaeram.* 4. *Neptunia.* 7. *liberorum.* 53. *exsperge.*

— 4, 3. abest *te* post *quae.*

— 6, 5. *exspect.*

— 7. 2, *et in app. totum hunc cons. d.* 19. *Tum* pro *Tu.* 21. *vos* post *dign.*

— 8, 2. *in hac* et *in al.* 7. *ita dicunt.* 12. *Aeschine* non *asine.* 14. abest *aufer.* ibid. *quaeso* ante *fil.* 17. *promisisti.* 18. abest *quid* prius. 24. *Heg. iste.* 25. abest *bene.* 33. *istuc.* 34. abest *tu.* Ibid. *corp. et an.*

— 9, 10. *ista* non *hac.* 14. *hebeo* vitiose. 19. *primam.* 23. abest *Tu.* 24. *quid* post *istoc.* 31. *et larg.* 33. *exequor.*

Hec. Prol. I, 5. *certe* post *plane.* II, 7. *parum me statui* pro diction. *part. vix steti.* 20. non hab. *Nunc quid pet.* pro quib. hab. *huic poetam.*

I, 2, 80. *hoc* post *ubi.* 118. *mihi* ante *siet.* 122. *Parmeno* post *vale.*

II, 1, 20. post *scio* sequuntur, si recte legerim, haec: *de vobis curam ago, quales vos habitus superque vester erit.* Quae verba esse pro glossemate satis existimo habenda.

— 2, 10. *hanc* post *perp.* 17. *volo* post *adeo.*

III, 1, 3. *fuit.* 28. *in quib.* 46. *nullum.*

— 2, 5. *Hehem.* 8. *illum* post *qui.* 18. *te* post *venisse.* 24. *hiis* non *eis.*

— 3, 32. *es* in fine.

— 4, 8. Absunt *Cum interea.* 25. *at fac. ego.* 27. abest *facie.* 28. *venit.*

— 5, 5. *hic* non *hoc.* 17. *latus meum* post *fod.* 23. *id* in loco deraso pro *haec.* 62. *is* p. *hic.*

IV, 1, 33. *ego* non *eo.*

— 2, 19. *ipsor.* pro *istor.* 28. *illam.*

— 4, 2. *jam* pro *nam.* 3. *mater quae.* 86. *concede* pro *cedo.* 99. *ut* post *ero.* 102. *quidem* post *quod.*

V, 1, 4. *potest* prave sic mutatum, ut videtur, ex *post.* 6. *miraris* omisso *te.* 16. *expurgat.* 27. *otius.* 28. *huc* pro *hinc.* 32. *natum.* ibid. *eum* ante *vid.* 36. *Jam* pro *Nam.* Quae permutatio frequens est.

— 2, 25. *Ad* pro *At.* 26. *simul err. et simul te.*

— 3, 2. *me* ante *mis.* 13. abest *illum.* 23. *ex his reb.* 37. *quisquis.*

— 4, 6. *est* junct. *τῷ fact.* 21. *ullus* pro *unus.* 40. *vos valete et plaudite.*

Phorm. Prol. 9. *fecit* pro *stetit.* 11. *laedere* pro *laederet.* 13. abest *si.*

Phorm. I, 1, 9. *menso.* 12. *sit* ante *part.* 14. *munere* post *alio.* 15. *aufert.*

— 2, 8. *ego sum* pro *simus.* 28. *Adversus.* 43. script. *inquid* pro *inquit.* 52. *eam* pro *eamus.* 53. *pervenimus.* 64. *hine* post *illam.* 73. *Phormio* post *qui.* 75. *quae sunt gen. proximae.*

— 3, 2. *in ment. meam ej. adventus ven.* 4. *sim* pro *sis.* 10. *quod* pro *quia;* et *ament* pro *amant.* 14. *mortem.* 26. *et* non *hei.*

— 4, 2. *impendant.* 10. *animo.* 19. *Credo.* 24. *sunt.* 36. non hab. *esse invit.* 48. *et* ante *opt.* 49. abest *ea.*

II, 1, 6. *aud. et fat.* 7. *et* ante *tacit.* 11. abest *maxime* prius. 25. *te evenire.* 29. *adduc.* 30. *ratione*, lit. *m* deleta. 33. *illam* pro *illa.*

— 3, 4. *proh deûm atque hominum fidem.* 5. abest *Demipho.*
6. absunt verba, *Hanc Demipho neg. esse cogn.* 13. abest *ultro.* 15. *novit.* Ibid. *natu* in loco *τοῦ jam.* 17. *ubi* pro *ibi.* 33. abest *tuum.* 35 *noris.* 37. *consobrin.* 43. *dixit.* Ibid. *non noveras?* 45. *hoc* non *istoc.* 51. *heus* pro *eu.* 53. *fuerit.* 58. *tibi* post *soli.* 63. abest *Dotem.* Ibid. *abduc.* 66. *itid.* 68. *et* post *admitt.* 82. *Dissimulet.* ibid. *hoc* post *bene*, et *ut* post *habent.* 84. abs. diction. *inter nos.*

— 4, 9. *Ita* pro *Te.*

III, 1, 1. *tum* pro *cum.* 3. *credidisse.* 19. ord. *ut aud. per ej. un.*

— 2, 1. abest *me.* 9. *quod dico* post *ver. hercle.* 11. abest *tu* ultim. 26. *meo* non *suo.* 28. *affero* c. gl. „tibi." 30. *exoratus* pro *exoret.* 32. *ab hac n.* 36. *et nihil.* Ibid. *et* ante *nunc.* 39. *Quam adderes.* ibid. *non* pro *num.* Sic et contra centies.

— 3, 4. *adjuerit.* 6. *ergo* non *vero.* 8. abest *hic.* 12. *a vobis.* 15. abest *in.* 16. abest *Tum.* 24. *loquere.* 31. abest *metu.*

IV, 1, 2. *Addustin.* 16. *alius.* 18. *me* post *plusq.*

— 2, 7. *sese est.* 15. *ab hoc.*

— 3, 6. *complura.* 7. *Ita est.* 22. *Laturum.* 36. *loqui.* 38. *De. quantum. Ge. libuit.* 41. abest *Suam*, cuius in loco est *quam.* Tunc mutatur periodus. 44. *nec deniq.* omisso *Haec.* 50. *affert.* Ibid. *dissoverem*, neglecto l medio. 57. abest *inquit.* 60. abest *autem.* non hab. *op. est* posterius. 64. *impunitus* pro *impur.* 71. *constituerant.* 73. *illi.* suprascript. „Phormioni." 76. *Id sum. uxoris.* Sup. script. „argentum."

V, 1, 16. *dixti.* 18. *fortes.* 25. *collocavi.* 27. *haud* pro *an.*

— 2, 3. *nec* pro *ne.*

— 2, 1. *placeat* pro *placetur.*

— 5, 2. abest *ea.* 3. abest *una.* 4. *portand.*

— 6, 15. *vellem.* 18. *quid cess.* 26. abest *ego.*

Phorm. V, 8, 16. *animum advert.* 19. *poterat.* 22. abest *pol.* 25. abest *video.* 34. *praesertim* post *decipi.* 50. abest *clam.* 53. *fabula.* 54. *tibi* non *te.* 74. *de.* Ibid. *excesserit.* 78. *sit* vitiose. 80. *nunc* post *mihi.*
— 9, 2. *hem.* 3. *nunc* post *hic.* 11. *narro* pro *dico.* 22. *c. hoc ipso.* 23. *Hiccine.* 36. abest *hic.* 37. *jam* non *hem.* 41. *ejus* pro *ei.* Sup. script. „Chr. (Chremetis) sc. uxor." 42. *tibi* post *comm.* omisso *Demipho.* 43. *istam* ante *hunc*, omisso *ego.* 54. *Faciat.* 57. abest *is.* 59. abest *tu.* 63. *audiam* pro *gaud.*

---

# VARIETAS LECTIONIS

## MANUSCRIPTI GUELFERBYTANI III.

Andr. Prol. 8. *animadvertite.* 15. abest *hic.*
I, 1, 38. *ut* post *ita.* 43. *huic.* 72. *compuls.* 71. add. ab aliena manu *ei.* 89. abest *etiam.* 118. *se* post *comper.*
— 2, 1. *natus.* 28. colloc. *te Dav. usq. ad nec. in pist. ded.* 33. *me irrid.*
— 3, 17. *navim.* 19. *sunt* post *fab.* 20. *hercle* ante *non fit.*
— 5, 20. *ac* pro *et.* 23. *resciss.* 30. *ipsa* non *illa.* 33. *in diem.* 66. *siet* post *ad morb.*
II, 1, 10. *sentias.* 13. *producat.* 21. *o Pamph.* 29. *proficiscar.* 31. *promer.* 33. *iste* pro *hic.* 36. *sapis* post *mihi.* 37. absunt verba, *Nisi - sciri.*
— 2, 11. *et* pro *si.* 19. *ibi* post *inv.* ibid. *ascendo.*
— 3, 1. *o Dave* post *igit.*
— 5, 17. abest *cum.*
— 6, 11. *secum* post *ips.* 19. *perparce.*
III, 2, 20. *assimularier.* 24. *Egone.* ibid. *tibi* post *quid.* 26. abest *ego.* 35. *esse* post *est.* 49. *Quid.* 50. *id* ante *mihi.* 52. abest *in.* Ibid. *et eum.*
— 3, 3. *filio t. gnato.* alterutrum pro glossa. 15. *boni* pro *commodi.* 23. ord. *Irae am. int. am. est.* 30. *se.*
— 4, 16. *fecisti.* 17. *natum.* sic correct. ex *natam.*
— 5, 1. *perdidit post me.* 8. *de me.* 10. *ais* pro *agis.* ita centies. 15. *ego* post *dixi.*
IV, 1, 20. *seducere.* 27. *dicas* post *istuc.*
— 2, 19. *ego* post *Quis.* 26. *de me.*

Andr. III, 3, 2. *putabam.* 7. *o Mys.* 12. *ei* post *subst.*
— 4, 13. *si mihi ullum* post *verb.* 29. *perferri ad vesperam.* 36. *scis.* 55. *si ex a. o. facias.*
— 5, 10. ord. *Ut quim. aj. ut vol. qu. u. lic.* 14. *esse* post *est.* 16. abest *hic.* 20. abest *Mo.* 21. *despol.* 22. *morem* post *obt.*
V, 1, 3. *natae* pro *fil.* 13. *feras.* fuerat antea neglect. post suprascript.
— 2, 24. *tu* ante *Cura.*
— 3, 21. *Adductis.* 23. *illum* post *audi.* 30. *ut* non *hoc.*
— 4, 3. *certe* post *ego.* 18. abest *tu.* 20. *nave.* 25. *dic post ej. nom.* 26. *certe.* 43. abest *hoc.* 47. *Nisi.* sic a manu secunda. ibid. *nihil* post *nempe.*
— 6, 3. abest *ego.* 10. *o Char.* 11. *o* ante *Benefic.* Ibid. *hem* ante *aud.* 17. *restat.* Ibid. *ω vos valete et plaudite. Calliopius recensui.*

Eun. Prol. v. 3. abest *hic.* 5. *sciat*, *praesumat* post *existim.* 24. *nihil* post *tamen.* 28. *ut* pro *quo.*
I, 2, 33. *tunc potuerat* omisso *etiam.* 39. *amorem* pro *uno rem.* 62. 63. ord. *sed ego susp. quant. ad virg.* 67. colloc. *redd. ac rest.* 74. *Heus.* 75. *Aut.* 91. *bene* post *haec.* 99. *ex joco.* 101. *biduo.*
II, 1, 16. *mihi indulg.* 21. abest *magis.* 23. *unam.*
— 2, 7. *mei* omisso *me.* 26. *janitores* ante *coqui.* 40. *impart.* 44. *Quod* non *Quam.* 52. *Nunc.* 59. *quod.* Ibid. distinct. ante *nunc.*
— 3, 8. *amare.* 21. *Si.* 33. abest *ego.* 41. abest *septem.* 44. *qui* pro *quam.* 51. script. *inquid.* 56. *scilicet* non *ilicet.* 58. *Istud equidem ego.* 65. *quidn.* 66. *sen. et mul.* 72. *vis* post *me.* 80. *ducam.* 88. *me* post *trud.*
III, 1, 45. *ut* post *eam.* 52. *comess.* 59. *metuet.*
— 2, 7. *nunc* pro *hunc.* 29. abest *suas.*
— 3, 4. *sese.* 12. *Rursum* post *diu.* 14. *posse* post *se.*
— 4, 2. *ut* post *diem.* 7. *Ibo ad eum* pro *Idq. adeo.* Ibid. *hinc* post *quisn.* 8. *hic orn.* 9. *illi* post *Quid.*
— 5, 2. *erump.* 10. *aut* post *gest.* 11. *es* post *san.* 15. *ut opin.* 24. *deducier.* 43. *facerem.* 61. *immuta.*
IV, 1, 4. *eum* pro *illum.* 8. *incip.*
— 2, 4. *reputo.*
— 3, 6. abest *ego.* 9. *rogas* ante *quem.* 20. *domi.* 21. *scias.* 22. *audivisti.*
— 4, 3. *o Pythias* post *vide.* 8. *nonne.* 9. *obsecro* ante *homo.* 13. *mitterem* post *quem.* 55. absunt verba, *et nil. ment. tibi.* 37. *huic* non *isti.*
— 5, 1. *bibit.* 2. *Ad dum.* nisi *At d.* 12. *video* post *ips.*
— 6, 5. *exspecto.* 31. abest *ut.*
— 7, 3. *facies* post *recte.* 43. *tu* ante *velis.*
V, 1, 3. *id* post *quicq.*
— 2, 1. *pat. et mat.* 17. post *paul. quidd.* sequitur vers. ille, qui nobis est decim. quintus.

Eun. V, 2, 23. absunt, *id si fec.* 25. *ista* ante *haec.* 54. *futuram pro fore.* 42. *tam* pro *ita.*
— 4, 1. *agat* pro *gerat.* 32. *esse* ante *fact.* 34. *eum ligavit* pro *Colligav.* 45. *de rure.* 46. *etiam* post *hercle.* 48. *narrato.*
— 5, 29. *esse* post *aliquid.* 31. *is n. rep. causam.*
— 6, 7. *deridendo.* 10. *te* post *cred.* 11. *ilico nec reddere.*
— 7, 4. abest *tibi.*
— 8, 3. *cito* pro *subito.* 7. *amabunt.* Ibid. *hic* pro *illum.* 12. *ut* ante *aud.* 15. *an illum.* 19. *sunt* post *incred.* 20. *praesto est.* 26. *tibi* post *quid.* ibid. *cognovi.* 29. *et abs.* Ibid. *et* post *invoc.* 30. *factur.* 31. *scient.* 33. *o mil.* 37. *auditote.* 39. *velim.* 40. *facio.* 47. *et* pro *nec*, quod corrector, deleto illo, adjecit. 59. *sed* post *ignorab.* 64. Sequitur in fine, *Calliopius recensui.*

Heaut. Prol. 26. *discernere* post *valeb.* ibid. *quamobrem.*
I, 1, 7. *videris.* 36. *tibi* post *Dicetur.* 42. *at.*
— 2, 16. *turbatio.* 30. *ille insimulat.*
II, 1, 12. *nec* pro *neque.*
— 2, 9. abest *jam.*
— 3, 11. *ancilla.* 20. *Dolet* ante *Mon.* Ibid. *ab h. re.* 28. *scias* post *prim.* 33. *ad ist.* 38. *haud* pro *aut.* 48. *et* post *nulla.* 55. *hic dicit* pro *credo.* 84. *amittenda.* 139. *Clinia* post *manebit.*
— 4, 26. *A. o mi exspectate, Clinia salve.* 27. *te* post *salv.* 29. abest *jam dud.*
III, 1, 1. *Lucesc.* 21. *hic* ante *apud.* 59. *dari.* 60. *hoc* ante *quod.* 71. *illum* pro *filium.* 78. *Si dar.* 86. *velle* pro *incip.* 96. *hoc* post *eo.* 100. *appreh.*
— 2, 3. *instru.* 8. *te potuisse surgere* post *bib.* 14. *propter hanc.*
— 3, 12. *earum et* post *libido.* 19. *ut sis funct, officio.* 25. *indicavit.* 31. *dent.* 40. *mutuo.* 46. *Dubiumne.*
IV, 1, 15. *So. sic fact. est. Sy. domina, ergo etc.* 20. *nescient.* 22. *esse* post *intereumpt.* 29. *neque* pro *aut.* 41. *ad adolesc. ac tulit.* 43. *primo.*
— 3, 1. *evenire.* abest *tanta.* 11. *Clinia* post *Nam.* 12. *cognoscat* post *senex.* 15. *hanc* ante *frustra.* 23. *ut ment.* 24. abest *ita.* 25. *hanc Bacchidem dicas esse Clitiphonis;* cf. infra 5, 19. haec fere ead. 35. *mihi* ante *erip.* 39. *effero* pro *erip.* 40. *senex* pro *pater.*
— 4, 2. *propter* ante *Decem.* 19. *hoc* ante *temere.* 23. *et* post *attul.*
— 5, 30. *ut comp.* 34. *simulare.* 39. *sim.* 36. *tibi quidem* post *ceter.* 49. abest *si.* 55. *perfic.*
— 6, 1. *sit.* 21—24. Hi vv. ordine sequuntur hoc, *Si Qua causa obs. in l. Ch. Nae ego h. s. fort. d. te Syr. S. Sed pat. egr. e. qu. adm. s.*
— 7, 4. *credo* vitiose.

Heaut. IV, 8, 2. *dum* pro *cum*. 3. *Resipuisse*. 9. distinct. *M. scio ea. Ch. res etc.* 12. *Etiam* pro *Immo*. 29. *istanc*.

V, 1, 1. *tam* pro *ita*. 4. *stipex*. 7. *eos*. 8. *dict. sit*. 12. *occep*. ibid. *concipiunt*. 18. *credo* post *despons*. 27. *mittam*. 31. *Quid posthac*. Ibid. *dict. ac fact*. 41. *ahahe* ante *quidni*. 45. *id*. non *illud*. 46. *omnia jam* pro *Nam j*. 51. abest *tu*. ibid. *parumper*. 62. *rogo* pro *volo*. 63. *malis*. 69. abest *Me*. ibid. *dotis* pro *doti*. 70. abest *hoc*. 73. *Defluit*. Ibid. *et redig*. 74. *dimitte*. 75. *praepar*. 77. *egone*. Ibid. abest *eum* alterum.

— 2, 11. *tu eger*. 12. *me* post *cui*. 15. *receptas*. 30. *egit* pro *loquitur*. 32. *filium* post *te*. 41. *ipsis* non *illis*. 48. *nunc* post *hinc*.

— 3, 6. *id* post *quid*. 8. abest *haec*. 11. *malum*.

— 5, 5. *ut* post *obs*. 8. *Ignosces*. 9. *prendere*. 12. *volo* post *ut duc*. 20. abest *Immo*.

Adelph. I, 1, 9. colloc. *cum sibi*. 13. *in animo*. 14. *sit* pro *est*. 35. *clamitans*. 48. *par pari ref*. 54. *id* non *jam*.

— 2, 3. *nescis* ante *quid*. 7. *Dimitto*. 26. *id* post *unde*. 37. junguntur uno commate, *olet ung. de meo*. 57. abest *hem*.

II, 1, 7. *umqu*. 9. *huius nihil est*. 14. *huc* non *illuc*. 15. abs. *Nim. ist. abisti*. 16. *dimov*. 17. *innuerim*. 27. *perges*. Ibid. *arrip*. 42. abest *ego*. 45. *Oh hom*. 48. abest *hoc*. 52. *incep*. 54. *orationes dep*.

— 2, 1. *jam* ante *fax*. 22. *Complur*. sup. script. ab altera manu, *Quam plur*. ibid. leg. *multa* post *alia*. 24. *omittam*. 27. abest *nunc*. 45. *facies qu. t. or*.

— 4, 1. *affert*. 22. *autem* post *Ego*. 23. abest *hoc*.

III, 1, 8. *erae natae*. Ibid. *o hera*. 11. abest *nobis*.

— 2, 2. *ferant* pro *adf*. 3. *mihi* omisso *que*. 21. *atque* pro *et*. 22. *o Geta, Geta*. 25. *cur times?* post *quid fest*. 27. *eloq*. 44. *aha*.

— 3, 4. *nunc* pro *eum*. 10. abest *modo*. 11. *se hab*. 20. *Qu. agitur?* 34. distinct. *quid istaec? jam*. 35. *sit hab*. 42. *aut* pro *an*. 47. *hinc* pro *hunc*. 51. *verum* non *vero*. 55. *prae gaud*. 69. *dixisti*. 89. *aliquid* pro *quid*.

— 4, 29. *Compressum* mendose. 40. post *Scio* sequuntur, ut in margine notatur, Calliopii verba: *Pamphila intus*. 51. *deinde* non *deniq*. 54. *Id* pro *Is*. 57. *et nobil*.

IV, 1, 1. *tu* post *Ain*. 2. *autem* post *nunc* omisso *cum*. 10. *illuc*. 14. *dic* post verba *ut d. s*. 16. *ut* post *vell*. omisso *etiam*. 18. *quasi* pro *quam*. 20. *meas?* 21. *prae gaud*. 22. *paterne?* 23. *potisne*.

— 2, 21. *rem ceptam* pro *emtam*. 26. *sapit*. 31. *agis*. 43. *templum* post *Dian*. supplementum interpretis.

Adelph. IV, 2, 44. *portum.* Ibid. ab altera manu *illum* pro *ips.* 46. *ligneis.* 47. *in sole* post *Ubi pot. v.* suprascript. *sub umbra.* 50. non hab. *est.*

— 3, 1. *Ego in h. re quamobr. laud. tant. nihil invenio,* *Hegio.* 9. *propt. fr. ej. esse et ill. ps.*

— 4, 6. abest *nescio.* 8. abest *me.* 10. abest *vidi.* 11. ord. *et si j. part. ads.* 13. *nobis.* 15. abest *tamen.* 19. *verisimil.* 21. *dixi* post *pat.* 26. colloc. *eg. s. Aesch.*

— 5, 10. *negotii* pro *rei.* 14. *quod nescis eas* post *scio.* 31. *credis.* 53. *at* pro *et.* 55. *circumspexisti.* 58. abest *et* primum. 62. *deduces.* 69. *navim.* 76. *injec.*

— 7, 4. *adolescentuli.* 15. *istuc* ante *dolet.* 23. abest *ut,*

V, 1, 9. *de mea* post *constab.*

— 2, 7. abest *jam* ibid. *abiit.*

— 3, 15. *tecum* pro *aeq.* Integra verba sunt: *numquid minus idem mihi jus tecum est tibi?* 34. *vide* post *ipsor.* 35. abest *Scio.* 40. incipiunt *Sed ea.* 47. *Sed* ab initio. 54. abest *cras.* 56. *hylarem.* 57. abest *illuc.*

— 4, 23. *contra haec quid.* 24. *eo* pro *huc.* suprascript. *ad id.*

— 7, 4. *vere.* 5. *quaeso* post *dom.* 14. *Fratris.* 15. *et* ante *sunt.* 21. *bene* ante *fact.*

— 8, 4. Hic totus vers. qui neglectus fuerat, additus est postea inter lineas exaratus. 6. *Aeschini* post *huius.* Ibid. *tum* inter *quid* et *postea,* omisso *est* antecedente; cf. Eun. II, 3, 79. 11. *men'?* 14. non hab. *aufer.* Ibid. leg. *fil. tuo.* 17. *promisisti.* 18. abest *Age.* 22. *istuc* ante *vultis.* 30. *dixisti.* 32. *et dict.* 33. *istuc.*

— 9, 4. *propter* ante *multa.* 10. *istac.* 16. *cum* post *ut.* iterum *ut* post *mecum.* ibid. *primo* ab altera manu. 23. abest *Tu.* 35. *quos* non *quae.* 36. *siquidem* ante *mag.* 57. *observare* non *obsecund.*

Hec. Prol. II, 13. *loc. suum.*

I, 1, 5, *se* post *Nunqu.* 7. *te* ante *mis.* 16. *ipsi* non *illi.*

— 2, 5. abest *ut.* 63. abest *cubuerit.* 77. *et* pro *ac.* 93. *huiusce.* 100. *Ruri.* 103. *eos.* 120. *pergam* ante *ego.*

II, 1, 5. abest *aeque.* 9. *bene am.* 10. *Atque ita.* 25. abest *hic.* Ibid. *abiss.* 41. abest *esse.* 43. abs. *Et - adeo.* 44. *et lex datur.* 45. absunt verba, *vestro impulsu*, repetita.

— 2, 15. *ut ne,* omisso *meae.* 17. abest *id.* 30. *ita* pro *ut.*

III, 1, 12. *induxisti.* 16. *obtulit* pro *obtrud.* 29. post *causa* ita: *ille qui est iracund. factus est inimiciss.* 31. *eum* ante *infirm.* 35. *sursum deorsum.* 58. *nata.* 39. *quid* pro *qui.*

— 2, 9. *in arcem*, non *inanem.* 15. *eu te ex causa.* 18. *te advenisse.* 25. *si* ante *non.*

— 3, 6. *quam* pro *ac.* 8. *propter id.* 12. *via* post *recta.* 15. *sinebat* pro *moneb.* 26. abest *fors.*

Hec. III, 3, 52. *de te* non *ex te*. 37. abest *id*. 45. *factura* pro *futura*. 51. *sit* pro *est*.

— 4, 15. *scire* post *adibo*. 53. *pietate*.

— 5, 13. *Quicq. relig.* omiss. intermed. *est id quod*. 19. *Atque*. 35. abest *iniqu*. 40. 41. colloc. *exig. c. eo vit. viro*. 43. *id* post *Tibi*. 45. *consiliis* non *commod*. 55. *Dedecet*. 62. *natus*. ibid. *is* pro *hic*.

IV, 1. 9. *tunc*. 15. *hoc* ante *nos*. 24. *et* post *amar*. 31. abest *haec*. 37. *hoc* ante *fec*. 39. *repente*.

— 2, 1 abest *mi*. 16. *tuas* iterum ante *cognat*. 28. *tu* ante *vis*. ibid. *illam* non *illa*.

— 3. 12. non hab. *fuerint*.

— 4, 76. *ipsam* pro *uxorem*. 95. *Ideo* pro *Id ego*. 95. *faciam* pro *agam*.

V, 1, 1. abest *nunc*. 2. abs. *sit quod*, ut restent, *qu. quod susp. vel.*' 4. abest *plus*. 5. *o Bacch*. 6. 7. colloc. *L. Quid sit*. q. *propt. te h. for. puer. evoc. jussi credo aedep. te n. m. mir*. 17. *jam* ante *meum*. 28. *Fac* ante *Eas*. 30. invert. *alia ess*. 52. ord. *esse f. f. nolo*.

— 2, 4. colloc. *puero nutr*. 10. colloc. *fug. fac*. 18. *ist. mihi*. 20. *qu. mihi es pollic*. 21. *expl. anim. his*. 22. invert. *fore meum*. 26. *alias* mendose pro *illas*. Correxit altera manus.

— 3, 15. abest *hoc*. 21. *abitur*. cum aspirat. pro *hab*. 30. abest *vi*. ibid. *quod compressisset* mire.

— 4, 20. *at* non *ac*. 22. sequitur *ha ha he* post *tun' m. ist*. 30. *in jure jur*. 39. *ego equid*. 40. *non prud*. pro *imprud*. ibid. *vos* ante *plaud*. in fine, *Calliopius recensui*.

Phorm. Prol. 21. *ipso* non *illo*. 22. *jam* pro *tum*.

I, 1, 12. *sit* ante *part*.

— 2, 47. *ex adverso*. 58. *ipsi iness. formae*. 67. *faceret* pro *ag*. 73. *dedit* post *qui*.

— 3, 7. *quia* post *fuiss*. 15. *hac* non *istac*. 18. *Beat. es*.

— 4, 4. colloc. *diut. j. nost. aud. cel*. 7. *qu. illuc*. 12. *egomet*. Ibid. *providiss*. 24. *ista haec*. 25. *oportet* pro *aeq. est*. 30. absunt *Phaedr. ilicet*. 31. abest *obsecro*. 36. *tenesne*. 45. *tuum oport*.

II, 1, 2. *Nec. imp. m. extimuit*. 19. *habendae sunt compedes*. 32. abest *me*. 34. *omnia* non *omnes*. 37. *Cum ille adest, hic praesto est*. 53. *meditata* pro *cogitata*. 54. absunt verba intermedia, *tum timidum ibi*. 64. *hoc* post *sino*. 85. *Tu serv. es*. 73. *non pot. fieri*. 80. *equid*. ibid. *ibis* post *nempe*.

— 2, 5. *ecce in re*. 16. *Quid ist*. 33. *eam* non *illa*.

— 3, 4. *fidem*. 11. abs. *Neglig. ipsa*. 30. abest *hodie*. ibid. abest *ehe*. 46. abest *rem*. 48. *referens*. 83. *iracundiam*.

Phorm. II, 4, 7. Pronomini *ego* non praefix. est persona H. sed oratio haec Getae adscripta sequitur ita: *Ge. ego Cratin. si tibi vid. censeo.* Incommode satis. 14. *mors* vitiose script. r lit. superante; id quod puncto etiam indicatur subscripto.

III, 1, 16. *veniat* pro *adven.*

— 2, 6. *ne aliquid.* 15. *ducas.* 18. *sciunt* inter *object.* et *mal.* 20. *tibi us. ven.*

— 3, 1. *hoc* post *unde.* 2. *nunc* ante *exor.* 6. *rectum* non *aequ.* ibid. *ego* pro *vero.* 7. *ut inven.* 10. *si de nupt.* 11. *Tu* pro *Ni.* 16. abest *Tum.* 18. *eam* post *perseq.* 23. *bona malaque tecum una tolerabim.* 24. *Quant. est arg.* omissis *op. tibi.* 26. *auferte* sic conjunctim. Sed altera manus divisit, linea facta per medium, *aufer te.*

IV, 1, 2. *est* in fine. 7. *commorabaris.* 9. *illas.* 20. *scit.* 21. *namque.* 23. abest *adeo.* 24. abest *tibi.*

— 2, 2. *dicam.* 6. *grat. habebat.* 12. abest *mihi.* 15. *ab hoc.*

— 3, 11. *quid est?* 13. *istum* non *istam.* 14. abest *prius.* 16. *si* pro *sic*, omisso *ut.* ibid. *in bona.* 20. *in uno.* 21. *incept.* 30. *discedat* pro *facess,* 32. *boni aequive.* 35. abest *Immo.* 38. *quid* pro *quis.* 43. *ejus* pro *illius.* 49. abest *tibi.* 67. *occid. me t. fallac.* Haec verba in marg. sunt adscripta ab altera manu. 70. *dimitt.* 72. *illi.* 76. *id* non *Inde.*

— 4, 8. *quod quidem recte curatum velis.* Tunc absunt nostra *qui te ad scop. e tranq. auf.* 13. abest *ceterum.* 26. *per* non *in.* 31. *et* post *abi.*

— 5, 2. *dimitt.* 12. absunt *est - te.* 14. *congrua est.*

V, 1, 5. *Quaenam.* 10. *adeam?* 13. *in* pro *ad.* 19. *effund.* 23. abest *miseram.* 32. *collatam.* suprascript. *collocatam.*

— 2, 4. abs. *ab illo.* 11. *ducam* pro *adduc.* 12. *ibi* pro *abi.*

— 3, 12. *ex te.* 13. *ilico curavi.* 23. *si ita nihil narres.* 26. *Adeamus.* Ibid. absunt, *aut scire aut nesc. h. volo.*

— 5, 9. abest *Sunium.* 10. *dud. quam.*

— 6, 2. *oneratis.* 3. *exoneratis.* 4. *exonero.* 6. *narrat.* 10. *ni restiteris.* 12. *ipse est.* 15. *quid ist.* 18. abest *ut.* 31. *mirificum.* 36. *agebant.*

— 7, 2. ord. *Sum. occas. est m. n. elud. sen.* 6. *ego* ante *ipsa.*

— 8, 7. abest *hac.* 14. abest *me.* 22. abest *pol.* 37. *ista.* 41. *erat.* 48. abest *Hic.* Ibid. *viri* (i/u); ibid. *Ch. quid id hem?* 54. *condon. tibi.* 61. abest *hem.* 62. *argentum* omisso *hoc.* 82. script. *lacrim.* 89. *At sequere.* 90. *Hem* non *Eben.* Ibid. *mihi* in fine.

— 9, 22. *c. hoc ipso.* 29. *posthac.* 58. *Satis.* 59. *mihi nomen?* 60. abest *hercle.* 64. *tui viri.* 66. in fine *Calliopius recensui.*